SC.SUP.14.P1.3.

31
2 G
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS ET USUM
CRITICES.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS ET USUM
CRITICES,
SPECTANTES

Ad Hiſtoriam Eccleſiæ, Opera Patrum, Acta antiquorum Martyrum, Geſta Sanctorum; atque ad rationem interpretandi Sacras Litteras, traditam a Scriptore quodam, tanquam omnium, quotquot hactenus prodierunt, accuratiſſimam.

ACCEDUNT NOTATIONES HISTORICÆ, CRONOLOGICÆ, ET CRITICÆ.

AUTORE

R. P. HONORATO A S. MARIA,

CARMELITA DISCALCEATO EX PROVINCIA AQUITANIÆ;

INTERPRETE E GALLICIS

Viro Religioſo ejuſdem Familiæ ex Provincia Veneta.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS, CIϽIϽCCXXXVIII.

EXCUDEBAT FRANCISCUS PITTERI,

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Eminentiſſimo & Reverendiſſimo PRINCIPI,

ANGELO MARIÆ,

S. R. E. CARDINALI
QUIRINO,

Ejuſdem S. R. E. a Bibliotheca,

EPISCOPO BRIXIENSI.

F. MARCUS A S. FRANCISCO,

Carmelita Diſcalceatus F.

SI *dixero*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ſtetiſſe mihi, Animadverſiones iſtas in Regulas, & Uſum Critices V. Cl. Honorati a S. Maria nomine tuo auſpicatiſſimo ornare non tam propter ampliſſimam dignitatem tuam, quam propter virtutem & ſapientiam ſingularem; rem plane dixero non ſatis ſplendidam aut vulgo probabilem, ſed cum tibi, cordatiſque Viris omnibus*

ac-

Digitized by Google

acceptam , tum moribus etiam , vitæque tuæ conſuetudine commendatam . Qui nanque dignitatem ad virtutem fovendam , colendamque ſapientiam refers , non virtutis ſapientiæque famam ex dignitatis acceſſione conquiris ; idem facile quæ ad illas ſpectant , probaturus es , quæ vero ad iſtam , minus æquis auribus auditurus . Ego ſane , ut de me fatear , homo nullo numero ætatis , generis , rerumque geſtarum ratione , quo ſummorum Virorum dignitate abſterreri ſoleo , ne propius accedam ; eo ſapientia allici mihi videor , & confirmari , ut me coram illis ſiſtam animoſe : ratus , quos honoris faſtigium longe diſtrahit , eoſdem Litterarum amorem conciliare . Et vero enim qui fieri potuiſſet , ut rudem hanc præclari Operis Interpretationem , primum lucubrationum mearum ſpecimen , PRINCIPI ECCLESIÆ EMINENTISSIMO *nuncuparem ; niſi ſermone omnium percrebuiſſet , te iis artibus a puero eruditum , quibus ingenia ad magnæ formæ cultum excitantur ; Italice , Latine , & Græce cumulate ſcientem ; deque Litterarum ſplendore & copia mirifice ſollicitum , eos peramanter amplecti , quos vides ſive de Republica Litteraria optime meruiſſe , ſive in ſpem merendi aliquid omni conatu ſuccreſcere . Cujus ardentiſſimæ tuæ in ſtudia quælibet , eorumque ſtudioſos homines voluntatis argumento ſunt , S. Ephræm Syri Editio nitidiſſima , quam retractatam , ad MSS. Codices Vaticanos Græcos & Syriacos exactam , animadverſionibus inſuper & Diſſertationibus illuſtratam procuraſti ; alia noviſſima , priore præterquam annis nihilo minor , quam Sanctorum Eccleſiæ tuæ Brixienſis quatuor Deceſſorum ingenti Volumine adornas ; Euclides , quem peritus Geometra ad Algorithmi leges redegiſti ; Seminarium Clericorum Vangadicienſe , quod adoleſcentibus tibi , illius Eccleſiæ Abbati , concreditis , atque diſciplinis humanioribus & gravioribus imbuendis , ære tuo conſtruere pergis ; Bibliotheca Vaticana , quam pretioſa copioſaque Librorum tuorum ſupellectili , ut Præfectus illius es publicæ utilitatis amantiſſimus , locupletaſti : eandemque teſtantur Corcyrenſes ipſi , in quibus Archiepiſcopus non vigilantiſſimus modo , ſed doctiſſimus etiam , politioris Litteraturæ deſiderium vehementer accendiſti ; ii demum quotquot vel*

Flo-

Digitized by Google

Florentiæ ad te de natura & Fidei arcanis rebus diſputantem confluebant, vel huc de implexis difficultatibus in dies conſultum veniunt; teque admirantur, aſſiduis licet diſtentum negotiis, quibus diſtinentur qui ad Eccleſiæ gubernacula inſtar tui vigilias exercent; tantum tamen otii nanciſci, tanta ingenii vi pollere, ut diu lucuenterque de recondita quaque facultate perinde ex tempore colloquaris, ac ſi paratus eſſes & meditatus. Quorſum vero hæc audeo longius exequi dicendo, quibus non Ephemeridum modo Scriptores illuſtre ſæpius teſtimonium dedere; ſed cum Sacra Congregatio *Legum Tridentinarum vindex, tum ipſi Pontifices ſummi Benedictus XIII. & Clemens XII. datis ad te officioſis Epiſtolis, eadem non ſemel celebrarunt? Quanquam omnia tua ſilentio prætereunda forent, ſi quæ Viri præſtantiſſimi de te prædicant, animus eſſet intacta relinquere. Porro non is ego ſum, qui gravem adeo veritati injuriam inferam; & malo res non exæquare verbis, quam rebus verba utcunque ſubtrahere. Novi etenim te magna non poſtulare niſi a te ipſo, atque ad ea potiſſimum oculos animumque convertere, quæ proſtrata & abjecta manum tuam expoſcunt, quam ad ea, quæ erecta & abſoluta inanes duntaxat plauſus excipiunt. Quæ ſi ad gratiam dicerem, non ſuſpiceret mehercule Brixia auguſtiſſimum Templum ſuum, jandiu a ſæculo mole ſua incredibili laborans, atque in ipſis miſere jacens inceptis ampliſſimi Edificii, aſſurgere extemplo præter omnium opinionem, atque urgeri contentione tanta, partim ſumtibus tuis effuſis, partim alienis per te coactis, qua elegantiſſimis hortationibus, qua cogitatis ingenioſiſſimis; ut octavo, poſtquam id conſilium iniiſti, anno vertente, ad eam creverit magnitudinem, quæ Divina in eo diebus paullo ante elapſis Pontificis ritu peracta commode ſuſciperet. Opus profecto immortale, divinum, quod cum moviſti & inſtitis, etſi ab eo omnium fugeret & reformidaret animus, tum ab omnibus extorques, ut fateantur, majora a te geri poſſe, quam quæ ab aliis animo concipiuntur: idque Brixienſes in Antiſtite egregio experimento didicerunt, quod Artaxerſes de Datame Imperatore ſummo, ut eſt apud Nepotem, intelligebat:* ſibi nimirum cum Viro forti &

ſtre-

ſtrenuo negotium eſſe, qui cum cogitaſſet, facere auderet, & prius cogitare, quam conari conſueſſet. *Quemadmodum etenim facinus tantum præſenſione quadam volvebas animo, uti ex te accepi, dum agebas cælo alio; ita demum, ubi in rem præſentem veniſti, opere imples; atque utinam tranſigas, ut omnibus in terris Divinæ Majeſtatis, Urbis Brixienſis, tuique nominis gloria latius verſetur, ad quas Templi hujus fama manabit; tametſi juxta* Horatianum *illud* *: Reſponſura tuo nunquam eſt par fama labori. *Neque vero accerſitum in te dixerim, aut temporarium hoc magnifici animi monumentum; cum innata tantæ virtutis ſemina ex primo ſatu a procreatoribus tuis* QUIRINIS, *ad maxima quæque obeunda domi, foriſque; ſive Eccleſiæ, ſive Reipublicæ emolumento a natura factis & inſtitutis, tecum adoleverint ætate ipſa; & diu concluſa intra Religioſæ Familiæ fines, cum primum honorificentiſſimo Pontificis Decreto erumpere datum eſt illis, tum Corcyræ, tum Romæ, tum Brixiæ, tum demum in aſperiore Diæceſis tuæ parte luſtranda, altas ubique beneficentiæ liberalis radices egerint. An non omnium oculis obverſantur Romæ S. Marci Tituli tui Ædes, exquiſito plane cultu, impenſiſque graviſſimis ad omnem elegantiam, Principe Eccleſiaſtico dignam compoſitæ? Ædes pariter Epiſcoporum, quas Brixiæ incolis, majore ex parte ediuturno ſitu, quo neglectæ inſorduerant, repurgatæ, & nova omnino ditiſſimi ornatus ſpecie reſtitutæ? inſignis marmoreus Fornix præ foribus illarum in ſublime elatus? Aræ Sacræ peregrinis lapidibus contextæ, & miro artificio elaboratæ; quarum alteram S. Gregorii de* Urbe *Monachis, alteram Oratorii Brixienſis Patribus, tertiam denique Templo tuo Maximo es elargitus? Quod ſi tanti fuit opera tua decori Domus Domini augendo; quanti futura erat inopiæ pauperum levandæ! Id certe paucis admodum compertum eſſet, quippe qui oſtentationem averſaris; niſi ſi te proderent ii, apud quos, dum iter ageres, diverſatus, eoſdem ampliſſimis muneribus donaſti;* Urbani *pauperes, quibus per publicos eorum Curatores ſingulis annis auri pondus non leve ſuffi-*

* Libro II, Satyra VIII.

cis;

cis; Sacræ tandem Virgines Saleſii filiæ, re familiari laborantes, in quarum ſubſidium univerſos Camuniæ Vallis reditus, te ſuperſtite, tranſtuliſti. Qua de re mirentur, per me licet, alii indolis tuæ ſummam in benefaciendo poſitam, cunctiſque hominum Ordinibus te magnificentiſſimum exhibendo, quibuſcunque rebus potes, potes autem plurimis: id ego præ aliis mirari non deſinam, te magnificum aliis, modicum tibi parce ita vivere, parumque adeo tuis commodis indulgere; ut ſicuti nemo te magis emax eſt, nemo magis ædificator, ita nemo ſit lautus minus, nemo minus conviviorum amator: nulluſque tibi pecuniæ uſus videatur eſſe, niſi in deprecandis tum Eccleſiæ, tum Populi tui aut periculis, aut incommodis. Mira hæc Virtutum genere disjunctarum in te ſocietas commendatur incredibili quadam facultate dicendi, cogitandi, atque in animorum latebras receſſuſque pervadendi; quod cum alias ſæpe, tum præſertim re intellectum eſt, ubi acerrima conſilii dexteritate publicus Reipublicæ noſtræ Miniſter te difficillimis illis fluctibus jandudum Romæ commiſiſti, quibus tranquillatis, gratam utrique parti operam navaveris, tibique prudentiſſimi hominis celebritatem acquiſiveris. Honeſtatur præterea fronte explicatiſſima, benevolentiam veluti ex corde intimo effundente; ore ipſo, inſigne quoddam ad decus & gloriam adeo gerente, ut non ſemel magni concurſus ad te videndum fierent, atque aſpectu uno cum Græcis, tum Italis tui admirationem injiceres. Perficitur extremo loco facilitate illa, qua proſtas omnibus, audiſque ſingulos; ſique exaudiendi ſunt, ita comiter non ſine ſeveritate, ſi contra non exaudiendi, ita ſevere non ſine comitate id facis, & nativo quodam ſermonis lepore, gratiaque non adſcita rem lenis, ut utroſque tibi addictiſſimos æque dimittas. Quæ univerſa Virtutum tuarum ornamenta animo excelſo & fidenti nos eſſe jubent, ne te Duce nos in viam dare vereamur, qui pro Sapientia tua Honorati Animadverſiones iſtas ſuffragio probabis; pro Magnificentia tua jejunæ Verſionis errata in Auſpicis autoritate deliteſcere facies; pro Humanitate tandem tua Interpretem ipſum in tuam fidem & clientelam accipies. Neque enim eo me diligo & circumſpicio, ut non

ſentiam , in quot me laqueos induerim, primum judicii publici periculum facturus ; niſi orſis hujus Operis mei ſucceſſus proſperos a Viro, partibus omnibus concinentibus, præſtantiſſimo compararem. Quam ut abs te gratiam me initurum eſſe confidam, præter ea, quæ retuli, non parum facit teſtatiſſima tua erga Religioſam Familiam noſtram voluntatis ſignificatio, qua nos omni ſemper officiorum genere obſtrinxiſti, nihilque omittis, ut nobis gratificeris : quo ſane nomine quantum tibi hoc præſertim tempore debeamus, abs re non eſſet exemplo longe omnium maximo palam facere ; niſi tu non vota, ſed facta in laudis loco poneres ; & ſeverior Virtutis æſtimator Cicerone ipſo, qui quæ * ab hac proficiſcuntur, ſuſceptione prima, non perfectione recta judicanda eſſe *cenſebat, tu contra quæ ad beneficia in alios tua pertinent, non ſuſceptione prima, ſed perfectione æſtimanda eſſe arbitraveris. His itaque in alind tempus dilatis: Ecce tibi*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *Critice confecta magiſtrorum vulneribus, quæ recentes cicatrices aperit ante te plurimas, eaſque tum alterius Magiſtri celeberrimi, tum Patroni Sapientiſſimi ope obducere nititur. Faxit Deus, ut tanti Autoris Animadverſiones, tantique Principis Auſpicia eo proficiant ; ut ſublato demum partium ſtudio, conſtitutis temperatiſque Critices germanæ Legibus, ſtent aliquando Litteræ omnes ejus documentis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis. Autor jandiu vita functus, hoc unum, ut auguror, in optatis habere poteſt : Interpres præter id, validiſſimum inſuper Patrocinium tuum enixe flagitat ; & quodcunque erit officium in omni vita reliquum, Nomini tuo ſpondet & vovet. Quod ſi vota noſtra æqui bonique feceris, me ſatis rebus meis conſuluiſſe pro viribus judicabo: Te vero tum ſolum conſulere tuis pro dignitate ; ſi ita te impoſterum compares, ut eodem, quo hactenus, virtutis habitu nunquam finem altius te efferendi facias, niſi eo pervenias, quo tibi aut ſiſtere neceſſe ſit, aut ulterius tendenti, Superos ipſos æmulari. Vale.*

* 3 de Fin. c. 9.

Venetiis ex Conventu S. Georgii in Alga,
Idibus Sextilibus CIↃIↃCCXXXVII.

PRO.

PROŒMIUM

Ad Animadverſiones in Regulas & Uſum Critices,
In fronte Editionis Pariſienſis
Ab Autore collocatum.

TItulus hujus Operis, quamlibet ſimplex, ſatis planum facit, id me animo intendiſſe, ut addiſcerem potius, quam ut majorem Librorum partem, quibus a pluribus Sæculis locupletata eſt Reſpublica Litteraria, in judicium vocarem. Inveſtigatio veritatis, ſtudiis meis unice propoſita, me adduxit; ut nonnullas Animadverſiones emitterem in Regulas & uſum Critices, cum quod attinet ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Opera Patrum, Acta antiquorum Martyrum, & Vitas Sanctorum; tum quod ſpectat ad rationem a quodam Scriptore divulgatam, Sacrorum Bibliorum Interpretationi omnibus ad hanc diem editis accuratiori perficiendæ.

Hujuſmodi Animadverſiones argumento erunt, fatendum omnino eſſe, quamtumvis magnificam & liberalem temporibus noſtris Critices ſpeciem ſibi effinxerint homines, egregiæ tamen Artis hujus Magiſtros, omnium ferme Scriptorum Autores, in quibus ſcite adeo & commode adhibita eſſe creditur, de eadem Hiſtoria, de eodem Facto, de eodem Opere judicia penitus diſcrepantia pronunciaſſe. Legimus ſæpe numero nonnullos inter vera factum aliquod recenſere, quod ceteri ad fabulas amandant. Sunt qui aperto multorum Antiquorum ducti teſtimonio pro legitimo habent Opus idem, quod ab aliis tamquam ſuppoſitum rejicitur. Modo a cujuſdam Scriptoris Eccleſiaſtici autoritate validiſſimas confici probationes putant; modo vero in eandem rem, vel aliam eidem ſimillimam, nullius momenti eſt hæc ipſa autoritas. Eadem effata uſurpantur, atque eadem ratione accommodantur ad oſtendendum, hanc Hiſtoriam veram eſſe, illam autem Apocryphis annumerandam. Hoc loci ex conjecturæ aſſeruntur, & ea reſponſa redduntur, quæ ſolida & rationi conſentanea, alibi vero futilia & minime probanda exiſtimantur. Hic alicujus adulterini Libri fidem appellat Criticus; ut inde certiſſima judicio ſuo colligat argumenta; ibi autem eundem Librum, utpote falſum, nihil evincere, nullius eſſe ponderis teſtatur. Quædam Hiſtoria a Scriptore multis, poſtquam geſta eſt, ſæculis narrata in falſitatis & calumniæ ſuſpicionem venit; quædam vero ſincera & conſtans habetur,

licet ab Autore nihilo majoris exiſtimationis, aut illius origini nihilo propinquiore referatur.

Hoc ſane eſt, ſumtis ab iiſdem Scriptoribus, ab iiſdem cauſſis, ab iiſdem rationibus, ab iiſdem conjecturis, teſtimoniis, diverſa plane uti ratione: quæ porro varietas, cuicumque demum vitio vertenda ſit, ſive Critices Regulis, ſive earum per Sapientes exercitationi, id certe apertiſſime confirmat, eximiam hanc Artem eo æquitatis & accurationis adhuc non perveniſſe, quo illam ætate hac evectam fuiſſe nonnulli ſibi blandiuntur. Hinc quoſcumque tandem poſtremis ſæculis progreſſus fecerint Diſciplinæ atque humanæ Litteræ: nonne ad altiorem perfectionis gradum aſcendent, & in clariori luce verſabuntur, ſi vias omnes & modos perſecuti fuerimus, quibus Criticæ Leges dilucidius explicari poſſint, atque earum uſus ſit exquiſitior, magiſque ipſe ſibi conſtet?

Quid magnorum ingeniorum ſæculi noſtri eruditione & perſpicacitate dignius, quid Litterariæ Reipublicæ utilius quam conſilium hoc perficere? Equidem has Animadverſiones emiſſurus, præclariſſimum conſilium hoc mihi ante oculos propoſuiſſem; ſi pares difficili ac ſpinoſo muneri vires reſpondiſſent. Nunc vero me perbeatum prædicabo, ubi qualiſcumque hæc opera mea præſtantioribus Scriptoribus aditum aliquem patefaciat, vel ſaltem ardorem ingerat ad tantum facinus ineundum atque exequendum. Quod mea intereſt, tribus efficiendis inſtitutum meum circumſcribere putavi: primo quidem ut oſtendam, Criticen etiam nunc ſatis vitioſam & minus tutam eſſe, ſi de illius perfectione judicium ferendum ſit ex iis, quæ apud probatiſſimos recentiores hujuſce Artis Magiſtros leguntur. Secundo, vitiorum iſtorum fontes aperiam. Tertio, generales quaſdam præſcriptiones indicabo, quibus ad reſtituendam Criticen uti quis poſſit.

Antequam de his omnibus agere aggrediar, libuit communem Critices notionem informare, diverſas illius regulas atque uſus recenſere, quam ſit gravioribus diſciplinis & liberalibus artibus perficiendis neceſſaria, monere: ſpecimen deinde exhibeo lectiſſimorum fructuum ab ea proxime elapſis ſæculis perceptorum; atque ipſius origine & inſtauratione paucis ob oculos poſitis, primæ Diſſertationi, quæ Proluſionis cujuſdam loco haberi poteſt, finem faciam ſimul ac oſtendero, cur exiguo Clariſſimorum Criticorum numero, quos ex aliis omnibus ſelegi, meas Animadverſiones concluſerim. Sunt autem *Tillemontius*, *Bailletus*, *Ruinartius*, *Simonius*, *Dupinus*, & *P. Alexander*. Horum itaque ſex illuſtrium Scriptorum iccirco delectum habui, eoſque ceteris prætuli, quod nimirum omnium confeſſione de præcipuis ad Critices Eccleſiaſticæ uſum ſpectantibus rebus accurate diſputaverint,

quod-

quodque ſinguli, non ejuſdem forte gradus, profunda eruditione, perfecta Criticarum Regularum intelligentia, ſummo in iis uſurpandis ſtudio, atque ingenuo veritatis amore præditi ſint: quæ ſane omnia eximii Critici ingenium effingunt. Non omitto nihilominus Animadverſiones meas aliquando ad aliorum Sapientum Opera pro re nata traducere.

Cum Autoritas & Conjectura duo tamquam fundamenta ſint Critices, multas illico conſiderationes propono, pertinentes ad argumenta deducta ab autoritate Operum legitimorum, ſive Suppoſitorum; manu deſcriptorum; ſive typis editorum; Autorum Eccleſiaſticorum; eorum, qui aliquibus ſæculis poſteriores ſunt factis, quæ memorant; atque eorum, qui minore ſunt in exiſtimatione. Tranſitum deinde facio ad Conjecturas, quæ infinitam argumentorum copiam Criticis ſuppeditant. De iſtarum, cum ſeorſim, tum ſimul ſumtarum ſoliditate quid dubitem, quidve de *Principe*, ut vocant, Critices Regula, quæ adeo firma & rata mihi non videtur eſſe, ut nobis perſuaſum eſſe vellent, in medium adducam.

Nihil poſt Scripturas & Conciliorum Canones majore obſervantia colendum in Eccleſia eſt, atque antiquorum Martyrum Acta: propterea maximi intereſſet fundamenta jacere inconcuſſa, quibus rectum Monumentorum iſtorum diſcrimen fieret, & vera a falſis ſecernerentur. Id muneris multis Sapientibus cordi fuit: a nobis autem ſuper hac re objectæ difficultates teſtatum plane facient, eos Leges ſatis ambiguas condidiſſe, atque eadem inconſtantia laborantes, ac illæ, quas ſanxit Simonius ad perficiendam Bibliorum Sacrorum Verſionem, omnibus ad hanc diem editis accuratiorem. Si enim a ratione minime abhorrent quæcumque ipſis oppono, fieri nullo modo poterit, ut viam ſuam tueantur, quin ſua ipſorum principia ſubvertant, neque conſtituta præcepta doctrinæ ſuæ conciliabunt.

Dubitationibus meis in hæc omnia Regularum genera propoſitis, deinceps expendo, quiſnam fuerit earum apud Criticos uſus. Cauſſa profecto erit cur obſtupeamus, ubi obſervaverimus, ex eorundem præceptorum tractatione, quoad Hiſtoriam & Scripta, res confirmari inter ſe penitus adverſas; nec non factum aliquod, iiſdem comitantibus adjunctis, ſimul veri, falſi, certi, dubii, vero ſimilis, & fabuloſi imaginem induere: neque ſcio, utrum ex aliquibus meis in quædam hiſtorica facta animadverſionibus ii, qui nullis ad judicandum præjudiciis feruntur, collecturi ſint, Criticos Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ craſſiores ſæpius tenebras offudiſſe, quam eam majorem in lucem vocaſſe.

Quidquid II. III. IV. V. & VI. Diſſertationes, de Regulis iſtis, atque earum Uſu diſceptantes, complectuntur, totum probationibus nititur ab Operibus celebriorum inter recentiores Criticorum petitis, atque adeo totum

totum ex eorum principiis pendet. Hinc me tenet ſpes, fore, ut planum omnibus fiat, Criticen, prout in præſtantium Scriptorum libris continetur, cum quoad Regulas, tum quoad illarum uſum, minus ad hanc diem accuratam eſſe.

Alterum officii mei penſum eſt, altius rimari, atque e latebris eruere originem tot infirmarum rationum, quibus conſperſa ſunt Criticorum Operum plurima; tot inutilium controverſiarum, & opinionum de eodem facto ſive ſcripto invicem oppoſitarum; uſus parum adeo ſibi conſtantis quoad eadem præcepta, cum autoritatem, tum conjecturas attingentia; tot denique mendorum, quæ ſine gravi incorrupti judicii injuria purgari non poſſunt. Præter Definitiones quibuſdam ambiguis vocibus in Critices uſu paſſim obviis, uniuſcujuſque arbitratu impoſitas, perſpicuum erit, veros errorum fontes, e quibus adhuc non emerſit prorſus, ab Doctoribus artis erupiſſe. Nonne ad ipſos attinebat ſtatuere, quatenus in Scriptorum teſtimoniis progredi debeat autoritas, tum quæ a germanis eorum libris mutuatur, tum quæ ab iis, qui falſo ipſis tribuuntur? quando plus deferendum ſit autoritati, quam conjecturæ, quando vero huic plus quam illi? quonam pacto Autores Eccleſiaſtici inter ſe conciliari queant, ubi videntur diſcrepare? Qui memorem reſponſa dictis Patrum per Criticos perperam reddita, circuitiones & anfractus ad ea extenuanda adhibitos; ſenſa ipſis injuſte afficta; eorum textus in pravos uſus detortos? Nonne tandem ipſorum erat, nos inſtituere, quænam in conjecturis deſiderentur, ut probabiles ſint, quive eas integre conjiciendi modus? His omnibus manifeſto convincitur, in Critices operibus vitia animadverti, & notari; quæ quidem per totum licet volumen diffuſa ſint, viſum tamen eſt ea in quadam Septimæ Diſſertationis parte collecta ſeponere; ut uno veluti aſpectu univerſa circumſpiciantur. Verum ſatis nequaquam eſt, Critices errata palam feciſſe, atque eorum nos cauſſas perſecutos fuiſſe: operæ pretium eſſet, in id conniti, ut tot ejus incommodis aliqua ratione provideremus. Quo in munere illius equidem Regulas & Uſum abſolute corrigendos non ſuſcipio; contentus plane generales vias tradidiſſe, quarum ductu facultas hæc tutior, ejus præſcripta minus incerta, Uſus æquabilior, atque argumenta ſolidiora redderentur. Occurrent pariter nonnulla principia ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtrandam, ad lites non paucas dirimendas, ad diverſas de compluribus factis opiniones componendas utiliſſima.

Nulla ferme alia fundamenta poſuit Critice præter Autoritatem & Conjecturam: at hæc duo capita probationes aliquando ſuppeditare nequeunt in quædam facta, præſertim teſtibus minime munita. Abs re itaque non eſſet, duobus iſtis principiis alia duo, quæ unum reipſa ſunt,

ad-

adjungere. Traditionem ſcilicet, & Teſtimonium Eccleſiæ. Nomine autem Traditionis eas haud intelligo populares & futiles, quæ plerumque commentitiæ ſunt, aut certe dubiæ ſemper fidei; ſed Traditionem rationi conſentaneam, iiſque conditionibus præditam, per quas *CRITICÆ TRADITIONIS* vocabulum ipſi congruat. Cumque ſimiliter inter Critices principia Eccleſiæ teſtimonium refero, non hic accipias velim Eccleſiam, Fidei dogmata declarantem, ſed enarrantem nobis hiſtorica tantummodo facta, eaque præcipue, quæ qualitatibus afficiuntur, *Critica & prudenti Traditioni* neceſſariis.

Novorum Principiorum neceſſitate extra aleam poſita, generales regulas exhibeo, 1. ut cognoſcamus, quantum autoritatis tribui poſſimus Scriptorum teſtimonio, tum quoad fontes, unde facta duxerunt, tum quoad alios Autores, aut ipſorum proprias affectiones; 2. ut enucleentur ea, quæ conjecturam credibilem efficere poſſunt, æque ac probationes ab aliis conjecturis comparatas, quarum plurimæ, utpote nimium vagæ, in ancipiti ſemper verſari videbuntur, niſi moderatione temperentur. Normam itaque ſequendam deſigno; ut a mendacibus & incertis Traditiones Eccleſiaſticas ſecernamus. Ecce tibi communes vias, quibus ſi inſiſtas, lumen fortaſſe aliquod aſpicient Criticæ Regulæ, earumdemque uſus utilior, conſtantior, & ſibi ſimilior evadet.

Quæ cum dixi, totiuſque Operis formam, & conſilii mei rationem aperui, æqua ſuboritur formido, ne Lector Sapientum illorum, in quos cadunt Animadverſiones meæ, favore præoccupatus, facinori meo non mediocris audaciæ notam inurat. Candide fateor, judicium hoc optime videri conſtitutum: cum tamen oro obteſtorque, ne quicquam pronunciet, priuſquam reputaverit, nonnullos ex iis, qui obſervationibus meis materiem ſubminiſtrant, mihi in hujuſmodi labore animos addidiſſe. Non eſt cur, ajunt iſti, vituperemus libertatem detegendi doctorum hominum lapſus; multo vero minus, ſi in eorum Opera dubitationes tantummodo proponantur. Uni illi redarguendi ſunt, qui ficta in Scriptores crimina conflant, quique illos durius appellant, atque acerbo ſtylo inſectantur; ſive ut de ipſorum fama detrahant, ſive ut illorum gloriam imminuant. Ceterum ii, quorum caſtigatiſſimæ cenſuræ modeſtiam undique redolent; quique ad ſcribendum accedunt, ut ſibi ipſis clariorem lucem acquirant, laudibus potius celebrandi ſunt, quam reprehenſionibus exagitandi. Tantum abeſt, ut Litteratorum iſtorum exiſtimationem violare cogitaverim; ut ingenua fide profitear, me, ſi qua in bonis litteris valeo intelligentia, hanc totam eorum exquiſito judicio & ſingulari eruditioni debere: cum Opus meum nihil aliud, quam Operum illorum ſumma dicendum ſit; & quidquid cum in contextu

textu ſermonis, tum in notationibus digeſſi, totum pene ab eorum ſcriptis decerpſerim: ita ut ſi quilibet, quod ſuum eſt, jure repeteret, de meo ſupereſſent paucula tantum Animadverſiones, quas etiam ut interſererem, ab iiſdem Viris occaſionem nactus ſum. Quæ omnia teſtatiſſimo erunt argumento obſervantiæ ſummæ, qua proſequor, quæcumque ab eis conſcripta ſunt.

Ad ſcribendi modum quod attinet, egregia illa effata ſervavi, quæ ex Eruditis iſtis nonnulli enunciarunt; ut vim & robur ab acrimonia & arrogantia diſtinguerent. Hæc nos docent, ut eorum, quæ partim veritati, partim juſtitiæ, partim amicitiæ & reverentiæ tribuenda ſunt, rationem habeamus. Ego ſane dum Criticorum Opera expendi, veritati unice conſului; at veritas nullo modo iis morem gerere cogit, quæ recta non ſunt, neque ſcrupulos ſuffocare, qui de Autorum Scriptis oriri poſſunt. Quantum ad Juſtitiæ partes, injuſtas vias perpetuo abjeci, Veritatis licet cauſſæ non parum profuturæ viderentur; cum plane ſint honeſto homine indignæ, qui alio non ſpectat, quam ut ſemetipſum erudiat, & veritatis receſſus pervadat. De Sapientibus tandem iſtis ea cum dignitate & circumſpectione verba facio, ut nihil magis, imo aliorum de ipſis dicta recitans, ſtudioſe curavi, ut quæ minus liberaliter prolata erant, ſupprimerem: quod ſi me imprudente, excidit vel minima vocula adverſus hæc Juſtitiæ & Honeſtatis officia, eam jam nunc revoco. Facta, in Opere hoc univerſo frequenter obvia, quanta fieri potuit integritate retuli: Autorum, quos cito, mentem aſſequi ſtudui, atque ab eorum ſenſis oblique detorquendis longe abhorrui. Hæc conſilii mei diſpoſitio non poteſt non ab omnibus maxime commendari; exploratumque habeo fore, ut æquis & bonis Viris arrideat, quibus toto hoc Volumine nihil occurret; præterquam ingenuum deſiderium aliquid in commune emolumentum conferendi, prout Operis hujus natura ferebat, nullaque adverſus quempiam anticipatione movente.

Hæc ſunt, quæ præfanda eſſe exiſtimavi, ut Lectoris animum compararem ad ferendam de Opere iſto ſententiam: mihique blandiri audeo, eum haſce inter Animadverſiones incorruptæ Critices regulas & pronunciata reperturum; illaſque velut Artis cujuſdam genus habiturum, cujus præcepta traduntur exemplis in ea comprehenſis, quod non modo utilitati, verum etiam voluptati erit. Ceterum ſi quid ineſt bonæ frugis, id totum iis acceptum refero, qui mihi ſubjectum differendi argumentum præbuerunt: ſi quæ autem loca ſunt, in quibus offendi, quæque reprehenſionem mereantur, me paratiſſimum ſpondeo ad Palinodiam: dummodo mihi oſtendant, ratiocinationes meas, neque ita accuratas eſſe, neque rem ita conficere, atque mihi viſum eſt.

Ad Eccleſiaſticæ & incorruptæ Critices Studioſos

INTERPRETIS

EPISTOLA.

ECcleſiaſtica doctrina communi diſciplinarum omnium caſu jampridem dejecta, craſſiſſimis tenebris involuta, atque extremas pene calamitates perpeſſa, ex quo quinto ab hinc Sæculo propitium Litteris ſydus exortum denuo eſt, vix dici poteſt, quot deinceps Criticorum hominum induſtriam exercuerit; ut ſe a ſqualore & ſordibus ad priſtinum ſplendorem & integritatem revocarent. Sive etenim præſtantia ſui plurium in ſe ſtudia converterit, ſive gravioribus, quam ceteræ, incommodis affecta, vehementiorem ceteris opem flagitaret, ſive demum quod in aliarum curam diverſi Sapientum Ordines ſigillatim incumbant, a Religionis autem & pietatis cauſſa nemo alienus eſſe videatur; infinita certe vis extitit Eruditorum, qui de illa inſtauranda mirifice ſolliciti, collatis viribus & conſiliis præclariſſimum facinus objerunt. Non omnes tamen una eademque via. Nonnulli ſiquidem Linguarum Orientalium non neglectos & obſtructos modo, ſed ſuſpectos etiam & inviſos antea fontes immani labore adeuntes, ſacris Bibliis magnifico lumine illuſtrandis, atque adverſus cum Judæos tum Heterodoxos muniendis inſtiterunt. Quibuſdam arcana Fidei & Theologiæ Dogmata, nec non Moralem Eccleſiæ diſciplinam, vel nulla, vel arida plane & ſtrigoſa ratione ad eam diem excultas e puriſſimis Conciliorum Decretis, Canonum Sanctionibus, Patrum teſtimoniis, & Pontificum ſuffragiis altius haurire placuit. Plures autem illorum conatus ſuos eo contulerunt, ut Eccleſiæ Hiſtoriam turpiſſime deformatam, & innumeris fabulis conſarcinatam abſtergerent; atque ad antiquam veritatem, qua vetuſtis Codicibus conſulendis, qua Bibliothecarum angulis pertentandis, & Autographis MSS. e diuturno ſitu & oblivione vindicandis, qua denique Geographicis & Chronologicis facultatibus accuratius colendis traducerent. Horum omnium, ceterorumque, quos prætereo, muneribus rite & caſte explendis præerat Domina potens & moderatrix ſuprema Ars Critica, leges ſingulorum inſtitutis accommodatas condebat, ab aliis latas ſuffragio ſuo aut irritas aut ratas faciebat: ipſius erat frænos iſti injicere, illi habenas laxare; quidquid incideret in quæſtionem, ad ſuum Tribunal trahere; ibi diligentiſſime appoſitis veri & falſi, ſuſpicioſi & certi, germani & adulterini, probabilis & incredibilis notis, uniuſcujuſque autoritati ſtatutis finibus, & conjecturæ ponderibus examinatis, de quolibet opere & facto cum mature & caute, tum ampliſſime decernere: ne multis; omnia ad arbitrium ejus conferebantur. Liberale hoc, & ad hominum ingenium apte cadens judicandi officium, mirum eſt quam citiſſime ſcholas pene univerſas occuparit, quotque ardentiſſimos ſui ſectatores brevi ſit conſecutum: mirum tamen magis quam multæ magnæque utilitates rei Chriſtianæ hinc promanarint; & qua luce, quo decore & copia auctæ & propagatæ in poſterum ſint Eccleſiaſticæ Litteræ. Verum tot Clariſſimorum Virorum aſſiduitate & acumine ad illud demum altiſſimum fa-

ſtigium evecta eſt Critice; ut jam, quod uſuvenit, in præcipiti ſtare, & mole ſua laborare viſa ſit. Cum etenim non paucos alieno tantum ingenio ſapere puderet, & nova in dies emendandi, poliendi, & excogitandi ardore flagrarent; ſenſim pro ſummis tantæ Artis virtutibus vitia illis finitima, & propinquitate fallentia ſubrepſerunt. Quod malum licet per aliquorum impudentiam in Sacras Litteras, ceteraſque Fidem attingentes diſciplinas, pedem inferre cæperit; religio plane fecit, ne id apud Catholicos boni nominis longius ſerperet: Hiſtoria autem Eccleſiaſtica, utpote Sanctitatis præſidio non æque munita, atque ab iis tantummodo, quæ geſta ſunt, pendens, latius, immo impune, patuit morbo iſti; & Scriptores hac in re inſolenti cuidam expurgandi gloriolæ liberius indulſerunt. Porro quorſum iſta evaſerit tandem, mea non intereſt in præſentia explicare, idque Autoris noſtri vel capita ſumma legenti perſpicuum fiet: illud unum monere non deſino; quemadmodum Ligna, ſi magis, quam par eſt, aſcia dolentur & levigentur, ex ſolidis gravibuſque corporibus in minuta & vilia ſegmenta rediguntur; & ferrum, quo magis acuitur cote, eo magis conſumitur: non multo ſecus, qui intemperanter Critice utentes, detrahendis, minuendis, aut in ſuſpicionem utcunque adducendis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ factis & Scriptis ſe totos dediderunt, vaſtum & ſtabile ipſius corpus adeo extenuaſſe; ut, abjectis veluti reſegminibus, quæ vel per eos, vel potiſſimum ex eorum principiis ficta, commentitia, corrupta, interpolata, & ſuſpicioſa ſunt, reliquæ intactæ partes, & ſubtili hac corrigendi cote minime abraſæ, vix juſtum volumen efficiant. Non defuerunt ſane Sapientum plurimi, qui incommoda hæc probe animadverterent, de iis ſæpe & multum quererentur; interdum etiam pro re ipſis nata nonnullis reparandis ſtudium ſuum egregie navarent: qui autem univerſis tollendis; eorumque fontibus aperiendis proſpexerit, remque totam ex inſtituto enucleandam ſuſceperit, extitit, quod noverim, plane nullus. Immo Abbas Rochettius Doctor Sorbonicus in hujus Libri cenſura affirmare non dubitavit, tria tantum hominum genera adhuc contra Criticos potius inaniter clamaſſe, quam bellum excitaſſe; piorum ſed rudium hominum turbam, qui ſuas, quas ipſo pene cum lacte ſuxerunt, narratiunculas ſine impietatis crimine explodi poſſe negant: Litteratos antiquo more, qui concoquere nequeunt, multa alios ſcire, quæ ipſi ignorent; *Vel quia*, uti arbitratus eſt Flaccus,

Libro 2. Ep. 1.

> *Nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt;*
> *Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ*
> *Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.*

eos demum, quibus cum quæſtuoſis fabulis iſtis negotium aliquod eſt, nec palam fieri patiuntur, quin tumultuentur, illarum inventores, anteſignanos ſuos, facili populorum fide peſſime abuſos fuiſſe. In rem itaque erat, ut Criticus homo e Criticorum caſtris veluti transfuga, eorundemque armis inſtructiſſimus, ea ad ipſorum non perniciem ſed correctionem converteret; & vacuo penitus omnibus præjudiciis animo, ſi qua peccarunt, admoneret. Quod hujuſmodi onus ſibi impoſuerit noſter HONORATUS A SANCTA MARIA, vel ex ipſa Libri hujus Epigraphe manifeſto colligitur: quod vero illud ſumma integritate, exquiſita diligentia, vi acerrima, & moderatione prope ſingulari ſuſtinuerit, citius cognoſci legendo poteſt, quam laudando ſignificari. Cujus veritatis illud non leve, licet exterius petitum, indicium eſt, quod Monachus e Sacris Carmeli latebris in clariſſimam Galliarum lucem erumpens;

ſex

Digitized by Google

ſex præcipuos rei Criticæ arbitros, aliquo etiam ex eis ad eam diem ſuperſtite, in quæſtionem poſtulans; atque eorum apertam non ſemel inconſtantiam, levitatem, repugnantiam, & ſi fas eſt dicere, fraudem redarguens, non modo non omnium impetu in eum facto, obrutus fuerit; ſed ſemel & iterum aleæ plenum Opus typis Pariſienſibus dederit, & ſingulorum obſtruxerit ora, ne ſive ſua, ſive Magiſtrorum ſuorum violata jura tuerentur. Habemus in eo Gallum hominem ſtantem adverſus ſuos, nihil pervagatis opinionibus, nihil Nationis famæ, nihil magnis nominibus deferentem, unius veritatis aſſertorem & vindicem, qui complura, apud Tranſalpinos præſertim, expuncta Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capita loco & ſede priſtina repoſuit; nonnullos Scriptores, ſub mendacii ſpecie paſſim rejectos, autoritate rurſus florere fecit; innumeraſque Criticæ leges, in quas temere jurabant docti indoctique, partim inanes eſſe, partim ſe ſe invicem deſtruere oſtendit. Illius ope Sanctæ de Chriſto ejuſque Myſteriis Traditiones, quæ deſperatæ per Criticen defenſionis habebantur, adſeveriſſimam illius normam exactæ & propugnatæ ſunt; expilata pene Eccleſiæ Hiſtoria in poſſeſſionem ſupellectilis ſuæ reſtituta eſt: paucis complector omnia, a Viris Litteratis illis, qui ad nonnullorum Inſtituta tanquam ad ſaxum adhæreſcunt, quædam veluti caligo diſcuſſa eſt, ut cernerent, multa, eaque graviſſima in cauſſa fuiſſe, quare omnium iſtorum, præter unius, volumina, famæ celebritate minus cautis imponentia, a Romana Curia proſcriberentur. Quæ cum dico, nolim me aliquis tantis Viris inſenſiorem, quam meus fuerit Autor, exiſtimet; cum nihil, perinde & ille, de illorum Sapientiæ opinione detractum velim; atque immortales in ipſis virtutes nunquam ſatis laudibus efferendas ſuſpiciam. Immo vero ſi per adjumenta ab ipſis comparata longius, quam illi, in Critices contemplationem aciem intendit HONORATUS, hoc ad illorum fructum & gloriam uberius redundare arbitror: fuit enim inſtar parvuli ſupra Gigantes poſiti; quo mirum non eſt, ut illorum proceritate adjutus altiora attigerit. At enim, inquiunt, hæc omnia vera ſunt de priore Animadverſionum Criticarum volumine, de poſterioribus non item: conſequentia nanque antecedentibus minime reſpondent. Excellit HONORATUS in adverſariis evertendis, in ſuis confirmandis deficit; & magnopere deſiderandum eſſet, ut obtemperaret ipſe ſibi, & a Decretis ſuis non deſciſceret. His ſimilia effutire potius, quam obiicere non ultimi ſubſelli Sapientes interdum accepi. Nihilominus tandiu iſta cordatos Viros non movebunt, quandiu minime indicent articulatim loca illa, in quibus præceptorum ſuorum oblitus ſit; quænam placita pravo Tibicine fulſerit, ubi nam fundamenta jecerit nutantia, leves adhibuerit conjecturas; aut quæ ab aliis in primo Tomo requirit, ipſe in altero & tertio oſcitanter impleverit. Atqui non meo, qui nullus homo ſum, ſed celeberrimorum Virorum judicio in promtu ratio eſt, cur apud aliquos omni cum plauſu exceptus fuerit priorem Operis ſui partem emittens Honoratus, offenderit deinceps in ſequentibus. Cum enim in ea nullam de induſtria probet aut improbet Criticorum peculiarem ſententiam; ſed eorum tantummodo principia, regulas, uſum, & inde ductas conſecutiones æqua lance ſuſpendat, non erat unde negotium faceſſeret, niſi iis, quos edito nomine petebat: contra vero cum in reliquis duabus mentem ſuam de præcipuis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus aperiat, & quæ jam conticuerant, aut dignæ vix anicularum lucubratione habebantur Traditiones, omnibus argumentorum copiis ad Criticam amuſſim adæquare ſatagat: male propterea audit apud eos, qui oppoſitis, quas antea adamaverant, opinionibus quaſi addicti & conſecrati; non facile ad illos calculos re-

c 2 ver-

Digitized by Google

vertuntur, quos tum abjecerant; adeoque Autorem minus apte & concluſe de re dicere cauſſantur, in qua ipſi propter offuſas animo præjudiciorum tenebras hallucinati ſunt. Nemo fortaſſe eſt, qui ita e Marci Tuliii dicto * *& refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia paratus ſit*, ac HONORATUS A S. MARIA, modo id rite fiat legitimis argumentationibus, non tumultuariis querelis; modo quemadmodum plurimum in faciendo doctum intereſt & rudem, ita interſit etiam plurimum in judicando; modo tandem ne in eos incidat, quibus nihil factum ad unguem eſt, quibuſque, ut monet Flaccus, ** nil admirari prope res eſt una, quæ beatos facere & ſervare poſſit: Verum cum univerſæ criminationes iſtæ ad alia Volumina pertineant, eas fuſius & explicatius in alterius Tomi proœmio depellere curabimus.

De Opere itaque, & de Autore ſatis. Quid de Interprete? pauciſſima: multa etenim de me homine infirmiſſimo polliceri non auſim. Si quis petat, quare ad Opera iſta Latine reddenda ſim aggreſſus; apertum eſt, me iis potiſſimum morem gerere voluiſſe, qui Gallicæ Linguæ imperiti, Eccleſiaſticam tamen eruditionem non aſpernantur. Atque utinam, cum primum volvebam animo, id perficere per tempora & aliorum voluntatem licuiſſet. Diutius nanque, quam voluerim, tanta vis ingenii & doctrinæ abſuit ab oculis Italiæ, atque uni vel alteri ex noſtris Litterato Viro magnos ſed privatos attulit uſus. Qua cogitatione præterea perſuaſum mihi fuit, ut cetera quoque ipſius cum Edita tum non Edita Scripta tribus Animadverſionum Voluminibus eſſent adjicienda. Male etenim, opinor, cum illo, immo cum Italia ageretur, ſi iis omnibus, quæ ad rem Criticam pertinent, in Latium importatis, cetera, quæ de re Theologica & Hiſtorica a Viro Cl. lucubrata fuerunt, minore in pretio habere videremur, atque illis latinos homines defraudaremus. Porro quanti æſtimanda ſint; quamque de facultatibus illis optime meritus ſit HONORATUS, cum ex Operum Tabula in vulgus ſeorſim emiſſa, tum maxime ex Tractatuum ſingulorum lectione liquido patebit. Nunc abs re non erit aliqua de Interpretationis noſtræ ratione ſubjicere. Primum ſit, me quæcunque Autorum Latinorum teſtimonia Gallice converſa pro Gentis conſuetudine recitat: non meis verbis protuliſſe, ſed ex Scriptoribus ipſis depromta reddidiſſe. Alterum, nihil a me fuiſſe alienum magis, quam in hæc Opera Cenſoris perſonam impudenter induere, qui minus liberaliter Interpretis ſuſtineo; & Verſionis orbe veluti concluſum, abhorruiſſe longe a norandis vitiis illis, ſive Hiſtoricis, ſive Chronologicis, in quibus Autor, aliud agens, humanitus lapſus eſt. Unum tamen tacitus præterire nequeo; ne videar hinc officium iſtud, qualecunque eſt, ſpendidiſſimo Clericorum Regularium Ordini ſubtrahere; illinc autem non obeſſe, cum poſſim, quominus Poſteritas aliquando de Cardinalis ampliſſimi, ejuſdemque piiſſimi religioſa Familia excitet ſuſpicionem. Cum legis igitur pag. 10. Thomaſium Oratorii Presbyteris adſcriptum, non ſubeat animum dubitatio, illum unquam Congregationi S. Philippi dediſſe nomen, ſed id vitio verte ſcribentis neſcio cui, de quo divinari non licet; ſimulque pro certo habe, neminem poſſe citra fraudis aut imprudentiæ notam Virum hunc ſingulari doctrina & Sanctitate præſtantem a Theatinis divellere. Alia item in hunc cenſum venirent, ut cum pag. 127. Euſebium dicta Monothelitis faventia protuliſſe memorat, qui de Iconoclaſtis intelligendus eſt: cumque pagina huic proxima, S. Hieronymum, ait, teſtari, Evangelium S. Matthæi extitiſſe ætate ſua in Bibliotheca Ale-

* Quæſt. Tuſc. 2. n. 5. ** Epiſt. l. 1. ep. 6. ad Numicium.

xan-

xandrina, quod tamen in Cæſareenſi ſervabatur: porro iſta in calce Voluminis inter mendoſa locum habent. Ceterum quo cognitio mei fecit, ut intra cuticulam cohiberer, ne Autoris errata ſignificarem; eo præſtat, ut ingenue de me loquar, ne mea, quotquot ſunt peccata, diſſimulem. Qua de re fateor ultro, me aliquando dormitaſſe, non quidem, (niſi ſi me fugit, aut vana ſpe fallor) ſenſuum intelligentia; ſed partim ſermonis contextu alicubi non admodum ſimplici & aperto, partim nimia veluti ſuperſtitione vitandi quaſdam voces, ſi minus Latinas, at certe rebus Artium & Diſciplinarum explicandis accommodatiores. Si cui tamen venia concedenda eſt, illi ſane dixerim, qui diligentia exceſſit modum, non defecit. Non eſt autem cur magnopere laborem, ut de ſingulis admoneam, quæ ab Autoris mente non abludunt, preter illud unum de verbo *Authenticum*, quod reſpui tota Diſſertatione 4., atque in ejus locum ſuffeci *Autographum*, licet non inepte, ſtrictiore certe ſignificatione; multa nanque Acta *authentica ſunt*, nimirum autoritatem habent, quæ *autographa* non ſunt, ſed tantummodo exempla ab *Autographis* deſcripta. Deinceps vero, re animadverſa, *authenticum* poſui, quoties ſub ſtylum venit, ut ambiguitatem tollerem. Tertio denique notum facio, me, cum de optimo Interpretandi genere Viros doctos inter ſe digladiari comperiſſem, nihil tanto in negotio movendum putaſſe, inconſultis Artis hujus celeberrimis Magiſtris. Præ aliis Autorem noſtrum adivi, & præcepta, quæ in Capite de Interpretationum fructibus ex Leſtangio ad vertendos Gallicos Libros tradit, mihi ante oculos poſui: plane ratus, nihil ipſi accidere gratius poſſe, quam ſi Interpres iis legibus ſecum agat, quas ipſe Interpretibus omnibus commendavit. Si libet, conſule illas pagina hujus Voluminis 81. Has autem eo non appello, quo Sapientum judicium, aut reprehenſionem declinem, quam ſi, Tullii monito, * *vitare nullo modo poteſt, niſi qui nihil omnino ſcribit*, multo minus, qui optima non optime vertit: ſed quo mihi per tot præſidia a nonnullis faſtidii delicatiſſimi hominibus cautum ſit, qui ſpecioſo fidelitatis nomine, ſervilem quendam interpretandi modum affectant: piaculum eſſe perhibent, non eodem verborum ambitu contineri; aſperum eorum concurſum emollire, inſuavem & ſterilem eorundem repetitionem fugere verentur; & diſſoluta pro Gallicæ Linguæ indole Orationis membra connectere non audent; qua demum religione fit, ut Gallicam dictionem undique redolentes, ** *ſerpant humi, nimium tuti, timidique procellæ*. Contra ego cum ab iſtorum anguſtiis longe recedere, tum priorum inſtitutionibus, quantum in me fuit, formari ſtudii, & curam omnem inter ſententiæ vim, & Linguæ ingenium ita temperare, ut neque animorum judiciis, neque aurium ſatietate ſcriptio noſtra repudiaretur. Et vero, ſi Autor ipſe, eadem Latine Scripturus, in diverſo longe Orationis genere verſatus fuiſſet, & nativam Romani ſermonis indolem exprimere contendiſſet; non eſt cur ab hac elegantia cavendum Interpreti ſit; qui utpote Autoris vices gerens, eo incumbere debet, ut illius mentem aſſequatur, & pro viribus accuratiſſime imitetur. Num hæc cuncta præſtiterim, viderint alii: ego ſane in deſperatis pene habeo; quanquam voluntas & conatus non defuerunt, neque defuturos unquam eſſe caſte integreque ſpondeo: quibus Deus Opt. Max., a quo omnia, & in quem omnia, vitam & bonam valetudinem addat, ut inceptum hoc urgere pro virili, & ad umbilicum tandem perducere poſſim. Propoſitum nanque nobis eſt, ſexto quoque menſe Volumen novum in lucem edere; ut licet ſero manus Operi admoveamus,

* In intio l. 2, Tuſc, Quæſt.

** Hor. de Arte Poetica.

amus, naviter tamen inſtantes illi, Biantis effatum attendiſſe videamur: *Aggredere tarde agenda, ſed aggreſſus age conſtanter.* Te etiam atque etiam obteſtor, ECCLESIASTICÆ ET INCORRUPTÆ CRITICES STUDIOSE, ut hoſce in tui commodum ſuſceptos labores liberali humanitate amplectaris, & quæcunque, me imprudente & invito, per Operarum nunquam ſatis deteſtandam incuriam vitioſe exciderunt, in Interpretem non regeras, & comiter emendes. Id etenim genus hominum eſt, ut vel diligentiſſimos ludant, niſi ipſi diligentiſſimi ſint. Hos, qui pauci ſunt, tot inter negligentiſſimos ſeligere, mea non fuit; ſed potius in illos incidere, qui non Syllabarum modo, ſed vocum etiam detractione, adjectione, & immutatione non ſemel mihi ſtribligines affingerent. De inſignioribus in calce monebo, de levioribus deprecor benevolentiam tuam. Quorſum vero iſta? Æquis hominibus nimis multa ſunt; acerbis & moroſis nihil eſt ſatis. Apud iſtos de fama dimicandum eſt. Illorum autem unicuique poſtremo loco Horatianos verſiculos, cum Autoris noſtri ſenſibus, & meis mirifice concinentes, recitandos eſſe cenſeo.

* *Vive, vale: ſi quid noviſti rectius iſtis,*
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

* l. 1. Epiſt. 6.

TA-

TABULA
DISSERTATIONUM
DE REGULIS ET USU CRITICES,

Quas complectitur prior Tomus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Critice in Univerſum.

ART. I. DE *natura Critices.* pag. 1.
ART. II. *De Regulis Critices.* 6.
§. 1. *De Critices Regulis in MSS., Scripturam Sanctam, Concilia, & Patrum Opera.* 7.
§. 2. *De Critices regulis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Acta antiquorum Martyrum, aliorumque Sanctorum.* 13.
ART. III. *De neceſſitate Critices.* 16.
§. 1. *De conditione Textus Sacri quoad Vetus & Novum Teſtamentum extremis hiſce ſæculis; & de neceſſitate Critices ad illum reſtituendum.* ibid.
§. 2. *Acta Martyrum, atque Hiſtoria Sanctorum miſere adeo ante decimum ſeptimum Sæculum jacebant; ut non niſi Critices ope inſtaurari poſſent.* 19.
§. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica implicata adeo, & involuta erat ante præteritum Sæculum; ut extricari & reſtitui nullo modo poſſet ſine Critices adjumento.* 25.
§. 4. *Perturbatio, in qua verſabantur Veterum Opera, nec non Dogmatica Theologia, ſatis planum facit, quantam habeat Critice neceſſitatem ad comparandam Scriptorum Eccleſiaſticorum optimam Bibliothecam, & elaboratum Theologiæ Curſum conficiendum.* 31.
§. 5. *Humanæ Litteræ & liberales Artes graviter ante poſtrema ſæcula deciderant, & nullius præter Criticen eſſe poterat eas reſtituere.* 36.
ART. IV. *De Critices fructibus.* 39.
De Manuſcriptis. ibid.
De Scripturis Sanctis. 40.
De Conciliis. 45.
De Autoribus Eccleſiaſticis. 48.
De Ephemeridum Scriptoribus. 51.
De Hiſtoria Eccleſiaſtica. 54.
De Hiſtoria Sanctorum. 60.
De Theologia Dogmatica, Scholaſtica, & Myſtica. 63.
De Ritibus Superſtitioſis. 70.
ART. V. *Alii Critices fructus.* 71.
De humanis Litteris. 72.

De

De Academiis. 73.
De Eloquentia ſacra & forenſi. 75.
De Operum lucubratione. 78.
De Librorum Interpretatione. 81.
De Diplomatibus, Numiſmatibus, & Inſcriptionibus. 82.
De Philologia. 84.
De Artibus liberalibus. 86.
De præjudicatis, quas excuſſimus, opinionibus. 88.
ART. VI. *Hiſtoria Critices, ejuſque inſtaurationis.* 89.
ART. VII. *De Sapientibus Criticis ſingillatim, in quorum opera nonnullas animadverſiones excitabimus.* 99.

DISSERTATIO II.

Animadverſiones in Regulas Critices, quod attinet ad Hiſtoriam Eccleſiæ, Opera Patrum, & Dogmaticen: conſtitutas in Veterum Teſtimoniis, ſumtis ab illorum Operibus, cum veris, tum ſuppoſititiis. 108.

PARS PRIMA.

REGULÆ CRITICES,

Quæ ad Veterum Teſtimonium ſpectant, ab illorum germanis Operibus depromtæ. 109.

ART. I. *Summus honor autoribus Eccleſiaſticis antiquis deferendus eſt, eorumque teſtimonium magna cum obſervantia excipiendum.* 109.
ART. II. *Nefas eſt, a Veterum teſtimonio recedere, præterquam firmis urgentibus rationibus; multo vero minus nulla intercedente.* 117.
ART. III. *Non licet Antiquorum teſtimonium reſponſis non ſatis, ut videtur, ſolidis elevare.* 123.
ART. IV. *Quotieſcumque nos premit, nobiſque officit Antiquorum teſtimonium, haud licet circuitionibus & anfractibus uti, illius illudendi, aut imminuendi cauſſa.* 132.
ART. V. *In idem argumentum. Modi alii, qui in more ſunt Criticorum ad imminuendum Veterum teſtimonium.* 137.
ART. VI. *Vitium eſt, Eccleſiaſticorum Patrum deſerere autoritatem, atque Hæreticorum de re Hiſtorica ſequi veſtigia, præcipue cum ad Religionis negotium referri poteſt.* 143.
ART. VII. *Poſtulat fides, ne Autoribus Eccleſiaſticis ſenſa ab ipſis aliena affingamus.* 150.
ART. VIII. *Accuratæ Critices regulis contrarium eſt, veras Autorum ſententias diſſimulare.* 160.
ART. IX. *Æquum non eſt immodicis laudibus antiquum Scriptorem, qui nobis ſuffragatur, celebrare; alterius vero, qui refragatur, autoritatem aſpernari.* 165.
ART. X. *Minus accuratum inſtitutum eſt, eadem priſcorum Scriptorum verba aliquando probare, deinceps improbare.* 171.
ART. XI. *Speciem præſeferunt aliquando Critici ævi noſtri doctiſſimi, quaſi de uberiore, quam veteres, doctrina ſibi blandiantur.* 174.

PARS

PARS ALTERA.

De probationibus a Librorum ſuppoſitorum, apocryphorum, atque ab Autorum, qui minoris momenti paſſim habentur, teſtimonio petitis. 177.

ART. I. DE *teſtimonio deducto a Libris, Veterum nomine vulgatis, licet & idem Autores nequaquam agnoſcant.* 178.

§. 1. *De Conſtitutionibus Apoſtolicis, Recognitionibus S. Clementi Pontifici tributis, & falſo Abdia.* ibid.

§. 2. *De Martyrologio, S.* Hieronymo *tributo, & de Pontificali, Damaſi nomen ferente.* 180.

§. 3. *De nonnullis Operibus, Sanctis Ambroſio, Joanni Chryſoſtomo, Auguſtino, & Ven. Bedæ iniuria adiudicatis.* 183.

ART. II. *De Teſtimonio ab aliquibus operibus depromto, quorum autores latent in occulto.* 188.

§. 1. *De Menæis Græcorum.* ibid.

§. 2. *De Chronico Alexandrino, &* Prædeſtinato *P. Sirmondi.* 191.

§. 3. *De cautione: qua adhibita, putant eruditi Critici noſtri integrum eſſe ſibi, monumentis uti ſuſpicioſis, aut veteribus Scriptoribus perperam appoſitis.* 194.

ART. III. *De Teſtimonio, a Libris apocryphis, dubiis, ſive ſuſpicioſis comparato, ex quibus videntur Patres in Opera ſua nonnullas Hiſtoricas narrationes derivaſſe.* 200.

§. 1. *Utrum S.S. Clementis Alexandrini, Gregorii Nyſſeni, Epiphanii, Gregorii Turonenſis, Joannis Damaſceni, aliorumque teſtimonio, minore in pretio de quibuſdam argumentis habendo, juſtam cauſam prætexant, qui dicunt eos, quæ tradunt, ab Apocryphis accepiſſe.* ibid.

§. 2. *In idem argumentum.* 204.

§. 3. *Critici, quo Veterum teſtimonium extenuent, utuntur non ſemel his loquendi modis*: metuendum eſt, eſt cur dubitemus, *id ex Apocryphis depromtum fuiſſe.* 210.

ART. IV. *De Metaphraſtis teſtimonio.* 213.

§. 1. *Aut nullo aut minimo loco habent eruditi Græci huius Scriptoris autoritatem.* ibid.

§. 2. *Eruditi Critici complura a Metaphraſte traduxerunt.* 215.

§. 3. *Inveſtigatio rationum, quibus integrum eſſe ſibi putant Critici, Metaphraſten ne in iis laudare quidem, quæ ex ipſius penu in medium proferunt.* 218.

§. 4. *Contendunt Critici, Metaphraſtis adulterationes & Paraphraſes eum in contemtum adduxiſſe.* 221.

§. 5. *Metaphraſtis conſilium tanta non eſt reprehenſione dignum, ut nobis perſuaſum vellent.* 224.

§. 6. *Exemplum Paraphraſum Bailleti, nihilo Metaphraſtis Paraphraſibus minorum.* 227.

ART. V. *De argumento quod nanciſcimur ab Autoribus, qui Sanctis, quorum Hiſtoria inſtruunt, ſæculo plus ſunt recentiores.* 239.

ART. VI. *Regulæ Criticæ de argumento, ab Autorum teſtimonio quoad eorum intimas conditiones comparato.* 246.

ART. VII. *De Teſtimonio a Codicibus MSS. petito.* 248.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

Animadverſiones in Regulas Critices, ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & Veterum Opera ſpectantes; a conjecturis depromtas. 258.

ART. I. *De pluribus Critices præceptis, rem Conjecturarum attingentibus.* 259.

ART. II. *De argumento ex Antiquorum ſilentio petito; ſive de eo, quod Argumentum* negans *appellant.* 266.

§. 1. *Regulæ Criticæ Dupini de Veterum ſilentio* 268.

§. 2. *Sapientibus Criticis familiare eſt e Veterum ſilentio decerptum argumentum: cum tamen ab aliis objicitur ipſis, momenta non ſatis ſolida ad illud elevandum identidem aſſumunt.* 270.

§. 3. *Critici viciſſim exprobrant ſibi, quod a Veterum Silentio argumenta ducant: illius exiguæ firmitatis exempla: præcepta pro certo uſu.* 274.

ART. III. *De Argumento a rerum convenientia; ab iis, quæ fieri potuerunt; quæque ſimilia vero ſunt, collecto.* 278.

ART. IV. *De conjectura ducta ab iis Scriptis, quæ fabulis reſperſa ſunt, rebuſque minus probabilibus, & a veritatis ſpecie remotis.* 282.

ART. V. *De conjectura capta a Titulis, Inſcriptionibus, & tempore Litteris mendoſe adſcripto, quod a factis & monumentis, de quibus agitur, diſcrepat.* 284.

ART. VI. *De conjectura temporis, quo lucubrata ſunt Opera, aut facta contigerunt: deque additionibus, quæ in Veteribus Monumentis conſpiciuntur.* 290.

ART. VII. *De conjectura, quam affert Scriptoris ſtylus.* 293.

ART. VIII. *De conjectura ducta ex operibus Dogmata tradentibus, quæ prodita tantum ſunt poſt Veterum interitum, quibus adjudicari ſolent.* 298.

ART. IX. *De conjectura, quam percipimus a Veterum, quibus Libri reſperſi ſunt, citationibus.* 303.

ART. X. *De præcipuis Criticæ Artis regulis in unum collatis ad aperiendam Operis alicujus falſitatem.* 306.

ART. XI. *Anne conjecturæ multæ in unum redactæ factum aliquod hiſtoricum coarguere poſſint falſitatis.* 310.

ART. XII. *De principe Critices Regula.* 314.

DISSERTATIO IV.

Animadverſiones in Regulas Critices, de Actis antiquorum Martyrum. 318.

PARS PRIOR.

De actis ſinceris & Selectis antiquorum Martyrum, a Theodorico Ruinartio collectis. 319.

ART. I. *Acta primorum Martyrum in plura genera tribuuntur, non eadem autoritate præſtantia.* 319.

ART. II. *Multa primorum Martyrum monumenta, quæ ab Actorum ſincerorum & ſelectorum collectione excluſa ſunt, in ea fortaſſe collocari poſſent.* 324.

ART.

ART. III. *Quædam in Ruinartii Collectione locum habent monumenta, quæ Criticis Viris minus rata & firma ſunt.* 327.
ART. IV. *Conſideranti Bailletianas Regulas dubium ſuboriri forte poſſet, num oporteret, Actorum partem a Ruinartii Collectione ſummovere.* 330.
ART. V. *Pauca ſunt Collectionis Ruinartianæ Acta Selecta, in quibus, ad Tillemontii documenta revocatis, leves interdum maculæ, imo ſuppoſitionis notæ non appareant.* 334.

PARS ALTERA.

Regulæ Criticæ Tillemontii & Bailleti ad Actorum Veterum Martyrum, cum mendacium, tum germanorum, diſcrimen habendum. 338.

ART. I. *Acta Martyrum, quo breviora & ſimpliciora, eo ſemper meliora judicata ſunt.* 338.
ART. II. *Virtutibus compluribus perficiatur neceſſe eſt ſimplicitas illa, quæ in actis Veterum Martyrum intima eſt ſinceritatis nota.* 341.
ART. III. *Acta ſincera Veterum Martyrum pauca Mira & Prodigia continent.* 343.
ART. IV. *De nonnullis Critices regulis, quas tradunt Sapientes ſuper miris rebus, in actis Veterum Martyrum occurrentibus.* 348.
ART. V. *Bailleti Regula de miraculis.* 353.
ART. VI. *Acta Sanctorum autographa paucos ſermones aut conciones in ſeſe continent.* 358.
ART. VII. *Acta primorum Martyrum ſincera non multis exquiſitis cruciatibus conſtant.* 363.
ART. VIII. *Verba contumelioſa in Actis nonnullorum Martyrum reperta, ſunt quoddam argumenti genus, ut ipſorum fraus aut vitium deprehendatur.* 370.
ART. IX. *Acta, in quibus Martyribus, fidem abdicantibus, munera polliceantur, aut fraudis aut ſuſpicionis notam ſubire neceſſe eſt.* 375.
ART. X. *Si quæ Acta Edictorum mentionem habent, ab Imperatoribus Traiano, Antonino, & M. Aurelio, qui nulla promulgarunt, latorum adverſus Chriſtianos, id vitii & fraudis indicium eſto.* 377.
ART. XI. *Alia ſuppoſitionis indicia in Actis Veterum Martyrum.* 384.
§. 1. *Acta, in quibus Perſecutiones Decii & Valeriani coniunguntur, aut mendacii crimen ſubeunt, aut ſummam afferunt dubitationem:* ibidem.
§. 2. *De quadam Voce cæleſti.* 386.
§. 3. *De titulo Epiſcopi Epiſcoporum.* 387.
§. 4. *De voce Παππας.* ibidem.
§. 5. *De verbo Trinitatis.* 388.
ART. XII. *De præcipuis Critices documentis, junctis una ad redarguenda mendacii vetuſta Martyrum Acta.* 389.
ART. XIII. *De ratione a Criticis habita ad regulas conſtituendas, quibus Acta ſincera a mendacibus diſpiciantur.* 395.
ART. XIV. *Ejus viæ & rationis collatio inſtituitur, quæ ad Actorum Veterum Martyrum delectum habendum adhiberi ſolet, cum ea, quæ de Tabulis vetuſtis tradita eſt.* 401.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

Animadverſiones in Regulas Critices, a Simonio excogitatas ad conficiendam Interpretationem S.S. Bibliorum, iis omnibus, quæ hactenus prodierunt, accuratiorem. 405.

ART. I. *Simonii conſilium videtur eſſe, Veteris Teſtamenti Interpretationem parare quoad ſenſa & cogitata perfectiorem.* ibid.
ART. II. *Regulæ Criticæ Simonii ad novam ſuam interpretationem elaborandam.* 408.
Regula I. ibidem.
Regula II. 409.
Regula III. 410.
ART. III. *Num interſit, inſtituendam Verſionem ad Textum Hebraicum accommodare.* 411.
ART. IV. *De Textu Hebraico a Moyſe ad nos uſque.* 416.
§. 1. *Textus Hebraicus ſub ea ratione, qua cum ante, tum poſt captivitatem erat, ineptus eſt, qui ad novam Verſionem Archetypi loco adhibeatur.* ibid.
§. 2. *Non video, qui poſſit aliquis, curandam verſionem ex Hebraico Textu, qualis erat primis Chriſtianæ Religionis ſæculis, depromere.* 420.
§. 3. *Huiuſmodi eſt Textus Hebraicus a quinto Eccleſiæ Sæculo ad nos uſque, ut integrum non ſit, illo ad novam Interpretationem faciendam uti.* 423.
ART. V. *De Regulis Critices, ut Verſionum antiquarum ope Textus Hebraicus inſtauretur.* 427.
ART. VI. *Regulæ Criticæ Simonii, quibus ad veritatem Verſio Septuaginta Interpretum adducatur.* 430.
ART. VII. *Regulæ de Punctis Vocalibus, & Accentibus.* 434.
ART. VIII. *Regulæ de Vocibus Hebraicis ambiguis.* 438.
ART. IX. *Regulæ Criticæ ad Linguam Hebraicam ſpectantes.* 442.
§. 1. *Ad bonam Litterarum Sanctarum Verſionem faciendam, ſufficit Hebraicæ Linguæ ea ratione incubuiſſe, qua in Scholis communiter tradi ſolet.* ibid.
§. 2. *Argumenta Simonii, quibus oſtendit neceſſitatem ſtudendi Linguæ Hebraicæ aliter ac fit in Scholis, rem nequaquam concludere videntur.* 445.
§. 3. *Criticæ Simonii praeceptiones ad perfectam Hebraicæ Linguæ intelligentiam non ſunt undequaque accuratæ.* 447.
ART. X. *De aliis novæ huius viæ regulis. In quam rem Spanhemii locus recitatur.* 450.
ART. XI. *Non apparet, Simonium in nova Interpretandi ratione, ullum autoritati Traditionis locum dare.* 453.
ART. XII. *Præcepta Critica Simonii de Verſionibus authenticis.* 460.
ART. XIII. *Animadverſiones in Verſionem Novi Teſtamenti a Simonio confectam.* 470.

DISSERTATIO VI.

Animadverſiones in Regulas Critices. De Uſu Critices, quoad Hiſtoriam Eccleſiæ, & Opera Scriptorum Eccleſiaſticorum. 475.

ART. I. *De malo Uſu Critices.* ibid.
§. 1. *Nonnulli Critici magna ipſorum Arte ad invadendam Reli-*

Religionem uſi ſunt. 475.
§. 2. *Malus Critices Uſus in Rebus, quæ Religionem non attingunt.* 479.
ART. II. *Uſu Criticarum Regularum, adhibitiſque Sapientum initiis, Opera omnium opinione ſuppoſititia, ab ea nominis fama vindicari poſſunt; aliaque explorate legitima falſitatis argui.* 484.
§. 1. *Ex Uſu earundem Legum, quibus Ignatianas Epiſtolas authenticas eſſe ſtatuit Dupinus, poſſet quis efficere, cum Carmina Sibyllarum, tum Epiſtolas Abgari & Jeſu Chriſti apocryphas eſſe.* ibidem.
§. 2. *Si Criticarum præceptionum exercitatio ita Alexandrum afficit, ut Carmina Sibyllis tributa certam præſeferre autoritatem arbitretur; illum item afficere debet, ut Pimandrum, nomen Mercurii Triſmegiſti gerentem, minime explodendum exiſtimet.* 490.
§. 3. *Ejuſdem Regulæ Criticæ præſcriptione Dupinus & Alexander duo facta maxime contraria tuentur. Quænam incommoda viam hanc rationemque conſequantur.* 494.
§. 4. *Si nonnullas Critices Dupini regulas adhibeas, fieri fortaſſe poterit, ut elegantiora Antiquitatis Chriſtianæ monumenta in ſuſpicionem adducas.* 500.
ART. III. *Criticarum Regularum uſu Hiſtoriæ magis confirmata dubia aut nullius fidei eſſe poſſunt: aliæ vero, quæ falſis aut incertis accenſeri ſolent, evadere poſſunt ſimiles veri.* 504.
§. 1. *Si audias Regulas Criticas Tillemontii, Hiſtoria Martyrii S. Juſtini, quæ per ipſum teſtatiſſima eſt, falſitatis ſuſpicione perſtringi poteſt.* 504.
§. 2. *Adhibenti Regulas Criticas Tillemontii facile erit, Hiſtoriis peſpicue falſis aut fabuloſis veritatis imaginem, & aliquam probabilitatis ſpeciem adjungere.* 507.
ART. IV. *Ex uſu Critices factum idem, iiſdem comitantibus adjunctis videri ſimul poteſt verum, ſincerum, authenticum, & dubium; falſum, haud probabile, & fabuloſum.* 514.
ART. V. *Videntur Critici magnæ illorum Artis Uſu obumbraſſe magis & implicaſſe pleraque graviora Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facta, quam ea illuſtraverint, & explicaverint:* 524.
§. 1. Ratio Prima. *Omnem, quam poſſunt maximam, exiſtimationis famam iis parere, qui ſecundum ſe dicunt, ipſorumque menda purgare; de adverſariis autem per contemtum loqui, eorumque vitia oſtentare.* 526
§. 2. Ratio Altera. *Opera nonnulla admittere tanquam bona, legitima, & argumenti loco futura, cum favent rei ſuæ; eadem vero repudiare veluti corrupta, ſuppoſititia, nulliuſque autoritatis, ſi quando ipſis nocent.* 530.
§. 3. Ratio Tertia. *Improbant Areopagitici argumenta omnia Gregorienſibus probata; hi vero illis par referunt pro pari: tum ab autoritate tum a conjectura ſumantur hæc utriuſque partis momenta. Diſquiritur unde multa hæc oppoſitio oriri poſſit.* 532.
§. 4. Ratio Quarta. *Implicare ſe aut propugnandis aut oppugnandis factis innumeris & vetuſtis monumentis, queis aliqua cognatio eſt cum facto præcipuo.* 536.
§. 5. *Aliæ, quibus utuntur Critici, Rationes.* 541.
ART. VI. *Regulæ Criticæ, quibus huic facto expendendo uti quis poſſet.* 542.
I. Regula. *Factum perſpicue aperire.* ibidem.
II. Regula *Factum Scriptorum teſtimoniis probare.* 543.
III. Regula. *Neceſſum eſt, haud depromi Veterum teſtimonia ab Operibus ſuppoſititiis, dubiis, ſuſpicioſis, quæque aut locis aut ſenſis utroque trahi*

Digitized by Google

hi poſſint. 546.
IV. Regula. *Sint loca Veterum clara, apta, & abſoluta.* 548.
V. Regula. *Facta rationibus & conjecturis confirmare.* 552.
VI. Regula. *Quidquid in adverſum eſt, firmiter diluere.* 553.
Animadverſiones ad Factum iſtud, aliaque ſimilia dijudicanda, neceſſaria. ibidem.

DISSERTATIO VII. & Ultima.

Animadverſiones in Regulas Critices, de Vitiis, in quæ Regularum Criticarum Uſu delabi poſſumus, & quibus uti rationibus, ut ea declinemus. 560.

ART. I. *In Criticorum operibus non apparet notio ſatis accurata plerarumque vocum, rerumque his vocibus ſignatarum* 561.
§. 1. *De voce* Apocryphum. 562.
§. 2. *De Verbo* Canonicum. 565.
§. 3. *Verba alia, quæ claritatem deſiderant.* 567.
ART. II. *Non deſignarunt autoritatis pondus, quod eſt Veterum teſtimonio tribuendum.* 569.
ART. III. *Nulla via ſe prodit in Libris Criticis, quam ingredi poſſimus, ut ea argumenta ſecernamus, quibus cogimur ab antiquis deficere, utque compertum ſit, quando ne conjectura, quando vero autoritas præſtare debeat.* 571.
ART. IV. *De Vitiis aliis quoad Veterum teſtimonia, in Critice exercenda paſſim obviis.* 575.
ART. V. *Critices uſus alio quoque vitio contaminatur ſuper Veterum teſtimoniis, a quo alia pleraque manare ſolent.* 578.
ART. VI. *Conjecturarum uſus, quarum eſt apud Criticos exercitatio, vitiis non vacat.* 585.
ART. VII. *Vitia conjecturæ captæ a Silentio Scripturarum.* 590.
ART. VIII. *Documenta in univerſum, quibus uti poſſemus ad inſtaurandas Regulas, Uſumque Critices.* 593.
§. 1. *Teſtimonio & Conjecturæ, quæ duo ſunt Critices Principia, duo alia ſuperſtruere opus eſt: nimirum Traditionem, & Conſuetudinem, ſive conſenſum Eccleſiarum.* 594.
§. 2. *Argumenta pro duobus iſtis Principiis.* 597.
§. 3. *Ea, quæ in hæc duo Principia obiici poſſunt, argumenta diluuntur.* 604.
ART. IX. *& Ultimus. Regulæ pro commoda exercitatione quatuor Principiorum Criticorum, quæ ſunt Autoritas; Conjectura; Traditio; & Conſuetudo ſive Conſenſus Eccleſiarum.* 610.
§. 1. *Regulæ de Autorum teſtimonio, quod eſt primum Critices Principium.* ibidem.
§. 2. *Regulæ de Conjectura, altero Critices Principio.*
§. 3. *Regulæ de Traditione, & Uſibus, ſive conſenſu Eccleſiarum, tertio & quarto Critices Principiis.* 628.

FINIS.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

F. Iſidorus a Cruce, Vicarius Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, Congregationis S. Eliæ, Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones a duobus Theologis Congregationis noſtræ reviſus, & approbatus jam fuerit primus Tomus Operum adm. R. P. F. Honorati a S. Maria, Carmelitæ Diſcalceati, Provinciæ noſtræ Aquitaniæ, cui Titulus: *Animadverſiones in Regulas, & Uſum Critices &c. Autore R. P. F. Honorato a S. Maria, Carmelita Diſcalceato, ex Provincia Aquitania; Interprete vero e Gallicis, Viro Religioſo ejuſdem Familiæ, ex Provincia Veneta:* Nos R. P. F. Marco a S. Franciſco, Provinciæ noſtræ Venetæ Sacerdoti Profeſſo licentiam, tenore præſentium, impartimur, ut præfatum Tomum; ſicuti cæteros, quos erit, Deo dante, impreſſurus, facta prius reviſione, & approbatione, typis mandare poſſit, & valeat. Datum Romæ in Conventu noſtro S.S. Thereſiæ, & Joannis a Cruce, die 11. Auguſti 1736.

F. Isidorus a Cruce Vicarius Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

F. Pompejus a S. Bernardo Secretarius.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed Approbazione del P. *F. Tommaſo M. Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato: *Animadverſiones in Regulas, & Uſum Critices in Hiſtoria Eccleſiaſtica &c. cum notis Hiſtoricis, Cronologicis, & Criticis; Autore R. P. Honorato a S. Maria Carmelita Diſcalceato*, non v' eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Franceſco Pitteri Stampatore*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gl'Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 29. Decembre 1733.

(*Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.*
(
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.*

Agoſtino Gadaldini Segretario.

1733. 15. Genaro.
Regiſtrato nel Magiſt. Eccell. della Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segretario.

ANIM.

ANIMADVERSIONES IN REGULAS, ET USUM CRITICES.

DISSERTATIO PRIMA.
De Critice in Univerſum.

ARTICULUS PRIMUS.
De Natura Critices.

SI quis Critices naturam abſolute explicare, atque una Definitione quælibet ipſius diverſa munera complecti velit, eam tradere poteſt, Artem eſſe judicii ferendi de factis Hiſtoriam conſtituentibus, de Operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de ſenſu, ſtylo, & autoribus. Hæc omnia ſunt rei Criticæ : quo fit egregium Proteſtantem, * qui certo quodam propoſito doctrinæ ordine, facultatis hujus principia & regulas circumſcribere conatus eſt, non ſatis ejus indolem aſſecutum fuiſſe, cum dixit, eam

* Clericus hoc pacto Criticen definit. *Criticen vocamus artem intelligendorum veterum ſcriptorum ſive numeris adſtricta, ſive ſoluta oratione utentium; & dignoſcendi, quænam eorum genuina ſcripta ſint, quæ ſpuria.* Joann. Cler. de Arte Crit. in Præf. Præſes Couſinus in ſua Ephemeride Gall. 14. Maii 1699. id tantum, ait, Criticen expendere, num vera aut falſa ſint, quæ Autores retulerunt. Eruditus alius credit ad ipſam ſpectare, Autores penitus excutere, germanos ab adulterinis ſecernere, atque in illis animadvertere, quæ ab iiſdem revera edita ſunt, quæve Exſcriptorum, aut imitatorum injuria irrepſerunt. God. Hiſt. Eccleſ. l. 2. ad annum 199. pag. 333. Gallice.

artem eſſe funditus intelligendorum veterum Scriptorum, & vera ipſorum opera a ſuppoſitis internoſcendi. Neque enim de veteribus duntaxat, verum de recentibus etiam monumentis, & de libris ſimiliter, atque de factis pronunciat Critice.

Laubr. Tract. de Abuſu Crit. in Praf. p. 3. Gallice.

Hinc notionis hujus habita ratione, ſtatuit optime Scriptor quidam, qui parvo ab hinc tempore in rem hanc volumen publici juris fecit, in eo poſitum eſſe Critices emolumentum, quod in litterarum ſemita animum dirigat, quod clariſſimo lumine illuſtret, quidquid ideas noſtras circa tempora, loca, perſonas, dictiones, textus, & autorum claſſes obumbrare poteſt; quodque ejus ſtudium eo demum tendat, ut incultas litterariæ Reipublicæ terras exerceat, reconditos omnes Bibliothecarum angulos pertentet, atque ad detegendas antiquitatis oblivione, ut ita dicam, amiſſas regiones infatigabili curſu feratur.

Ajo igitur primo loco, *Criticen artem eſſe judicii ferendi*. Ejus nomen a Græcis mutuatum latine judicium ſignificat; atque ideo in Critico id præſertim deſideratur, quod nos *rectam intelligentiam* nuncupamus. Multiplici præterea lectione inſtruatur oportet, memoria valde polleat, magna cognitione & ſubtili mentis acie præditus ſit: ſed in primis neceſſe eſt, ut ſagaciter diſcernat, ſolide judicet, & exquiſite ſapiat, ejuſque judicium, ut Abbas Bellegardus monet, recta & ſana ratio, remoto quocumque animi corporiſque affectu, moderetur. Hæc quamdam conſtituunt Critices naturalis ſpeciem, quæ ſi artis ope, adhibitiſque in ea, quæ natura præſtat, animadverſionibus fulciatur, de quibuſdam rebus decernit incorrupte, quarum veritas aut falſitas, bonitas aut pravitas facili dignoſcuntur: verum ſæpenumero, ut de multis pronunciemus, accurata circumſpectio adhibenda eſt, qua verum a falſo internoſcatur; requiruntur principia, ex quibus conſecutiones eliciantur; leges tandem, quæ animum in ſuis ratiocinationibus dirigant. Ex his gignitur ars & ſcientia; quando vero de libris aut factis Hiſtoricis ſermo eſt, *Critice* appellatur.

In Epiſt. Curioſi Epiſt.1. Gallice.

Sive quod homines ad invidiam natura ipſa compoſiti reprehendere citius ament, quam approbare; ſive quod inter ingeniorum Opera plura cenſura, quam laude digna reperiantur: iccirco Critici ad vituperandum magis quam ad commendandum incubuerunt; & paullo levius, quam Satyrarum Scriptores, odium in ſe concitarunt. Tametſi enim moroſum aliquorum genus & peſſimi modi omnes in aliquam ſimultatis hujus partem deduxerint: cum tamen ex inſtituto ad quampluriмos errores in apertum producendos implicentur, eorum ars minime apta videtur, ut ipſis multitudinis benevolentiam conciliet: immo iſtorum nomen injuriæ nota inuſtum acerbi lividique ingenii hominibus deſigna-

Digitized by Google

ſignatum eſt, qui criminantur omnia, ignoſcunt nemini, & ſtudioſe quærunt, & voluptatis loco ponunt inveniſſe, quæ innocentioribus obiiciant. Nihilominus in Republica litteraria modo infamia tanta non laborat Critice; immo ea ingenuitate & moderatione exerceetur, ut in honoris titulum evaſerit; neque ſibi proponat ſolum ea, quæ recta non ſunt, erigere, verum ea, quæ ſunt, ſtatuere, meritiſque laudibus honeſtare.

Expoſuimus ſecundo loco Criticen artem eſſe judicii ferendi *de factis Hiſtoriam conſtituentibus*. Mirum profecto quot eorum falſa ſint, quot vera adjunctorum mutatione corrupta, quot tandem, licet caſte & religioſe, non una tamen eademque via ad nos uſque deſcenderint; ſed partim ab hoc partim ab alio ſcriptore narrata ſint. Hic eorum, quæ refert, tempus non indicat, quem porro mendacii redarguere nequiveris, niſi aliorum geſtorum aliunde teſtatorum collatione habita. Ille circumſtantiæ alicujus obliviſcitur, cujus prætermiſſio vero minus ſimilem reddit narrationem, quamque reperire non erit, niſi apud Autorem aliquem, cui caſu duntaxat & fortuito excidit. Non raro etiam Scriptores ſive de re ipſa, ſive de comitantibus rei invicem diffident. Quare verum a fallaci, certum ab ancipiti inter iſta facta diſtinguere, diverſorum Autorum teſtimonia conciliare, expendere, atque inde fidelem perfectam, &, prout res tulerit, certiorem factorum expoſitionem conficere, Critices alterum munus eſto.

Tertio Critices ope *de Operibus ingenio partis* judicamus; quod fieri poteſt vel ſenſuum perceptione, vel cauſſarum vi. Pauci admodum ii ſunt, qui in ædificio pulchritudinem non deprehendant, licet nihil de Architecturæ legibus, nihil de elegantis fabricæ notis audierint: hoc autem eſt ſenſuum perceptione & veluti ſapore judicare. Verum qui regulas callet re, artis myſteria tenet, & venuſtatis illius, unicuique perſpectæ rationem reddit, hunc vocamus cauſſarum vi ſententiam dicere. Idem pronunciato de Operibus ingenio partis. Non deſunt plurimi, qui voluminis, ſive ſermonis alicujus præſtantiam veluti odorantur; unde autem odoris ſuavitas fluat, explicare nequeunt. Longius pergit Criticus. Eandem animadvertit excellentiam; at omnia illius, ut ita dicam, lineamenta perſpicit; ac proinde non ſenſuum tantum, ſed ſcientiæ quoque ſuæ conſulto de ipſa deliberat.

Accurata præterea diſquiſitione ſcrutatur Critice *varias lectiones in Antiquorum monumentis obvias*. Quæ una ipſis ſuppetebat ad volumina æternitati committenda facultas, erat manibus illa deſcribere: exploratum porro eſt ſcriptorem omnimode cavere non potuiſſe, quin verbum frequenter pro verbo ſumeret, præſertim cum ſignificatio, ſonus, & lit-

 teræ

teræ conſentiebant ; ut nunc plane duo invicem nulla re diſſidentia exemplaria producere, negotii plenum opus eſſet. Inter præſtantiora itaque Critices de litteraria Republica merita habendum eſt, eam varias lectiones collegiſſe, quæ autorum ſenſibus aſſequendis emolumento ſunt, & nulla plane alia ratione, quam veterum Opera viciſſim conferendo, tot ætate noſtra abſolutiſſimæ Veterum editiones prodierunt. Ceterum quo utilius eſt diſſimilem hujus vel illius textus legendi modum præſto habere, eo difficilus, quinam ex iis perfectior ſit, tute definire. Vetuſtas etenim MSS., characterum elegantia, Ortographiæ ſedulitas ſatis non ſunt, ut omnem errandi ſuſpicionem depellamus; eum ſcriptor quamlibet antiquus accuratus & peritus hallucinari potuerit iis in locis exſcribendis, in quibus alius recentior, minuſque doctus & diligens a veritate non aberravit. Nihilo magis deferendum eſt magno ſimilium MSS. numero, cum omnia ab eodem corrupto exemplari forte profecta eſſe poſſint, a quo eaſdem quoque maculas conceperint. Intelligentia quidem & contextus ſermonis argumento eſſe poterunt ad verba Autoris ab Amanuenſis verbis ſecernenda: attamen hæc ipſa ſæpiſſime in diſceptationem cadunt. Nos manet alibi oſtendere, quomodo in hujuſmodi diſcrimine habendo ſe geſſerint Critici noſtri: in rem præſentem ſatis erit animadvertiſſe, varias iſtas Lectiones ad rei Criticæ partem ſpectare; atque illas ſive ſtudioſe congerere, ſive prudenter diſcutere, facinus eſſe cum incredibili utilitate commendatum, tum ſummis difficultatibus impeditum.

Non puto inter Critices munera ultimo loco recenſendum illud, quod intimum Operum ſenſum penetrare, ſtylumque a ſtylo diſtinguere ſatagit. Quæ etenim de Opere illo pronunciabis, cujus rudi & manca notitia informaris? Attentio, qua ſunt a Criticis autores volutandi, eos aliis omnibus paratiores facit, ut eorum mentem probe aſſequantur: alias non deſunt in opere aliquo loquendi modi, quos non erit unde, ut par eſt, percipias; niſi eos cum aliis ſimilibus ab autoribus ejuſdem ætatis, aut regionis adhibitis compares; quod munus non niſi Critices ſtudioſus præſtare commode poteſt. Verum eam dixerim eorum inſtituti partem magis exquiſitam, & majori cautione dignam, quæ de ſtylo ſcilicet Operum apte judicat. Cum etenim tot dictiones reperiantur genere differre, quot ſunt autores, atque hujuſce diſcriminis ratio difficillimus patiatur explicatus; ne errore fallamur, non minori opus eſt in diſcernendo perſpicacitate, quam in legendis Autoribus familiaritate. Qua de re neſcio, utrum nec ne offenderint ſæpius Critici celebriores, eximia licet ingenii vi & copia præditi; illud certe minime dubium eſt; ipſorum judicia invicem non raro diſſentire, cujus rei licet aliqua interdum animi

Digitized by Google

animi occupatio in cauſſa eſſe poſſit, plerumque tamen id oriri arbitror, quod nimirum arduum plane præſtantioribus etiam opus ſit, ſuper hac re non aliquando decipi.

De Autoribus tandem pronunciat Criticc. Perpetua in Veteres obſervantia factum eſt, ut ſcripta ab ipſis aliena ipſis adjudicarentur. Recitant nonnulla argumenta Critici, cur id fraudis hominibus placuerit. Verum quacumque ducti fuerint ratione, hujuſmodi labes graviſſima Ecclesiæ intulit detrimenta. Siquidem calumniatoris mendacia, vulgaris ſcriptoris dicta, ſive umbratici hominis exercitationes veluti Patrum Oracula habita ſunt. Criticorum itaque induſtria, de qua uberius alias diſputaturi ſumus, antiquitatem vindicavit, & nonnulla opera ipſis indigna Veteribus tribuenda non eſſe demonſtravit.

Dup. in Præf. 2. part p. 29. & ſeq. Clericus de art. Crit. tom. 2. ſect. 2. p. 402.

Ecce tibi Critices notio. Nihil niſi optimum complectitur; ſique cognitiones, quibus conſtat, non ſemper firmæ & ratæ ſint, id vitio vertendum eſt propoſitæ ſibi materiæ, quæ pro conditione ſua certiſſima eſſe non ſuſtinet. Verum, ſi rationem, qua excolitur, in ea inveſtigemus, aliquando prudentem accuratam & moderatam eſſe, aliquando autem acerbam contumelioſam moleſtam & nutantem conperiemus. Quo fit, ut non modo recta, verum perverſa etiam Critice extet. Peſtilens morbus iſta eſt, cujus venenum, corrupta prius ejus, in quem primo ſe effudit judicii ſanitate, per ſcripta quoque & perſonas diſpergitur; peſſimam fidem undique redolet, Autoribus nocendi livore ducitur, ad libros expendendos aggreditur, ut carpat omnia, deque ambiguis textibus triumphum canat, curat omni ſtudio, ut illuſtriorum Scriptorum ſenſa detorqueat, & in ſiniſtro lumine collocet. *

Lectio Patrum p. 2. c. 7. Gallice.

Nullo modo vitia illa, quæ peſſimam Criticen perpetuo comitantur, immoderata ſcilicet in judicando celeritas, puerilis docendi ardor, ſive *Pædagogia*, quæque ipſis gravior & turpior eſt, rixandi libido, improbitas, atque averſatio ab iis, de quorum ſcriptis judicandum eſt, invidia & ſimulatio, amor & odium, quæ ad rectum & liberum Operum judicium edendum impedimento ſunt; ingenita denique erga nos ipſos propenſio, qua duce non ſemel magis in Critici, quam in ſcriptoris mentem & diſpoſitionem ingredimur: hæc inquam vitia nullo modo

Baill. in Judic. Sap. t. 1. c. 14. p. 91. & ſeq. Gallice.

* Fert opinio, Voetii cenſuram in Carteſii Philoſophiam omnibus iſtis culpis infectam eſſe, uti ipſe queritur. *Gilbertus Voetius non contentus me erroris & ignorantiæ inſimulare; ſed etiam atrocia crimina mihi affingit; viiſque obliquis ſuam in me maledicentiam exercet*. Palam exinde facit callidas artes hujus Proteſtantis, cujus injurioſa Critice ad dejiciendam de gradu Methodum ſuam contendebat. Epiſt. Renati Carteſii ad Gilb. Voet. Amſtel. 1643.

egre-

egregiæ arti iſti adſcribenda ſunt, ſed iis, qui eam, ut doctos & honeſtos homines decet, exercere neſciunt.

Contra vero recta & prudens Critice nunquam non ſtipatur veritatis amore, charitate, ſuavitate, ſapientia, humanitate, & inviolata fide. „ Et profecto, inquit eruditus Præſul, quo inviſior illa eſt, eo iſta amabilior iis ipſis, quos in quæſtionem accerſit; ſi tamen veri Scriptores Eccleſiaſtici ſint, quorum peculiare eſſe debet, animi moderationem præſeferre. Hanc merito apellare poteris beneficum quoddam lumen, quod corpus, unde effunditur, perficiens, res quoque & perſonas, ſuper quas aſpergitur, illuſtrat, accenſam veluti facem, cujus ope inter caliginoſos antiquitatis calles tuto greſſu progredimur, verum a falſo, hiſtoriam a fabula, vetuſtatem a novitate ſegregamus. Hæc omnia præclarum Criticum efficiunt, publica exiſtimatione dignum, immortale ſæculi noſtri ornamentum, quod non parvum ſapientum numerum protulit, quorum Critice recenſitis conditionibus decoratur. * Hinc demum colligere quis poteſt, nihil iſto Critices genere opportunius eſſe ad exquiſitam intelligentiam comparandam, ** ad coercendum æquitate ingenium, ad diſpicienda Autorum Opera, ad difficultates enucleandas, ad pronunciandum de factis, atque ad omnes egregios fructus producendos, quorum mentionem impoſterum faciemus.

Godeau in Hiſt. Eccl. tom. 1. in præf. Gall.

ARTICULUS II.

De Regulis Critices.

SI præteritorum ſæculorum barbariem ignorantiam atque hebetudinem a capite ſuo altius repetamus, conſtabit plane, Scientiarum de-

Fleurius de Meth. ſtud. p. 25. & ſeq. Ducangius Gloſſar. in præf. Gallice utrique.

* Complures ſapientes Fabrum Ludovici XIII. præceptorem expreſſam veluti perfecti & revera Ortodoxi Critici imaginem nobis in conſpectu ponunt. Miro quodam nexu Virtutem & Sapientiam in ſe uno vincire potuit, ut illam doctis, hanc viris piis amabilem reddiderit. Mente valebat experrecta, profunda, ſublimi, & judicio lectiſſimo. Bibliothecam animantem eum cenſuiſſes, hiſtorica eruditione, Conciliorum, ceterarumque antiquitatum notitia refertam. Quod tamen mirum in modum ſummi iſtius hominis Criticen efferebat, id ſuavitati illi, modeſtiæ, comitati, accurationi, humilitati, atque integritati, quibus afficiebatur, tribuendum duco. Baron. M. a S. Martha. Sirmondus, Scioppius, Lipſius cæterique. Vide Baill. in Jud. Sap. t. 2. p. 2. art. 454. p. 344.

** Auctor Artis cogitandi 3. p. c. 18. & 19. excellentes enumerat regulas, quibus a diſtortis ratiocinationibus exquiſitam diſcretionem, rectamque intelligentiam corrumpentibus abſtineamus.

clina-

clinationem, præter exterarum Nationum colluviem, Imperii Occidentis caſum, jacta a populis Septentrionalibus fundamenta, Normannorum incurſiones, ſingularia & diuturna bella, peſſimamque temporum illorum quoad Literas propenſionem, non modo præcipuis in cauſſis habuiſſe immanes difficultates ſtudiis tunc operam navandi, cum librorum tot inter turbulentiſſimas tempeſtates inopia, tum quod ipſis multa penitus neceſſaria adjumenta deeſſent; verum etiam potiſſimum, quod ratas & firmas regulas in promptu non haberent ad acquirendam in politioribus diſciplinis perfectionem. Qua de re poſterioris ætatis Sapientibus perſuaſum fuit, nullum tutius ſuſcipi poſſe ad reſtituendas litteras, & in eo, in quo nunc ſiſtunt, gradu firmandas conſilium, quam leges aliquas condere; ut earum ductu in quolibet cognitionum genere progrederemur, expedirentur nobis ſemitæ, occurrentes evaderemus ſcopulos, quoſdam ſtatuerem us limites, quos tranſilire nemo impune auderet, quin pluribus in veritatis & mendacii ſecretione erroribus pateret.

Abſolutis iis, quæ ad Critices naturam ejuſque diſpares uſus attinent, operæ pretium eſt, inſigniores regula s brevi oratione deſcribere, quæ mea intereſſunt, & fundamenti loco ponuntur: quod præſtabo, nonnullas late & diffuſe in hoc articulo recenſendo, cæterarum autem ſive fontes, unde hauriantur, ſive loca, in quibus apud nos ſedem habent, indicando.

§. I.

De Critices Regulis in Manuſcripta, Scripturam Sanctam, Concilia, & Patrum Opera.

FIERI non poteſt, ut quis Autoribus funditus evolvendis incumbat, quin ad Manuſcriptorum fidem confugiat: cum autem ſtudium hujuſcemodi maximis difficultatibus obſtruatur, tum in ſeligendis optimis, proboque judicio muniendis, tum etiam in mendorum innumerabilium origine detegenda, tum denique in iiſdem caſtigandis, atque invicem conferendis, ſapientes non fugit; ut univerſæ rei ſatis accommodata Critices præcepta promulgarent.

Quod erratorum in MSS. occurentium cauſſas attingit, præter libellum Henrici Stephani de origine mendorum, & tradita multa in rem hanc ab Autore Lectionis Patrum, ac Mabillonio per me conſulendis; Clericus ſupra dimidiam ſecundi Tomi partem Tractatus ſui de Arte Critica occupavit in veſtigandis corruptorum MSS. principiis. Vitiorum iſtorum partem ad eos refert, qui dictabant, ſive quia verba non expri-

Lect. PP. p. 2. c. 16. Gall. Mabillon. de ſtud. Monaſt. p. 2. c. 16. Gall. Joann. Cler. in Arte Crit. p. 2. ſect. 1. p. 1. & ſeq.

exprimerent articulate, literam unam vice alterius uſurparent, aut alicujus literæ aut verbi obliviſcerentur; ſive quia contextui miſcerent ea, quæ in ora libri ſepoſita erant. Exſcriptores pariter ad multiplicandas MSS. labes plurimum contulerunt, modo oſcitanter iis, quæ dictabantur, aures admoventes, modo literas, phraſes quandoque, perioдoſque non ſemel integras omittentes, mutantes, addentes, vel invertentes, modo nihil diſtinguentes, & puncta vel nulla, vel de arbitrio appingentes. Menda illa prætereo quæ a corruptoribus inducta ſunt, aut a Criticis ipſis, qui ſpecioſo corrigendi nomine MSS. frequenter adulterarunt.

Joann. Cler. ibid. c. 16. p. 315. & ſeq.

Porro idem Auctor ad illa inſtauranda ſequentes regulas poſuit.

Prima Regula. *Si quid mutetur, mutationem reipſa, orationiſve ſeries, ſtyluſque ſcriptoris poſtulato.*

II. *Omnis emendatio linguæ ingenio, aut ſcriptoris ſtylo conſentanea eſto.*

III. *Ratio depravationis, ſi fieri poteſt, redditor.*

IV. *Ne ulla emendatio, a lectione veterum Codicum nimium recedito.*

V. *MSS. Codd. veterum citationes, ac veteres tranſlationes, adhibitis certis cautionibus, ſunto.*

VI. *MSS. Codd. ſuſpectialiis præferuntor.*

VII. *De omnibus in Notis monere liceto; at nulla niſi manifeſta, aut ex MSS. Codd. hauſta lectio, in contextum orationis infertor.*

Mabill. in ſtud. Monaſt. p. 2. c. 12. p. 286. Gall.

Mabillonius, qui non modicam vitæ ſuæ partem in Codicibus ſcriptis pervolutandis contrivit, idemque inſtitutum in doctiſſima Congregatione ſua radices agere curavit; unde tum Eccleſia, tum Reſpublica Literaria fructus uberrimos collegerunt, non omiſit hic normam aliquam deſignare, ut inter edita & exarata volumina collatio fieret; cujus monitum primum atque præcipuum eſt, diſtinctas Veterum Ortographias, litterarum mutationes, vocum & ſyllabarum multiplices contractiones penitus callere. Præter ea, quæ nos hac de re Sapiens hic Benedictinus docuit, in ſua Diplomatica, quæque legere eſt apud Sigonium, Juſtum Lipſium, Vigenerium, & Bollandi ſucceſſores, adeas velim *Poſtellum de duodecim Linguis*; *Durctum de Linguis & caracteribus omnium Linguarum*; *Tabulas Alphabethicas variorum characterum*, impreſſas Francofurti anno 1596., & ſeptuaginta litterarum elementariarum ſeries Romæ 1616., ab Autore Lectionis Patrum memoratas.

Lect. p. 2 c. 17. p. 258. Gall.

Sacrarum Scripturarum Interpretes tot nobis ad ſtudium illud ſancte utiliterque colendum Critices præſcriptiones reliquerunt; ut immenſum ſuccreſceret opus, ſi de illis huc recipiendis cogitarem. Qui maluerit, adeat Alphonſum Salmeronum, Serrarium, Menochium, Ludovicum de Tena, Tirinum, Cornelium a Lapide, Maldonatum, &c. Nonnullas inſuper dedit Joannes Martianæus, ipſo judice, ad naturalem. Auctorum Sacro-

Martianæus trait. 3. de ratione explic. Script. Sacr. Gall.

Digitized by Google

Sacrorum, & textuum obſcurorum & difficilium intelligentiam acquirendam aptiſſimas, tribus propoſitis ſyntaxibus, quas *propriam*, *figuratam*, *& harmonicam* nuncupat. Unicuique iſtarum plures c Criticе petitas regulas diſtribuit: *propriæ* ſeptem generales, ſexque peculiares, *figuratæ*, *& harmonicæ* item ſex pro ſingulis.

Me præterit, qui fieri poſſet, ut contextui Bibliorum emendando excellentiores Artis noſtræ regulæ excogitari poſſent iis, quibus uſi ſunt Pontifices Sixtus V., & Clemens VIII. ad Vulgatæ correctionem, & recenſentur in Bulla Sixti V. ſub anno 1589. Qui vero juſſu Urbani VIII. in recentem Græcam Novi Teſtamenti Editionem operam contulerunt, ut ipſis proſpere cederet correctio iſta, quinque peculiaribus innixi ſunt, quas pro re nara ſubiiciemus. *Præf. collat. cum tex. Græc. cum 22. Codd. MSS. Romæ 1673.*

Neminem latet, Simonium in Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti aliquas regulas exhibendas ſuſcepiſſe ad parandam Scripturæ interpretationem omnium abſolutiſſimam, quæ in præſens uſque prodierunt: verumtamen, cum iſtarum titulo mihi naſcatur diſſertationis cujuſdam argumentum, nihil ulterius de his; quemadmodum neque de illis, quas commemorat in Proœmio ad Novum Teſtamentum Trevoltii excuſum.

Sacrarum Scripturarum ſtudio neceſſitate ſecundum eſt ſtudium Conciliorum, in quod præterea utiliſſima digeſſerunt præcepta Critici noſtri. Trium meminit Mabillonius. *De Stud. mon. p. 2. c. 5 pag. 197*

Sit primum, inquit, informare animo univerſalem eorum ideam, quæ occurrunt in Conciliis animadverſione digna.

Alterum, diligentiſſime cujuslibet Concilii hiſtoriam tenere: ſcilicet, quidnam cauſſæ fuerit, cur celebrarentur, quænam hæreſes ab ipſis damnarentur, quinam interfuerint illuſtres Viri, quinam demum exitus illis conſecutus ſit.

Tertium, in ea, quæ complectitur Concilium quoad Dogmata & Diſciplinam, opportunas notationes deſcribere.

Nullum ſane extat litterarum genus, de cujus legibus rogandis adeo ſolliciti eſſent Sapientes, atque de illis, quæ ad Scriptorum Eccleſiaſticorum opera pertinent. Autor Lectionis Patrum ex editione 1697., ubi in priori illius Tractatus parte de ipſorum autoritate ſermonem inſtituit, in ſecunda animadvertit complura deſiderari, quæ fructuoſæ illorum lectioni antecedant; videlicet cultiorum linguarum peritiam, Critices, Philoſophiæ, Ethnicæ eruditionis, Scripturæ ſanctæ, atque Hiſtoriæ doctrinam, aliaque multa, quæ cum iſtis ferme neceſſario conneсtuntur. In tertia rurſus de recto ordine illos utiliter legendi; in quarta poſtremo de uſu atque exercitatione ipſorum plures regulas enumerat.

p. 2. c. 3. pag. 184., & ſeq. Ceterum Mabillonius, qui in libro de ſtudiis Monaſticis has pene omnes collegit, eas in novem claſſes partitus eſt, quæ SS. Patrum ſtudioſum dirigere poſſunt, ut tuto ac dilucide eorum commentationes cum in Divinas litteras, tum in Theologiæ Dogmata, in Moralem, atque in Eccleſiaſticam diſciplinam meditetur.

I. Antequam alicujus Patris lectionem exordiaris, in rem erit geſtorum ejus narrationem percurrere; ut inde illius ingenium, mores, acta, & tempus, quo vixit, deprehendas.

II. Legitima ipſius Opera ſummo ſtudio ab incertis, aut ſuppoſitis ſecernas.

III. Opus item eſt tempora diſtinguere, quibus ſingula eorum opera lucubrata fuere.

IV. Si quis ex Patribus diſſimiliter de eadem re locutus eſt, poſtremæ citius, quam priori ſententiæ ſubſcribas.

V. De doctrina Patris alicujus ſententiam feras ex illis locis, in quibus data opera rem excuſſit, non vero ex iis, in quibus obiter mentem ſuam ſignificavit.

VI. Ne hæreas ita omnibus iis, quæ Pater unus aut alter enunciavit; ut omnibus, nullo delectu habito, aſſentiaris.

VII. Cum Pater aliquis in opinionem deſcendit, reliquorum placitis minime reſpondentem, ne illi fidem omnem adiicias; niſi ſi arrideat illi Eccleſiæ mens. Quotieſcumque tamen a Clariſſimorum Virorum iſtorum veſtigiis diſcedendum eſt, religio ſit, id ſumma animi circumſpectione & moderatione non præſtare.

VIII. In Operibus Polemicis inſtituto potiſſimum, quod ſibi propoſuerunt, advertas animum; neque uſque eo ſectandos putes, quo interdum diſputandi æſtu rapti ratiocinationes ſuas perduxerunt.

IX. Commodum erit tractatuum, quos ſcripſerunt Patres, Analyſin conficere.

Thom. Indiculus Inſtit. Theolog. veterum Patrum Romæ 1701. 4. Pater Thomaſius Oratorii Præsbyter in eandem rem quatuor prudentiſſimas animadverſiones ante oculos ponit. Prima ſit, eam vim & ſignificationem Patres dediſſe verbis, in qua a Divinis Autoribus uſurpata ſunt. Altera vero, ipſos imperitorum æque ac doctorum hominum gratia ſcribentes, uſitatas vulgo loquendi formulas adhibuiſſe, neque ſumma diſtinctione intimam vocum vim & poteſtatem quæſiviſſe. Tertia, Patrum quamplurimos in Platonis Philoſophia educatos, Platonicorum locutiones adoptaſſe. Quarta demum, Patrum lectioni vacaturis partium ſtudia, & ſcholarum præjudicia abiicienda eſſe, ut germana ipſorum ſenſa tantummodo aucupentur.

Eo intenderunt ante omnia Sapientes, ut artis ſuæ inſtituta ſancirent

ad

ad incorruptum diſcrimen habendum inter Patrum opera, quæ vera & enucleata ſunt ab iis, quæ ficta & ſuſpicioſa. Hæc apud aliquos decimum numerum attingunt, apud alios ſeptimum; ſunt etiam qui ad quatuor præcipua redigant, quæ cætera omnia complectuntur. Ea nos alibi diſcutiemus.

Scultet; Rivet; Cave, Dupinus, Mabillonius, Laubruſſel., & alii.

Patrum ſimiliter editiones, cum non æque caſtigatæ & ſinceræ ſint, certas ad puriores ſeligendas regulas deſiderabant. Nemo, quod noverim, ante Guillielmum Cave, de his nos erudire aggreſſus eſt; & propterea in animo eſt ejus cogitata recitare.

Hiſt. Litt. in Proleg. ſect. 5. pag. 15.

I. Regula. Editiones SS. Patrum, quo ſunt vetuſtiores, eo ſunt, ut plurimum, fideliores. *

II. Opera SS. Patrum, quæ ex Roberti Stephani officina prodierunt Græce, cæteras editiones emendationis cura, & typorum nitore facile vincunt.

III. Patrum Latinorum editiones Frobenianæ jure merito magni æſtimantur.

IV. SS. Patrum Opera, quæ Græce & Latine Pariſienſes in lucem emiſerunt, aliis in ſuo genere palmam præripiunt.

V. In diſcernendis SS. Patrum editionibus plurimum refert ſcire, quis editionis curam in ſe ſuſceperit.

VI. Præcipue cavendæ ſunt editiones SS. Patrum, quæ in his locis prodeunt, in quibus S. Inquiſitionis viget officium. * *

Alia quædam in promptu ſunt documenta non minus certa atque ingenioſa, quibus ſelectiora typorum genera a peſſimis & mediocribus diſpiciamus. In hæc fere recidunt.

Lect. Patrum p. 2. c. 18. Gall.

I. Præcipue tibi curæ ſit inveſtigare, anne Patrum Editiones ſapientum prudentum & navorum hominum induſtria elaboratæ ſint, maxime vero ab omni Hæreſeos ſuſpicione alienorum. Eſt enim, quod iſtis, tum quando ſimilia negotia ſuſcipiunt, fidem omnem denegemus.

II. Scitu dignum erit e cujus formis in lucem emiſſæ ſint: quo enim plus minuſve capacitate integritate ac religione excellunt Excuſſores, eo plus minuſve publica ipſis utilitas cordi eſt.

III. Providendum eſt, cujus Prototypi conſulto recognitæ atque emendatæ fuerint.

IV. Principem locum iis dabimus, quæ caſtigatiſſimæ cum ſint, eruditis atque acutis præterea adnotationibus, ſcholiis, explicationibuſque illuſtrantur.

* Autor Lectionis Patrum p. 4. c. 7. pag. 53., & Laubruſſellus in tractatu de malo uſu Critices tom. 1, p. 129. hujuſmodi regulam flocci faciunt.

** Cave Hæreticus eſt.

Hucuſque traditæ regulæ ad primum veluti corticem Operum Patrum tantummodo ſpectant: porro non deſunt, quæ doctrinæ quaſi viſcera introſpiciant tum omnium Autorum Eccleſiaſticorum in univerſum, tum ſigillatim alicujus Dogmatis, tum denique, ut uniuſcujuſque Patris ſenſa & perfectam intelligentiam aſſequamur.

Lectio patrum p. 3. c. 13. Gall.

Amas Scriptorum Eccleſiaſticorum in aliquod Dogma, quodcumque illud ſit, mentem ſcrutari? Ab his ne flectas.

Ubi certior, eris librum illum ab eo Autore exaratum fuiſſe, cujus nomen præſefert, attendito

I. Num Autor ille ob egregium aliquod inter ceteros facinus Eccleſiæ fuerit commendatus.

II. Si de antiquitatis momento aliquo controvertitur, æquum eſt veterum opinionem recentioribus anteferre, atque ad ipſos rei fontes aſcendere.

III. Quoties doctrinæ caput in quæſtionem vocatur, audiendi præ aliis ii Patres ſunt, qui magis Theologos, quam Philoſophos aut Oratores egerunt.

IV. Cum de Patrum electione animi pendes, iis citius faveas, qui perpetuo Fidem Catholicam profeſſi ſunt, quam iis, qui in illa fluctuarunt, vel ab illa fallaciter defecerunt.

V. In quibuslibet controverſiis quæſtionis ſtatum radicitus diſquiras, adjuncta & partes omnes conſideres, nec non accurate diſputantium rationes ſtudia & prejudicia ſciſcitare.

VI. Præ oculis habebuntur tempora & loca, in quibus excitata atque jactata quæſtio eſt, itemque Philoſophicæ ſectæ, quibus addicti de Fidei dogmatibus Patres verba fecerunt.

Defenſio perpetuitatis fidei l. 7. Gall.

Petav. t. 2. l. 8. c. 8. de Incarn. l. 4. c. 16. t. 1. l. 9. c. 4.

Qui iſtarum obſervationum ſimilia, adeo Eccleſiaſticorum Patrum intelligentiæ neceſſaria deſiderat, ad Autorem Perpetuitatis Fidei ſe conferat, qui eas eruditione tanta perſecutus eſt, ut præclariora inter egregii illius voluminis capita merito numerentur. Clariſſimus pariter Petavius in ſua Dogmatica Theologia optima nonnulla Critices monita ſtatuit, ſine quorum adjumento ægre admodum Patrum ſenſa funditus perciperemus, atque objectas inter difficultates nullum aliquando exitum reperiremus, quod intereſt præſertim Myſteriorum SS. Trinitatis, Incarnationis, & Gratiæ. Denique omnes ferme poſtremorum ſæculorum Litterati Viri, qui Autorum Eccleſiaſticorum novas Editiones adornarunt, in Procemiis, Diſſertationibus, Scholiis, Commentationibus &c. ſciverunt multa, ad enodandam Patrum, quibus operam navarunt, doctrinam accommodata.

§. II.

§. II.

De Critices regulis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Acta antiquorum Martyrum, aliorumque Sanctorum.

Libellus quidam Gallicus, cui titulus: De uſu hiſtoriæ, typis Pariſienſibus editus an. 1671. egregie explicavit diſpoſitiones illas, quæ veluti leges quædam Criticæ ad Hiſtoriam aſſequendam habendæ ſunt, finemque oſtendit, quo illius ſtudium referendum eſt. Melchior vero Canus tres vulgavit regulas, quibus bonos hiſtoricos a ceteris internoſcamus. *Melch. Can. de loc. Theol. l. 11. c. 6.*

Prima eſt, expendere, ſi ea probitate atque integritate Hiſtorici prædití ſint, ut hominibus imponere velle nequiverint; dum aliqua vel ipſi ſe vidiſſe, vel ab iis, qui viderunt, accepiſſe teſtantur.

Secunda, eos Hiſtoricos reliquis anteferre, qui ingenii ſeveritati prudentiam quamdam adjunxerunt ad eligendum & judicandum.

Tertia. Si cui Hiſtorico autoritatem Eccleſia tribuit, hic dubio procul dignus eſt, cui nos etiam Autoritatem adjungamus. Contra vero cui Eccleſia derogavit fidem, quemadmodum Autoribus in Gelaſii Decreto enumeratis, ei quoque nos fidem jure ac merito derogabimus.

Porro alii etiam præcepta nobis tradiderunt, ut commode Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ daremus operam, neque in eos errores raperemur, qui Hiſtoricos legentibus communes ſunt.

Habita rudi quadam notione præcipuarum Epocharum *, & delectu adhibito alicujus optimi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ compendii, exempli cauſſa Spondani, Brietii, Pagii, cujus etiam Faſti Conſulares a Noriſio emendati magno erunt uſui in rem hanc. Item Græcis, ** & Latinis Hiſtoricis evolutis, *** ſe Baronio ejuſque ſectatoribus dedat, quorum Annales abſolutam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeriem complectuntur.

Ut autem ejuſmodi ſtudium emolumento ſit, ſequentia Critices monita religioſe tenenda ſunt. Ante omnia, cum ad Hiſtoricos originarios *Dupinus, Cave, Alexander, Mabillonius, De patrum ſtudio.*

* Videlicet Periodi Julianæ, Creationis mundi, Diluvii, Olympiadum, Urbis conditæ, Pugnæ Pharſalicæ, Conceptionis Jeſu Chriſti, Eræ Hiſpanicæ, Baptiſmi Conſtantini, Primi Concilii Niceni, Regni Francorum, Hegiræ Arabum ſive Mahumetanorum, atque Imperii a Carolo Magno in Occidente conſtituti.

** Sunt autem ferme iſti: nimirum Euſebius, Socrates, Sozomenus: Theodoretus, Theodorus Lector, Philoſtorgius, Theophanes, atque Autores Hiſtoriæ Byſanthinæ.

*** Inter eos locum tenent Gregorius Turonenſis, Beda, Annales Bertinii, S. Eulogius Cordubenſis, Flodoardus, Luitprandus, Lambertus Scafnaburgenſis, Hugo Flaviniacenſis, Sigebertus, Odericus Vitalis, Guillielmus Maldunenſis, Matthæus Pariſius, &c.

legen-

legendos accedet quis, de ſingulorum ingenio, facultate, religione, moribus, & negotiis inveſtigabit. Secundo quam hic vel ille in Eccleſiaſticis rebus partem habuerit, quo ſæculo, qua ratione, quo animo ſcripſerit; ſique iis aut perſonis, aut rebus, de quibus agit, ſyncronus ſit. Tertio num ſpeculator privatus fuerit, aut Reipublicæ adminiſtrator; num fons aliorum, ſive exſcriptor, aut compoſitor. An tandem ſi opiniones amet ſingulares, vel potius in vulgaribus acquieſcat, ſi nominis celebritate clarus ſit; ipſique vel ſuffragio faveat, vel judicio ſuo Eccleſia adverſetur.

Ceterum præter iſtas non deſunt aliæ eodem in pretio habendæ leges. Tametſi graviſſimi Hiſtorici minutis aliis longe ſint anteferendi; non committas tamen, ut hos ſemper in infimum locum detrudas, cum aliquando inter illos cum dignitate ſtare poſſint: neque item æquum eſt ob unam Orationis fæditatem nonnullos abiicere, quibus id vitium eſt, ut optima peſſime ſcribant. Excederet quoque, ſi quis Hiſtorico fidem detraheret; quod ea referat, de quibus apud contemporaneos Scriptores ſilentium eſt, ſive quod ab aliorum ſententiis declinet, ſive quod aliquando erraſſe deprehenſus fuerit. Similiter nefas eſt inique ſemper de Scriptoribus Aulicis judicare, cum inter eos etiam ingenui & bonæ fidei homines reperiri poſſint. Monent demum illuſtres Critici eam eſſe Græcorum indolem, ut ad mentiendum, atque ad commentitias fabulas teſtatiſſimarum hiſtoriarum loco venditandas facile natura ipſa ducantur: Latinos vero nimia quadam credulitate abreptos Eccleſiaſticam Hiſtoriam popularibus opinionibus, & non ſatis tutis traditionibus referſiſſe.

Alias inter ad hiſtoriam ſpectantes præſcriptiones principem locum obtinent illæ, quæ ad germana facta a ſuppoſititiis ſegreganda conducunt. Earum quædam generales ſunt, quædam vero peculiares; utræque autem cum autoritate, tum conjectura ductæ. De prioribus, quarum eſt unumquodque hiſtoricarum narrationum genus in univerſum dirigere, nihil in præſens; cum enim uberiorem animadverſionibus noſtris materiem præbeant, ſæpius illarum mentio a nobis fiet. Secundæ autem, quas peculiares voco, nihil aliud exhibent præter nonnulla principia ad ſingulares res geſtas illuſtrandas ab Scriptoribus quibuſdam fundamenti loco poſita, quæ adeo iſtis accommodantur, ut incommode aliis eventis congruere poſſint; quæque ſtatuere cuilibet Autori liberum eſt, ſiquidem recto judicio & experientia muniantur.

Apud Tillem. t. 1. juxta fin. 2. edit. Gall.

In rem hanc præſto ſunt exempla partim in Diſſertatione Arnaldi ſuper ea, quæ recitat Hegeſippus de S. Jacobo Epiſcopo Hieroſolymitano, partim in *Problemate Sapientibus expoſito de Autore Operum, quæ Sancti*

Dio-

Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, ubi ſex regulæ traduntur non ineptæ ad conficiendum, ſcripta illa Sancto Dionyſio ſuppoſita fuiſſe; in poſtrema denique voluminis hujus Diſſertatione, in qua nonnullas ſubjiciemus, ut graviſſima de primorum Epiſcoporum in Gallias adventu quæſtio diſſolvatur, quæ Virorum litteratorum ingenia in diverſas ſententias adduxit. *Sect. 5. art. 1. pag. 169.*

Si quicumque antiquorum Martyrum acta collegerunt, ſive Sanctorum geſta deſcripſerunt, tot nobis fabulas germanarum hiſtoriarum loco obtruſerunt, id propterea contigit, quod ipſis deficerent regulæ, quibus compertum haberent, hoc a prudenti traditione, illud ab incerta fama in vulgus diſſipata deſcendere; quænam vera eſſent Martyrum acta, quænam ficte excogitata, poſſentque genuinas hiſtorias ab iis extricare, quæ nimia duntaxat credendi facilitate adoptatæ fuerant. Launojo Critices regulas debemus, ut videtur, accuratiſſimas, ne nobis fucum faciant Traditiones. Do illas.

Prima eſt, ut de eo, quod in Traditione poſitum dicitur, diverſis & temporibus & locis ſcriptum ſit a pluribus exploratæ fidei viris, qui producantur in teſtes. *Laun. Diſſert. de Sulp. Sev. §. 16. p. 86. Sim. Hiſt Crit. l. 2.*

Secunda, ut Scriptores illi niſi verbis omnibus, at certe ſenſu conveniant in teſtimonio, quod de re, quæ accepta per traditionem creditur, perhibent.

Tertia, ut iidem ſcriptores ad rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur.

Critices præcepta, quæ ad ſecernenda Acta Martyrum ſincera, & Vitas Sanctorum Theodoricus Ruinartius, Tillemontius, & Bailletus indixerunt, in hujus Operis confecutione ſedem habebunt. Hæ tamen omnes nequaquam ſunt Critices regulæ a Sapientibus conſtitutæ, cum non paucæ ſuperſint in quodlibet ſtudiorum genus. Satis autem ſit earum meminiſſe, quæ attinent ad MSS., Scripturam Sanctam, Concilia, Patrum Opera, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Martyrum acta, & geſta Sanctorum, quibus innituntur diſſertationes noſtræ, & ſub ſtylum frequentiſſime venient. Aliæ porro, quæ Dogmaticam, Scholaſticam, & Myſticam Theologiam, nec non humanas litteras, & liberales artes proxime attingunt, inter Critices fructus collocabuntur.

AR-

ARTICULUS III.

De neceſſitate Critices.

NUllum ſane conſtantius afferri poteſt argumentum ad neceſſitatem Critices extra aleam ponendam, quam deteriorem ſtatum ſub aſpectum ſubiicere, in quem præteritis ſæculis ceciderant Sacer Textus, antiquorum Martyrum & aliorum Sanctorum Acta, Hiſtoria Eccleſiaſtica, Patrum Opera, Theologia ipſa, humanæ litteræ & liberales artes, præſertim poſt Romani Imperii caſum, atque antequam nitidiſſima Criticæ Artis dies meridiana luce clareſceret. Egregios Criticos noſtros ſuper hac re audiamus, quorum non modo ſenſa integre, verum ipſa quoque ferme ſemper verba, aut illis ſimilia accurate tranſcribam; ut inde facile futurum ſit concludere, quam fuerint non litterariæ modo Reipublicæ, ſed Eccleſiæ & Religioni etiam Criticæ diſquiſitiones neceſſariæ.

§. I.

De conditione Textus Sacri quoad vetus & novum Teſtamentum extremis hiſce ſæculis; & de neceſſitate Critices ad illum reſtituendum.

CUm hominum fidei crediti fuerint Sacri Codices, neque prima Archetypa ad nos uſque pervenerint; fieri non poterat, quin partim temporis, quod interceſſit, diuturnitate, partim librariorum deſidia multas viciſſitudines non ſubirent. Hoc eſt quod operis ſui primo in limine nobis inſinuare nititur Simonius: ordinem nimirum cum veteris tum novi Teſtamenti non leviter aut raro immutatum eſſe; in ea verborum tranſlationes, & repetitiones, diverſas lectiones, crebra additamenta, ac varietates irrepſiſſe, quæ vitio vertendæ ſunt ſive ſcribarum negligentiæ, ſive, ut monent nonulli Patres, Judæorum perverſitati, ſive Hæreticorum fraudi, qui ſacras litteras corrigentes aut polientes frequenter perverterunt, atque interdum commentitia quædam volumina ſub Apoſtolorum nomine divulgarunt; ut majorem deliris inventis ſuis autoritatem compararent.

Hiſt. Crit. l. 1. Gall.

Quod ſi tot mutationibus obnoxius fuit Sacer Scripturarum Textus, non fit credibile, ſubdit Simonius, ejus verſiones tum Septuaginta, tum Vulgatam antiquam, tum recentem a D. Hieronymo emendatam hujuſcemodi labes non contraxiſſe; quin noſtra quoque per Tridentinum Concilium ap-

Ibidem.

Digitized by Google

approbatâ excipiatur, cujus cenſores Sixti V. & Clementis VIII. juſſu adhibiti non intenderunt; ut univerſa, quibus ſcatebat, menda corrigerent.

Præterea ſi placet a Bibliorum Textu & Verſionibus animum convertere ad explicationes in Patrum Homiliis, atque Commentariis, nec non cæterorum Autorum, qui hac in re hactenus elaborarunt, operibus exaratas, conſtabit plane utriſque, utpote veras Critices regulas ignorantibus, errata complura excidiſſe.

Primus eſt inter Patres Origenes, qui ſe totum ad Divinorum Librorum ſtudia contulerit; neque alium reperies, qui vehementiorem ipſo induſtriam pro Textus tum correctione, tum interpretatione exercuerit: videtur nihilominus a ſimplici Scripturarum ſtylo plus æquo defeciſſe. *Sim. Hiſt. Crit. l. 3. c. 9. p. 391.*

Hunc Sapientia facile ſequitur Divus Hieronymus, de quo ob ſingularem Hebraicarum, Chaldaicarum, Græcarum, & Latinarum Linguarum peritiam, fateri poſſumus, iis omnibus ſupra alios inſtructum fuiſſe, quibus ad Sacram Scripturam optime exponendam inſtrui neceſſe eſt. „ Accuratus tamen ſemper nequaquam fuit, cum non ſatis, quæ „ ſcripturus erat, meditaretur, neque ſemper, qua par erat, modera„ tione Criticen ſuam cohiberet. Cæterum hoc non obſtat, quominus in„ ter eos principem locum teneat, qui Criticam Sacra Biblia explican„ di rationem calluerunt; tametſi multis offendat, quæ in ipſum pro„ fecto referenda ſunt. „ *Ibid. p. 393.*

Origenem, atque Hieronymum, ſequitur Simonius, excipere debet Auguſtinus. * „ Ejus in Scripturam commentaria minus aliquando ac„ curate confecta ſunt; præterquamquod leviter erat in hoc Studiorum „ genere verſatus, cum primum de iis ſcribere cæpit; cumque vel mi„ nimum Græce ſciret, nihilque admodum Hebraice, opus illius in Ge„ neſim adverſus Manichæos non æquam forte viribus ejus materiam di„ cerem, eo vel maxime, quod Criticis adjumentis non adeo inſtructus „ erat, ut ipſorum Objectis opportuna redderet reſponſa, & legentibus *Ibid. p. 397.*

* Non modo a noſtris, verum ab Hæreticis quoque redarguitur impudens Simonii cenſura, qua in Patres invehit. „ Accepi a quibuſdam Do„ ctoribus Catholicis Romanis, ait „ Hæreticus neſcio quis, non of„ fendiſſe tantum Simonium propter „ ea, quæ de Sanctis Hieronymo & „ Auguſtino ſcripſit, verum etiam „ quod Ambroſii indolem peſſime ex„ preſſerit, cum dixit, eum identi„ dem a propoſito divertere „. *Reſp. P. Amirum ad Hiſt. Crit. Gall.* Alius ex Heterodoxis de triſti Hiſtoriæ Criticæ exitu ſermonem inſtituens, nec non de rationibus, cur vix in vulgus emiſſa exploſa ſtatim fuerit. „ Me „ latet, inquit, num in hoc magis „ contulerit argumenti ab ipſo ha„ bita de veteribus Eccleſiæ Patri„ bus, an de recentioribus Latinæ „ Doctoribus Critice *Epiſt. Spanhemii pag. 566. Gall.*

„ probata. Laborabat ſæpenumero quibuſdam a Philoſophia & Theo„ logia petitis præjudiciis, quæ undique Operibus ſuis admiſcet. Non „ ſane multos temporibus iſtis mihi dabis, qui methodum ab ipſo in „ Pſalmorum interpretatione ſervatam imitari velint ...... ejus Com„ mentaria digreſſionibus, & inutilibus ingenii acuminibus redundant; „ * nonnumquam Scripturam ſenſis ſuis accommodat, cum potius ad „ Scripturæ intellectum ſenſa illius eſſent dirigenda „. **

Ibid. cap. 10. p. 406.

„ Nihil ferme aliud præſtitit Ambroſius, verba ſunt Simonii, cujus „ textum adhuc recitavi, quam Origenis libros, & S. Baſilii Homi„ lias, inverſo duntaxat verborum ordine, tranſcribere; poſtremi ta„ men hujus ratione potiſſimum uſus eſt, & digreſſionibus ac eruditio„ ne fœcundus fuit „. Pergit porro Criticus iſte cæterorum Patrum & præcipuorum Scriptorum, qui in Scripturis enodandis elaborarunt, errata animadvertere; atque conficit, neutros, quod ad Litteræ ſenſum attinet, ſatis accuratos fuiſſe, cum Critices luminibus minime illuſtrarentur: quæ optime a ſe inter præfandum dictis conſonant; ita namque habent.

Hiſt. Crit. in Præf.

„ Perſpectum tandem habui neminem ad hanc diem Sacrarum Litte„ rarum Criticen penitus introſpexiſſe. Quilibet de illis juxta præjudi„ catas opiniones ſuas frequentius judicium tulit. Judæi exempli cauſſa „ nullum præter ſuos autorem conſuluerunt, mancas nimium de illis „ notiones habuerunt, & admirari ſuſtinebant ea, quæ intelligendo non „ aſſequebantur. Quod ſpectat ad Chriſtianos, plures ex Patribus adeo „ anticipavit verſionum antiquarum Eccleſiæ æſtimatio; ut Textum „ Hebraicum omnino negligerent: tum vero ipſos ea defecerunt adju„ menta, quibus expenduntur funditus, quæcunque Bibliorum Criti„ ces interſunt. Non vacat deinceps de noſtræ ætatis Scriptoribus tum „ Catholicis tum Hæreticis diſputare; neminem enim illorum reperi, qui „ a præjudiciis undequaque immunis ſit. „

* Extat eruditum Prooemium in limine 3. Vol. Op. Auguſtini poſtremæ Editionis, in quo a recentiorum Critice tuetur Autor Patrem iſtum de modo Sacras Litteras exponendi ab illis rejecto: quod nimirum uni aliquando ſtuduerit Allegoriæ, quod quaſdam ſpecie tenus parum utiles conſiderationes de numeris aut ſimilibus rebus ſectatus fuerit, cum tamen id pietatis, & præſertim inſtruendi populi gratia fecerit.

** Nos docet quidam hujus ætatis Autor, in eo præcipue Simonii Criticem reprobari, quod de Divo Auguſtino parum modeſte loquatur; „ ut eum aſſerit illum, utpote non „ ſatis in Librorum Sacrorum exercitatione verſatum, citius aliquando Scripturas ſenſis ſuis accommodaſſe, quam ad Scripturarum mentem ſenſa ſua referret. „ *Reſp. ad Epiſt. Spanhem. Gall.* Hæc Epiſtola Simonio adjudicatur: quod ſi ita eſt, facile apparet, eum revocare voluiſſe, quæ de S. Auguſtino dixerat.

Qui-

Quibus poſitis nemo non videt, eam maximo ſubſidio & Eccleſiæ apprime neceſſario futuram artem, ſi facultas aliqua excogitari poſſet, qua omnes Interpretum, Commentatorum, & Eccleſiæ Patrum errores tollerentur, expurgaretur Textus ſacer tot mutationibus ob Scribarum ſocordiam, ſive Judæorum & Hæreticorum pravitatem in eum inductis, & Verſio Scripturarum omnibus hactenus editis perfectior Eccleſiæ compararetur.

Porro egregia ars iſta eadem plane eſt ac Critice noviſſima. Jactat itaque Simonius, ſe iſtius diſciplinæ luce Bibliæ Textum & antiquas Verſiones reſtituturum, aliamque accuratiorem & Archetypo ſimiliorem exhibiturum. O beatos Eccleſiæ Patres, cæteroſque præteritorum ſæculorum Sapientes, ſi placitum Simonii Critice fuiſſet; ut ipſorum temporibus affulgeret. *Hiſt. Crit. l. 1. c. 1. p. 15. item l. 3. c. 1.*

§. II.

Acta Martyrum, atque Hiſtoria Sanctorum miſere adeo ante decimum ſeptimum Sæculum jacebant; ut nonniſi Critices ope inſtaurari poſſent.

QUidam peritus Criticus, ut triſtem Hiſtoriæ Sanctorum conditionem nobis in conſpectu poneret, antequam ingenia erudire inciperet Critice, longam atque doctam Orationem in Operis ſui fronte locavit, * in qua nobis perſuadere nititur, ab Eccleſiæ exordio uſque ad elapſum ſæculum nihil in rem hanc omnibus numeris abſolutum ad nos perveniſſe; atque omnes Hiſtoriæ Sanctorum Scriptores, ſi Euſebium excipias, nihil nobis reliquiſſe, quod ferri poſſit; cum ſelectis monumentis, & partibus ad tantum facinus neceſſariis carerent. ** *Baill. Orat. ad Vit. Sanct. t. 1. Gall.*

Animadvertit ſtatim, Hiſtoriam Jeſu Chriſti ab Evangeliſtis deſcri- *Ibid. n. 2.*

* Animadvertit P. Laubruſſellus, Bailletum hoc in Proœmio Operis ſui exiſtimationi nocuiſſe plurimum, & fundamenta nonnulla evertiſſe, ſuper quæ illud extruxit. *De Abuſu Crit. t. 1. p. 16. Gall.*

** Cum tot præſtantes ediderit leges Bailletus, ut nobis cautum eſſet ab erroribus in titulis, Præfationibus, aliiſque perficiendo operi adjunctis irrepentibus; non tamen inter Præfationum peccata eorum Methodum collocaverit, cui non levem iſtarum partem traducunt ad oſtendendum, cæteris, qui eadem de re egerunt, propoſitum non ſucceſſiſſe, neque ſoliditate multa argumentum tractaſſe; nemini in mentem venit methodum hanc, præſertim Simonii, Bailleti, pariterque Godavii, Dupini, aliorumque celebriorum Criticorum exemplo confirmatam, de æquitate poſtulare. Nihilominus timedum ſane eſt hanc originem ducere a quadam in noſmetipſos animi propenſione & facilitate, quam nequeunt Critici, monente ipſo Bailleto, *Jud. Sap. t. 1. p. 1. c. 14.* §. 6. æque ac reliqui homines, niſi cum corpore, deponere.

ptam, ipſis viventibus, ab Ebionitis & Nazaræis corruptam fuiſſe: poſt interitum autem Apoſtolorum Eccleſiam primitivam falſis Evangeliis ſub Apoſtolorum nomine vulgatis inundari viſam eſſe.

Ibid. num. 3. Tillem. Dupin. Alexand. Quod ſi mendacii & calumiæ vis, ſequitur Bailletus, Hiſtoriæ Jeſu Chriſti inſidiari non eſt verita; qui putabitur incredibile, eandem Beatæ Virginis, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum Hiſtoriis minime pepercisse? Priorum ſæculorum calumniatores nonnulla puerilibus fabulis eodem modo ſcatentia volumina in lucem protulerunt de Sanctiſſimæ Virginis nativitate, genere, infantia, actis, poſtremis annis, & obitu, necnon falſas innumeras Apoſtolorum Hiſtorias confinxerunt. *Ibid. n. 4.* Neque tamen quis cogitet, Hæreticos tantum hujuſmodi fallaciæ reos eſſe potuiſſe: quandoquidem Catholici interdum pravo Religionis zelo *Ibid. n. 7.* ducti mendacia & ſomnia factis & dictis miſcuerunt, quæ Hominibus Apoſtolicis tribuebant.

Vera & falſa præſertim Martyrum Acta copioſe in Eccleſia multiplicata ſunt, donec immanis Diocletiani perſecutio furere cæpit. Tunc etenim ex Principis hujus Edicto ſub anno 303., quo Biblia Sacra & cætera Religionis noſtræ monumenta ſanxit, ut igne abſumerentur, ipſa quoque ferme omnia eandem fortunam ſubjerunt. Certum nihilominus eſt Euſebium Cæſareenſem, reddita ſub Conſtantino Magno Eccleſiæ pace, juſtum volumen germanorum Actorum veterum Martyrum confeciſſe, quotquot ipſius diligentiam non fugerunt; ſive quia illuſtris Martyris S. Pamphili Cæſareæ in Paleſtina Præsbyteri induſtria aliorum fatum evaſerint, qui magnum eorum numerum colligere ſtuduit; ſive quod illa ex Bibliotheca S. Alexandri Hieroſolymitani Hiſtoricus iſte depromſerit. Hujus tamen Operis, quod fruſtra D. Gregorius Magnus Romæ, Alexandriæ, & alibi perquiri mandavit, nonniſi compendium aliquod ad hanc diem ſupereſt. Et vero alium Hiſtoriæ Martyrum librum poſteritati tradidit Euſebius: hic autem eorum tantum Geſta complectitur, qui illius temporibus vitam in Paleſtina profuderunt, ab eo deſcripta ex iis, quæ cum aſpectu perceperat, tum fando audierat.

Ibid. n. 8. Fleury Hiſt. Eccleſ. tom. 13. in Præf. Gall. Eccleſiæ quoque peculiares in veſtigio Euſebii inſiſtentes, ut ſuorum Martyrum Acta redimerent, contenderunt: pauciſſima tamen iſtorum vel ex furore perſequentium Paganorum, vel ex poſterioribus Babarorum incurſionibus & cædibus elapſa ſunt.

Ibid. num. 9. Deinde ſtudium eo contulerunt, ut Martyrum Acta, quæ intercIderant, reſtituerent. Levis tamen negotii opus non fuit, vera & germana reficere eorum loco, quæ deperdita fuerant; cum in rem tantam nullum aliud præter vivorum memoriam & vulgi Traditiones ſuppeteret adjumentum. Non modo autem eapite iſto falſa Martyrum Acta pro legitimis

Digitized by Google

mis ſubſtituta ſunt; verum Eccleſiæ quoque calamitate factum eſt, ut ipſa certa & enucleata adulterarentur, adſcito illa poliendi titulo, & ſupplendi quæcumque in iis deſiderari exiſtimabant.

Plurimi fabularum & prodigiorum amantiores, quam veritatis, de temporum & locorum Epochis obſervandis minus ſolliciti fuerunt; quod neceſſum fuiſſet, ut ipſorum conſilia veroſimilia redderentur. Anonymis Sanctis nomina deſignarunt, novas ut gererent perſonas fecerunt, inſignes crudelitatis ſive artificii notas in Judicibus macchinati ſunt, Dialogos & ſermones ſæpe minus concluſos, Viſa & Mira quamplurima, aut ſimiles inuſitatos eventus incerto populorum ore vulgatos, & Sanctis Martyribus pene inutiles, excogitarunt.

Fleurius ibid. Dupin. Bibliot. T. 4. in præf. Baill. ibidem.

Secundum hæc, addit Bailletus, qui Martyrum Acta colligenda ſuſceperunt, ob intelligentiæ & accuratæ Critices vitium, minori delectu habito, tanto munere perfuncti ſunt. Sanctus Gregorius Turonenſis, editis libris de Gloria Martyrum & Confeſſorum, in quibus eorum Acta omnibus nota eſſe pro certo ponit, omnem curam ſuam recenſendis miraculis, quæ omiſſa fuerant, definivit. Sanctus Ceraunius, qui ſæculo ſeptimo ineunte vivebat, nullum lapidem non movit, ut Actorum per multas Galliarum Eccleſias diſperſorum exempla nonnulla exararentur: verum ii, quos ad id operis adhibuit, non eadem, ac ipſe, integritate ſpectabiles erant. Sanctus Prixius, qui anno poſt D. Ceraunium quinquageſimo floruit, Actorum antiquorum collectione contentus non erat; ſed non ſemel in novorum lucubratione exercebatur. Quod attinet ad Sanctum Aldhelmum, qui anno circiter 709. diem obiit, ex quadam ab illo confecta Actorum nonnullorum Martyrum Epitome perſpicuum illico fit, commentitia Sanctorum Monumenta a remotioribus Aſiæ Provinciis in Angliam uſque trajecta fuiſſe. Nono ſæculo Anaſtaſius Bibliothecarius, eique benevolentia conjunctus Joannes Diaconus Romæ in congerendis Martyrum Actis elaborarunt, ipſis tamen improſpere conſilium ceſſit, & univerſe adeo corrupta erant Hiſtoriæ Sanctorum Monumenta; ut cum aliunde a pravo ſæculi illius ingenio ſe tueri non poſſent, ſingulare aliquod veritati ſubſidium comparandi facultas ipſis ademta eſt.

Baill. 16. n. 10.

Sæculum hoc gloriari utique poterat, in ſui decurſu impudentem Hiſtorias Sanctorum violandi & fingendi licentiam ad eam creviſſe magnitudinem, ut nihil poſſet eſſe ſupra: ex quo uſus invaluerat eorum corpora eruendi, in membra dividendi, vel amplioris honoris cauſſa huc illucque deportandi. *

Baillet. n. 11. Fleuryus ibid.

* Hæc omnia in more poſita erant multo ante Nonum Sæculum, eorumque infinita ferme exempla in Hiſtoria Eccleſiaſtica occurrunt; immo

Uti-

Baill.16.n.11. Fleury. ibid.

Utinam pro re veritatis & dignitate Eccleſiæ factum eſſet, ut Monachorum ſtudium, in quorum cuſtodiam plurima Sanctorum Corpora tradita erant, quique ferme uni tunc temporis litterarum laude florebant, fines ſibi præſcripſerint in exarandis Sanctorum Actis ſive genuinis ſive ſpuriis, quæ apud eos extabant; quin diſcrimen ſubirent nova cudendi pro iis, quorum non legebantur, & quorum frequenter nullam perceperant antea notitiam. * Hinc querelas illorum manaſſe crediderim, qui Monachos inſimulant, veluti quamplurium fallaciarum, atque errorum in hujuſmodi narrationibus ſubreptotum reos. ** Proteſtantes autem in Monachos immiſericordes propterea illos fraudibus conſtare totos prædicarunt, *** non repucanres in hujus rei crimen vo-

uſurpata paſſim fuerant Sæculis IV. & V. Nemo ignorat, quæ de Capitis Sancti Joannis Baptiſtæ translatione feruntur, ejuſque Reliquias in varias regiones delatas fuiſſe. *Tilemont. t. 1. art 8. 9. & 10. in D. Joann. Bapt.* Non modo SS. Lucæ & Timothei corpora Conſtantinopolim an. 356. tranſlata ſunt, ſed eorum partes alio circumvectæ. *Pauli Carm. 26. Hieron. in Chron., & de Viris Illuſtr.* Anaſtaſius Imperator, referente Theodoro Lectore, (*l. 2. Hiſt.*) cum Daras Meſopotamiæ Urbem ædificaſſet, in ea S Bartholomæi Apoſtoli reliquias locari fecit. Meminit Theodoretus Translationis Reliquiarum Sancti Joannis Cryſoſtomi an. 438 *Hiſt. Eccl. l. 5. c. 36.* Duo memoria digna eo tempore acciderunt, quo S. Saturnini Toloſani corpus juſſu Sancti Exuperii ad Eccleſiam ejus nomini per Sylvium extructam traductum eſt. *Ruin. Act. ſelect. pag. 113.* Primum nimirum, quod Sanctus Exuperius reverentiæ cauſſa in novam Eccleſiam Corpus inferre non audens in ſomnis admonitus eſt: *nullam fieri vel diminutione cinerum, vel commotione membrorum Spiritibus injuriam. Ibid.* Secundum eſt ex iiſdem Actis excerptum, hanc Translationem Exuperium feciſſe *Imperatorum permiſſu*: cautum enim erat Romanorum Imperatorum lege, ne quis, iuſtis funeri ſolutis, Mortuorum corpora attingeret. Videtur Decretum hoc per id temporis recentiſſime rogatum; ſi modo idem ſit, ac Theodoſii Magni Edictum (*Cod. Theod. lib. ult. ne viol. ſepult.*) in rem hanc latum, quod nominatim Martyrum corpora complectitur. Porro Lex iſta non magnopere obſervata eſt, quod conſtet quinto & ſexto Sæculo multa Sanctorum Corpora e terræ viſceribus effoſſa, in membra diſcerpta, atque in varias regiones translata fuiſſe.

* Merito conqueritur Melchior Canus cum iis, qui criminantur Monachos, turpis quæſtus nomine fabulas concinnaſſe. *In Monachorum, ait, imperitia inſultare, quaſi fabulas hujuſmodi ventris cauſſa rudi vulgo inferant & intrudant: hac non puto equidem hominis ingenui eſſe, qui ad bonitatem fuerit a natura compoſitus; nedum ejus, quem Chriſtus ſimplicem ſicut Columbam ad legem Evangelii formaverit. De Loc. Theol. l. 11. c. 5. in reſp. ad 13. arg.*

** Launojus, Naudæus, Conringius, aliique, ut Monachos tanti flagitii convincerent, viginti exempla congeſſerunt: accuſationes tamen diſſipavit eruditiſſimus Mabillonius, & argumentorum levitatem oſtendit. Intererat quidem, niſi fallor, Bailleti, ubi de hujuſmodi culpis cum Monachis expoſtulat, boni nominis ſponſores appellare; alioquin in eum urgeret Mabillonii reſponſio: *Adeo ne abſque ullo veterum teſtimonio id in totius Ordinis Monaſtici probrum affirmare licet? Ne illa tam atrox accuſatio non caret præcipiti cenſura. Mabill. de re Diplom. l. 3. c. 3. pag. 226. Item l. 1. c. 6. pag. 24.*

*** Si Bailletum non piguiſſet, quædam ſigillatim enumerare capita, quæ a Mooachis vitiata eſſe, ut referr, obiiciunt Hæretici, non multi fuiſſet

cau-

candos eſſe Hæreticos eorum deceſſores; Monachos vero in eo peccaſſe tantum, quod non exorto adhuc Critices ſplendore, fatali neceſſitate cogerentur mendacia ſequi exemplaria, cum eos lateret, qua via declinanda eſſent. *

Opinatur præterea idem Autor ſuperius allatus, fingendi artem tan- *Baill. ibid. n. 12.* ti habitam, & magno uſui viſam ſæculis illis fuiſſe; ut operæ pretium ducerent ad illam comparandam aliquam rationem inire. Qua de re præcepta quædam tradidit Metaphraſtes; tum inde ad Græcorum Imperii occaſum complures Sanctorum Hiſtorici hujus laudis palmam præripere conati ſunt, & ſatis apte Metaphraſtis ingenium & ſcribendi rationem expreſſerunt.

Nihilo, quam Metaphraſtes, præſtantiores fuerunt Latini omnes a *Baill. ib. n. 31.* decimo ſæculo deinceps; & nemo illorum extitit, qui majorem accurationem adhibuerit, aut levioribus maculis Sanctorum vitas reſperſerit. Goſſelini Monachi, qui undecimo ſæculo prodiit, in Sanctorum

operis, eos de his omnibus purgare, ac Martianæo non fuit de duabus illis reprehenſionibus, quas in illos Simonius intentavit, atque de tertia, quæ ejus perſonam attingit. Prima circa exemplaria verſatur Canonis Hebræi, quibus ad edendam Bibliothecam divinam Sancti Hieronymi uſus eſt Martianæus. Altera ad opus ſpectat Divi Auguſtini, cui titulus *Speculum*. Poſtrema tandem excutit antiquam & germanam lectionem verbi *Caren*. Exploratum eſt apud omnes Martianæum objecta hæc invictis rationibus diluiſſe. & potiſſimum tertium, in medium allatis probatiſſimis titulis in Simonium ipſum retorſiſſe. *Ephem. Sap. 9. Julii* 1703. *Martian. Suite des Entret. ſur la Verité, & la connoiſſ. de l'Ecriture. Item p. 3. pag. 41. & ſeq.*

* Niſi me brevis animadverſionis fines cohiberent, nullo ferme negotio innumeris exemplis confirmare poſſem, ea ipſa ætate, in qua barbaries lutulentius graſſabatur, non adeo Critices ſubſidiis imparatos fuiſſe Monachos, ac nobis perſuadere nititur Bailletus. Tria ſatis erunt. Ante alios nomino † Lantfrancum Monachum ex Sancti Benedicti familia, deinde Archiepiſcopum Cantuarienſem anno 1088. extinctum, cujus vitæ Autor editæ Pariſiis anno 1648. loquitur in hæc verba: *Quia Scriptura ſcriptorum vitio erant nimium corrupta, omnes tam Veteris, quam Novi Teſtamenti libros, nec non etiam Scripta Sanctorum Patrum ſecundum Ortodoxam fidem ſtuduit corrigere*. Accedit Secundo loco Sanctus Stephanus Tertius Abbas Ciſtertienſis, qui ut Sacra Biblia caſtigarentur, curavit, quorum Autographum exemplar Ciſtertii ad hanc diem ſervatur. *Mabill de Stud. Monaſt. p. 1. cap. 10. pag.* 58. Idem Mabillonius in calce 1. Tomi Operum S. Bernardi Editionis anni 1690. quandam apponi voluit anno 1109. confectam cenſuram Scripturæ Latinæ ad exemplar Hebræum Ciſtertienſium Monachorum opera redactæ. Tertium tandem ab iiſdem Ciſtertienſibus peto, quos veluti Criticos eum Archiepiſcopus Lugdunenſis conſuluiſſet, qui Chriſti Domini Paſſionem per eos recenſitam flagitabat, ipſi Abbatem quemdam deſignarunt, ut ſuper hac re Cluniacenſium & Lugdunenſium Monachorum ſententiam intelligeret. Decretum hoc anno 1206. datum Mabillonius typis commiſit, & Simonius in Præfatione Hiſt. Crit. Verſionum Novi Teſtamenti retulit. Hæc omnia argumento ſunt, ut credamus ætatis illius Monachos Critices doctrina præſtantes fuiſſe.

† *Cave Hiſt. litter. pag. 533. col. 1.*

Ge-

Geſta ſtudium non mediocriter ejus nominis famam celebravit: non eſt tamen cur Operum iſtorum pene omnium jacturam acerbius feramus. Cæſarii Ciſtercienſis collectio dicenda potius eſt coagmentatio omnium pene fabularum, quæ in vulgus quo ad aliqua Miracula Sanctis tributa ſuo tempore increbuerant. Pius atque ingenuus homo utique erat, verum imperitus ſimplex & mirum in modum credulus. Quidquid hac de re compoſuit Vincentius Bellovacenſis, totum Helinandi Ciſtercienſis Chronico debet, Viri ingenio ſane & doctrina præclari; niſi in ſæculum incidiſſet Criticæ Artis luminibus minime illuſtratum.

Ibid. p. 32. & ſeq. Mens eſt aliquorum, Bailleti ſenſa referre pergo, *Legendam Auream* celebris Jacobi de Voragine Sæculi XIII. Scriptoris non potuiſſe niſi a ferrei oris & plumbei † cordis homine lucubrari; & mutato nomine mendaciorum ferro immixtam, non autem veritatis auro contextam *Legendam* nuncupandam eſſe. * Cæteri item Autores, qui in Volumen redigendis tum univerſæ Eccleſiæ, tum alicujus Regni aut Provinciæ, tum alicujus peculiaris Ordinis Sanctorum Hiſtoriis ſe dediderunt; uti Petrus de Natalibus, Boninus, Mombricius, Petrus Calo, Bernardus Guidonus, Aloiſius Lipomanus, Laurentius Surius, Jacobus Moſamberius, &c. in pluribus offenderunt, alii diligentiæ, nonnulli ingenuitatis, quidam fidelitatis, multi politici & limati judicii vitio, omnes certe germanarum Critices, quibus deſtituebantur, regularum impedimento.

† Vives!

Ecce itaque, ſi fides Bailleto eſt, quam magna & ſane mira in converſione rerum & perturbatione verſatur Hiſtoria Sanctorum. Immane mehercule Eccleſiæ fatum, ut nullum tot anteactis ſæculis Hiſtoricum procreaverit, qui ſuper hac re niſi laudabile aliquid, tolerandum ſaltem poſteritati committere poſſet! Quibus poſitis extra controverſiam eſt Criticæ facultatis neceſſitas. Ipſius etenim claritate offuſæ præteritis ætatibus tenebræ diſpelli poſſunt, & nitidus veritatis aperiri dies, quam nimium ſimplices, minus ſynceri, aut illuſtres homines ſervitutis jugo hactenus oppreſſerunt. Hujus unius ope nobis ipſi blandimur fieri poſſe, ut rerum fontes hauriamus, ad autographa exemplaria Actorum *Tillem. Fleury.* Martyrum & Hiſtoriæ Sanctorum confugiamus, quæcumque in *Legendariis* iſtis vitioſa ſunt, reſtituamus, eorumque opera expurgemus a fabulis & popularibus traditionibus, quibus turpiter deformata apud Literatos Viros deſpicatui habentur, Fidelium pietati non admodum pro-

* Animadvertit Tillemontius *T.* 2. *p.* 517. *col.* 2. Claudium Deſpancium Facultatis Pariſienſis ſuffragio damnatum fuiſſe, quod adverſus Legendam Auream concionem habuerit: addit vero Thuanus, eundem hoc capite Romanam Purpuram, ipſi jamdiu præſtitutam, non obtinuiſſe.

ſunt:

ſunt, atque ab Hæreticis riſu & cachinis excipiuntur. Hac una tandem, concludit Bailletus, inſtrui & parari Eccleſiæ poteſt Vitæ Sanctorum Collectio ita partibus ſuis abſoluta, ut liberum eſt poſt innumeras pene viciſſitudines, quibus per tot inſidas manus traducta obnoxia fuit.

Habetis, ut opinor, quæ eruditus Autor noſter, a quo omnia ferme hactenus dicta mutuavi, his conceptis verbis nobis polliceri videtur.
„ Hujus negotii exitus in perditis ac deſperatis habendus nequaquam eſt, *Diſſ. n. 66.*
„ ex quo Critice una cum veritatis notitia lectiſſimam quoque ſtudio-
„ rum rationem revocavit .... Tametſi pauciſſima in rem hanc Chri-
„ ſtianæ antiquitatis probata monumenta nobis ſuperſint, compertum
„ erit, ea nihilominus ſolatio & eruditioni noſtræ ſatis futura; ſi modo
„ *juxta Criticæ diſciplinæ regulas* iis uti noverimus. Quapropter ſumma
„ muneris noſtri in eo conſiſtit, ut tot laborioſorum hominum, & *il-*
„ *luſtrium Criticorum* inſtitutionibus proficiamus, & libertatem ipſorum
„ induſtria nobis recuperatam in optimos uſus convertamus, quos cer-
„ te quidem Divini Numinis providentia excitatos crediderim ad redi-
„ mendam e ſervitute indoctorum hominum veritatem.

§. III.

Hiſtoria Eccleſiaſtica implicata adeò, & involuta erat ante præteritum ſæculum; ut extricari & reſtitui nullo modo poſſet ſine Critices adjumento.

CRitices lumina æque item neceſſario ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam exquiſite & accurate texendam deſiderari videntur: ſive confuſionem, qua præteritis temporibus permiſcebatur, attendas; ſive originem perſequaris, unde rerum geſtarum cognitio deducenda eſt, ne fallamur; ſive demum difficultates ſpectes, quæ ex propoſita materia ſuboriri ſolent. Ejus pariter conſulto haud intercedente, non video qua ratione emergere quis poſſet ex omnibus, quæ paſſim occurrunt, intricatiſſimis quæſtionibus, quæque partim ob nativam obſcuritatem hujuſmodi ſunt; partim propter nonnullas præoccupatas opiniones, atque aliquorum negotiis accommodatas, qui deteſtabile piaculum, & fugiendas novitates proclamant, de quibuſdam factis ſumma licet cum verecundia atque obſervantia dubitare.

Ita ſe habebat elapſo ſæculo Hiſtoria Eccleſiaſtica, ut monet Sapientiſſimus Godavius, qui illius hanc nobis ſpeciem ob oculos ponit. Ad Hiſtoriam trium præſertim priorum ſæculorum, quæ inter puriora collocanda ſunt, nullum habemus, qui tutum ſe nobis ducem præbeat, & a quo ſcitu omnino neceſſaria cognoſcamus. Evangeliſtæ ſiquidem pau- *Hiſt. Eccl. t. 1. in Proœmio. Gall.*

ca tantum Divini Verbi geſta memorant. S. Lucas in Actis Apoſtolicis meminit duntaxat Sanctorum Petri & Pauli, neque tamen omnia ab ipſis patrata deſcribit. Porro hæc noviſſe opus eſſet ad multa Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capita conſtituenda.

Hiſtoricos Sacros egregio in rem hanc ſtudio conſecuti ſunt Euſebius, Rufinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliique: pudet enim iſtorum numero accenſere tot antiquiores libros nonniſi putidis fabulis & apocryphis narrationibus conſarcinatos, quos protulit ſive impietas aut ſtupiditas priſcorum Hæreticorum, ſive quorundam Chriſtianorum perverſa ſollicitudo.

Sidon. ibidem. Baron. t. 1. in Proœmio. Majori cum dignitate excipienda eſt Euſebii Hiſtoria, ſine cujus luce in ſumma rerum Eccleſiaſticarum ignoratione verſaremur. * Diſſimulandum tamen non eſt eum quoque aliquando de re Hiſtorica falſitatis argui; atque tum in Chronico, ** tum in Hiſtoria, tum denique in Voluminibus de Conſtantini Vita fide non ſemel nutaſſe; aliquibus locis nimium in Arrianos favorem redolere; Conſtantinum interdum palpare, & ſemetipſum magnifice jactare. Accuſari ibidem ſolet, quod parum concluſe loquatur, rerum geſtarum tempora minus ſedule diſtinguat, & non ſemper ad accuratam Criticen exigat cum ea, quæ ſuo, tum quæ aliorum teſtimonio producit. ***

Dupin. t. 3. p. 1. p. 450. Duo Rufini de Hiſtoria Eccleſiaſtica libri, quos Euſebii interpretationi adjecit, & in quibus Eccleſiæ Hiſtoriam uſque ad Theodoſii Imperatoris obitum exequitur, ſatis eleganter conſcripti ſunt, non autem pluribus culpis vacant. ****

* Complectitur Euſebii Hiſtoria quidquid melioris notæ tria priora ſæcula protulerunt. In ea legere eſt primas Eccleſiæ conſtitutas ſedes, & Epiſcoporum in eis ſuffectorum ordinem, celebriorum imaginem hominum adumbratam, qui vel ſapientiæ laude claruerunt, vel impietatis fama laborarunt, Tyrannorum perſecutiones, Martyrum certamina, & victorias, quas de infidelitate atque erroribus reportarunt.

** Joſephus Scaliger ſupina multa Chronologiæ menda Euſebio exprobrat. De emend. temporum in Proleg. Item l. 6. pag. 516. & ſeq.

*** Licet in Euſebio ab Arrianiſmi nota, atque a nonnullis aliis accuſationibus vindicando operam omnem impenderit Couſinus, diffiteri tamen non potuit, eum erraſſe, cum Africani ductus autoritate Herodem obſcuris natalibus ortum fuiſſe narrat, ubi ex Hegeſippo Sanctum Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum e Templi pinna præcipitem actum teſtatur, & Herodem juniorem Viennam in exilium pulſum: quod Cypriano attribuat, eum primo de Hæreticis iterum baptizandis ſententiam propugnaſſe; revera namque id in conſuetudinem venerat apud Africanos, & Cappadoces; immo ante Sanctum Cyprianum Concilii Cartaginenſis per Agrippinum coacti decreto ſancitum erat: quod demum Novatum a Novatiano non diſtinguat, &c.

**** Initioquidem Socrates Rufini fidei ſe committens duos priores Hiſtoriæ ſuæ libros compoſuerat. Cum autem in evolvendis S. Athanaſii operibus deprehendiſſet, Hiſtoricum hunc fugiſſe, quod Sanctus Pater Treviros exulaverit, præcipua tantæ perſecutionis adjuncta omiſiſſe, atque in illius Sancti geſtis deſcribendis temporum ordinem invertiſſe, eoſdem duos priores libros denuo lucubravit,

Ne-

Digitized by Google

Nemo Hiſtoriam ornatius aut ſapientius contraxit Sulpitio Severo, qui merito Salluſtius Eccleſiæ nuncupari poteſt. Conveniat id tamen neceſſe eſt, cum nimium, quam par erat, res in anguſtum redegiſſe; ipſius Chronologiam neque ſatis accuratam eſſe, neque tutam; in lapſus complures adverſus Eccleſiæ Hiſtoriam incidiſſe, illum Miraculis fidem plus æquo adjungere, atque innumera veterum deliramenta confirmare.

Dupin. ibid. p. 468. Gall. Alex. Hiſtor. e. 2. ſac. 1 Differt. 25. in reſponſ. ad 2 argum. Godavius ubi ſupra.

Quamvis acri adeo judicio & accuratione in ſcribendo uſus ſit Socrates, ut operoſum eſſet, majori diligentiæ conatu Hiſtoriam conficere; nihil certe profecit cura tanta, quominus multis capitibus deciperetur, graviter interdum non laberetur, & facta veritati minime conſentanea nequaquam aſſeveraret. Hic in Commentaria ſua, quæ incipiunt anno 309., quo deſinunt Euſebiana, retulit datum a Coſtantino Chriſtianæ Religioni nomen; ipſius ſtudia ad Eccleſiæ tranquillitatem converſa; tumultus centum quadraginta annorum ſpatio excitatos ab Arrianis, Novatianis, Macedonianis, Apollinariſtis, aliiſque Hæreticis; eorum Patrocinium a multis Principibus ſuſceptum. Juliani Apoſtatæ impietatem ac crudelitatem; diverſas Eccleſiæ perſecutiones; multorum Conciliorum Acta, verbo dicam, quidquid contigit ab anno, quo Conſtantinnus Imperator eſt renunciatus, ad illum, quo Theodoſius Conſulatum decima ſeptima vice gerebat. *

Valeſius, Couſinus, Dupinus, Godavius, Alexander, Ephem. Sapientum 13. Aprilis 1676. Gall. Baronius.

Quamquam ita in Socratis veſtigiis ſteterit Sozomenus, ut eodem tempore Hiſtoriam ſuam exordiatur & abſolvat; non tamen ipſi ſuperſtitione tanta adhæſit, quominus eam multis eidem ſive ignotis, ſive memoria exciſis, ſive neglectis monumentis locupletaret. Hic in eoſdem pene ſcopulos, atque Socrates, immo in aſperiores etiam aliquando impegit; ut affirmare quis poſſit, Hiſtoricum iſtum cum Socratem ſequendo, tum deſerendo, non ſemel a veritatis ſemita declinaſſe. **

* Socrates Maximianum a Maximino non internoſcit; Nicenam Synodum damnaſſe perhibet quinque Epiſcopos negantes doctrinam a Patribus traditam, & *Conſubſtantialis* vocem approbare; etſi Epiſtola Concilii aperte nunciet, neminem præter Theonam, & Secundum ſubſcribere renuiſſe: immo addit ob id a Conſtantino exilio mulctatos fuiſſe. Tres Sirmienſes formulas eidem Concilio tribuit, quæ a tribus confectæ fuerunt. Prodit memoria Valentinianum Imperatorem Juſtinam Juſti filiam in uxorem duxiſſe, quin Severæ nuncium remitteret; & ne impudicitiæ notam ſubiret, lege publica poteſtatem feciſſe duas ſimul fæminas retinendi. Alibi quoque multoties fallitur Socrates; & præſertim rudi adeo Novatianorum Schiſmatis notione imbutus apparet; ut, quemadmodum Autores ſuperius citati animadvertunt, nullus ferme reliquus locus ſit ea tuendi, quæ ſuper hac re litteris mandavit.

** Maniſeſte capitur Sozomenus affirmans, Julium Pontificem, cum pro ſumma ſenectute Niceno Concilio intereſſe nequiverit, Vitonum & Vincentium illuc ablegaſſe: certo enim certius eſt Concilium hoc, regnante Sylveſtro celebratum fuiſſe. Pariter Gregorii in Patriarcam Alexandri-

Dupin. t. 3. p. 2. pag. 221. Invicem digladiantur Sapientes, quo nimirum anno ad Hiſtoriam ſuam aggreſſus ſit Theodoretus, ſimul etiam quo ipſi faſtigium impoſuerit. * Supplementi cujuſdam ſpeciem habet iſta ad Socratis & Sozomeni Hiſtoriam: Athanaſii geſta clarius digeſſit; plurima ad Eccleſiam Orientalem ſpectantia facta ab Autoribus illis prætermiſſa e tenebris, in quibus perpetuo jacuiſſent, memoriæ tradidit; ſaluberrimo labore archetypa nonnulla, uti Synodorum, Imperatorum, Epiſcoporum, &c. Epiſtolas collegit, atque in Hiſtoriæ ſuæ cenſum tranſtulit; denique amborum illorum errata non pauca emendavit. Nihilominus, diligentiſſimus licet Scriptor videatur, falſa multa ipſe quoque narravit, quorum præcipua enumerat Dupinus. *Dupin. t. 3. p. 2. p. 223.*

Evagrius nomine *Scholaſticus* ſex Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ librorum autor eſt, qui initium capiunt, unde expliciunt Socrates, Sozomenus, & Theodoretus, † & deſinunt in annum 594. Satis late patet Hiſtoria hæc & peculiaris accurationis laudem conſecuta eſt **: Ceterum moleſtis quandoque digreſſionibus & narrationibus extra cauſſam fit ſubobſcura: præterquamquod veritatem ita ſectatus non eſt, ut aliquando in errores non raperetur, de quibus jure reprehenditur.

† ideſt anno 431.

Sæculo XIV. ex Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii,

num conſecrationem cum Georgio, quem præpotentes Arriani intruſerant, confundit. Julii Pontificatum ad viceſimum quintum producit annum, qui decimum quintum non exceſſit. Narrat quoque, Secundum Ptolemaidis Epiſcopum Niceni Concilii Canones obſignaſſe, repugnantibus illius Synodi litteris. Sunt qui illum deceptum putant, dum Saracenos a *Sara* nomen accepiſſe dicit, quod tamen per iſtos nonniſi a *Sarac* latine *latronibus* petendum eſt: populi quippe illi latrociniis & excurſionibus vivebant. Nonnulla alia mendoſe dicta in Voiſini interpretatione enumerantur. Conſule hac de re, ſi libet, Dupinum *t.* 3. *p.* 2. *pag.* 189., & Ephem. Sapientum *ſub* 11. *Maji* 1678. Gall.

* Opinatur Pagius, ſe quæſtionem hanc ex iis regulis dirimere, quas ſtatuit in Diſſertatione de Romanorum Imperatorum Decennalibus. Ecce tibi quo pacto ratiocinatur. Cum in fine Hiſtoriæ ſuæ nos moneat Theodoretus, ſe 105. annorum acta deſcripſiſſe, quæ orſus eſt ab Arrii Hæreſi, & cum Theodori Mopſueſteni, tum alterius Theodori Antiocheni Epiſcoporum morte concluſit; indicat aperte illum operis ſui initium atque exitum hujuſmodi ceremoniis definiviſſe: quinque etenim ſupra centum anni duodeviginti Quinquennalium numerum explent. Conficitur inde præterea quam certiſſime, illum Opus hoc ab anno 325. Conſtantini Magni Vicennalibus dicato moviſſe, extremas vero illi manus admoviſſe ſub anno 430., quo Theodoſius junior Menſe Januarii egit Tricennalia ſua; qua de re hæc ſilentio præteriit Theodoretus. *Ephem. Sap. 3. Julii* 1684. Gall.

** Photii de Hiſtoria & ſtylo Evagrii judicium ita habet Cod. 29. *Stylus huic non ingratus, tametſi interdum redundare quodammodo videatur: certe in doctrina veritate ceteris Hiſtoricis accuratior eſt. Quæ quidem laus*, ſubdit Cave Hiſt. litter. pag. 355. col. 2., *etſi ei non ſit deneganda, liquido patet, cum in pluribus factis recenſendis nimium fuiſſe credulum, & in fabulas proniorem.*

atque

atque aliorum Eccleſiæ Hiſtoricorum commentariis continentem Hiſtoriæ ſeriem concinnavit Nicephorus Callixtus: hanc autem tot tantiſque incertis & fabuloſis, quas veris immiſcuit, narrationibus corrupit, ut laborem ſuum in contemtum adduxerit, ſuſpicioſus pene in omnibus ſit, caute tantum & pedetentim eum ſequi poſſimus, atque de Hiſtoria iſta pronunciaverit Caſaubonus: *Non pluris, quam folia farfaris, faciendam eſſe.* *Godeau. Hiſtor. Eccleſ. in Præf. Gall. Cave Hiſt. litter. in Append. p. 22. col. 1.*

Jam vero ad Hiſtoricos Eccleſiaſticos propiores nobis deſcendamus. *Godeau. ibidem.* Cardinalis Baronius abſolutam duodecim ſæculorum Hiſtoriam executus eſt, cujus opus immanis ſane laboris, percurioſæ inveſtigationis, & reconditæ eruditionis opus eſſe fatendum neceſſario eſt: * Apud Sapientes tamen cum Proteſtantes, tum etiam Catholicos male audit; quod ſuppoſititios, quibus uſus eſt, libros non ſemper cognoverit; ** in Romana antiquitate & Chronologia *** verſanda nobis non raro fucum fecerit; ut ex confuſione Epochæ Dionyſii Exigui cum legitimo Nativitatis Jeſu Chriſti anno tempora uſque ad Diocletianum fallaciter partitum fuiſſe compertum eſt; quod longius a propoſito divertat, atque immodice in aliqua facta propendeat, quæ proinde quolibet argumentorum genere tueatur, quin ſatis ea, quæ controverſa ſunt, quæque omnibus probata diſtinguat.

Bzovius & Spondanus ad proſequenda Baronii Annalia ſe contulerunt. *Godeau. ibidem.* Vapulat tamen primus, quod ſui Ordinis potius, quam Eccleſiæ geſta collegerit; de ſecundo autem paſſim traditur, eum in Tornellio contrahendo, quam in Baronii Hiſtoria proſequenda feliciorem fuiſſe.

Addi poſſunt iſtis Eccleſiæ antiqui Patres, qui in conſultationem vocari queunt; *Godeau. ibid.* cum e re nata temporum ſuorum eventus, aut Eccleſiæ ad ſe ſpectantia negotia leviter attigerint. Immo etiam profani Autores de Vitis Imperatorum, aut de Arte Politica ſcribentes adjumentum

* Fertur Sirmondum Annalibus parandis plurimum utilitatis Baronio attuliſſe: immo autumant non pauci, referente Bailleto, quidquid in opere iſto ex antiquitate, ex humanis litteris, atque ex Critice ſumtum eſt, id pene totum Sirmondo vendicandum eſſe. *Jud. Sap. t. 2. p. 2. art. 512. p. 440* Gall.

** Schelſtratus in Opere, cui Titulus: *Antiquitas illuſtrata circa Concilia Generalia Antuerpiæ* 1678. ſapienter animadvertit, licet Baronii Annales optime de Eccleſia meriti ſint, atque ad illam magnos uſus attulerint; nihilo ſecius poſt celeberrimi hujus Cardinalis interitum admodum multa vetuſtatis monumenta in publicum producta fuiſſe, quæ ipſi ignota fuerant, quæque ad elucidandas quæſtiones complures ætate hac inter Litteratos excitatas magnopere conducunt. *Ephem. Sap. 2. Maii* 1678.

*** Benedictinum neſcio quem ſe jactaſſe perhibent, quod ad duo erratorum millia in Baronio notaverit: alter vero Criticus, contumeliam gravius intorquens, ſe in eodem ſex mille inſignes lapſus deprehendiſſe gloriatus eſt. *Lectio Patrum p. 2. cap. 7. p. 150.*

afferre

afferre poſſunt aliquod Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ: reputet tamen unuſquiſque, quam parum iſtis fidendum, quam aridi, quam impliciti, quam invicem non raro pugnantes ſint: illos autem in Dogmata citius, quam in Hiſtoriam curam omnem defigentes, non ſemper adamuſſim res, ut contigerant, enarraſſe.

Baron. t. i. Præf.

Chronologia, quæ inter præcipuas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partes recenſenda eſt, nihilo minus ſpinoſiores complectitur difficultates. Principes Epochæ, uti Exordii Aſſyriorum Imperii, Napolaſſari, Romæ conditæ, &c. diſſimiliter ab Hiſtoricis accipiuntur; unde eorum quam longiſſime diſiunctæ Chronologiæ manarunt. Hi Abrahamum 75. Thares anno natum arbitrantur, centeſimo triceſimo alii. Græci inter Arphaxad & Sale Caïnan recenſent, de quo apud Hebræum Codicem, & Lucam Evangeliſtam altum ſilentium eſt. Olympiades ipſæ, a quibus tuto greſſu incedere cœpit Hiſtoria, diſputationibus non vacant; & quoad illarum initium in varias ſententias Autores diſtrahuntur. Non convenit pariter de Hebraicorum annorum ratione ante diluvium; ſique modo ſapientes Periodum Julianam uſurpant, quæ tres Solis, Lunæ, & Indictionis Romanæ Cyclos conſtituit, id non prohibet, quominus de Julianis annis, in quos nonnulla facta eeciderunt, quæſtiones moveant. Miſſos facio Nativitatis & mortis Jeſu Chriſti dies, * tempus, quo Antiochenæ Eccleſiæ Petrus præfuit, ipſius Romam adventum, adjuncta mortis ejus, & id genus alia, quæ cum æque in ancipiti poſita ſint ac Eccleſiaſticæ Chronologiæ fundamenta, & cætera Hiſtoriæ capita aliquo nexu iſti conjuncta, non poſſunt non incerta eſſe atque involuta.

Godau. ibidem. Scaliger de emend. Temporum in Proleg. Baron.

Cæterum Hiſtorici eſt, quin Artis ſuæ legi ſummæ & cum Religione perpetuo ſervandæ injuriam inferat, nimirum enunciandi veritatem, & nulli iſtius fraude gratificandi; triplicis tamen hominum generis rationem habere: Primo Semidoctorum nonnullorum, qui certa & ad normam exacta legere poſtulant, nec fallere nec falli volunt. Secundo indoctorum & levium hominum, queis magis arrident antiquæ fabulæ, quibus aſſueverunt, quam teſtatiſſimæ veritates, modo novitatem redolere videantur. Poſtremo clariſſimorum Lectorum, at ultra modum ſuperſtitioſorum, quibus nihil poteſt eſſe ſatis; cum de re hiſtorica demoſtrationes flagitent, atque de Problemate Geometrico. Immanes difficultates iſtæ Critices neceſſitatem evincunt ad parandam Eccleſiaſticam Hiſtoriam hactenus editis accuratiorem. Niſi etenim acuta polleas ingenii ſa-

Godau. ibidem.

* Hamelius Bibliæ ſuæ appoſuit opinionum illuſtriorum Chronologorum indicem, a quo nimirum mundi anno Æræ Chriſtianæ calculus ineundus ſit. Enumerat hic nonaginta duas. Sententia, propius Creationi Orbis accedens, illam collocat anno 3740., longius recedens anno 6984.

cul-

cultate, ſingulari judicii vi prædítus, ſecretioris eruditionis locuples ſis, perfecta demum eorum omnium, quæ Critici juris ſunt, intelligentia præſtes; fieri nullo modo poterit, ut tot ſcopulos declines, tot ſuperes difficultates, tot facta expedias, tot autores emendes, tot errores depellas, tot involuta vela pandas, tot ſecernas adeo intricata, ut verum a falſo, ſive a veroſimili vix dignoſcatur; tot diverſa negotia incorrupte tranſigas, tot denique concepta præjudicia deponas.

Ne multis, ei, qui diligentem & integram Hiſtoriam inſtruere amat, cordi ſit, acerrima conſideratione intimum Principum & populorum ingenium & conſilia ſcrutari, noſſe mendacium a veritate, diſpicere quod iſti ſimile eſt ab eo, quod non item; aptum eſſe ad dignoſcendos effectus, qui fortuito, a natura, vel animi diſpoſitione fluunt, ab iis, quos prudens ratio, aut Religionis & pietatis ſemina pariunt; ſecernere ſolida a futilibus, quæ uſu ab iis, quæ contemplatione continentur, quæ divinando veluti & conjectura aſſecuta ſunt ab iis, quæ autoritate ducta, & a certæ autoritatis monumentis depromta. Hinc perſpicue fit, Critices lumina tot tantiſque evadendis difficultatibus eſſe neceſſaria, quam quod maxime. *Lectio Patrum p. 2. cap. 11. pag. 207.*

§. IV.

Perturbatio, in qua verſabantur Veterum Opera, nec non Dogmatica Theologia, ſatis planum facit, quantam habeat Critice neceſſitatem ad comparandam Scriptorum Eccleſiaſticorum optimam Bibliothecam, & elaboratum Theologiæ curſum conficiendum.

INTER Sacræ Litteraturæ ſtudioſos non pauci extiterunt, qui de cogendis Autorum Eccleſiaſticorum indicibus, & Bibliothecis ſolliciti fuerint: * ex vetuſtioribus Euſebius, Sanctus Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Ildephonſus Toletanus, Honorius Epiſcopus Auguſtodunenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Henricus Gandavenſis: ex recentioribus Sixtus Senenſis, Cardinales Baronius, & Bellarminus, Poſſevinus, & quamplures alii cum Catholici, tum Hæretici. *Dupin. t. 1. in Præf. p. 1. pag. 7. Cave Hiſt. Litter. proleg. ſect. 6. p. 25.*

* Eccleſiaſtici Scriptores in quatuor claſſes dividuntur. Primo loco ſtatuendi ſunt, qui Sanctis Bibliis elucidandis inſudarunt; altero, qui de Fidei articulis diſputarunt; tertio, qui cum Judæis, Paganis, atque Hæreticis congreſſi ſunt; ultimo Hiſtorici Eccleſiaſtici, quo nomine rite appellamus eos, qui copioſe aut ſummatim in Eccleſia geſta litteris prodiderunt. Hac pariter voce illos comprehendimus, qui Hæreſum & Hæreticorum Indicem, Martyrum, Sanctorum, Virorumque pietate & doctrina præſtantium Hiſtorias divulgarunt. Chronographorum autem vocabulo accipimus tribuentes, quæ narrant, in ſingulos annos, & certis quibuſdam temporum Epochis aſfigentes.

Quam-

Dupin. ibidem p. 12. & ſeq.

Quamvis major iſtorum pars ſinceras Criticæ diſciplinæ, tantopere huic muneri obeundo neceſſariæ, regulas non jejune perſpectas haberent; fas eſt tamen profiteri, in eis confuſa adhuc multa deprehendi, multa quoque deſiderari: ſive quod perfectæ, ut nunc eſt, Critice acquirendæ animum non attenderint, ſive quod ars illa tot inſtrumenta per id tempus alumnis ſuis non ſuppeditaret, quot recentes inſtruit.

Hujuſmodi homines nominum ſimilitudine, aut titulorum & materiarum confuſione decepti, Autores Autoribus, atque opera operibus commutarunt: interdum aliquibus eos adjudicant Tractatus, qui ab illis longe abſunt; interdum alios, ab ipſis revera partos, ipſis abjudicant: modo ut ſuppoſita quædam reiiciunt ſcripta, licet nequaquam ſint; modo ut legitima alia amplectuntur, de quorum fraude conſtans opinio eſt. Specimen exhibent Scriptorum parum ipſis accommodatum, neque ſatis fideliter tempora deſignant, rerum conſecutiones, atque affinitatem, funditus percipiendis Veterum Scripturis apprime neceſſarias. De iis item queruntur Sapientes, quod operum Analyſin vel aliquando negligant, vel ſine delectu componant; quod ſæpe fuſius nonnulla perſequantur, quæ ſatius fuiſſet leviter adumbrare, nonnulla e converſo perquambreviter perſtringant, quæ ſive elegantiæ, ſive Dogmatum, ſive diſciplinæ, ſive rerum, ſive locorum, quæ commentantur, gratia, deguſtanda eſſent. Paucis omnia. Singuli ferme Catalogi iſti quoad Autorum & Operum numerum, quoad rerum diſcuſſarum ordinem, & tempora, quibus vixerunt, mutili & vitioſi dicendi ſunt.

Cave ibidem edit. 2. p. 10.

Dupin. t. 1. in Præf.

Tot itaque tantoſque lapſus a Dupino in ſuperioribus Bibliothecarum compoſitoribus memoratos cum probe animadvertiſſent poſtremi Sæculi Sapientes, & quanti intereſſet egregiis Autorum ſuorum Bibliotheceis Eccleſiam augere, ſtudio incenſi ſunt, & conſilium inierunt, ut Critices præſidio aliquid in rem hanc perfectius, rectius, atque utilius conarentur. Revera nunquam adeo bene & feliciter, ut proxime elapſo ſæculo, in Scriptores præſertim Eccleſiaſticos labor impenſus eſt.

Inficiari itaque non poſſumus, Critices opus eſſe, ut antiquorum Autorum Bibliotheca hactenus confectis amplior & perfectior habeatur. Quoniam ſi in hac acie palmam referre volenti Scriptorum, quos in manibus habet, vita conſcribenda eſt, callenda patria, indoles atque ingenium exprimendum, detegendæ *circumſtantiæ*, quæ ad ipſorum ætatis vel Operum Hiſtoriam referri poſſunt, vel illorum perſpicuitati prodeſſe, aut ſcribendi rationem, occaſionem, & propoſitum ob oculos ponere; ſi eidem inſuper palam facere incumbit, quo tempore, & qua animi propenſione ad lucubrandum acceſſerit unuſquiſque ſcriptor, quas Hæreſes exagitaverit, quæ dogmata firmare curaverit, qua conditione fuerit: di-

Cave, Dupin.

ver-

verſum ſiquidem, exempli cauſſa, exercet ſtylum Epiſcopus ac Laicus, Africanus ac Aſiaticus, vexatus homo, atque vitam tranquillam ducens: quotus, amabo quiſque erit, qui hæc omnia abſque ſolertiſſimæ atque eruditiſſimæ Critices induſtria in clariſſimam veritatis lucem præferat?

Dupin. in Præf. p. 1. pag. 18.

Non eſt tamen ſatis tenere, quo tempore & anno Opera ſua ſcripſerit Autor: inſiſtendum ulterius eſt, ut peritæ Critices ſubſidio eorum ordinem & conſecutionem conſi deres, nec non Chronologiam tradas, petitam nimirum, ſive ab Imperatorum annis, Conſulum nominibus, & id genus Epochis; aut a perſonis, quarum mentio fit, tum ab aliorum Autorum, tum etiam ab ejuſdem Autoris Operibus laudatis, tum denique a conjecturis, ex Operis dictione, vel ex rebus, quæ diſcutiuntur, deductis.

Cave, Dupin.

Quibus peractis, omnes adhuc numeros non habet Eccleſiaſtica Bibliotheca. Iſtorum inſuper Autorum texas neceſſe eſt Operum Elenchum, qui, cum magnam & diligentem Critici ſedulitatem requirat, complecti debet tum quæ ad hanc diem extant ſcripta, tum quæ temporum injuria interciderunt, & quorum inſcriptio ſola a Veteribus ſervata eſt: In eo ſimul enumerandi ſunt Tractatus ſinguli, fragmenta aliquorum, quæ ſuperſunt afferenda, & loca atque Autores, apud quos leguntur, indicanda: oportet pariter Operum exiſtentium Synopſin adiicere; ita ſe gerere, ut nihil effugiat animadverſione dignum de doctrina, de moribus, aut de diſciplina; ex nonnullis Operibus illuſtriores textus, & inſigniora loca decerpere, vera a mendacibus ſegregare, & meliores demum Editiones ſignificare.

Dupinus & Cave.

Cave ibidem ſect. 4. & 5.

Ceteras tamen inter Bibliothecæ Eccleſiaſticæ partes ea, quæ de Scriptorum ſtylo ingenio & ſcientia decernit, intenſiores acuminis æquitatis judicii & ſapientiæ nervos a Critico poſtulat. Hoc ſane eſt omnium conſeſſione aleæ & periculi plenum munus; neque ſatis cavere omnia poteſt, qui alios, maxime vero in exiſtimatione habitos, & non minori obſervantia colendos in judicium vocat. Quare abſit longe a Critico pro more ſuo ex opinione, vel libidine, nulla adhibita regula pronunciare; ſed poſtquam Autorem aliquem diligentiſſime evolverit, ejus opus diuturna meditatione penſitaverit, atque intimos illius receſſus pervaſerit, juſtitiæ tunc prudentiæ & moderationis conſulto dirigatur, ut nativam inde operum ſpeciem aſſequatur & explicet.

Dupinus ibidem pag. 25.

Eadem quoque momenta habet Artis Criticæ Inſtitutio ad Scriptores Eccleſiaſticos typis optimis emittendos. In rem hujuſmodi profecto multum eſt, antiquos & incorruptos Codices præſto habere, invicem omnes expendere & conferre, errorum notas appoſuiſſe, variaſque lectiones collegiſſe: verum his omnibus res adhuc confecta non eſt, niſi per abſolutam

Cave. Dupinus. Lectio Patrum. Mabillonius.

cum Idiomatis, doctrinæ & dictionis, tum ſæculi, quo floruit Autor, intelligentiam correctionem correctioni, lectionem lectioni, ubi opus fuerit, præferas. Qui namque iſta funditus minime calleat, Autorem adverſus mentem ſuam loquentem inducet, univerſamque illius Theologiam ab imo turbabit. Non omittas tandem ipſius textum qua Tabulis Chronologicis, qua Prœmiis, qua compendiis, qua animadverſionibus, &c. illuſtrare. Hæc autem non præſtabis, niſi exquiſitiſſima & perſpicax Critice ſubſidio veniat: priores ſimiliter Patrum Editiones nihil aliud eſſe putes, quam rudes veluti earum formas, quæ a ſæculo circiter emanarunt, cum ad ſummum perfectionis faſtigium evecta eſt Critice.

Fleurius Tract. de ſtudiis. Gall.

Operæ pretium non videtur eſſe, hic diutius immorari, & multis contendere, quantam Critice neceſſitatem afferat, ut Theologia humi depreſſa erigatur, in nova luce collocetur, atque ut perfectus Theologus effingatur. Satis ſit monere, eam turpiter adeo deformatam fuiſſe, ut ne lineamentis quidem ſuis cognoſceretur, antequam ſibi Critices ſplendorem ſocietate quadam copularet. „ Scholaſtici, Sapientis Præſulis ſenſa recito, æmulandi, ne dixerim ſuperandi D. Thomæ ſtudio abrepti, veritates, quas elucidandas ſuſceperunt, magis magiſque implicarunt; Scripturarum, Patrum, & Conciliorum ſtudia dejecerunt; ingenia diſſiparunt, & ſenſim arido illo explicandi genere pietatis ardorem in hominum animis extinxerunt. „

Godau. Hiſt. Eccleſiæ. Gall.

Mart. Dorp. Orat. in Prælect. Epiſt. Pauli anno 1520.

Dupin. Tract. de Doctrina Christiana l. 1. c. 20. p 578. & ſeq. Gall.

Theologiæ Scholaſticæ imaginem atris coloribus Profeſſor quidam Lovanienſis expreſſit; ea ſaltem ratione, qua tempore ſuo exercebatur, quæque ab hodierna ratione non admodum differt, niſi eam recta Critice fulciat. Luſiſſe nos operam putamus, inquit, niſi Theologos omnes volutemus, & decem annorum ſpatio rebus frugis omnis expertibus inſudando, tempus teramus. Deinde quæſtiones, quæ in Theologorum ſcholis habebantur, & diſputandi modum his verbis deſcribit. *Cur omnem ætatem „ quæſtiunculis de lana caprina, & ipſam Aſini umbram ſuperantibus perdimus? Cur ſophiſticarum captionum nullus eſt neque modus neque finis; „ ſed perpetua quædam argutandi, plicandi, & replicandi libido, & titillantis quidem, ſed heu nimio conſtaturæ veritatis inanis oblectatio?* „

Quod ſi jacebat in ſqualore & ſordibus Theologia, qualis dicendus erit Theologus Scholaſticus, qui Hiſtoriam & Antiquitatem vix primoribus labiis deguſtavit, atque in Critica facultate ſe prodit pene hoſpitem & peregrinum? *Vix dimidiatum eſſe Theologum conceſſerim* Eccleſiæ & litterariæ Reipublicæ prorſus inutilem, pronunciat Pater Alexander; cui conſentiens Melchior Canus, rudes omnino Theologos illos eſſe ait, *in quorum lucubrationibus Hiſtoria muta eſt*.

Alex. Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. in Præf.
Melch. Canus de loc. Theolog. l. 12. c. 4.

Eandem ſententiam ſuffragio ſuo roborat ſuperius a me laudatus Præſul,

ſui, nimirum ſine factorum cognitione perniciosis erroribus obnoxium eſſe quemlibet. „ Eſt hoc quotidie in quampluribus Scholaſticis comper„ tum, qui ob Dogmaticæ & Hiſtoriæ ignorationem iis erroribus capti „ ſunt; unde anſam adverſarij noſtri arripuerunt, ut eos vel inſcitiæ, „ vel pravæ fidei redarguerent. „ Propterea Hæreticus quidam quatuor ad perfectum efformandum Theologum deſiderat. 1. Cumulatiſſimam locorum Theologicorum intelligentiam. 2. Aſſiduum divinarum litterarum ſtudium 3. Idem quoque Patrum. 4. Hiſtoriæ ſcientiam. * Priora duo ex Sculteto abſolute neceſſaria Theologo ſunt, poſteriora vero perutilia.

God. Hiſt. Eccl. Tomo 1. in Praf. Gall.

Abrahamus Scultetus de fructuoſa Patrum lectione, initio.

Ecce tibi quibus idem negotium ponderibus examinet doctus Autor. „ „ Obverſantur, inquit, oculis noſtris ſatis manifeſtæ infirmitatis notæ „ illuſtrium aliquorum ſæculi noſtri Theologorum, quos veraces Criti„ ces regulæ latebant. Ideo eorum viam & rationem, addit, ſectatus „ non ſum, quod non admodum tuta mihi viſa ſit. ** Ego ſane in „ id multum operis induſtriæque pono, ut nihil producam, quod opti„ mis Actis non innitatur; cum Scholaſtica Theologia e contrario de re„ bus certiſſimis non ſemel nobis inniiciat dubitationem. Quandoquidem „ Sacrorum Religio rebus præcipue ad facta ſpectantibus continetur, acu„ mina Theologorum iſtorum, antiquitatem penitus ignorantium, facta „ iſta e tenebris eruere nequeunt; immo nihil efficiunt aliud, niſi ut „ ingenia involvant, & perverſa doceant objecta adverſus Religionis „ myſteria componere. Ex quibus conficit Pater Lamyus fore, ut Fi„ dei Dogmata, Scripturarum ſcientia, & Traditionis doctrina ſplendi„ dius niterent; ſi Theologi omnes Critices præceptis obtemperarent. „

Simon. Hiſtor. Crit. Novi Teſtam. Praf. Gall.

P. Lamy. Reſp. ad Epiſtolam Tillem. art. 7. Gall.

* *Eum ſcripta Veterum διδακτικὸν in docendo, & confirmando copioſum, ἐλεγκτικὸν, in refutando argutum, ἐξηγητικὸν in explicando interpretandoque promtum, Hiſtoria denique in illuſtrando admirabilem efficient.* Abraham. Scultetus ibidem.

** „ Meminerit Lector, ait Hæ„ reticus quidam, Simonium ſuo ip„ ſius teſtimonio Criticum agere, „ non Theologum . . . Quid quod, „ ſi non nemo ſecum reputet, fide„ lem Scripturarum Interpretem, „ ut de illis intime ſententiam fe„ rat, non modo exquiſita Criti„ ce, ſed ſana etiam Theologia im„ bui oportere; atque alterutram ab „ alia divulſam magnis aberrationi„ bus ſubjectam eſſe „. *Spanhemius in Epiſtola ad Amicum de Hiſtor. Critica pag. 610. Gall.*

§. V.

Humanæ Litteræ & liberales Artes graviter ante poſtrema ſæcula deciderant, & nullius præter Criticen eſſe poterat eas reſtituere.

Fleurius tract. de Stud. p. 10. Gall.

GRammaticæ, Rethoricæ, & Philoſophicæ diſciplinæ a Græcis proficiſcuntur; cum apud Athenienſes recta eloquentiæ & bonarum artium intelligentia diutius, quam apud alios, domicilium collocaverit, quæ a Græcis tandem ad Romanos, a Romanis ad nos uſque commigrarunt. Iſti Græco primum ſermone eruditi, rem Grammaticam illi addiderunt; deinde ſe ad latinam linguam expoliendam dediderunt, quæ per id temporis radices egit, tantoque ſplendore aucta eſt, & ſtudio culta, perinde ac ceteræ humanæ litteræ, & liberales artes; ut nunquam excellentius, quam Auguſto imperante, claruerint. Sed altero jam ſæculo labente, ad eam denuo formam redactæ ſunt Romanæ litteræ, quam a Græcia Latio importaverant; immo uſque ad Caroli Magni tempora ſemper in deterius verſæ ſunt.

Ducangius Gloſſ. t. 1. in Præf. Gall.

Fleurius ibid. pag. 16. Gall.

Immortalis hic Princeps nullum non movit lapidem, ut ſtudia omnia priſtinæ dignitati reſtitueret: accivit undique Viros doctiſſimos; in clarioribus Imperii ſui Civitatibus Gymnaſia aperuit; * hac de re complura egregie moderatus eſt; innumeros Codices, qui univerſis Provinciis ſuis late diſpergerentur, exſcribendos curavit; nihil demum ad bonarum Artium progreſſus intentatum reliquit. Sed concuſſo turbulentiſſima illa poſt homines natos tempeſtate Imperii ſtatu, litteræ quoque ipſæ ſubito interciderunt; inſuper partim ob Normannorum cædes, partim ob librorum inopiam captu difficillimæ factæ ſunt. Ex eo tempore, quo Autoritas Regia vires ſumebat, ſtudia rurſus excutiebantur; atque poſt Philippi I. Regnum anno circiter 1060. ſapientia probati & ſpectati homines apparuerunt; non tamen politiores diſciplinas magnos progreſſus feciſſe conſtat: contra vero nulla unquam ætate perſpicuum eſt latius dominatam barbariem fuiſſe, quam ſæculis illis, quæ facultatum iſtarum iſtaurationem præceſſerunt.

* Inſedit aliquibus opinio, Carolum Magnum Pariſiis anno 800. quandam Univerſitatem erexiſſe, eoque ducebantur argumento, quod a Concilio Cariſiacenſi ad Œſiam fluvium anno circiter 858. celebrato *Domus Regis Schola* dicta fuit; quodque Henricus Antiſiodorenſis in Epiſtola Carolo Calvo nuncupata *Palatium Scholam merito vocet*. Fleurius autem Univerſitatis Pariſienſis primordia vel certe ad annum circiter 1200. cenſet revocanda. *Tract. de Stud. pag.* 51.

Incum-

Incumbebant potiſſimum id temporis Theologiæ, * Juriſprudentiæ, Medicinæ, & Artibus capeſſendis, quarum nomine Grammaticam, Humanitatem, Mathematicam, atque Philoſophiam deſignabant. Nihil minus quam de Latinitate ipſis cura erat, plebejo dicendi & ſcribendi genere contentis, nitidæ locutionis nequaquam ſollicitis. Neminem pudebat lutea identidem verba immiſcere, dictionis ſyntaxin ex vernaculis linguis depromere; & *Ruſtica Romana lingua*, quo pacto ætatis illius ſermonem Patres tertii Concilii Turonenſis appellant, incondita & ſtrigoſa quædam erat loquendi ratio. Satis erat ipſis caſus, numeros, genera, conjugationes, & præcipuas Syntaxeos leges ſervare, atque hoc veluti orbe univerſam rei Grammaticæ doctrinam concludebant.

Poetice ſita erat in callendis Carminum Latinorum metro & Syllabarum quantitate; neque quiſquam ulterius ad Operum naturam, & ſtyli diſcrimen ſcrutandum tendebat. Innumeris quæſtionibus acutis magis quam ſolidis Theologiam & Philoſophiam onerarunt; & nemini in mentem venerat, eas aliquibus ornamentis & Orationis figuris indigere. Nullum tamen Scientiarum genus eo tempore, quo primum Univerſitates inſtitutæ ſunt, imperfectum magis & rude erat, ac Phyſice, ejuſque tunc vocabulo comprehenſa Medicina; quæ in volutandis libris, & ratiocinationibus congerendis poſitæ, omnem experimentorum obſervationem negligebant.

Eandem demum indigniſſimam fortunam ſubierunt cum Linguarum, ** & Hiſtoriæ, tum Artium omnium ſtudia, quarum fatum jactura quoque multorum, quæ jamdiu detecta fuerant, eſt conſecuta. Unum

* Trifariam dividuntur Theologiæ genera. Primum eſt Patrum, qui ipſi Bibliorum fonti operam dabant, ut inde neceſſariam ad Chriſtifideles erudiendos, & Hæreticos confutandos ſcientiam expromerent: hic porro modus invaluit uſque ad ſæculum circiter VIII. Secundum a Beda, Rabano, aliiſque ejuſdem ætatis uſurpatum fuit, qui in compendiis Patrum digerendis, necnon in Scripturarum Scholiis, & commentariis conficiendis exercebantur, quæ Theologiæ ratio ſcholas uſque ad ſæculum circiter XII. occupavit. Equidem non inficior, poſt VII. ſæculum Tayonem Cæſarauguſtanum Epiſcopum Theologicam exaraſſe *Summam* ex operibus partim S. Gregorii, partim S. Auguſtini coactam, atque ſequenti ſæculo D. Joannem Damaſcenum diſtinctius aliquid in rem hanc conatum fuiſſe, quod ſub titulo: *De Fide Orthodoxa* in publicum edidit, & quatuor voluminibus diſtribuit. Inventum hoc viam Scholaſticis ſtravit ad tertium Theologiæ genus amplectendum ſæculo circiter XII.

** Sæculo duntaxat ineunte XIV. animadverſum eſt, Linguarum peritiam Religionis ſtudio neceſſariam eſſe. Huic animum advertentes Vienneſis Concilii Patres anno 1315. Decretum habuerunt de Græci, Arabi, & Hebraici Idiomatum Profeſſoribus inſtituendis; quod tamen nonniſi multis poſt annis impletum eſt. Quippe Græca Lingua XV. ſæculi exitu, Hebræa XVI. initio, Araba vero, elapſo tantum ævo coli cœptæ ſunt. *Fleurius Tract. de Stud. pag. 42. Lectio Patrum. Gall.*

revera Eccleſiaſticum Jus adeo miſere corruptum non eſt, & Canonum uſus non obſolevit; licet morum diſciplina ſenſim deferveſceret.

Quod ſi abjectæ ita erant Humanæ litteræ & Artes, nihilo majori in pretio habiti ſunt caracteres ad eas ſcriptis mandandas accommodati; atque eo præſertim tempore dici poteſt, ut facile probatu eſt, caracteres Sæculorum ingenium ſecutos fuiſſe, eoque rectius aut diſtortius effictos, quo Litterarum ſplendor vel augebatur vel minuebatur. Fertur ante Cæſarum * Principatum Romanos caracteribus ſimplicíſſimis uſos, & quaſi uniuſmodi; ab Auguſto vero ad Antoninos quadratis, & perӕquæ proportionis: at quacumque re eum Imperio ipſo ad occaſum vergente, priſtinam elegantiæ ſpeciem formas quoque Romanas amiſiſſe, ** in obliquas ſtatim evaſiſſe, deinde in longos apices productas eſſe, tandem in rudem quandam rationem deſinentes, Gothicas prorſus apparuiſſe.

Hanc caracterum depravationem non modo alibi, ſed apud Gallos etiam obſervare licet; neque ulla Scriptura ex prima Regum noſtrorum *Mabillon. De re Diplom. l. 5.* ſtirpe reperitur, quæ Romanis & barbaris litteris non ſit permixta. Verum quidem eſt ſub Regno Caroli Magni, & Ludovici Pii ſcribendi artem ita florere viſam eſſe, ut ad Auguſti ætatem maxime acceſſerit; ſed non multo poſt irruit in Scriptionem ſecundo, æque ac in Scientias & bonas artes, excuſſa barbaries eo exitu, ut quinque vel ſex ſæculorum intervallo ſolæ Gothorum formæ in MSS. omnibus legerentur.

Tametſi exquiſitus politiorum litterarum guſtus Criticés ſtudium excitaverit; nemini tamen dubium erit, Criticen illarum ſtabilitati & profectui ſubſidia plurima contuliſſe; neque ad eam aſſurgere potuiſſe, qua modo fulgent, dignitatem, niſi iſtius ope & auxilio. Si etenim tanto Humanæ Scientiæ & Optimæ Artes proficiebant, quanto egregia ars noſtra ad ſummum faſtigi um properabat; plane fit, ut Criticé minime revocata, eidem luto hæſiſſent, atque antea hærebant; immo in eo lutulentius demerſæ fuiſſent, ut multorum Sæculorum exemplo teſtatum erat.

* Extant Numiſmata ſub Fabii Victorii Conſulatu excuſa, ducentis quinquaginta circiter ante Auguſtum annis, quæ melius, quam antiquiores, inſculpta ſunt. *Ephem. Sap.* 31. *Januarii* 1684

** Quanto magis ad extrema Imperii Tempora deſcendimus, tanto corruptiora apparent Numiſmata, & Inſcriptiones. Multo pejus efformata ſunt, quæ Diocletiani & Maximiani, quam quæ Antoninorum temporibus tribuuntur: peſſime autem Juſtinis & Juſtinianis regnantibus inciſa. Hæc omnia perſpicua fient Numiſmata conſulenti, quæ Hiſtoriæ ſuæ de Litterarum Romanarum origine & inſtauratione P. Moulínetus affinxit.

AR-

ARTICULUS IV.

De Critices fructibus.

OPUS moverem magnitudine ſua prope immenſum; atque ab inſtituto noſtro prorſus alienum, ſi in animo eſſet, ſingulos in Republica litteraria temporibus hiſce a Critice partos fructus articulatim recenſere. Præcipuorum itaque meminiſſe ſufficiat.

De Manuſcriptis.

Emolumentum primum, & forte ceterorum fundamentum, quæ ab ſtudio Critites in publicum bonum redundarunt, illud profecto eſt, quod ipſius lumine a diuturno pulvere & obſcuritate vindicata ſunt antiqua Textus cum Veteris, tum Novi Teſtamenti, Verſionum Græcarum & Latinarum Manuſcripta, quibus Religio univerſa, & Autores non modo Eccleſiaſtici, ſed profani etiam ſuper re qualibet innituntur.

Hujus veluti præeunte face illuſtria fiunt non pauca inter impreſſos libros, & manu exarata exemplaria diſcrimina: manifeſte deprehenditur, exemplaria hæc non modo quo ad voces tantum, verum quo ad integras Periodos, & non exiguas partes innumeris locis interpolata fuiſſe: edocemur item, non ſemper uno antiquitatis nomine vetera recentioribus Manuſcriptis eſſe anteferenda. Hujus artificio Sapientes nos monitos voluerunt, eas eſſe optimorum MSS. notas; ut ſcilicet vetuſta ſint, emendatiſſima, & niſi Autographa, ab Autographorum ætate ſaltem non admodum disjuncta: diſtinguenda eſſe caracterum & eorundem MSS. ſtructura, neque omnia formis quadratis componi. Quanam denique ratione de Monumentorum veterum iſtorum ætate, qualitatibus, veritate, aut falſitate, deque variantium Lectionum antiquitate, & diverſitate pronunciandum ſit.

Critices Regulæ de Manuſcriptis.

Mabillon. de Stud. Monaſt. p. 2 pag. 287.

Quæcumque redundant ab ſtudio MSS. commoda, omnia accepta referimus Eraſmo, Valeſio, Cotelerio, Allatio, Holſtenio, Vvetſtenio, Lambecio, Huetio, Baluſio; Patribus Poſſevino, Garnerio, Sirmondo, Labbeo, aliiſque celeberrimis e Societate Jeſu; Patri Combefiſio; Patribus item Acherio, Mabillonio, Montfauconio, Ruinartio, Martianæo, Nourryo, aliiſque non paucis e Congregatione S. Mauri, qui vigilias ſuas in prætentaudis Bibliothecis collocarunt; ut infinitum pene Monumentorum nume-

Sapientes, qui in MSS. elaborarunt.

numerum ad vitam veluti revocarent, quæ in pulveris gremio neglecta erant atque ſepulta.

Bibliothecæ MSS.

Erutis itaque, & publicæ utilitati commendatis tot derelictis & ignotis MSS., nonnullæ etiam iſtorum collectiones Bibliothecis ſimiles congregatæ ſunt; ut, re poſtulante, eos poſſent Sapientes conſulere, & aliquo ſaltem pacto vulgare. Poſſevinus inter primos fuit, qui in hanc Meſſem falcem immitteret, appoſitis in fine *Apparatus Sacri* aliquibus Catalogis Græcorum MSS., quæ in Vaticana, Sforzienſi, Taurinenſi, Medicea, aliiſque multis Bibliothecis ſervantur. Labbeus nobis MSS. collectionem dedit ſub titulo: *Specimen novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum*, in qua Regiæ quoque Bibliothecæ MSS. numerantur. Lambecius Hamburgenſis Elenchum MSS. Bibliothecæ Imperatoris Vindobonenſis in octo Volumina digeſſit. Alexander Barvoetius Jeſuita Bibliothecæ Scorialenſis, Antonius Sanderus Canonicus Tornacenſis Belgii, aliique plures præcipuarum Europæ Bibliothecarum Manuſcriptos Codices in Indicem contraxerunt; uti apud Bailletum & Cavium videre licet.

Baill. Judic. Sap. t. 1. part. 1. pag. 240. &c. Cave litter. in Proleg. pag. 25.

De Scripturis Sanctis.

De Textu Sacro, atque Verſionibus.

II. Quandoquidem Divina Biblia locupletiora & pretioſiora ſunt Eccleſiæ monumenta, certum eſt, lumina ſua nuſquam utilius Criticen intendiſſe; quam cum ſumma ſe contulit diligentia ad tot divini Verbi Archetypos Textus edendos; omneſque veteres Verſiones non modo ſeorſim parandas, verum in *Polyglottis* Bibliis recipiendas, quæ ita appellatæ ſunt, quod Autographos Textus, & hujus in alia Idiomata interpretationes complectantur.

Polyglottæ.

Primus omnium hoc immanis revera ponderis onus, excellentiorem revera fructum, & extremum acerrimæ Critices conatum humeris ſuis ſuſtinuit Auguſtinus Juſtinianus * Nobilis Januenſis, a quo tamen Pſalmos duntaxat accepimus Origenis Octaplorum inſtar ** per totidem columnas diſpoſitos.

Alter eſt Cardinalis Ximenius, qui Editionem procuravit Complu-

* Hic Prædicatorum familiæ nomen dedit anno 1487. A Leone X. ad Nebbienſem in Corſica Epiſcopatum aſſumtus, Galliam petiit tempore Franciſci I. In Corſicæ Inſulam remeans ſubmerſus eſt anno circiter 1536.

** Quamlibet paginam in octo ſectiones partitus eſt Juſtinianus. In prima Textum Hebraicum locavit, in ſecunda latinam iſtius Textus Verſionem, in tertia Vulgatam, in quarta Verſionem Græcam, in quinta Arabicam Interpretationem, in ſexta Paraphraſin Chaldaicam Hebraicis caracteribus conſcriptam, in ſeptima Latinam iſtius Paraphraſis Verſionem, in poſtrema tandem breviſſimas adnotationes Judæorum potiſſimum errores refellentes.

tenſis

tenſis Bibliæ, Hebraico textu, & Septuaginta, Chaldaicæ & Latinæ Verſionibus conſtantis. Hæc primo lucem aſpexit anno 1517. Aliam vero Philippi II. juſſu adornatam anno 1573. Antuerpiæ Plantinus excudit. Jajus Polyglottæ ſuæ imprimendæ Pariſiis ſtuduit anno 1645. * Anglica in publicum prodiit aliquibus poſt annis, nimirum 1660. ** : cui adiicias Magnam Bibliam de la Haye V. Voluminibus *in fol.* comprehenſam; & ejuſdem aliam in undeviginti Tomos diſtributam ſub Epigraphe *Bibliæ Maximæ*, quam Prolegomenis, triginta pene Verſionibus, nec non Nicolai de Lyra, Eſtii, Tirini, & Menochii commentationibus illuſtravit.

Miſſa facio tot alia Biblia vernaculis ſermonibus, & præcipue Gallico noſtro reddita, *** quorum utilitatem ab accuratiſſima Critice manaſſe nemo ambiget. Biblia popularibus Linguis reddita.

Fructus tamen per Criticen divinis Scripturis partos oſtendunt præſertim numerus Commentariorum, Diſſertationum, Animadverſionum, Adnotationum, aliarumque ſimilium numerus, quæ in univerſam Scri- Commentaria, Adnotationes, & cætera hujuſmodi in Scripturam.

* Calamitas, in quam incidit egregium Opus hoc, non tollit, quominus omnibus numeris abſolutum habeatur, in quo cum caracterum majeſtate & novitate, tum ſingulari Vitrei ſedulitate ultimos virium ſuarum limites attigerit Typographia.

** Non injuria de Waltonio conqueritur Jajus, quod in fronte amplæ hujus Collectionis nomen ſuum poſuerit, ac ſi ipſius eſſet compoſitor: *Ex Mſſ. antiquis undique conquiſitis, optimiſque exemplaribus impreſſis maxima fide collatis edidit Brianus Vualton.* Inſcribenda citius erat *Nova Editio Bibliorum Pariſienſium*, &c. minimi etenim momenti ſunt ab Anglis addita vel mutata. Nihilominus fateri neceſſe eſt, ob Sextum Volumen Anglicæ Bibliæ additum, quodque diverſas Lectiones, & Criticas animadverſiones cum in utroſque Hebraicos textus, tum in antiquas Verſiones continet, Polyglottam iſtam Pariſienſi non parum præſtare. Memoriæ Trevolt. Martii & Aprilis 1701. pag. 175.

*** Uſque ad XIII. Sæculum nemo Teſtamentum novum Gallice verterat. Suſceptum porro eſt ſub Caroli V. Regno hujuſcemodi conſilium; prima tamen Interpretatio non magnopere quæſita eſt. Tempore autem Franciſci I. Scripturæ Sanctæ Interpretationes per eos, qui *Reformatorum* Eccleſiæ ſibi nomen arrogant, ad hominum exiſtimationem dimanarunt; ut Autor ſit Eraſmus, incredibilem Verſionum Novi Teſtamenti numerum veniiſſe. Clerus Gallicanus anno 1655. ad perficiendam diligentiorem Scripturarum Converſionem Amelotium Oratorii Presbyterum deſignavit, cujus veſtigia ſecuti ſunt bene multi. Ephem. Sap. 26. April. 1666. Gall. P. Le Longus in Bibliotheca Sacra c. 15. narrat Guiartium de Moulinis S. Petri Athenſis Decanum anno 1294. Gallicæ Linguæ communem feciſſe Scripturam, quæ typis vulgata eſt anno duntaxat 1487. Extat adhuc quatuor Evangeliſtarum Paraphraſis per Otfridum Monachum Wiſemburgenſem in Alſatia priſco Gallorum Idiomate condita, & Carminum legibus obſtricta. Hic Rabani Mauri Auditor Sæculo Nono vivebat; ejuſque opus primo editum eſt 8., Baſileæ, anno 1571. *Flacci Illyrici* Opera. Cum vero quampluri mis maculis ſcateat Editio iſta, emendatiorem nobis ſpondet Diedericus de Strada. IX. Ephem. Sap. ad 3. Martii 1710. Gall.

pturam, vel peculiarem ipſius partem confectæ ſunt. Immodicè augeret volumen, ſi quis hujus generis Tractationum Indicem texere vellet: dixiſſe itaque ſatis erit, in iſtarum cenſum venire Polyglottam anno 1599. eruditis Vatabli explanationibus, & Lyrani *Gloſſa* ditatam; *Gloſſam* ordinariam Antuerpianæ Editionis anno 1617., & Duacenſis 1634., complures Catenas, quas inter a Corderio compactam in infimum locum detrudendam non eſſe. His adde duo non prætereunda Opera, Anglorum cura diſpoſita, & publici juris facta. Primum, cui nomen impoſitum *Criticorum Sacrorum* ad decem non modica Volumina *fol.* aſſurgit. Alterum *Synopſis*, ſive Criticorum Epitome nuncupatum quinque *fol.* non excedit. In his ſtudioſe coacervatæ ſunt Scriptorum Animadverſiones, qui Litteræ ſenſum enucleare elaborarunt; eoque ſunt artificio diſpoſitæ, ut ad quodcumque caput, immo verſiculum Veteris & Novi Teſtamenti breviſſima Scholia, Scripturæ verba, Hebraiſmos, &c. explicantia reperiantur. Placuit ipſis duos ejuſdem molis & formæ Tomos inſtar veluti ſupplementi cujuſdam ad *Critica Sacra* adjungere, qui nonnulla Theologorum *Confeſſionis Auguſtanæ* Scripta * exhibent, in quibus nonaginta circiter & ducentæ Criticæ Diſſertationes leguntur, complura Veteris & Novi Teſtamenti abſtruſa loca enodantes.

Bibliotheca Bibliorum.

Si quis tamen certior eſſe amat ſingillatim, quam uberes fructus a Critice perceperint Biblia Sacra, adeat præclariſſimum P. Lelongi Congregationis Oratorii Opus, cui titulus: *Bibliotheca Sacra, ſeu ſyllabus omnium fere Sacræ Scripturæ Editionum ac Verſionum, &c.* Pariſiis, 1709. 2. Vol. 8. Ex hujus nimirum eruditi Viri Catalogo Editionum Textuum Scripturæ Archetyporum, atque Verſionum, quot quot in Linguas ab Europæ incolis nunc uſurpatas, & modo obſoletas effectæ ſunt; ex Autorum enumeratione, qui proximis præſertim ſæculis *Concordias & Harmonias Evangeliorum*, Bibliorum *Concordantias*, Variarum Lectionum collectiones lucubrarunt; ſive alia via de Sacris Litteris bene meriti ſunt, erit judicandi locus, Criticen nunquam tot aliorum Studiorum, æque ac iſtius commodis providiſſe, neque nos proviſuram magis ſperare potuiſſe.

* Hujus Operis titulus eſt. *Theſaurus Theologico-Philologicus, &c.* Scriptores Monumentorum Trevoltienſium menſibus Januarii & Februarii 1701. art. X. complura animadverterunt in priorem Tomum Ultrajecti eodem anno excuſum: videlicet de iſtarum Diſsertationum ſtylo, de exaggerata plus æquo Hebraicæ Linguæ neceſſitate, de eo, quod ajunt, inter Eccleſiæ Patres Origenem, Epiphanium, & Hieronymum tantummodo Scripturæ intellectum aſsequi potuiſse; de Conſilio demum, quod ſibi Doctores iſti propoſuerunt, &c. Eadem Trevoltientia monumenta adnotationes in iſtius Tomi proœmium adjecerunt, Theologoſque iſtos in pluribus exceſſiſse concluſe redarguunt.

Quem-

Quemadmodum qui ad ceteras diſciplinas capeſſendas, nullis antecœptis rudimentis, aggrederetur, idem diſcrimen ſubiret, atque ille, qui Maria trajecturus, navim nullo munitam gubernaculo conſcenderet; ita hoc de divinarum Studio Litterarum ſentiendum eo magis erit, quo iſtud aliis omnibus humanis eſt dignitate præſtantius, utilitate ſalubrius, difficultate operoſius. Hac ſane in re graviorem Litterariæ Reipublicæ operam Critice navavit; cum non modo acie ſua tot ornatas Textus Sacri, & Verſionum Editiones, non modo tot ad litteram aperiendam, ſenſuſque explicandos volumina nobis ſuppeditavit; verum etiam rem auxit publicam copioſis Tractatibus, ad expediendam Divinæ hujus Sapientiæ viam peropportunis, quæ a Scholaſtica facultate per ea tempora Scholarum præpotenti Domina de gradu dejecta fuerat. Scripturum Prolegomena.

At ex quo flagrare rurſus viſum eſt Sacra Biblia inveſtigandi deſiderium: ecce præſidio Critices typis commiſſæ *Claves*, *Introductiones*, *Prolegomena*, *Proœmia*, *Diſquiſitiones*, *Exercitationes Criticæ*, *Apparatus*, aliaque id genus ſcripta, Tyronum profectui ſuper hac re, ut nihil magis, conſentanea.

Ne morer in commemorandis Sixto Senenſi, Arria Montano, Salmerone, Serrario, Bonfrerio, Andrea Maſio, Joanne Deſpieriæo, Patre Morino, Simeone Muiſio, Sancte Pagnino, Ludovico Tena, aliiſque pluribus, qui propter doctiſſimos in rem hanc libros nomina ſua celebrarunt; paucis ab hinc annis prodiiſſe compertum habemus de eodem argumento egregia multa: uti Demonſtrationem Evangelicam Huetii; Simonii Hiſtoriam Criticam Veteris Teſtamenti, omneſque alios ejuſdem libros; P. Fraſſenii Diſquiſitiones Biblicas. Apparatum Lamii; Iuſtitutiones Biblicas Hamelii; Diſſertationes Hiſtoricas & Criticas de Scriptura Sacra Petit-didieri; Dupini Prolegomena ad Vetus & Novum Teſtamentum; Bibliothecam Critices Sacræ P. Cherubini Carmelitæ Excalceati & Prolegomena, quorum non ita pridem quintum edidit Volumen, aliaque brevi editurus eſt, uti fidem ſuam publice obligavit; Diſſertationes a Calmeto Operi ſuo de ſenſu Scripturarum litterali affixas, quibus addas Huræi *Novum Teſtamentum regulis illuſtratum*; *ſeu Canones Scripturæ Sacræ certa methodo digeſtos*, ad Novi Teſtamenti intelligentiam potiſſimum accommodatos. *1696.* & ejuſdem *Grammaticam Sacram*, ſive præcepta ad percipiendum in Scripturis litteræ ſenſum 1707.

Proteſtantes quoque hujus generis Operibus inſtiterunt, eorumque labores magnis uſibus eſſe poſſunt. Eorum quod attinet ad hæc, poſt revocatam Criticen excellentiores haberi poſſunt Flacius Illyricus, Sixtinus Amama, Vittaherius, Schikardus Hoſtingerius, Buxtorfi, Ludo-

Digitized by Google

vicus Capella, Uſſerius, Voſſii; & Cl. Waltonus, cujus ad Bibliam Prolegomena Opus ſunt inter abſolutiora, quæ hac de re ſuperſint, merito recenſendum. *

Neque vero iſtis tantummodo beneficiis divinorum Librorum ſtudium foventibus per Criticen lætamur. Cum Archetypus antiqui Teſtamenti Textus Hebraice ſcriptus fuerit, Novi autem Græce, ſi Evangelium Matthæi, & Epiſtolam ad Hebræos excipias, quæ Siriaco ſermone exarata creduntur; priores denique Verſiones Orientis Linguis confectæ fuerint, iſtas cognoſcere opus erat illi, qui Scripturæ Litteram comprehendere amabat: idque eo magis, quo cum ex Hebraici & Græci corruptione coaluerint fortaſſis Linguæ iſtæ, ſive a populis Hebraicæ & Græcæ genti finitimis uſurpatæ fuerint, non poterat non illarum cognitio ab iſtarum notitia pendere.

Grammaticæ aliaque Opera pro Linguis Sanctis.

Atqui id quoque ſubſidii in promtu eſt temporibus noſtris. Cum etenim Critice politum & limatum judicium in Litteratorum animis rurſus inſeruiſſet, Linguarum amor illico oriri cœpit, quibus comparandis ut aditus pateret, innumera ferme Opera elaboranda curavit: E. G. *Grammaticas*, *Theſauros Grammatices*, *Rudimenta*, *Compendia Linguæ ſanctæ*, *Dictionaria*, *Lexica*, *Concordantias*, & ſimilia his.

Ephem. Sap. 23. April. 1702. Gall.

Buxtorfius Pater felicitate tanta Hebraicæ linguæ dedit operam; ut quicumque poſt eum in eandem arenam deſcendit, nihil præſtiterit aliud, quam ipſius librum, qui revera Theſaurus eſt, vel exſcribere, vel contrahere. Idem Buxtorfius ejuſdemque filius nonnulla ad Chaldaicam, & Syriacam Linguas documenta ſtatuerunt: hanc vero Georgius Amira & Ludovicus de Dco ad faſtigium deduxerunt. A. P. Motino Oratorii Præsbytero Sammariticam Grammaticam primo accepimus, a Chriſtophoro Cellario deinceps, aliiſque paucis; Arabicam ab Erpenio, Waſmuthio, Georgio Mayro, & Thoma Fourio ex Congregatione Sancti Mauri; Æthiopicam a Ludolpho; a P. Angelo Carmelita Diſcalceato Perſicam tandem, cui anno 1684. Lexicon copulavit ſub titulo *Gazophylacii* Linguæ Perſarum. Magno item in pretio habentur Com-

* Licet in hujus operis gloriam venerit Waltonius, ipſi tamen revera illorum compoſitio nullo modo tribuenda eſt, ſed Pearſono, Caſtello, & nonnullis aliis eruditis Anglorum *Proteſtantibus*, quos *Epiſcopales* vocant. Id tantum enixus eſt Waltonius, ut ſcilicet in unum redigeret, quæ a Sapientibus Anglis illis lucubrata fuerant, apponenda in limine ipſorum Polyglottæ, ſive potius Jajanæ ab his rurſus impreſsæ. Mem. Trevolr. Maii, & Aprilis 1701. pag. 174. Non deſunt qui affirment Waltonii Prolegomena plurimos Articulos a Catholicis, immo Jeſuitis, excerptos complecti; atque in hæc, quamvis ne nominetur quidem, Tirini ſenſa de *Idiotiſmis* Linguæ Hebraicæ ad verbum tranſlata fuiſse.

pcn-

pendium & Theſaurus Linguæ Sanctæ Sanctes Pagnini: Tractatus Contractionum Hebraicarum Joannis Buxtorfii; ejuſdem Dictionarium Hebraico-Chaldaicum, Liber de Vocalibus & Accentibus Hebræorum, aliaque in idem argumentum ab eo vulgata Opuſcula. Minoris non ſiunt *Lexicon Pentaglotton*, Typis Francofordienſibus 1612., *Concordantiæ* Hebraicæ Buxtorfii; Græcæ Roberti Stephani; Græcæ & Latinæ Novi Teſtamenti Genevæ excuſæ anno 1624.: poſtremo Methodus addiſcendi & docendi Grammaticam, aut Linguas ad Scripturam Sacram pertinentes eo pacto, ut quælibet ad Hebraicam revocetur, Autore P. Thomaſſino. 2. Vol. 8. Pariſiis 1690. Quæ quidem omnia maximo videntur eſſe adjumento iis, qui Sanctis imbui Linguis amant, quæ ante amœniorum Litterarum inſtaurationem negligebantur, & quarum exquiſitum ſtudium Criticees luminibus tribuendum eſt.

Tametſi odioſa oſtentatione jactent frequentius *Proteſtantes*, ſe hujus Litteraturæ generis primos Magiſtros extitiſſe; atque illud a Catholicis ſegnius prætermiſſum, ipſorum præſertim cura eo uſque proceſſiſſe, quo elatum in præſens eſt: nullius tamen negotii eſſet oſtendere, hujuſmodi honorem Orthodoxis legitime deferendum eſſe.

Proteſtantes minime ſunt primi Linguarum Sacrarum Magiſtri.

Cui profecto non liquet, Nicolaum de Lyra, Raymundum Martyrem, Porketum Salvagum, Paulum de Burgos, Auguſtinum Juſtinianum, alioſque Theologos ad Complutenſem *Polyglottam* emendandam a Ximenio Cardinali adhibitos, nec non Hæreſi Lutherana antiquiores, Linguarum tamen Orientalium periciſſimos fuiſſe? Quem præterit, Picum Comitem Mirandulanum in Italia, & Joannem Capnionem, ſive Reuchlinum in Germania ætate præceſſiſſe Calvini ab Eccleſia defectionem? Conradus certe Pellicanus Zuinglii ſectator, & Sebaſtianus Munſterus non prius ab Hæreticis Hebraicæ Critices Doctores habiti ſunt, quam S. Franciſci familiæ & Eccleſiæ Romanæ transfugæ eſſent: immo ante eos non pauci ex Sancti Dominici familia in Hebraici Sermonis ſtudio verſati erant, quod ut credamus, *Pugio Fidei* Raymundi Martini firmiſſimo eſt argumento. Denique nullam Polyglottam reperire erit, nè illam quidem Londinenſem ad Pariſienſis normam exactam, præter Waltonii Prolegomena; de qua Catholici optime meriti non ſint.

Simon in reſponſ. ad nonnullos Theologos Batav. c. 2. Gall. Lectio Patrum pag. 119. Gall.

Monumenta Trevol. Menſibus Jan. & Feb. 1771. art. 11. Gall.

De Conciliis.

III. Cum Conciliorum Canones tamquam firmæ rātæque Fidei & Moralis diſciplinæ leges ſemper ſint habiti; nullum majus poterant Critici homines officium Eccleſiæ perſolvere, quam illuſtri Artis ſuæ ſplendore pretioſis Monumentorum iſtorum Collectionibus inſudare, eaſdemque

que notationibus & animadverſionibus explanare: quod ſane feliciter præſtiterunt; nobiſque elegantes Conciliorum, Canonum Apoſtolicorum, Epiſtolarum Pontificum, Epiſcoporum, & Principum, ad Synodicam Hiſtoriam ſpectantium, Editiones compararunt, iis omnibus accuratiores & ampliores, quæ cum in Eccleſia Græca, * tum Latina ** ante typorum uſum congregatæ fuerant.

Conciliorum Collectiones. Longius abirem, quam par eſt, ſi de commemorandis ſingulis a Criticæ partis in rem Conciliorum egregiis emolumentis cogitarem. Tantum igitur dicam, Merlinum natione Gallum primam Conciliorum Editionem duobus Voluminibus *in fol.* comprehenſam Pariſiis anno 1524. dediſſe. Crabbius Franciſcanus, inventis quinquaginta plus Conciliorum MSS. aliam Merliniana ampliorem collegit, & Coloniæ tribus. Vol *in fol.* anno 1538. vulgavit, quam deinde anno 1551. pluribus magni momenti additionibus auxit.

Surius anno 1567. 4. Vol. *in fol.* Crabbianam Collectionem multorum MSS. fide caſtigatam, multiſque rebus ditatam Coloniæ recudendam curavit. Porro Veneti hanc Surii Editionem ſibi in exemplar propoſuerunt anno 1585. & non paucis locupletarunt. Collectio Græco-Latina Conciliorum Generalium a quibuſdam Eruditis Romanis emiſſa anno 1608. 4. Vol. *in fol.* quamplura Græca Monumenta tunc primum edita complectitur; & quamvis Editio hæc nova omnibus aliis retractatior habeatur; dolent tamen vehementer Critici, ipſius compoſitores veterum Latinarum Interpretationum ordinem & Textum pene undique ſubvertiſſe; atque eorum, a quibus peractæ fuerant, peculiares animadverſiones ſuſtuliſſe.

* Quatuor extant veteres Græcæ Conciliorum Collectiones. Prima lucem aſpexit anno circiter 385., quam aliqui Stephano Epheſino Epiſcopo; alii Sabino Epiſcopo Heracleenſi ex Macedonianæ Sectæ Coryphæis aſcribunt; quidam vero ipſius Autorem incertum eſse cenſent. Altera prodiit hoc titulo: Codex *Canonum Eccleſiæ univerſæ* non multo poſt Calcedonenſe Concilium anno 451. coactum. Tertia Trullenſis Synodi Decreto confecta eſt anno 692. Quarta *Nomocanon* apellata Photium Patriarcam Conſtantinopolitanum Autorem præſefert, ab eoque anno circiter 880. conſcripta eſt.

** Quatuor pariter ſunt præcipuæ Eccleſiæ Latinæ Collectiones. S. Leo Concilii Calcedonenſis ætate æqualis in animum induxit, ut Latinam Collectionem perficiendam curaret. Cum autem ad illam diem Nicenos tantum Canones Eccleſia recognoverit, Dionyſius Exiguus ſecundæ incubuit. Tertiam S Iſidoro Hiſpalenſi acceptam referimus, qui præcipuis Africæ, Galliarum, Hiſpaniæ, immo Romæ in unum redactis Conciliis, ea ceteris antea editis addidit. Quarta tandem ejuſdem S. Iſidori, ſive *Iſidori Mercatoris* opus eſt. Non defuerunt aliæ quædam ante Typographiæ inventum Conciliorum Collectiones; uti *Ferrandi* Diaconi Carthaginenſis, S Martini Epiſcopi Braccarenſis in Hiſpania, Criſconii Epiſcopi Africani, &c.

De-

Decem elapſis annis, Binius ad illius Romanæ calculos revocavit Editionem illam, quæ Coloniæ quinque Vol. *in fol.* per illum emanaverat. Hæc autem ob amplitudinem ſuam cunctis exinde aliis prælata eſt; & Coloniæ apparuit Græce & Latine anno quidem 1618. in novem, anno vero 1636. in decem Tomos *fol.* diſtributa. Cæterum Luparenſis Editio Voluminum multitudine ad triceſimum ſeptimum crevit numerum; quique illi navarunt operam, a Binii typo non recedentes, ab eo nihilominus non paucos nævos detraxerunt. Hujus Editionis excellentia non obfuit quominus in Litteratorum manibus Binienſis verſaretur, quo factum eſt, ut exemplaribus pene omnibus brevi abſumtis, novam Conciliorum Collectionem ſuſceperit Labbeus. Antequam decederet anno nempe ineunte 1667. octo priores Tomos publica luce donaverat; in cujus laborem ſuffectus Coſſartius immane opus duodeviginti voluminibus *in fol.* conſtans, ſi Jacobatii Tractatus decimum Octavum implentes comprehendas, anno 1672. ad umbilicum perduxit.

Novam Conciliorum Collectionem in animum induxerat Baluzius, cui muneri perficiundo plurima ſepoſita habebat monumenta, partim deceſſoribus ſuis omnino ignota, partim ad illam diem nunquam edita, partim etiam aliis Collectionibus non inſerta. Primum hujus Operis Tomum dedit anno 1683. nuncupatum: *Nova Collectio Conciliorum*. In præſentiarum autem noviſſima alia ab Harduino elaborata, & ſcholiis inſignita ſub prælo eſt Luparenſi, & proceſſit longius.

Abs re non eſt mentionem facere Collectionis Conciliorum Generalium a P. Lupo, appoſitis adnotationibus, in quinque Tomos tributæ; & primum Lovanii anno 1665., deinde Bruxellis anno 1673. editæ; Conciliorum Hiſpaniæ a Garſia animadverſionibus inſignitæ unius vol. ambitu *in fol.* anno 1593., Conciliorum Galliæ a Patre Sirmondo elaboratæ anno 1629. tribus vol. *in fol.*, atque aliarum Multarum Nationum, nec non Provinciarum, quarum ſynodos eruditi Viri coegerunt. Nos manet itaque unum aut alterum verbum ſubiicere de Criticorum ſtudiis in Apoſtolorum Canones, & Pontificum *Decretalia* collatis.

Anno 1550. formæ Pariſienſes unico Vol. *in* 4. Græcam Canonum Apoſtolicorum Collectionem protulerunt; anno vero 1618. iidem Canones a Joanne Zonara illuſtrati alio volumine *in fol.* prodierunt. Extant elegans Diſſertatio *Voſſiide tribus Symbolis*. *Amſtelodami* 1642. & 1662. *in* 4. *Uſſerii Diatriba de Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico veteri, aliiſque Fidei formulis*. Londini 1647. & Oxonii 1660. *in* 4. Gilleſii Stanehii Hiſtoria Symboli Apoſtolorum Wirtembergæ 1668. *in* 4. Collectio *Decretalium* Pontificum. Romæ 3. Vol. anno 1591. Collectio tandem Antonii Auguſtini in duos majoris molis Tomos Canones Apoſtolorum.

par-

Digitized by Google

partita, & in ſeſe continens Apoſtolorum Canones. Concilia Generalia Eccleſiæ Græcæ probata, cum Scholiis Balzamonii, Zonaræ, & Ariſteni; Epiſtolas Canonicas Patrum Græcorum, & Collectionem Blaſtarenſem, adjectis univerſo huic operi egregiis Beveregii obſervationibus.

De Autoribus Eccleſiaſticis.

IV. Si nobis licet in hoc gloriari, quod ætate noſtra omnia ferme Autorum Eccleſiaſticorum Opera poſſideamus, tot accuratis nitidiſque typis vulgata; atque a tot mendis, * quæ Librariorum olim inſcitia, aut oſcitantia, & Hæreticorum fraude contraxerant, purgata: ſi tot exquiſitæ Critices regulæ conſtitutæ ſunt ad vera, & falſa ipſorum ſcripta ſecernenda: ſi ſolerter atque prudenter diſcurſum eſt de Scripturarum ſtylo, doctrina, & citationibus; de Materiei propoſitæ tractatione; de temporum, locorum, perſonarum, negotiorum & peculiarium factorum adjunctis: Si Opera a nonnullis Autoribus ſubrepta, & alienis ſuppoſita deprehendimus, eaque legitimis Dominis reddidimus: ſi poſtremo præcipuorum Scriptorum Eccleſiaſticorum monimenta eruditis animadverſionibus, Proemiis, declarationibus, & Diſſertationibus ditata legimus, atque Græcorum Patrum in Latinam, Græcorum & Latinorum in Gallicam Linguam verſa: hoc totum quantum eſt commodi Criticæ poſteriorum Sæculorum facultati debemus.

Editiones Græcorum Patrum.

Rem porro ita ſe habere luculentiſſime confirmant Editio Epiſtolarum Divi Ignatii ab Uſſerio & Voſſio confecta; earundem Epiſtolarum defenſio a Pearſono ſuſcepta; Collectio Græco-Latina Patrum Priorum Sæculorum a Cottelerio inſtructa; Commentaria Origenis ab Huetio, Hiſtoria Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Theodori Lectoris, Philoſtorgii, & Evagrii, nec non Euſebii Libri de Præparatione & Demonſtratione Evangelica a Valeſio in lucem educti; Chronica Scaligeri; Epiphanius, Cyrillus Hieroſolymitanus, & Syneſius Petavii; S. Ioannes Cryſoſthomus Frontoni Ducis, & Savilii; *Palladius* de Vita S. Joannis Cryſoſthomi Bigotii; S. Dioniſyus nomine *Areopagita* Corderii e Societate Jeſu; Theodoretus Sirmondi, & Garnerii ſupplementum; Sanctus Maximus Combefiſii; S. Joannes Damaſcenus a P. Le-Quieno Dominicano recens ëmiſſus; Euſtachius Græco-Latinus Allatii; & S. Ephrem pariter

* Decus ampliſſimum Eraſmo eſt quod omnium primus periculum fecerit, Patrum Eccleſiaſticorum Opera Critices lance ſuſpendendi, atque ab eorum exemplaribus infinitas maculas abſtergendi. Baill. Judic. Sap. t. 2. p. 2. art. 3. pag. 130. Autor Lectionis Patrum multa eſſe argumenta ait, cur fidem noſtram derogemus Eraſmi Editionibus, ad annum circiter 1516. inceptis: conjecturæ enim ſuæ plus ſatis detulit. Parte 4. c. 7. pag. 540.

Græ-

Græcò-Latinus Gerardi Voſſii. Hæ omnes tot vigiliarum & laborum impenſis comparatæ Editiones, ut illuſtria fierent Patrum Græcorum Opera, ſatis ſuperque conficiunt, id verum eſſe, quod a nobis ſuperius dictum eſt.

Non minoribus autem beneficiorum vinculis Critice obſtricti ſumus, quod ad Latinos Patres attinet. Nonne per ipſam accepimus Tertullianum Regaudi & Renani; S. Cyprianum noviſſime Editionis Anglicanæ; S. Optatum Aubepini, & Dupini; *Commonitorium* Vincentii Lirinenſis, Salvianum Maſſilienſem, Agobardum Lugdunenſem, Cæſarium Arelatenſem Baluzii; Marium Mercatorem Garnerii; S. Leonem Queſnellii; S. Fulgentium Theophili Raynaudi; Sydonium Apollinarem Savaroni, & Sirmondi; æque ac plures alios Eccleſiæ Scriptores a Cl. hoc *Jeſuita* explicatos; S. Paulinum, & S. Fulgentium Chiffletii; Marculphum Bignoni doctis notationibus auctum; Petrum tandem Bleceenſem Gouſſenvillii? *Editiones Patrum Latinorum.*

In hunc cenſum referre poſſem *Venantium Fortunatum* Brovverii; S. Iſidorum Hiſpalenſem Margariti de la Bigne; Epiſtolas Gerberti, Papyrii Maſſoni; S. Anſelmum P. Gerberoni, Epiſtolas Stephani Tornacenſis, P. Molineti Canonici Regularis Sanctæ Genevieſæ; atque id genus opera plurima per hos vel alios Autores monumentis publicis conſignata; atque ipſorum induſtria, eruditione & Critice in clariori luce collocata. Quandoquidem id nunquam mihi onus impoſui; ut quæcumque Eccleſiaſticorum Scriptorum Operibus illuſtrandis præſtita ſunt ſingillatim perſequerer: propterea vel leviter attingo adhibitam in rem hujuſmodi diligentiam a Patribus Pouſſineſio, & Labbeo, ab Holſtenio Homburgenſi, a P. Radero, a Joanne Buſæo Noviomagenſi ex Societate Jeſu, pluribuſque aliis. Prætermittendum non eſt quidquid Patres Benedictini ex Congregatione Santi Mauri contenderunt, ut pulcherrimis celebriorum Patrum Editionibus Eccleſiam locupletarent. Iſtorum aſſiduitate & cura in noſtras manus venerunt Sancti Ireneus, Athanaſius, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Gregorius Turonenſis, Caſſiodorus, Lanfrancus, S. Benedictus Anianenſis, S. Bernardus; quin aliorum multorum calculum ſubducamus, quos e Bibliothecarum tenebris in lucem vocarunt hujus Congregationis Monachi.

Suo quodam jure ſibi aſſumit Critice tot Patrum Scripta in Gallicam Linguam converſa. Circumferuntur nonnulli Tertulliani & S. Cypriani Tractatus. Alium *de Morte Perſecutorum* Lactantio tributum Interpretatus eſt Macroixius; S. Baſilii Moralem doctrinam, & complura S. Joannis Cryſoſtomi, & S. Auguſtini Opera Hermannus; omiſſiſque non paucis, Hieronymi Epiſtolæ, Vincentii Lirinenſis *Commonitorium*, Caſſianus, S. Joannes Clymacus, S. Gregorii Magni Dialogi & Morales Libri, nonnulla tandem D. Bernardi Opuſcula Gallice reddita ſunt. *Interpretationes Patrum in Gallicam Linguam.*

Collectiones Operum Patrum.

Non modo Autorum Eccleſiaſticorum Opera ſeorſim impreſſa, verum etiam in unum Corpus redacta Critices luminibus referenda ſunt. Prima quæ hac de re typis commiſſa Collectio eſt, nomen tulit *Orthodoxographiæ* anno 1555. Baſileæ, unico Vol. *in fol.* quæ deinceps diverſis Operibus aucta, octo Voluminibus *in fol.* comprehenſa, & Margariti de la Bigne Doctoris Sorbonici ſtudio Pariſiis excuſa anno 1576. *Bibliotheca Patrum* appellata eſt. Huic anno 1579. Nonum Volumen; anno vero 1610. Decimum & Undecimum adjuncta ſunt. Eadem Collectio ſub titulo *Magna Bibliotheca Veterum Patrum* Coloniæ primum 15. Tomis anno 1622.; Pariſiis deinde duodecim Tomis Græce & Latine promulgata eſt, cui trium Voluminum *Actuarium* Combefiſius adjecit. Demum Compoſitio hæc Lugduni anno 1677. prodiit ſequenti Epigraphe: *Maxima Bibliotheca Veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum*, 27. Vol. *in fol.* Ex eo tempore P. Nicolaus Nourrius ex familia S. Benedicti Congregationis Maurinæ Opus pollicitus eſt, ut Bibliothecæ Lugdunenſi viam veluti ſterneret, quod inſcripſit hoc pacto: *Apparatus ad Bibliothecam Maximam Veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Eccleſiaſticorum Lugduni editam; in quo quidquid ad eorum Scripta & doctrinam varioſque ſcribendi & docendi modos pertinet, Diſſertationibus Criticis examinatur & illuſtratur*. Prior tomus, in quo de Patribus duorum primorum Sæculorum, atque de Univerſis S. Clementis Alexandrini Operibus inſtituitur diſputatio, typis impreſſus eſt anno 1703. Hic ſequentium movet expectationem, qui certe ad Eccleſiaſticam doctrinam plurimas habebunt opportunitates.

Inter Collectiones ſimiliter Operum Patrum ſedem occupare poſſunt tredecim Volumina *Spicilegii* Cl. Patris Dacherii, *Analecta* celebris P. Mabillonii, & Docti Baluzii *Miſcellanea*.

Bibliotheca Autorum Eccleſiaſticorum.

Neque vero hucuſque tantum Litterariæ Reipublicæ commodis, quod attinet ad Eccleſiaſticos Scriptores, conſuluit Critice: excellentiorem adhuc rationem excogitavit. Siquidem cum difficile admodum factu ſit, Autoris alicujus mentem probe tenere, quin intimas ejus conditiones aſſequaris, indolem, ſcribendi modum, inſtitutum vitæ, negotia adminiſtrata, illorum temporum Hiſtoriam, germana, ſuſpicioſa, aut falſa ejus Opera, quæ ætatem tulerint, quæ autem minime, ejus denique caſtigatiores Editiones: opus ſane erat ſubſidia multa eaque graviſſima comparare, quibus ad illorum cum perfectam intelligentiam ſemita expediretur, tum facilem exercitationem. Huic neceſſitati obviam ivit poſtremorum ſæculorum docta & accurata Critice, compluribus Scriptorum Eccleſiaſticorum in publicum propoſitis Bibliothecis, unde tot redundant emolumenta.

Indi-

Digitized by Google

Indicibus itaque hujuſmodi conficiendis incubuerunt Euſebius, Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Ildephonſus Toletanus, Sigebertus Gemblacenſis, Honoratus Auguſtodunenſis, & Henricus Gandavenſis, quos collegit Aubertus Miræus, atque Antuerpiæ anno *1639.* prelo dedit. Ceterum longe minoris faciendi ſunt iſtorum labores, quam ii, quos, evecta jamdudum ad ſublimiorem gradum Critica facultate, eruditi homines ſubierunt.

Ut Abbatis Trithemii Catalogum prætercam, Sixti Senenſis *Bibliothecam Sactam*, Conradi Geſnerii *Bibliothecam & Pandectas*, nec non quidquid præſtiterunt ii, qui ipſum ſecuti ſunt, quique contraxerunt: exploratum eſt ab ineunte ſæculo elapſo multas hujus generis Bibliothecas omnibus, quotquot prodierant, elaboratiores & accuratiores in vulgus emanaſſe. Hujus Claſſis ſunt P. Poſſevini *Bibliotheca ſelecta*, & *Apparatus Sacer*; Cardinalis Bellarmini Tractatus de Scriptoribus Eccleſiaſticis; Index Univerſalis Fabiani Juſtiniani Januenſis ex Congregatione Oratorii; Labbei Jeſuitæ *Diſſertatio Philologica & Hiſtorica*; Sculteti in quatuor priorum Sæculorum Patres Opus; Rivetii ſex priorum Eccleſiæ ſæculorum *Critica Sacra*; Guillelmi Cave Hiſtoria Litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum Editionis præſertim anni 1705. priori copia & correctione præſtantis. Dupini tandem Bibliotheca iſtis omnibus, ſicuti ætate poſterior, ita plurimis Autoribus, ab aliis ne indicatis quidem, uberior. Aliunde tamen tum Hiſtoriæ integritate, tum Scriptorum Analyſeos accuratione, tum Critices acumine, tum judicii ſoliditate, tum denique rerum amplitudine, omnium abſolutiſſima paſſim exiſtimatur: quamvis non inficias iverim eum in hoc vaſtiſſimo decurrendo ſtadio aliquando temere incurriſſe, aut lapſum eſſe, quod a Criticis non ſemel animadverſum eſt.

Fieri nullo modo poteſt, ut quicumque Autorum ſive totius Eccleſiæ, ſive ſingularis Nationis aut Ordinis Elenchos exquiſitæ Critices præſidio dederunt, huc traducantur. Si cui tamen placeat, ipſorum nomina cognoſcere, ea in *Bibliotheca Bibliothecarum* Labbei reperire erit.

De Ephemeridum Scriptoribus.

V. Illud Operum genus, quæ in manibus Litteratorum verſantur ſub titulo *Ephemeridum Sapientum*, *Reipublicæ Litterariæ*, *Bibliothecæ Univerſalis*, *Hiſtoriæ Operum Eruditorum*, *Monumentum &c.*, id peculiare præ aliis habet, quod intra Scriptorum Eccleſiaſticorum fines non coercetur, ſed ad excutiendos ſeveriori Critice omnes Scientiarum, Artium, aut factorum libros late vagatur.

Tametſi immortale hoc facinus ex Nobilioribus magnæ Artis Noſtræ fructibus, immo extremus revera Critices conatus ſit: ejus nihilominus dignitatis gratia fateri neceſſe eſt, ipſum ad illam perficiendam plurimum contuliſſe. Selectæ namque Epitomæ, quas complectuntur hujuſmodi Libri, ſaluberrima monita identidem tradita, rectæ Critices regulæ ubique aſperſæ, graves tandem & plane docentes conſiderationes, quas undique redolent: hæc omnia Litterarum felicitatem in melius quotidie provehunt. Ii etenim, qui volumen aliquod publico judicio commiſſuri ſunt; rati, quod iſtorum Criticorum ferulæ ſe ſuaque non ſubducent in rerum ſuarum perfectione ſectanda nervos omnes contendunt, præclariſſima accuratæ lucubrationis ſibi ob oculos poſita exemplaria imitari ſatagunt; atque Operum iſtorum lectione politam quandam ac limatam ſentiendi vim animo informant, quæ deinceps cuilibet ſcribendi argumento facile accommodatur.

Origo Ephemeridum Sapientum. *Ephem. Sap. 30. Martii 1665.*

Tanti Operis inventor ac Princeps fuit præclariſſimus Dionyſius de Sallo; * cujus primam veluti adumbrationem appellatam maluit anno 1664. ** *Ephemerides Sapientum*: ſequentis vero anni initio ejuſdem ſpecimen obtulit, ſuppoſito *Domini de Hedouville* nomine; conſilio ductus, ne ſuum præſeferret. Hinc ipſi cauſſa gaudendi fuit; quod inſtitutum ſuum, eodem vertente anno, compluribus Europæ partibus acceptum & uſurpatum; immo opus ſuum in diverſas Linguas converſum viderit.

Præf. Ephem. Sap. 4. Januarii 1666. Gall.

Ab ipſo anno primo vehementer homines de præpotenti libertate conqueſti ſunt, qua in cujuſcumque generis libros ſententia ferebatur. Hac de re propoſitum mutavit Abbas Galloixius, anno 1666. ſucceſſor Sallii, qui ultra Ephemeridem XIII. non proceſſit; adeoque deinceps Librorum ſynopſin perſecutus eſt, quin aliquam ipſis cenſoriam notam inureret. Galloixium, anno 1674. exeunte, Abbas Rochenſis, atque hunc pariter Præſes Couſinus excepit.

Ephemeridum Sapientum inſtauratio.

Sub initium hujus ſæculi Regis Cancellarius, non minus de Scientia-

* Dionyſius de Sallo Courteriacenſis Dominus natus eſt Pariſiis anno 1626. generoſa & pervetuſta Pictavienſium ſtirpe profectus, & inter quinque filios Jacobi de Sallo in Aula Magna † a conſiliis primogenitus. Anno 1652. Pariſienſis *Parlamenti* Conſiliarius renunciatus, tamquam Legum Oraculum ab omnibus ſuſpiciebatur. Nonnullis editis Tractationibus de Legatis, de Nominibus, de Sigillis, diem obiit Pariſiis anno 1669. propequinquagenarius.

† en la Grand' Chambre.

** Inventi hujus in gloriam venit Photius, ſi Junckero, & Conſtantino Wolfio fides eſt. Iſte opinionis ſuæ propugnandæ gratia latinam Diſſertationem prodidit, cui titulus; *Conſtantinus Vuolfius de Photio Ephemeridum Eruditorum inventore. Vu rtemberga.* 1689. in 4. Animadvertit tamen, neque injuria, Monumentorum Trevoltienſium Auctor, doctos Germanos iſtos nimium Photio concedere; cum ejus Bibliotheca ab Ephemeridum natura longe differat.

rum

rum ac Humaniorum Litterarum profectu, quam de Regni adminiſtratione & Legum obſervantia ſollicitus, Litteratorum hominum ſocietatem inſtituit, * qui ad urgendum opus enixe contenderent. Abbas autem Bignonus ita in diſciplinas omnes bene animatus, ac Cancellarius Avunculus ejus, hunc Studioſorum Conventum ſemel in Hebdomaba domi ſuæ convocare curavit; ut ante oculos ſuos egregium Opus creſceret, & documentis ſuis perficeretur. Prima hujus illuſtris & Sapientis Societatis Ephemeris vulgata eſt die Lunæ Menſis Januarii 1702. Gall.

Ceterum cogitatum hoc totius Regni plauſibus, atque exterorum etiam populorum ſuffragiis exceptum eſt. Nonnulli illud Latino, Italico, & Germano ſermoni commune fecerunt: alii autem quidpiam ſimile exprimere moliti ſunt. Inter eas, quæ in Sallii veſtigiis inſtiterunt, eminent Ephemerides Anglicæ, Italicæ, Germanicæ, Batavæ, & Trevoltienſes. ** Anglica conſtituta eſt anno 1665., nomenque adepta *Philoſophicarum Tranſactionum*; eo quod nihil aliud penſi habeat præter nova Phiſices detecta arcana. Incepit Romana anno 1668. Abbatis Nazarii operis, & Cardinalis Maximi auſpiciis. Lipſienſis jacta ſunt fundamenta anno 1682. autore Sapientiſſimo Menchenio in eadem Academia Moralis diſciplinæ Profeſſore. Batavienſis, cui viam ſtravit Baylius, apparuit primo Menſe Martii anni 1684. modicis voluminibus *in* 12. comprehenſa, & inſcripta: *Narrationes Reipublicæ Litterariæ*; quam a Baylio in exitu Februarii 1687. intermiſſam, ex ejus amicis nonnulli ad Aprilem 1689. perduxerunt. Tum vero penitus dimiſſa eſt uſque ad annum 1699., quo incipiente, Bernardus rem ad manus revocavit, & in incepto ſtetit uſque ad annum 1710.: deinceps perpetuo ſiluit †. Duo item apud Batavos Ephemerides editæ ſunt, quo tempore ceſſavit Baylius. Prioris autor fuit Baſnagius, nomenque ipſi impoſuit *Hiſtoriæ Operum Sapientum*: alterius Clericus; eodemque anno primum *Bibliothecæ ſuæ Uni-*

Ephemerides aliarum Nationum.

Ephem. Sap. 30. Martii 1665.

† Scribebat autor noſter anno 1718.

* Præſes Couſinus, qui antehac, nemine adjuvante, tantum operis ſuſtinuerat, omnium veluti Moderator electus eſt. Dupinus Theologiæ; Vertotius Abbas Hiſtoriæ; Andryus Medicinæ; Pouchartius Humanitati; Raſſicodius Juriſprudentiæ præfecti ſunt. In præſentia autem Theologicis rebus incumbit Abbas Raguetius; Juris prudentiæ Terraſſonus; Medicis vero Andryus & Burettus.

** Sexto Capite *ſupplementi ad Introductionem de Librorum intelligentia, atque eorum omnium, quæ ad humanas Litteras ſpectant*, Jenæ impreſſi, anno 1710. recitatur Hiſtoria Ephemeridum editarum juxta Gallicum exemplar; in qua Struvius Autor amplius triginta enumerat Gallico, Anglico, Italico, Latino, Flandrobelgico, & Germano Sermone exaratas. Verum hæ omnes diverſis nomenclaturis notatæ, in ortu pene ipſo interierunt, in quibus de Phiſices experimentis, ſive de Mathematicis & Medicis Obſervationibus unice diſſerebatur. Nonnullæ certis Librorum quorundam generibus ſe continuerunt: aliæ non niſi peritura quædam Adverſaria collegerunt.

verſalis & Hiſtoriæ Tomum in publicum propoſuit, quam initio anni 1693. quinto ſupra viceſimum volumine auxerat. Interjecto poſthac decem annorum intervallo, rurſus inſtitit operi; atque ad hanc diem viginti Thomos *in* 12. *Bibliothecam Selectam* nuncupatos, in ore hominum protulit.

Trevoltienſes Ephemerides, quæ ſimul cum ſæculo noſtro exortæ ſunt, vocantur *Monumenta ad Hiſtoriam Scientiarum & bonarum Artium*. Juſſu Ducis Cenomanenſis collectæ ſunt, qui ad hoc explendum conſilium Patres Collegii Pariſienſis e ſocietate Jeſu ſelegit. Sæpe mutati ſunt monumentorum iſtorum Autores, neque quiſquam fuit præter Patres Tourneminum, Germonum, & Marcharium qui aſſiduam huic muneri operam ſuam præberent. Letellerius Regis nutu a Confeſſionibus aliquorum annorum ſpacio eidem ſe dedit.

De Hiſtoria Eccleſiaſtica.

VI. Complectitur Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſi extremos illius fines metiri velis, quidquid animadverſione dignum tulerunt tempora a mundi exordio uſque ad Verbi divini *Incarnationem*, & deinceps uſque ad nos. In priori parte nos docet Orbis terrarum & primi Parentis creationem, illius innocentis proſperitatem, peccatoris ærumnas, ipſius Nepotes, & quæcumque ante Diluvium geſta ſunt. Inde omnia haurire eſt, quæ filios Noe proxime attingunt, eorumque per univerſam terram diſperſionem; Abrahami, Iſaaci, & Jacobi uſque ad Moſen notitiam, Judaica facta ſub Joſue, Judicibus, Regibus, & Prophetis, nec non gentis hujus regimen, donec *Meſſias* natus eſt.

Perſequitur pars altera Jeſu Chriſti adventum, Vitam, & Mortem propter omnium hominum ſalutem oppetitam; Legis novæ conſtitutionem; Apoſtolorum vocatum; Fidei ubique terrarum acceptæ prædicationem; Judæos & Gentiles ad optimam frugem converſos; Eccleſias inſtitutas; inſigniora cum Græcæ tum Latinæ Eccleſiæ eventa; Conciliorum Acta; Pontificum & Epiſcoporum Vitas, qui ipſius gubernacula tractarunt, vel Illuſtrium Virorum, qui doctrinæ vi eam fartam tectam cuſtodierunt; hoſtium, quibus exagitata eſt, vexationes; Martyrum Acta, qui effuſo ſanguine ipſius cauſſam egerunt; Sanctorum Geſta, qui eam virtutibus cohoneſtarunt. Hæreticorum, ſive Schiſmaticorum, qui eam labefactare aut diſcerpere conati ſunt, errores: præcipua tandem facta, quæ ad immenſum corpus hoc vel partes ejus pertinent, narrat Eccleſiaſtica Hiſtoria, eaque luminibus ſuis Critice illuſtrat cumulate.

Pri-

Digitized by Google

Chronologiæ & Geographiæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam neceſſitas.

Primum dixerim Critices in rem, de qua agimus, ſtudium fuiſſe, tempora & loca cognoſcere, in quibus actum eſt, quidquid antiquitas protulit conſideratione dignius. Sublatis ab Hiſtoria, ambobus veluti ipſius oculis, Geographia videlicet & Chronologia, tenebris circumfuſa ſunt omnia. Dimidiatam ſolummodo tenes rem; niſi ubi & quando contigerit, calleas; atque iſtius negligentiæ vitio vertendum eſt, quod rudi adeo & manca Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notione imbuti fuerint ſuperiorum ſæculorum Scriptores: quemadmodum eidem diligentiæ tribuendum, quod ætate noſtra accuratam ita atque exploratam reddidimus Hiſtoriam; ut ejus natura patitur.

Chronologia

Nemo egregia P. Petavii de Chronologia Volumina ignorat, inter quæ præcipuum *de Doctrina temporum* inſcriptum, formis Pariſienſibus excudit anno 1627. duobus Vol. in *fol.*, cui acceſſit *Rationarium temporum*, primo quidem unico Vol. in 8., deinde multoties in 12. emiſſum. Tractatus de *Emendatione temporum* Joſephi Scaligeri, Editionis præſertim anni 1598. magni nominis eſt apud Eruditos. Ab Joanne Baptiſta Ricciolio accepimus Opus de *Chronologia reformata*, Bononiæ in Italia anno 1669. in *fol.* impreſſum. Proſtant ſapientum uſui Labbei *Concordia Chronologiæ*, *Chronologia*, & *Methodus Cronologica*, tribus Tomis diſtinctæ; Henrici Philippi ex eadem Societate *Quæſtiones Chronologicæ*. Coloniæ 1630., ne ulterius memorem *Tabulas Chronologicas* Tillemontii, Criticen Pagii, Chronologiam * Bibliæ Duhamelii additam a P. Tournemino Jeſuita; atque Cardinalis Noriſii Opera, Chronologiæ difficultatibus enodandis apprime utilia.

Regulæ ad Chronologos conciliandos.

Equidem ſum neſcius, qui fieri poſſit, ut acutius in rem Chronologicam oculos inferat Critice, quam cum duo maximi ſane momenti conſilia ſuſcipere cogitavit. Primum nactus eſt Menardus Dominus Iſernenſis, & Prætor Cæſarodunenſis, qui quatuor principia, velut fundamenta jecit, quibus intendit, celeberrimi hujus Paradoxi veritatem evincere: *quod ſcilicet Chronologi omnes idem prorſus ſentiant*; tutiſſimamque, atque ad hanc diem ignotam aperire viam; ut nullo labore inter Autorum opiniones ſpecie tenus diſcrepantes conveniat.

Nova Temporum ſcientia, ſive generalis ratio inter ſe Chronologos conciliandi. Pariſiis. 12. 1675. Gall.

Sunt autem hæc. I. Quod quælibet Æra, ſive ratio tempora ſubducendi, ab aliis *Epocha* dicta, pluribus hypotheſibus modo longioribus, modo brevioribus innititur.

II. Quod novæ Æræ ſupra veteres conſtituuntur ſecundum diverſas hypotheſes.

* Prodibit accuratior, & probationibus confirmata ex Typographia Menochii, cujus prelis jamdudum ſuppoſita eſt.

III. Quod

III. Quod diverſæ temporum notæ, a diverſis hypotheſibus pendentes, idem tempus ſignificant.

IV. Quod tandem tempus ſive annus facti illius, a quo unaquæque Epocha nomen invenit, apud omnes Autores certum, atque extra Controverſiam eſt.

Ad facilem expeditumque horum Principiorum uſum ſex regulas tradit, quarum occaſione, quidquid de Hebræorum, Græcorum, Romanorum, Babyloniorum, & Perſarum Chronologia intereſt ſcire, congerit atque exponit.

Regulæ de Romanorum Imperatorum Decennalibus, & Conſulatibus.

Alterum conſilium ſpectat ad *Decennalia, & Conſulatus Imperatorum Romanorum*. Onuphrius, Ducangius, & Noriſius *Decennalium* meminerunt; & nonnulla Numiſmata explicaverunt, cuſa annis illis, in quibus celebrata ſunt. Attamen ante Pagium nemo unus abſolutam hujuſce rei tractationem aſſumſit; neque commoda inde Chronologiæ manantia palam fecit, neque leges aliquas condidit in hoc ſtudio ſervandas. Quare hanc ſibi gloriam vendicat Pagius, eorum primum fuiſſe, qui ad recte ſignanda Decennalia, & Conſulatus Imperatorum Romanorum Critices regulas præſcriberet. *

Acta Erud. Lipſiæ 1. Junii. 1683.

Geographia.

Quicumque Geographica inſtrui amat doctrina, referat ſe ad Aubertum Miræum in *Notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani cum Notis*. Pariſiis anno 1610. in 8., *ad Geographiam antiquam modernam & Hiſtoricam* cum Tabulis. 2. Vol. in 4. Pariſiis, annis 1690. & 1691., ad *perfectum Geographum Cocquii; ad Spanemium in Introductione ad Geographiam Sacram & Eccleſiaſticam*. Fit autem plurimi *Geographia Sacra, ſeu notitia antiqua Epiſcopatuum Eccleſiæ Univerſæ, Pariſiis* 1641. in *fol.* Autore R. P. Carolo a Sancto Paulo Abbate Fulienſi, qui eidem Tabulas Geographicas addidit. Ne ſuper hac re diutius immorer, conſulere unuſquiſque poterit Joſephi Canteli Jeſuitæ *Metropolitanarum Urbium Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Civilem*. Pariſiis 1684. in 4., quam verbis ampliſſimis effert Ephemeridum Sapientum Scriptor ad diem 31. Ju-

* In Diſſertatione Hypatica, ſeu de Conſulibus Cæſareis animadvertit Pagius, Imperatores Romanos, & Cæſares ſex tantum occaſionibus Conſulatum ingreſſos fuiſſe 1. Imperii initio. 2. Annis ad *Quinquennalia*, & *Decennalia*, atque hujuſmodi Feſta conſtitutis, quæ celebrare non omittebant, quinto quoque, aut decimo Imperii anno. 3. Cum alios Imperatores Collegas ſibi adjungebant, aut Filios ſuos Cæſares proclamabant. 4. Cum graviſſimum aliquod bellum ſuſcipiendum erat. 5. Annis, in quibus de Hoſtibus triumphum agebant. 6. Atque iis, in quibus Ludos Sæculares celebrabant. Quibus jactis fundamentis tot de Imperatorum Conſulatibus regulas condidit: addit præterea, nemini in mentem veniſſe, ut obſervaret, advenientibus Decennalibus moris fuiſſe, in Chriſtianos perſecutiones excitare, Apologias offerre, & Libros nuncupare.

lii 1684. Demum unius Critices documentis Geographiam ante multa ſæcula neglectam ad priſtinam dignitatem evexit Ortelius; eandem via & ratione digeſſerunt Ger. Mercator & Cluverius; abſolutionemque & perfectionem, quam modo habet, dederunt ipſi Ferrarius, Samſonius, Duvalius, Baudrandus, P. Lubinus, & Chriſtophorus Cellarius. Addas licet his omnibus *Dictionarium univerſale Geograficum & Hiſtoricum, complectens deſcriptionem Regnorum, Imperiorum*, &c. a Cornelio Gallico Academico tribus Vol. in *fol.* non ita pridem vulgatum; atque a Trevoltienſibus Monumentis Menſis Aprilis anni 1709. brevi hoc Elogio decoratum. *Nullum amplius aut elaboratius Dictionarium Geographicum hactenus prodiit*.

Quatuor præcipua, quæ Critice peperit, Opera, (neque enim de Joſepho hic ſermo eſt) veteris Teſtamenti Hiſtoriam texentia ſunt: primum Auguſtini Tornielli Barnabitæ; alterum magis late patens Saliani Jeſuitæ; tertium Spondani, quod non eſt ſolummodo dicendum priorum duorum collectio, ut idem fatetur ipſe: *Sunt pleraque ex Torniello, multa ex Saliano, nec pauca ex aliis; quædam etiam ex noſtris Obſervationibus minime aliis tacta*. Poſtremum P. Alexandri, cui titulus: *Selecta Hiſtoriæ veteris Teſtamenti capita*. A tribus aliis longe differt Hiſtoria hæc: ſi namque Pater iſte religione tanta, atque illi, Chronologiam minime conſectatus eſt; complures nihilominus in difficiliora Hiſtoriæ Sanctæ argumenta Diſſertationes Criticas attexuit. Tametſi veteris Teſtamenti Hiſtoria ab Arnaldo Andeliacenſi confecta iiſdem integritatis diligentiæ elegantiæ & judicii dotibus commendetur, eſt tamen ab aliis, quas retulimus, ingenio diſſimillima.

Hiſtoria Veteris Teſtamenti.

In Præfatione ad annos Sacros.

Omnium, quæ extant, Hiſtoriarum ampliſſimæ, & abſolutiſſimæ habendæ ſunt Centuriæ Magdeburgenſes, & Baronii Annales; cum nullum ferme caput omittant eorum, de quibus in hujuſmodi Operibus agere uſuvenit. Ceterum hæ duæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ diverſa longe ratione a Critice profectæ ſunt.

Hiſtoria Eccleſiaſtica novi Teſtamenti.

Si de prima ex his duabus inſtituendus ſit ſermo; cum Proteſtantes, quorum ſtudiis lucubrata eſt, ante omnes ad laborioſum hoc munus obeundum aggreſſi ſint, ſancta æmulatione conflagrarunt Catholici, ut eos imitantes, veritatem mendacio opponerent; atque ab imperitorum animis errores extorquerent, quos a Centuriatoribus fortaſſis hauſerant, neque tantum habebant virium, ut calumnias & fraudes, quibus Hiſtoriam ſuam refserſerunt, deprehenderent.

Impudentis atque impii Operis hujus falſa Critice fulti primordia incidunt in medium circiter ſæculum XVI., a quatuor Miniſtris ducta, &

Centuriæ Magdeburgenſes.

& *Centuriæ Magdeburgenſes* nuncupata. * Trancovvits, magis tamen *Matthiæ Flacci Illyrici* * * vocabulo notus, ut Proteſtantes Concilio Tridentino præmuniret, adſcitis ſibi in ſocios Joanne Vigando Manusfeldienſi, Matthæo Judice, & Baſilio Fabro, putant alii quoque, Nicolao Gallo, operis rudimenta poſuit. Iſtud in tredecim Centurias, ſive ſæcula diſtribuerunt; atque exorſi ſunt quatuor priores edendo anno 1559. ſub auſpiciis Eliſabethæ Anglorum Reginæ: reliquæ deinceps conſecutæ ſunt ea fœcunditate, ut Mendaciſſimum opus ad ſex vol. in *fol.* magnitudinem creverit Baſileæ anno 1634.

Licet Miniſtri iſti illuſtrium Criticorum famam adepti ſint, compertiſſimum eſt eos in pluribus peccaſſe, & ſæpiſſime ſupinam prorſus Criticen adhibuiſſe. * * * Primi Centuriarum Autores ab ipſis Lutheranis exilio mulctati ſunt, quod eos pati nequirent; immo Schluſelburgius Lutheranorum celebris Scriptor ſuo Hæreticorum Indici adſcribit Centuriatorum Principem Matthiam Flaccum Illyricum; utpote manifeſtum Manichearum, & Arrianarum blaſphemiarum reum.

Cave Hiſt. Litter. Proleg. pag. 22, item pag. 10.

Lucas Oſiander Vvittembergenſis Centurias has in compendium redegit, perſecutus eſt ad annum 1601., ediditque ab anno 1601., ad annum 1603.

Annales Baronii.

Ad refellendum itaque hujuſmodi opus Annales Eccleſiaſticos confecit Cardinalis Baronius. Animadvertit tamen Sallius, præſtantiſſimum Cardinalem iſtum, etſi cauſſa ipſi Annales ſcribendi fuerit Hæreſum & fallaciarum Centuriatorum Magdeburgenſium confutatio, ab iis tamen aperto Marte impugnandis abſtinuiſſe; ſed pure & ſimpliciter Hiſtoriam ſuam perfeciſſe; quin eos niſi communi Hæreticorum & Novatorum nomine appellaret. Hac autem ratione ſe geſſit, quod putaverit melius fore, vel minimum verbum quidem de illis reticere; ne periculi

Ephem. Sapientum die 23. Maji 1668.

* Nos docet Cave, *quod ut res feliciùs cederet, miſſi ſunt in diverſas Europæ Provincias, qui pulverulentos Bibliothecarum angulos excuterent, codicesque manu exaratos tranſcriberent: immo ipſe Flaccius, aſſumto Monachi habitu & perſona, celebriores aliquot in Germania Monaſteriorum Bibliothecas perluſtravit, & quos commode poſſet, hiſtoricos clam ſecum abſtulit.* Hiſt. Litter. in Præf. pag. 30.

** Illyricus dictus eſt, quia Albonæ in Illyrico claris parentibus progenitus fuerat. Studiorum curriculum Venetiis confecit. Decem & ſeptem annos natus Baſileam conceſſit, ut Theologicis incumberet. Occubuit Francofordiæ ſexagenario quinque annis minor. Vehementis ingenii homo a Thuano vocatur, & re vera pravitate opinionum, quibus inficiebatur, multos in Proteſtantium Eccleſiis tumultus excitavit: Teiſſierius Elogiorum t. 1. pag. 435. Editionis Ultrajectinæ. 1697. Gall.

*** *Ineſſe labes & nævos, multa omiſſa, peccata multa, deprehendi etiam quandoque in ipſis conditoribus nimiam affectuum indulgentiam, nec negari poteſt, nec diſſimulari.* Hæc cenſura in Magdeburgenſes animadvertit Guillelmus Cave, Hiſtoria Litter. in Præf. pag. 30.

ple-

plena curioſitas ſuboriretur, pareretque deſiderium libros illos cognoſcendi; quorum lectio nonniſi exitioſa eſſe cuicumque poteſt.

Primum ex duodecim vol. Annalium Eccleſiaſticorum * Cl. hujus Patris editum Romæ eſt anno 1588. annis vero inſequentibus alia Venetiis, Antuerpiæ, Coloniæ, &c. Duodecim Tomi iſti narrant nobis quidquid Eccleſia protulit ab Jeſu Chriſti ortu ad annum 1198. In Annalibus Baronii pergere curarunt Bzovius Polonus ex familia Sancti Dominici, & Rainaldus ex Congregatione Oratorii: Epitomen autem eorum dedit Spondanus aliique bene multi; Caſaubonus demum, nonnullique alii Criticen in Baronii Hiſtoriam exercuerunt.

Non eſt hic commemorandi locus Hiſtorias omnes Pontificum, Cardinalium, Præſulum Eccleſiarum peculiarium, Hæreſum, aliorumque factorum Hiſtoriam Eccleſiaſticam attingentium; quos omnes peperit fructus poſtremorum ſæculorum Critice: præſertim vero Hiſtoriam Byſantinam 29. vol. in folio ** comprehenſam. In hoc numero reponuntur *Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum*; duo volumina Zonaræ, Editionis Ducangii; *Familiæ Byzantinæ*, Villeharduinus, & Vita Sancti Ludovici a Joanvillæo exarata, atque a Ducangio eodem typis commiſſa.

Tandem a Critices fructibus arcendæ non ſunt multæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Gallico ſermone vulgatæ. Godavius Epiſcopus Grinnicenſis in Provincia cogitationem ſuſcepit Univerſam Eccleſiæ Hiſtoriam Gallicis litteris mandandi, quam uſque ad X. produxit ſæculum 3. vol. in *fol.* Hujuſmodi porro Opus accuratum plane atque elegans ſumma laudis ſignificatione ab Eruditis exceptum eſt: Joannes Sudorius Eccleſiæ, Firmitatis Ancol, quam *Reformatam* falſo dicunt, Miniſter aliam edidit a litteratis hominibus magni factam; cui accedunt Boſſueti Epiſcopi Meldenſis ſermones de Hiſtoria Univerſali; Hiſtoria Eccleſiaſtica Abbatis Choiſii; Interpretationes Gallicæ Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Theodori Lectoris, Philoſtorgii, & Evagrii a Couſino confectæ; Hiſtoria Sacra Sulpicii Severi a Girio *Parlamenti* Patrono converſa; præ cete- Hiſtoria Eccleſiaſtica, Gallica Lingua deſcripta.

* Baronius Soræ Urbe Epiſcopali terræ Laboris in Regno Neapolitano, natus eſt 30. Octobris anni 1538. ætatem agens 18. ſive 20. annorum S. Philippo Nerio Oratorii inſtitutori adhæſit. A Clemente VIII. S. R. E. Cardinalis renunciatus anno 1598. deceſſit 30. Junii 1607. prope ſeptuagenarius.

** Ut præclara Hiſtoria hæc colligeretur, Sapientes ii Critici delecti ſunt, qui felicius in unoquoque ejuſdem Autore elaborarunt. Niſi me ingens numerus detineret, huc ſingulorum nomina referre poſſem. Verum, præterquamquod hæc in fronte Operum, quibus incubuerunt, poſita loquuntur, eadem quivis reperiet, non ſecus atque Opera ab ipſis parta apud Bailletum In Judicio Sap. t. 2. p. 2. pag. 577.

H 2 ris

ris autem duæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ingenio ſatis diſſimiles, quas in publicum emittere pergunt hinc Tillemontius, illinc Abbas Fleurius.

Sibi conſtituerat primus veritatem inveſtigare, aliiſque aperire; Acta ſincera a fallacibus dignoſcere; quælibet monumenta Eccleſiaſtica, quæ ſuperſunt, excutere; Opera Patrum ſex priorum Sæculorum diligenter ſcrutari, æque ac Autores profanos de Chriſtianis diſſerentes colligere: demum quidquid commodum eſſe poſſet abſolutæ efficiendæ Hiſtoriæ veteris Eccleſiæ.

Quamvis utatur Fleurius, quantum in ipſo eſt, verbis Autographorum Gallice redditorum, ſtylum tamen adhibet continentem, & perpetua narratione conſtantem. Certis & præcipuis factis duntaxat inſiſtit; quæ inſtituto ſuo non profutura exiſtimat, omittit; Eccleſiæ doctrinam, diſciplinam, & mores, ut idem ipſe monet, declarare fatagit; negligitque minoris momenti facta, quæ neque inter ſe, neque cum præcipuo Hiſtoriæ propoſito nectuntur. Eo in Opere ne requiras Criticas Diſſertationes, aut diſcuſſiones; abhorret pariter a quæſtionibus Chronologicis; aliquando autem tantummodo narrationi ſuæ, præſertim in prioribus Tomis, compendia Librorum Patrum intermiſcet ad doctrinam, diſciplinam & mores pertinentia; inſeruitque ſummatim formulas Fidei, Canones Conciliorum, & Acta Martyrum. Ecce tibi ſuper quæ conſtructa ſit Abbatis Fleurii Eccleſiaſtica Hiſtoria.

De Hiſtoria Sanctorum.

VII. Quemadmodum inter antiqua Monumenta nullum extat, quod pejus a præteritorum ſæculorum barbarie corruptoque judicio acceptum fuerit ac divexatum, quam Acta primorum Martyrum, & Hiſtoria Sanctorum; ita nullum fortaſſis eſt argumentorum genus, in quod majorem Critice operam Eccleſiæ præſtiterit. Ipſius quippe luminis gratia factum eſt ut optimum triticum a lolio ſepararemus; puros fontes & Autographa adiremus, tot inde vetera Monumenta educturi, emendaturi, & defæcaturi; verbo, ut ſincera & firmæ autoritatis Acta majoris primorum Martyrum numeri præſto haberemus; tot inſuper excellentes Collectiones; tot Vitæ & cultus Sanctorum Hiſtorias, accuratiori, quam antea, ordine digeſtas: quæ omnia ab una Critice, eaque ampliſſima & prudentiſſima proficiſci poſſunt.

Acta ſincera antiquorum Martyrum.

Ex omnibus Latinis Operibus hac de re compoſitis duorum tantum meminero. Primum de antiquis Martyribus duntaxat diſputans, inſcribitur. *Acta primorum Martyrum ſincera & ſelecta*; quæ ſane præclara, Pariſiis anno 1689. impreſſa, a R. P. Dom. Theodorico Ruinartio Benedicti-

dictino Congregationis Sancti Mauri ſe accepiſſe refert Reſpublica Litteraria. Opus hoc complecti dixerim quidquid carius & pretioſius Eccleſia poſſidet ſecundum Scripturam ; porro nos loco ſuo nonnulla in hanc Collectionem animadvertemus.

Alterum immanioris eſt ſupra modum magnitudinis; comprehenditque cujuſcumque temporis, regionis, generis, aut Ordinis Acta omnia Martyrum & Sanctorum. Una profecto erat, quæ tantum Munus ſuſciperet atque perſolveret, Societas Jeſu; Societas, inquam, amplitudinis ſummæ, atque Sapientiæ, ardentiſſimoque incenſa ſtudio nos ad ea inſtituendi, pro quibus æterna præmia promeriti ſunt Sancti, quæque nos item conſequemur; modo ne pigeat eos imitari, non ſecus ac ipſi Chriſtum ſunt imitati.

Vitæ Sanctorum Bollandi ejuſque ſucceſſorum.

Initio Sæculi antecedentis P. Heribertus Roſvveidus Ultrajectinus e Societate Jeſu conſilium cœpit redintegrandi Vitas omnes Sanctorum jampridem vitiatas; idque duodeviginti voluminibus præſtandi : verum mortem obiit anno 1607., cum primi ſolius Tomi Editionem expleverat.

Bollandus in Diœceſi Limburgenſi anno 1596. natus, ejuſdemque familiæ Religioſus Vir, delectus eſt, qui in illius locum ſufficeretur. Verum non contentus Roſvveidi inſtitutum proſequi, aliud plane difficilius adorſus eſt. Anno 1635. ipſi comes additus P. Godefridus Henſchenius, cujus ſubſidio Menſem Januarii edidit anno 1643. duobus vol. in *folio.*, quæ appellare maluit : *Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur, vel a Scriptoribus Catholicis celebrantur*. Menſis Februarius prodiit anno 1658. trium voluminum ambitu. Dum autem ſequentia urgeret, quodam Apoplexis genere correptus ſupremum diem egit anno 1665.

Pater Henſchenius, addita opera P. Danielis Papebrochii, Menſem Martium tribus aliis Tomis foras dedit anno 1668., in quorum primi fronte Vitam celebris Bollandi collocavit : proceſſit deinde Menſis Aprilis eodem librorum numero anno 1675. Tria priora Volumina, ſex primorum dierum Maii Sanctos exhibentia, in vulgus edita ſunt anno 1680., adjutore P. Conrado Janningo. Legimus an. 1685. quartum & quintum volumen Menſis Maji, ſextum & ſeptimum 1688., primum Menſis Junii 1695., ſecundum & tertium 1699. in quo ſpondent duo vel tria volumina ejuſdem, quæ deinceps dependerunt; accedente Papebrochii ſtudiis induſtria quoque Patrum Baertii, Nicolai Raii, & Solieti. Pervagatum eſt, eruditos Hiſtoricos iſtos complura ſupplementi loco volumina in promtu habere pro Menſibus Januarii Februarii, & reliquis.

Acta Erud. publicata Lipſiæ 1. Januarii 1603.

Recondita atque ampliſſima eruditio, perſpicax intelligentia, laboraſſiduus horum illuſtrium Jeſuitarum perſpicua ſatis fiunt conſideranti, ipſos in diuturno hoc moleſtoque opere factorum in uniuſcujuſque Sancti

Vita

Vita relatorum veritatem ad trutinam revocaſſe, obſcuros Textus eruditis adnotationibus explanaſſe, difficultates Chronologicas expediviſſe, pluraque alia perficiendo huic operi neceſſaria addidiſſe. Quantum denique in Critice accurationis eſſe poteſt, tantum ipſi ad vera & falſa monumenta internoſcenda traduxerunt. Miraberis in eo exquiſitam, quoad infinitos pene, de quibus loquuntur, Sanctos, temporum regionum, & factorum inquiſitionem multa minutatim narrata, quæ ante hac apud Hiſtoricos compendio tantum legebantur; habitam mentionem complurium Principum, Epiſcoporum, Provinciarum, Urbium, & Monaſteriorum, quæ nunquam fando pene audita fuerunt; cum neque hactenus editæ fuerint non paucæ hujus Collectionis Vitæ. Apponuntur tandem multæ Tabulæ Alphabeticæ, quarum aliquæ ad Hiſtoriam, & Geographiam, aliæ vero ad nomina propria reſque pertinent. Ex quibus in univerſum licet conicias, Acta Sanctorum eodem tempore abſolutam Eccleſiæ omniumque fere Regnorum Orbis noti Hiſtoriam complecti.

In fronte cujuſque Tomi nonnulla opuſcula reperies & Tractationes ſcitu & animadverſione dignas, neque antea typis commiſſas: uti initio ſecundi voluminis Menſis Maji *Martyrologium germanum Bedæ* cum Flori commentariis, quod ex Latinis Martyrologiis unum adhuc deſiderabatur: Initio quoque tertii Tomi poſitæ ſunt Diſſertationes duæ, in quarum prima crebris locis expenditur & corrigitur Theophanes Chronographia; in altera vero de prioris Regum noſtrorum ſtirpis Genealogia diſſeritur.

Vitæ Sanctorum Gallice ſcriptæ. Iis pariter, qui Sanctorum Vitas Chriſtifidelibus tradiderunt, non mediocri tantorum hominum Opus fuit utilitati, per quod tandem commentitias narrationes, Romanenſes fabellas penitus olentes, de populorum manibus extorſerunt. P. Simon Martinus ex Minimorum Pariſienſium familia Vitas Sanctorum adornare incepit majori aliquanto accuratione, quam quæ ad ea uſque tempora adhibita fuerat; ejuſque liber a Patribus ejuſdem Ordinis Girio, & Joanne Baptiſta de Sancto Lo retractatus valde auctuſque eſt; quod ſi ea confectus non fuit, quæ in votis eſſe poterat, diligentia, fovendæ tamen in Chriſtianis pietati aptiſſimus eſt. Quo in munere eminet quoque Opus R. M. Joannæ de Blemur, * Sancti Sacramenti Monialis; quamvis in Critices uſu nonnihil deficiat.

Habemus ab Arnaldo Andeliacenſi *Vitas illuſtrium Sanctorum multorum*

* Jacquelina Bovettia de Blemur ortum habuit Pariſiis anno 1618. Scripta multa poſteritati commendavit; ideſt Annum Benedictinum, Elogia Virorum illuſtrium ex familia Sancti Benedicti, *Menologium* Hiſtoricum, *Legendam* Sanctorum, & de Dignitate Matris Dei. Celebris Autor Libri inſcripti: *Origines Civitatis Cadomenſis*, Rothomagi 1702. *Sanctimonialem* hanc laudibus effert æque ac præclaros alios Scriptores, de quibus eo in Opere.

ſæcu-

ſæculorum ſub anno 1664., a Tillemontio Monumenta in Sanctos primorum Sæculorum; atque a Fleurio in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ non longe ab Hiſtoria Sanctorum diſtat, plurium ex iſtis Vitas. Præterea peculiares nonnullorum Scriptorum Hiſtorias; E. G. S. Baſilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Joannis Cryſoſtomi, & S. Ambroſii ab Hermano conſcriptas; S. Bernardi a Magiſtro; S. Ludovici a Chaizio; quibus accedat Theodoſii Magni a Flechierio, exaratas.

Opus Bailleti cui titulus: *Vitæ Sanctorum*, omnibus perfectius, elaboratius, atque utilius haberi poſſet, quotquot unquam hac de re prodierunt; ſi Critice uteretur aliquanto minus ſevera & audaci; non admodum arida eſſet in eo Moralis diſciplina; frequentius pias animadverſiones interjiceret; & fortaſſis etiam niſi ſi illud immodice Hiſtoria Eccleſiaſtica referſiſſet; quæ multitudinis ſane captui non reſpondet, neque infinitis pene hominibus prodeſt, qui ſalutarem tantummodo flagitant lectionem.

De Theologia Dogmatica, Scholaſtica, & Myſtica.

VIII. Trifariam paſſim dividitur Theologia; in eam ſcilicet, quæ *Dogmatica*; in aliam, quæ *Scholaſtica*; atque in tertiam, quæ *Myſtica* nuncupatur. Eo differunt Theologiæ iſtæ, quæ natura idem ſunt prorſus: quod Dogmatica a Scripturis duntaxat, & Conciliorum Patrumque Traditione pendet; Scholaſtica, latiorem excurrens campum, rationis humanæ, Philoſophiæ, aliarumque Scientiarum opem non reſpuit: Myſtica vero de Spirituali Vita ſpeciatim diſputans; utpote quæ incipientium, proficientium, & perfectorum Status edifferit; Theologia, inquam, quæ cordis & Spiritus in Deum elatio eſt; ut infinitum illud menti objectum agnoſcat, amet, ipſique copuletur; ejuſdem divinas perfectiones ſuſpiciat, atque ſilentio contempletur: hæc itaque Myſtica Theologia vi notionis ſuæ peculiaris ſcientia eſt, quæ in Spiritus argumentis, veluti ſubjecta materie, verſatur, propoſitum Contemplationi objectum, munus, principia, effectus, & proprietates enucleat, diſcrimina patefacit, in quæ incidunt huic ſe committentes viæ; quæ cavenda ſunt, ne aberrent, monet; deque iis omnibus tandem agit, quæ præſtare opus eſt, ut eum Deo intime & ſecreto aliquando conjungamur.

Multa Theologiæ genera.

Firmum porro & conſtans eſt, Theologiæ prioris renovationem, * al-

* Aſſerit Rhenanus plurimum nos Eraſmo debere propterea quod ipſe quoque contulerit ex parte ad Theologiam Dogmaticam reſtituendam, quæ Scholaſtices vi exulaverat, aut jacebat; tantumque induſtria contendiſſe ſua, ut Patres, extremis temporibus per ſcholarum lites minori in pretio habiti, rurſus in manus ſumerentur. *Baillet, Judic, Sap. t. 2. p. 2. pag. 131.*

te-

Digitized by Google

terius inſtaurationem, & tertiæ illuſtrationem, nobis quoad omnes ipſius intellectus comparatam, inter Critices fructus enumerandas eſſe: plurimos etenim libros nobis ſuppeditavit; quibus primæ ſtudium redintegraremus, ſecundam rectis finibus circumſcriberemus: diſcrevit etiam ipſa, quænam genuina eſſet Spiritus probitas, quænam vero fallax; ejus ductu Tractatus plurimi ad nos hac de re inſtituendos editi ſunt; legeſque accuratiſſimæ ſancitæ, ne a ſuperſtitioſis uſibus raperemur, qui non alio quam Magnæ Artis hujus præſidio excuſſi ſunt.

Theologia Dogmatica.

Duas elicit argumentationes Theologia Dogmatica; aliquas a vero in Sacris Litteris & Traditionibus revelato; alias autem, quæ poſito illo & pro certo habito, in humana ratione & Philoſophia congruas perquirunt cauſſas, unde verum hoc illuſtre fiat magis atque credibile. Non eſt ſane hic rationis uſus tum repudiandus, cum terminos ſuos non egreditur: videlicet cum humana ratio Fidem e veſtigio comitatur, & ſemetipſam Dogmatum Fidei Intelligentia definit. Efferantur quoque neceſſe eſt argumentationes iſtæ ſublimi quodam & ſplendido modo, ſuavi item & fervido, atque ad Eloquentiæ Chriſtianæ regulas compoſito; non autem arido penitus, & faſtidii pleno. Maximo nonniſi eſſe poteſt emolumento hujuſcemodi rationis uſus; neque alia plane eſt, quam adhibuerunt cum veteres Patres ad perſuadendum Paganis Religionem, aut eandem adverſus adverſarios tuendam, tum primi Chriſtianæ Apologiæ Scriptores, & veritatis Catholicæ propugnatores.

Mabillon. de ſtud. Mon. p. 2. c. 6. pag. 203.

Theologiæ Dogmaticæ Opera.

Secundum regulas iſtas curavit præterito Sæculo Critice, ut non pauca Dogmatices Opera cuderentur; in quibus nitidam ſui ſpeciem præbet Theologia. Primi ſeſe ſtatim offerunt; quos memorem; *Loci Theologici Melchioris Cani*; deinde quinque volumina Dogmatum Theologicorum Cl. P. Petavii, ejuſdemque Diſſertationes Eccleſiaſticæ, atque interpretationes Concilii Tridentini, & Doctrinæ Sancti Auguſtini. Adjungere quis poſſet *Dogmata Theologica* P. Thomaſſini, ipſiuſque tres Tomos de Diſciplina Eccleſiaſtica; Monumenta de Gragia; diverſoſque Tractatus Dogmaticos & Hiſtoricos de Jejuniis, de Feſtis, de Eccleſiæ Unitate, & Patrum Lectione. Iſtius claſſis ſunt Tractatio de probationibus & peræjudiciis Religionis Chriſtianæ & Catholicæ a Dirojo, & Monumenta ad Religionem ſpectantia a Choiſulio Tornanceſi Epiſcopo lucubrata; *Apologia* Scrivenerii pro Sanctis Patribus adverſus Miniſtrum Dallæum; Diſſertatio Theologica Havermani de Patrum Autoritate; *Origo Patriarcharum*; atque Opera de *Pœnitentia*, *&* *Ordine* Morinii; Diſſertationes Domini de Marca cum adnotationibus Baluzii; *Concordia Eccleſiarum Orientis & Occidentis quoad Sacramentorum adminiſtrationem & Purgatorium*; duæ Diſſertationes Holſtenii de Sacramento Confirmatio-

tionis Græcorum ? de Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Unctionis adverſus Miniſtrum Dallæum Domini *de Sainte Beuve*, Hiſtoria, publicæ Pœnitentiæ Sirmondi, ejuſdemque de Azymis Quæſtio; Tractatus de Euchariſtia, & Matrimoniis clandeſtinis Claudii Deſpancii; Sacramentum Extremæ Unctionis, & de Poteſtate Regia in Matrimonia Launoii; magnuſque ſimilium Operum numerus ab exquiſitiſſima profecto Critice partorum; quemadmodum multa alia ad Religionis negotium adverſus Hæreticos cuſtodiendum in medium prolata.

Tractatus de Controverſiis.

Non deſunt etiam nobis ſuper hac re Libri Galatini, Thomæ Stapletonii, Thomæ Vvaldenſis, Alphonſi a Caſtro, celeberrimi P. Bellarmini, aliorumque multorum de Controverſiis diſceptantium. Prelo quoque ſubmiſſa ſunt Gallice hujuſmodi Opera; quorum Autores ea florentes ætate, qua vel perfici cœperat, vel perfecta numeris omnibus erat Critice, Controverſias diremerunt peculiari quadam ratione, & vi, cui *Proteſtantes* obſiſtere nequiverunt. Habeto hujus generis Tractatus Controverſiarum Perronii, Cœffetavii, Cardinalis Richelii, *Variationes* Hæreticorum, aliaque plura in id argumentum Boſſueti Meldenſis Epiſcopi Opera; Moralem Jeſu Chriſti ab Hæreticis everſam; Perpetuitatem Fidei; Eccleſiæ Græcæ fidem quoad *Tranſubſtantiationem* adverſus Claudium Miniſtrum; Tractatus de Unitate Eccleſiæ; de legitimis præjudiciis adverſus Calviniſtas, & de Calviniſtis Schiſmatis convictis; Animadverſiones in Religionis diſſidia; & ſimiles his.

Scripta adverſus Atheos.

Præter iſtos adverſus Heterodoxos libros, alii nobis per Criticen ſuppetunt redarguentes Impios, atque Atheos, qui ante poſtrema ſæcula neque in Galliis, neque in Italia caput erexerant. Sæculo XVI. Opus Ludovici Vives *de vera Religione Chriſtiana*; poſtmodum vero Libellus Grotii in rem eandem; Cogitata Paſchalis; Demonſtratio Evangelica Huetii antiqui Epiſcopi Abrincenſis; duo Tomi de vera Religione Abbadii; Tractatus de Religione adverſus Atheos, *Deiſtas*, & novos Pyrhonianos: hæc omnia communem Autoribus ſuis nominis famam pepererunt.

Theologia Dogmatica P. Alexandri.

Denique ſupra has Dogmaticas Tractationes, quæ invicem pene omnes disjunctæ ſunt, immortalis eſt P. Alexandro honor, quod primus omnium univerſas in unum Theologiæ Corpus redegerit omnibus ſuis partibus abſolutum. Hunc præſefert titulum: *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita; & in loca ejuſdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ.* Cum Doctor iſte ſatis lautam reconditæ eruditionis, cumulatæ antiquitatis Chriſtianæ notitiæ, eorumque omnium, quæ Fidei ſunt, aut morum, aut Eccleſiaſticæ eunctorum Sæculorum diſciplinæ, ſupellectilem ob oculos ponat; laus & dignitas, quibus a

Litteraria Republica exceptus eſt ipſius labor, teſtatiſſimo ipſi erit argumento, quantum inde ipſa perceperit emolumentum.

Omnium iſtorum Dogmatices Operum numerum expleat Liber R. P. Petri Annati, Generalis Doctrinæ Chriſtianæ, cui nomen impoſuit: *Methodicus ad Poſitivam Theologiam Apparatus, &c.* Summæ Autoris iſtius laudis loco dictum ſit: nihil forte hujus generis conatum quemquam fuiſſe, quod publicam magis exiſtimationem promeritum fuerit. Quemadmodum id unum erat docti hujus Generalis conſilium, ut novitios Theologos ad Dogmaticen addiſcendam inſtitueret; nihil certe prætermiſit eorum, quæ huc pertinere arbitrabatur: Editio anni 1705., pluris, quam antecedentes facienda eſt; opus etenim crebris locis inculcatum & refectum eſt, multiſque in priori Editione omiſſis rebus locupletatum.

Theologia Scholaſtica ejuſque ante Criticen conditio.
Simonius Epiſt. 40 pag. 346.

Nolo equidem rurſus memoriam uſurpare miſerandæ illius conditionis ſuperius a nobis commemoratæ, ad quam perducta erat Scholaſtica facultas, antequam Critice ſtudioſe coli cœpta eſſet. In animum revocaſſe ſufficiat, priuſquam Græcæ & Hebraicæ Litteræ attingerentur; & typorum uſu creſcerent in immenſum libri, majorem Scholaſticorum Theologorum partem neminem præter Decretum Gratiani, alioſque minus accuratos Collectores volutare conſueviſſe. Hoc erat temporum illorum ſtudium, quibus Libri *Flores Patrum* appellati, maximo perpendebantur. Ignotum pene erat, quid rei eſſet, Patres & Scriptores antiquos e fontibus haurire ſuis: poſtquam vero ad artem redacta Theologia eſt, cœptumque hujus Scientiæ naturam infinitis, iiſque vanis in ratiocinationibus ferme conſtituere, Archetypa minus quam antea conſuluerunt.*

Theologiæ Scholaſticæ inſtauratio.

Enim vero, opem ferente Critice, puriorem ducere aerem invenit nobilis hæc Scientia, a ſe rubiginem, in quam inciderat, elimare; atque majori, quam alias cum dignitate exerceri. Theologia Scholaſtica inhæret modo diligentius Scripturis, Traditioni, Conciliorum & Patrum ſtudio, & factorum Hiſtoricorum cognitioni, quam inanibus meditationibus, & innumeris quæſtionibus inutilibus, quæ totas ſcholaſticorum

* Licet Pontifices Gregorius IX.; & Joannes XXII. Scholaſticam Theologiam Religioni utiliſſimam eſſe judicaverint; non deſtiterunt tamen malos uſus, qui in eam irrepſerant, improbare. Sanctus Antoninus, Melchior Canus, &c. cum laude de Scholaſtice locuti ſunt, & quorundam tantum Scholaſticorum errores criminati. Contra Janſenius Ypreuſis Epiſcopus, Eraſmus, B. Renanus, Rodulphus Agricola, atque ex Calviniſtis & Lutheranis pene innumeri cujuſdam honoris loco poſuerunt Scholaſtices nomen denigrare: verum ipſius timore perculſi loquebantur; quodque non ignorarent, quanta in Eccleſiam ex ea redundent emolumenta.

men-

mentes occupabant; antequam pedem in hanc poſſeſſionem Critici intuliſſent. Jam nunc publicam lucem ſubire vidimus complura ad hanc normam exacta Theologiæ Volumina, quorum ſummam conficere, nimis in longum ſermonem protraheret. Satis itaque erit oſtendiſſe, quibus certis terminis Scholaſticen definiverit Critice; ut minori faſtidio, & majori eſſet Litterariæ Reipublicæ utilitati. Inficiari etenim nequaquam poſſumus commoda multa per Scholaſticen comparari; quamvis vitiis non careat, quæ ipſi exprobrantur, quæque in cauſſa ſunt, cur eidem Dogmaticen undique ſtudeant anteferre.

Decretum itaque unicuique ſit, qui Scholaſtice utiliter operam dare, eamque cupit reddere tolerabiliorem, limine in ipſo ſe ad Locos Theologicos Melchioris Cani inſtituere, quibus diſcat ratione non admodum barbara Scholæ quæſtiones expendere, uti apud noſtrorum Sæculorum Scholaſticos moris erat: curet inſuper neceſſe eſt generalem informare animo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliorum, & germanorum Patrum Operum notionem; futiles quæſtiones de medio tollere; rem non aſſerere, niſi quatenus certam eſſe comperit; nullamque opinionem veluti fidei caput intrudere, de qua minime pronunciavit Eccleſia. Opus etiam erit, diſſenſiones effugere, & quoſdam animi impetus, quibus nimium ſtudioſe inter diſputandum eminere nitimur; a diſceptationibus etiam neceſſariis lites omnes amovere, quarum difficultas in dubiis ſæpe vocibus ſita eſt; a novis vocabulis abhorrere, iiſque duntaxat uti, quos Eccleſia Theologique Catholici adhibentes conſecrarunt. Poſtremo quamvis improbandum nullo modo ſit, res diſcutere propoſita argumentandi forma, utpote faciliori, & incipientibus commodiori; nihilominus alius Dogmaticæ Theologiæ modus nobilior eſt, pulchrior, atque expeditior.

Regulæ ad Theologiam Scholaſticam addiſcendam. *Mabill. de Stud. Mon. p. 2. c. 6. pag 215. Dupin. Tract. de Doctrina Chriſtiana c. 20. Item Tabula Univ. Tomo 1. Diſſert. de Stud. Theol. §. 7. Gall.*

Tametſi jucundior ſit, minuſque ſenticoſa Dogmatica diſciplina; Scholaſticam tamen præire poſtulat ante ſe. Eum oportet in Scholarum acuminibus verſatum eſſe, atque illa funditus percipere, qui ad aliquod Dogma ponderibus ſuis examinandum aggreditur; quique artes, verſutiaſque Hæreticorum deprehendere, eaſque ſtrenue impugnare, atque refellere contendit. Rarum plane eſt atque inſolens, eos, qui Scholæ Theologiam flocci fecerunt, diſtinctione, & cogitandi æquitate pollere tanta, quanta opus eſt ad quædam Dogmata penetranda, & mendacium a vero internoſcendum.

Cum elapſi ſæculi *Quietiſmus* nihil ſit aliud, quem fallacis Spiritus ſemitæ ab omnibus præcedentium Sæculorum Pſeudo-Myſticis indicatæ inſtauratio: * Theologiam Myſticam natura ſua contemnendam, exercita-

Theolog. Myſtica.

* In Pſeudo-Myſticorum veterum numerum referuntur Gnoſtici, Valentiniani, Manichæi, Novatiani, ſive Cathari, Menaliani, Evagrius

Quietiſmus damnatus.

tione autem lubricam reddiderat. Propterea nihil requiri magis videbatur, ne ſerperet longius peſtilentis hujus Spiritus perfectionis venenum, quam Romanæ Inquiſitionis Decretum anno 1687. editum, quo Hæreſis iſta, Libri Autoris de Molinos, multique alii Tractatus iiſdem erroribus affecti damnati ſunt; quodque Innocentii XI. Bulla conſecuta eſt, ſtatutam per Decretum damnationem confirmans, atque nonnullas pœnas huic Hiſpano Presbytero ſolvendas adiiciens.

Critices neceſſitas ad dignoſcendam mendacem pietatis rationem.

Non erit itaque abs re dicere, ut prima tanti mali capita explorari poſſent, neceſſum fuiſſe, tot hujus generis librorum, præter alios a Congregatione reprobatos, incorruptum judicium & delectum habere; venenum ſub utriſque latens detegere; adverſum fictam pietatem iſtam fideles præfulcire, tutas tandem monſtrare ſemitas, ne in diverſis vitæ interioris ſtatibus aberraremus.

Non diſſimulo Scientiam Eccleſiaſticam integerrimæ innixam Theologiæ ſatis ad hæc omnia ſuperque fuiſſe; nemo tamen arbitror, repugnabit Criticen quoque non contemnendam tanto muneri operam dediſſe.

Decreta Gallorum Præſulum in Quietiſmum.

Qui revera abſque præſtantis hujus artis luminibus ampliſſima & ornatiſſima Decreta, expugnandi *Quietiſmi* animo, interpoſuiſſent, & Inſtructiones Paſtorales divulgaſſent &c. tot eruditi Galliarum Præſules; multique Scriptores alii tot in rem hanc ſolida Opera edidiſſent? Conjice tantum oculos in Decretum Archiepiſcopi Pariſienſis decimo Septimo Kal. Novembris 1694. in aliud Boſſueti Meldenſis Epiſcopi decimo ſexto Kal. Majas 1695., in illud Epiſcopi Catalunici, nunc Cardinalis & Archiepiſcopi Pariſienſis, ſexto Kal. Majas 1695., in illud Epiſcopi Noviodunenſis octavo Idus Majas 1697., atque in illud Epiſcopi Carnutenſis: perſuaſumque tibi erit, quam eſſet prudentiſſima Critice neceſſaria; ut accurate, quod omnes præſtiterunt, recitarentur falſorum Myſticorum univerſi errores; diſcretio ipſorum fieret; diſtinctione ſumma *Quietiſmi* Dogmata, Moralis, & conſecutiones horribiles ſignificarentur; fallacium Myſticorum dicta a proborum dictis ſegregarentur; diligenter loca indicarentur, in quibus virus hoc diffuſum eſt; multi palam fierent peſſimi libri; de quibus in Romanæ Inquiſitionis decreto ſilentium eſt; ſcita inconcuſſa ad tuendam mentis Orationem, ejuſque uſum fidelibus inſinuandum conderentur; & ſingillatim memorarentur ſpiritales Libri a

Ponticus, Hetibertus, & Liſojus Clerici Aurelianenſes, qui Sæculo XI. proximi fuerunt; Margarita Porrecta flammis tradita Pariſiis circiter annum 1210; Beguardi & Beguinae ſequenti ſæculo orti; Joannes Mercurtius, qui miram ſpiritus doctrinam docuit ſæculo XIV. Berengarius Verucanus; & Echardus Theologus Germanus ab Joanne XXII. Pontifice damnatus; *Illuminati* tandem Hiſpaniæ Guerinus S. Georgii Rodienſis Parochus, Simon Morinus Albamalenſis, pluresque alii fanatici homines.

Vi-

Viris pietati addictis citra illuſionis periculum legendi. Quonam demum pacto, non emicante Critices ſplendore, digitum, pene dixerim, intendiſſent ad quinque ipſi obvios ſenſui caracteres; unde deprehendantur ii, qui inter loquendum extraordinarias elationes, atque inter orandum ſe fallaciter ſublime ferri ſimulant?

Si Patres unquam multorum Conciliorum, uti a nobis inferius teſtatum fiet, ad Criticen confugerunt; aſſerere licet, Autores triginta quatuor Articulorum Iſſii, domi nimirum Seminarii S. Sulpicii, factorum, eam minime tunc neglexiſſe. * Hi etenim triginta quatuor Articuli dici queunt totidem effata & præſcriptiones, quibus non omnes tantum *Quietiſmi* errores funditus tolluntur; verum etiam Vitæ Spiritalis germanæque Orationis conſtantiſſima principia ponuntur. *Articuli d'Iſſi in Quietiſmum.*

Novi equidem Scripturam, Traditionem & Theologiam Articulorum iſtorum animam velut eſſe, & fulcimentum; nihilo ſecius ambigendi locus non eſt, illis ſolertiſſimam quoque Criticen adjumento fuiſſe, cum in eis rectum miremur in extricandis *Quietiſmi*, quem damnant, erroribus diſcrimen; cumque oporteret in iſtius damnatione optima, quibus abuti poterant, tenere pronunciata; maloſque uſus & adulterinas conſecutiones, inde duci faciles, prævertere: quod ſane eſt Articulorum iſtorum inſtitutum.

A Critices item fructibus arcenda non ſunt egregia Opera multa, cum ad oppugnandos *Quietiſmi* errores, tum ad veram Spiritus rationem ſtatuendam lucubrata. Principem inter hæc locum dabimus Inſtructioni Paſtorali Eminentiſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Sexto Kal. Novembrii 1697. in vulgus editæ *de Perfectione Chriſtiana, & Vita Interiori*: in qua Sacræ Scripturæ ſenſis, Patrum Doctrina, & utriuſque Scholaſticæ & Myſticæ Theologiæ principiis cuncta *Quietiſmi* errata ita coarguit; ut Scriptum hoc Eccleſiaſticæ doctrinæ in rem hanc Summa merito vocari poſſit. Neminem latet, quanti habitus ab omnibus ſit Boſſueti Epiſcopi Meldenſis liber nuncupatus: *Inſtructio de Orationis ſtatibus*; non ſecus ac cetera ab eodem ſapientiſſimo Præſule hujus argumenti conſcripta Opuſcula. Anno 1690. prodiit ex Italica in Gallicam Linguam converſus, Liber cui titulus: *Quietiſmus*; *ſive illuſiones novæ Quietis Orationis*; exquiſite admodum elaboratus. Adde Nicolii alium adverſus *Quietiſmum* Tractatum de Oratione docti P. Maſſulii ex Prædicatorum familia adverſus eoſdem errores; quatuor Dialogos poſthumos Flechierii Epiſcopi *Opera, in quibus Pſeudo Myſtici refelluntur.*

* Conſilium, cur in colloquium venerint Iſſii anno 1694. Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis; Archiepiſcopus Pariſienſis; Abbas Fenelonus, in præſens Archiepiſcopus Cameracenſis; & Tronſonus, illud fuit, ut doctrinam & Libros Mulieris Gujon ad trutinam revocarent.

Ne-

Nemauſenſis revera excellentes, & noviſſime prelo ſubductos inter varia illuſtris hujus Epiſcopi Opera.

Scripta de genuina Spiritalis vitæ ratione.

Dum autem præclari atque eruditi Præſules & Scriptores iſti ad ſubvertendam novam Spiritus rationem animum adjicerent; non defuerunt, qui ad jacienda veri Amoris Dei, & Optimæ Orationis fundamenta ſe conferrent. Pervagati ſunt Tractatus *de Amore Dei* P. Maſſulii, & Libellus Cordemii inſcriptus: *Deſideria cœli*. Accedant, ſi libet, Tractatio anonyma *de Amore Summi boni*. Pariſiis 1699., *Norma veræ Orationis*, R. P. Grangii Prioris Villiers le Bel eximia moderatione & accuratione exarata; *Inquiſitio viarum interiorum*, Raymundi Chaponelii Canonici Regularis Sanctæ Genevieſæ; abſque eo quod prætereamus aureum librum *de Spirituum diſcretione*, Cardinali Bona autore, anno vero 1701. Gallice redditum, in quo pulcherrimæ proponuntur regulæ ne pietati ex Orandi Studio dediti homines a viſis, manifeſtationibus, aliiſque ſimilibus extraordinariis operationibus illudantur. Extat etiam Opus hujus nominis. *Traditio Patrum, & Autorum Eccleſiaſticorum de Contemplatione*; quod Sanctum exercitium hoc omnium ſæculorum Traditione confirmat, & certas pro vera Oratione regulas edicit. Nonnullas pariter adnectit Scriptor ad Theologorum Myſticorum autoritatem pertinentes, ſive generatim, ſive ipſorum collatione habita inter ſe, aut cum Theologis Scholaſticis, aut cum Patribus item Eccleſiæ quoad res Myſticas. Tum multas fert de Librorum Aſceticorum delectu; ſexdecim, ut utiliter, & citra errorem legantur hujuſmodi Scripta; undecim demum de Myſticorum Autorum intelligentia, atque de ipſorum doctrinæ judicio.

Tom. 2. diſſert. 9. pag. 589. & ſeq.

Critices regulæ de Libris Aſceticis.

Tot itaque Operibus, Critices præſidio fultis, Myſtica Theologia, Scientia nimirum de rebus Animæ diſputans, (atque heu nimium præteritis temporibus contemta!) adeo perfecta eſt, certis ſepta cancellis, claris firmiſque aucta principiis atque in novo lumine collocata.

De Ritibus Superſtitioſis.

Ritus ſuperſtitioſi res ſacras attingentes.

IX. Induſtria quoque Critices effectum eſt, ut abiicerent fideles ritus quoſdam ipſorum Chriſtianorum autoritate firmatos; quamquam Lege divina damnati, a Patribus proſcripti, rectoque eſſent adverſi judicio. Eo uſque proceſſerant Superſtitiones iſtæ ut per res ſanctiores fuſæ, Vaſa Sacra, Sacerdotum veſtes, externas Miſſam celebrandi diſpoſitiones occuparent, ne exceptis quidem Sacramentis; quin perſequar infinitas pene de aliis generibus ſuperſtitiones.

Uſus Superſtitioſi Virgæ divinantis.

Præter iſtos ſuperſtitioſos uſus invaluerunt non pauci magno populorum

rum plauſu noſtris temporibus excepti. Hujuſmodi ſunt, qui ad Virgam divinantem ſpectant, qua perveſtigari putant fontes, metalla, agrorum fines, fures, atque homicidas. Ab his non longe diſtat aquæ frigidæ ad veneficos deprehendendos experimentum. Ideo autem magnos & frequentes uſus habuit Virga ſuperſtitioſa, quod patronos ex Eruditorum quoque numero repererit; qui id totum Phyſicis cauſſis, virtutique naturali, nihil ſuperſtitioſum per ipſos præſeferenti, tribuerent. Princeps ſuper hac materia Opus Abbatis eſt Vallemonti hoc titulo: *Phyſica occculta*, ſive *Tractatus de Virga divinante*; in quo nullam Autoritatis, rationis, & experientiæ vim intentatam reliquit; ut Virgæ effectus a ſuperſtitione alienos eſſe evinceret.

Verum penſitatis omnibus iſtis Ritibus ante Tribunal Critices, ſincera Theologia & accurata Phyſice ipſi adſtipulantibus, emerſit levitas & ſuperſtitio. Tractatus *de Superſtitionibus* a Thierio 4. Vol. in 12. publici juris factus ad mores ſuperſtitioſos ab hominum animis extirpandos non parum contulit. *Hiſtoria* deinde *Critica de ritibus Superſtitionis* docti prudentiſque P. Bruni Oratorii Præsbyteri invictis rationibus diligentiſſimæ Critices regulis munitis planum fecit, Virgæ conſuetudinem ſine ulla controverſia ſuperſtitione imbutam eſſe, quidquid in adverſam partem congerant ingenia, quæ ſe robuſta venditant, aut credulus & rudis populus. Inter Diſſertationes a Ducangio in *Gloſſario* comprehenſas non paucæ de vulgaribus differunt purgationibus: uti pro ſingulari certamine aqua frigida adhibebatur vel calida, ferrum candens, Euchariſtia, Crux, Evangelium, fruſtum panis, jejunium, & id genus alia, communi vocabulo *Judicia Dei* nuncupata.

ARTICULUS V.

Alii Critices fructus.

QUandoquidem animadverſiones meas excitavi in regulas tantum & uſum Critices quoad ad Scripturam Sanctam, Autorum Eccleſiaſticorum Opera, Eccleſiæ & Sanctorum Hiſtoriam, nec non Theologiam; abs re futurum videbatur, aliorum Critices fructuum mentionem facere, quam eorum, quos de illis ſtudiorum generibus protulit. Nihilo tamen minus cum Diſſertationis hujus argumentum ſit Critice in Univerſum; viſum eſt in hac iis quoque locum dare, qui alias facultates proxime attingunt. Sunt autem uberes adeo, ut lectiſſimos percipiamus

mus ex quavis cognitione, cui lucem affert ſuam, quocumque tandem nomine, aut *Humanarum Litterarum*, aut *Philologiæ*, * aut *Liberalium Artium* appelles.

De Humanis Litteris.

X. Signatum eſt verbis iſtis ſtudium veterum Autorum profanorum; cum Oratorum, tum Hiſtoricorum, & Poetarum; nec non Operum Lectio ab Eruditis confectorum, qui in eo elaborarunt, ut profanos ſcriptores caſtigarent, exponerent, noviſque typis emitterent. Quo plane ſenſu certum eſt, humanas Litteras Criticæ debere plurimum; ſiquidem minimum præſtantis Artis hujus emolumentum nequaquam eſt, eas ſummorum ævi noſtri Criticorum aſſiduitate nunc temporis maxime florere.

Quæ profecto humanis Litteris officia non perſolverunt Turnebii, Budæi, Politiani, Eraſmi, Scaligeri, Saumaſii, Juſti Lipſii, Grotii, totque alii, qui in hoc Litteraturæ genere tantum operæ ſtudiique, favente Criticæ exquiſitæ lumine, poſuerunt?

Atqui iſtorum quamquam illuſtrium Criticorum in humanas Litteras Opera minime penes nos eſſent; aut careremus diverſis Lectionibus Petri Victorii, & Mureti; animadverſionibus Scioppii in Linguam Latinam, Cardinalis Hadriani, P. Vavaſorii, qui præterito ſæculo unus inter Europæ homines fuit, qui Latinæ Linguæ ſtructuram & venuſtates melius intellexerit, eamque ab Auguſti ſæculo purius & elegantius omnibus uſurpaverit: quantas habent opportunitates Interpretes, ſeu Scholiaſtes ad uſum Delphini; ** quorum extant quinquaginta Volumina in 4. Editionis Pariſienſis, ſive octoginta in 8. Editionis Batavorum, triginta veteres Autores complectentia Textum illico protulerunt optimorum MSS. fide emendatiſſimum; tum inde interpretationem Paraphraſis ritu, qua dilucide facile, & brevi, Scriptorum explicatus reddere ſtuduerunt; acceſſione facta eruditarum adnotationum pro locorum intelligentia ad Hiſtoriam & antiquitatem ſpectantium: quod ſane nonniſi a prudentiſſima Criticæ, atque a recondita illorum eruditione, qui hæc omnia contenderunt, proficiſci potuit. ***

* *Philologia* quodam Scientiæ genus notat, quod ex Rethorice, Poetice, Antiquitatibus, Hiſtoria, Philoſophia, aliquando Matheſi, Medicina, & Juriſprudentia componitur. Baill. Jud. Sap. t. 2. p. 2. pag. 5.

** Hi ſunt, qui Gallorum Regis imperio in interpretandis illuſtrandiſque multis antiquis Autoribus, uſui Delphini futuris, plurimum laborarunt ſub regimine Ducis Montauſierii, extincti Epiſcopi Meldenſis, & Abbatis Huetii, deinceps Epiſcopi Abrincenſis conſulto.

*** Hac ratione accepimus a Daneto *Phædrum*; a Creſpino *Saluſtium*; a

Vete-

Veterum Autorum ſtudium, a Critice perfectum, optimum Eloquentiæ, Poetices, Philoſophiæ, Mathematum, & omnium univerſe liberalium Artium ſenſum rurſus excitavit. Quod ſi propter inventa multa ad excelſum perfectionis gradum diſciplinæ hæ omes aſcenderunt; hujuſmodi commodum ſibi vendicat Critice; quæ politum & limatum judicium mentibus iterum hominum inſeruit.

De Academiis.

XI. Ea ſunt præcipua, quæ ab humanarum Litterarum ſtudio commoda hauriuntur, ut recte loqui, accurate pronuntiare, caſte integreque ſcribere addiſcas. Inde etiam expolitur ingenium, roboratur atque perficitur ratio, optimus ſenſus judiciumque in omne Litteraturæ genus comparantur: quæ univerſa ab una manant Critice. Quocirca perſpectum habemus, ubicumque, ſive in Galliis, ſive in Italia, ſive in aliis Europæ partibus, in quibus conſtitutæ Academiæ ſunt, impenſam fuiſſe ſtudioſiſſime humanis Litteris, Scientiis, cunctiſque generatim liberalibus Artibus operam, quæ maximum ſemper fuit iſtarum Societatum inſtitutum, quas nullum ante noſtrum ſæculum ita florere conſpexit.

Cum autem horum membra auguſtorum Conventuum humanis Litteris exornandis aſſidue vigilent, ſintque naturales aliqua ratione Judices, & communes omnium politioris Litteraturæ Librorum Cenſores; non eſt cur miremur, præſtanti merito, intelligentia exquiſita, accurata Critice, & recondita eruditione homines (neque enim ſine virtutibus iſtis in tantorum Cœtuum album efferuntur) adeo egregia bona, quoad ea, quæ ipſius rei ſunt, Litterariæ Reipublicæ peperiſſe.

Non eſt plane compertum tempus, in quod incidat Academiarum origo. Non longe tamen aberit a vero quicumque illarum initium, quam tardiſſime, ante medium XV. ſæculum ſtatuet; cum Joannes Baptiſta Guatinus, qui anno 1460. deceſſit, inter Romanos, Florentinos, Venetos, Parmenſes & Ferrarienſes Academicos cooptatus fuerit. Sunt por-

Camo *Terentium*; a Courtino *Cornelium Nepotem*; a Riguero ex Societate Jeſu *Vell. Paterculum*; a P. de la Rue *Virgilium*; a Baunio Jeſuita *Panegiricos Veterum*; a Cantelo ejuſdem Societatis *Juſtinum*, & *Valerium Maximum*; a Tellerio ejuſdem familiæ *Quintum Curtium*. *Plautum* edidit Leuræus; *Manilium* cum Huetii notationibus Fayus; *Juvenalem & Perſium* Deſprezius; *Claudianum* Ryronius; *Martialem* Collaſſanius; *Titum Livium* Doujatius; *Florum*, *Aurelium Victorem*, *Dictyn Cretenſem*, & *Eutropium* Feureus; Verrium Flaccum in Epitomen a Pompejo Feſto redactum Dacierus; Catullum, Tibullum, & Propertium Du-Bois; Svetonium Barellonius Meruvillii demum Jeſuitæ ſtudio Orationes Ciceronis; Pichonii Tacitus; Harduini Plinius, Rodeillii ex eadem Societate Horatius prodierunt.

rò ſuæ fermæ omnibus Italiæ Urbibus Academiæ ſatis lepidis nominibus inſignitæ. * Gallica vero illa, quæ *Academia Gallica* nomine proprio inſcribitur, etiamſi non ſit niſi ad duo ſæcula poſt Italas exorta; nihilo tamen minus per id temporis ducitur eſſe Europæ celeberrima.

Academia Gallica. Hujus fundamenta jecit Rex Ludovicus XIII. qui a Cardinali Richelio rogatus Litteris patentibus anni 1635. eam ad Societatis formam compoſuit; licet ejuſdem rudimenta prima paullo ſint antiquiora. ** Academicorum numerus in quadrageſimo ſiſtit; neque ab his Religionis negotia geruntur: quod ſi Theologicum aliquando Opus revocent ad examen; ad voces tantummodo & Operis ſtructuram judicium vertitur. Quod primum illuſtris hujus Societatis nomen tulit, opinio fuit ab ipſis de Cid allata, atque labente anno 1637. hoc titulo in publicum producta: *Senſa Academiæ Gallicæ de Tragicomedia Cid.*

Menſe Decembri 1637. in cogitationem venerunt Lexicon conficere, eo conſilio; ut Gallicam Linguam ſtatuerent, atque ad faſtigium perducerent. Lexicon iſtud poſt non pauca laboris intervalla a typographorum tandem manibus exivit anno 1694. in cujus fronte Academicorum omnium ab Academiæ inſtitutione texitur Catalogus.

Aliæ Academiæ. Aliis rurſus Academiis decoratur Gallia. Pariſiis ſedem locavit *Academia Regia Scientiarum*, cœtus nimirum Eruditorum partim Phyſicorum, partim Mathematicorum a Colberto 1666. ſociatus; at diſſimili longe con-

* Extat Florentiæ Academia ſub nomine *della Cruſca*, quæ in Itala Lingua perficienda tota eſt. Academici Senenſes vocabulo appellantur *degl' Intronati*. Sunt Romæ *gli Umoriſti*, *i Lincei*, *i Fantaſtici*, *gl' Infecondi i Pellegrini*; Bononiæ *gli Oziosi*; Januæ *gli Addormentati*; Patavii *i Ricovrati*, *e gli Orditi*; Vicentiæ *gli Olimpici*; Parmæ *gl' Innominati*; Mediolani *i Naſcoſti*; Neapoli *gli Ardenti*; Mantuæ *gl' Invaghiti*; Papiæ *gli affidati*; Cæſenæ *gli Offuſcati*; Fabriani *i Diſuniti*; Faventiæ *i Filoponi*; Anconæ *i Caliginoſi*; Arimini *gli Adagiati*; Tiferni Tiberini *gli Aſſorditi*; Peruſiæ *gl' Inſenſati*; Firmi *i Raffrontati*; Maceratæ *i Catenati*; Viterbii *gli Oſtinati* Alexandriæ Statiellorum *gl' Immobili*. Brixiæ *gli Occulti*; Tarviſii *i Perſeveranti*; Veronæ *i Filarmonici*; Cortonæ *gli Umoroſi*; Lucæ *gli Oſcuri*. Joannes Baptiſta Alberti de Academiis.

** Ad annum 1629. privati nonnulli Litterarum amatores & ſingularis meriti homines, qui diverſa Pariſiorum loca incolebant, apud illorum quempiam quodam per ſingulas hebdomadas die convenire decreverunt. Erant autem Godavius nondum Eccleſiæ addictus, deinde Epiſcopus Grinnicenſis; Gombaudus; Conrartus; Gyrius; Habertus Tormentis bellicis Præfectus. Abbas Ceriſy, frater ejus; Seriſæus, & Mallevillæus, qui domum Conrarti cogebantur. Acad. Gallicæ Hiſtoria. Virorum iſtorum ſtudiis exorta eſt Gallica Academia; cum etenim novem illis alii ſubinde ſine mora adderentur, unus horum Boiſrobertius fuit, qui pro ſumma, quam inierat ab Richelio gratia, Cardinalem de his omnibus, quæ in hoc agebantur Conventiculo cerriorem fecit, adeoque Membrorum ejus merita amplificavit; ut deliberationem cœperit ipſius patrocinium ſuſcipiendi, illudque Regis autoritate muniendi Edicto anni 1635.

ditio-

ditione * ab ea, ad quam adductus eſt, nova adhibita moderatione juſſu Regis 16. Januarii 1699. quam ipſi exorarunt auſpicio Pontiſchatrini tunc Miniſtri & Regni ab Epiſtolis, nunc Galliarum Cancellarii; & Abbatis Bignoni ejus Nepotis benevolentia. Academia Regia Inſcriptionum Societas alia eſt, ** iſti ætate pene æqualis; quique in eam recipiuntur, Hiſtoriæ veteri & recenti, præſertim Galliæ, Numiſmatibus, Inſcriptionibus, aliiſque antiquis monumentis indulgent. Academia Picturæ, & Sculpturæ, inſtitutore Colberto anno 1676., in his Artibus excellentiores comprehendit. Anno vero 1671. initium fecit Academia Regia Architecturæ.

Academiæ nomen accomodare etiam poſſumus Societati Regiæ Londinenſi, quæ naturæ inveſtigandæ enixe incumbit. Id ipſi decori eſt, quod ab Anglico Rege condita ſit, atque ab Eboracenſi Duce, & Principe Roberto exculta; quo fit, ut in ſeſe contineat ſummos tantummodo Viros, cum meritis ſuis commendatos, tum ſecretiorum naturæ arcanorum, & elegantiorum Artium omnium documentorum notione admodum peculiari ſpectandos.

Germania quoque ſæculo iſto pluribus Eruditorum Societatibus ornatur; in quarum numero recenſeas Lipſienſem a quodam Anhaltinæ Domus Principe ſub titulo *Societatis frugiferæ* conſtitutam; aliamque Berlini ab Electore Brandeburgenſi ineunte circiter ſæculo iſto, quam animo diſciplinas, Hiſtoriam, humanas Litteras, & Germanicam Linguam excolendi concivit. Leibnitius in Epiſtola Pinſono Patrono per id temporis data, ſe novæ hujus Societatis conſilio contuliſſe fatetur. Memoriæ Trevolt., Menſibus Jan., & Febr. 1701. pag. 178.

Quod ſi cunctæ iſtæ Academiæ, nonnullæque aliæ Humanarum Litterarum, Artiumque profectui & perfectioni adjumenta non pauca attulerunt; univerſa hæc Criticæ facultatis luminibus, & polito poſtremorum temporum judicio tribuamus.

De Eloquentia Sacra & Forenſi.

XII. Nemo ſane unus repugnabit Eloquentiam Sacram Criticis cognitionibus adſtrictam eſſe plurimum; cum iſtarum auxilio infinitas macu-

* Academia Regia Scientiarum ſeptemdecim Academicis conſtavit, quoad Regulam anni 1699. ſeptuaginta locum dedit, videlicet decem honoris titulo alcitis, vulgo *Honoraires*, viginti penſionem exigentibus, viginti Sociatis, & viginti Aſſumtis. Ædium Luparenſium partem Rex ipſis ſegregavit, in quam diebus Mercurii & Sabbathi convocantur.

** Academia Regia Inſcriptionum primo novem tantũ Academicos complectebatur, donec per Regulam 16. Julii 1701. ſancitum eſt, ut ad quadraginta aſcenderet. Luparam hi pariter cõgregantur diebus Martis & Veneris.

las deterſerit ſæculorum barbarorum vitio contractas, quas revera ante præterii ævi exitum minime delevit, quaſque nobis feſtive ob oculos poſuit Abbas Villerius Poeta in *Arte concionandi ad Abbatem*.

Eadem magna nobis ſubſidia comparavit ad Oratores egregios effingendos; quæ in multis Operibus hac de re vulgatis diſperſa ſunt, inter quæ collocanda ſunt *Eloquentia Suggeſti & Fori*, Abbatis Brettevillii; Rethorica Richeſurcii; Liber *Effatorum de Miniſterio Suggeſti*, Pariſiis editus an. 1711., in quo excellentes tradit Autor regulas pro Concionibus, cum dicit v. g.

„ Quicumque ingenio, pietati, ſtudioque flagranti ſolertiam addit, „ limatum judicium, acrem intelligentiam, memoriam fidelem, temperatam audaciam, ſuavem aſpectum, ſedatum geſtum, clarum vocis ſonum & vim, quæ flectat animum, moveatque: ille profecto ſe Sacri „ Oratoris dotibus ornat & locupletat. „ Si cui autem in rem videatur præclara exempla præſto habere, quæ ſibi ad imitandum proponat; non defuit Critice hujus generis quoque ſuppeditare *Speculum Concionatorum* a Viro Religioſo Congregationis Sancti Mauri pervulgatum; Sermones Biroati; Panegyricos P. Senaulti; Sermones Fromenterii Epiſcopi Aturenſis; Sermones Morales; Specimen Sermonum Abbatis Brettevillii; idem Opus P. Bourdaluvii, Flechierii Epiſcopi Nemauſenſis, aliorumque multorum. Aures etiam præbemus hodierna die celeberrimis Oratoribus, qui Sacram Eloquentiam videntur ad eam perduxiſſe perfectionem, ut nihil poſſit eſſe ſupra.

Si Moralis Chriſtianorum Lex nos docet, cavendum eſſe omnibus, ne ſe ipſi in Verbi divini adminiſtrationem ultro inferant & intrudant; ſed præſtolandam eſſe divinam vocem, qui juſſa ſua per Superiores Eccleſiaſticos comperta facit, quos ad procurandam Eccleſiam Summi Numinis Providentia delegit: ſique nemo munus iſtud, niſi timide & pedetentim obire debet; veritus né illo abutatur, & peſſime tractando ſterile reddat: ſi demum Sacro Oratori Sermones ſuos lucubranti non minus cor, quam ingenium ſuum eſt conſulendum: non ſecus Concionatoribus tradit Critice Chriſtiana, neceſſum fore, ut lautam & magnificam ſupellectilem a Scripturis Sanctis, & Patrum Lectione parent, uti Sanctorum Joannis Cryſoſtomi, Auguſtini, Gregorii, & Bernardi qui quatuor veluti Oratorum Sacrorum Doctores habendi ſunt. Eoſdem inſtituit etiam, ut aliquod nanciſcantur a Morali doctrina petitum argumentum ſatis explicatum apteque propoſitum; neque ingenioſa cogitata, antitheſes & acuto quoſdam mentis jocos, unde nihil frugis, aucupentur; ipſorumque eſſe Orationes ſuas Auditorum diſpoſitioni & viribus accommodare, & quantum intererit, ut intelligantur, deprimere; quin tamen Verbi divini dignitas vel minimum diminuatur.

Quam

Digitized by Google

Quam plurimas hujuſmodi animadverſiones, ſimul atque perfecta exemplaria intuemur, cum in Autoribus ſuperius citatis, tum in tertio Tomo Speciminis Moralis, & in continuatione ejuſdem Speciminis, in Evangelium die Martis quartæ Hæbdomadæ Quadrageſimæ recitatum. Præter viginti Volumina Sermonum, quos R. P. Houdrius e Societate Jeſu typis commiſit; anno 1702. poſteris commendavit Volumen, cujus inſcriptio habet: *Modus imitandi optimos Concionatores, cum Tabulis &c.* in quo egregia tradit præſcripta in prædicatione ſervanda; quidque perficere opus ſit, ut bonos Oratores imitemur, neque nos a malis depravari patiamur. Critices tandem curæ fuit multa Sacris Oratoribus eximia Opera comparare, quæ ipſis plurimas ſuppeditent exquiſitas propoſitiones in quodlibet argumentum Moralis Chriſtianæ, rationem illas adhibendi, & materiem ad eaſdem locupletandas. Huc pertinet *Scientia generalis Suggeſti*, ſive *Lexicon Morale*. Pariſiis 1700. 5. Vol. in 8., cui addas *Bibliothecam Concionatorum*. Hujus Operis Autor quamcumque ad perorandum ſubjectam rem ſex implet Paragraphis. Prima complectitur nonnullas Aſſumtiones; ſecunda copioſum ſubminiſtrat Autorum ea de re diſputantium Indicem; tertia & quarta perſequuntur quidquid haurire poſſumus e Theologia; poſtrema Epitomen continet Meliorum ætatis noſtræ Concionatorum, qui Sacris Oratoribus ſive exemplo eſſe, ſive ſegetem præbere queant. Conſtabit Opus hoc 8. Voluminibus in 4. Lugduni 1712. quorum duo priora lucem jam publicam ſubierunt, reliqua ſubitura ſunt.

Si vero ab Eloquentia Sacra ad Forenſem convertendus ſit ſermo, maximum ſtatim a Critice in eam importatum deprehendemus emolumentum. Non etenim alii, quam recto ſenſui per ipſam inducto vendicare poſſumus moderationem & honeſtatem illam in locum mordacis & incitati cujuſdam ſtyli ſuffectam, qui maledicendi artem nonnihil redolebat.

Viſum ſane eſt pravum Græcorum & Latinorum exemplum, quorum Eloquentiam peſſimæ ſæpius in adverſam partem animi affectiones vitiabant, ad Gallicos Patronos & Oratores propagatum fuiſſe, & vitium hujuſmodi ſenſim in forum irrepſiſſe; cum eam nonnulli abjecerint temperantiam, quæ dirigendis Actionis motibus, & Judicibus perſuadendis eſt tantopere neceſſaria. Verum in præſens ex hoc pudendo morbo undique ferme recreati ſumus; ex quo Critice ſanam de rebus judicandi vim ab omnibus culpis iſtis quam longiſſime abhorrentem reſtituit.*

* P. Rapinus, animadvertente Bailleto, gloriam defert Præſidi Lamoignooo, quod Forum his injuriarum generibus, & plebeiis formulis expurgaverit, quæ uſurpatum in triviis & compitis loquendi morem ſapiunt. Sap. tom. 1. p. 2. c. 8. pag. 362.

De Ope-

De Operum lucubratione.

XIII. Non modo nos Critice recte loquendi, verum libros quoque recte lucubrandi diſciplina crudivit; ſique per hæc tempora adeo polite Autores ſcribunt, atque Opera conficiunt, in quibus accuratio & diligentia cum ſcientia & eruditione certant, hoc eſt Critices luminibus referendum, cum ſi ad ea attendas, quæ præſtanda ſunt quando primo ſuſcipis ſcribendi conſilium, tum ad ea, quæ ad titulum & prœmium pertinent, tum etiam ad rationem propoſitum hoc perficiendi, tum denique ad probam Sententiam de libri alicujus bonitate enunciandam.

Critices Regulæ de recta ſcribendi ratione.

Ephem. Sap. 7. Januarii 1704 in Epitome Diſſert. P. Garmon. Lectio Patrum parte 1. c. 7. & 15.

Spanheim. Epiſtola ad Amicum in Hiſtor. Critic.

Mabillonius de Stud. Monaſt. p. 2. c. 15.

Bailletus in Judicio Sap. t. 1. p. 2. c. 11.

Ars Cogitandi.

Exquiſita intelligentia homines nos monent e germanæ Critices præſcripto: cavendum eſſe omnibus in ſcribendi cogitatione verſari, antequam plurima pro rebus in univerſum, & pro peculiari, quam ſibi ad ſcribendum ſubiicere intendit, materia ſepoſuerit: æquum viribus ſumendum eſſe argumentum; quod ut fiat, optimum fore, Virum aliquem ſtrenuum, noſtræque facultatis peritum conſulere: neque ignorandum dictionis rei tractandæ accomodatioris delectum habere: diverſo namque opus eſſe ad Eloquentiæ Scriptum ſtylo, alio ad Hiſtoriam, atque ad Diſſertationes & Animadverſiones plane diſſimili: præ oculis denique ſtatuendum eſſe exemplar egregium, quod in officio ingenium contineat, ejuſdem regat motus, mentiſque impetus moderetur atque cohibeat.

Hujus Artis præceptores monitos nos quoque volunt, in rem eſſe, ut Libri titulus ipſius ſit veluti compendium, ejuſque indolem abſolute, quoad fieri poteſt, exprimat: Libri ſortem, Autoriſque famam ex eo maxime pendere, quod inſcriptio accurata ſit, ſimplex, a natura fluens, ab obſcuritate remota, a dubiis aliena, neque ſpeciem quamdam præſeferens rudem, acrem, & inflati animi notam: & legendum non raro, dum Opus conficitur, titulum eſſe, providendumque, ne ab eo flectas, aliud præ manibus habendo, quod non ipſe indicaverit.

Tametſi Proœmium minimum rei eſſe videatur, nihilo ſecius, ſi recte ſit inſtitutum, Lectorem in intimam Autoris cognitionem ducit, cui janua veluti eſt atque veſtibulum. Verum cum multi operis ſit, rem tantam cedere proſpere; clariſſimi Critici noſtri nonnulla illuſtrium Operum Procemia in exemplar nobis propoſuerunt: ſcilicet Præfationes noviſſimarum Editionum S. Ambroſii, S. Auguſtini, S. Hilarii, S. Bernardi, Marii Mercatoris, Opuſculorum P. Sirmondi, &c.

Ut autem ad compoſitionem Operum deſcendamus; Critices certe luminibus debemus prudentem rerum agendarum delectum, naturalem ordinem, quo ſunt collocandæ, atque elaboratam eaſdem explicandi ratio-

Digitized by Google

tionem: ab ea etenim didicimus operæ pretium eſſe, ita res diſponere, ut modus afferat jucunditatem; ſtylumque adhibere nitidum, purum, apertum, caſtigatum, & nullatenus impeditum. Per eam novimus argumentum probe meditari, exquiſitam totius Operis ſtructuram componere, res omnes multo ante parare, nihil deſiderandum omittere; nunquam ſe Lectoris oculis veluti ſubducere, aut a propoſito divertere: perſpectum item habere ſemper, quam perſonam ſuſtineamus, quid rei agamus, quibus tandem hominibus Opus illud dirigamus. *

Critice demum optime de nobis merita eſt, quod nos imbuerit, ut ab Operibus amandaremus inutiles digreſſiones, vanas, atque moleſtas; eruditionem ſive extra locum, ſive longe petitam; Græcos & Latinos Textus coacervatos, & ſæpiſſimæ citra diſcrimen & judicium; confuſionem, repetitiones, ſtudium nimis quæſitum, obſcuritatem, reſque minus neceſſarias, quæ Lectorem morantur, tædioque afficiunt; ** verba contumelioſa, dicta elationem indicantia, aut aliorum contemtum, audaciam, acerbitatem, amarum animum, affectionemve aliam, & falſas ante omnia ratiocinationes. Poſtulant ſapientes, ut argumenta intelligentia comprehendi poſſint, recta ſint, atque concluſa. „ Immiſericor- *Fontanella Digreſſo in Antiques.*
„ des certe erimus, ait quidam e noſtris Criticis Eruditis, in damnan-
„ do quolibet, ingenioſiſſime licet excogitato, Opere; ſi modo rem pro-
„ poſitam minime conficiat. „ Præcepta quoque tradit Critice præſeferendi claritatem, nitorem, eruditionem, diſcrimen, rerum convenientiam, modeſtiam, honeſtatem, ſuavitatem, ſummum candorem, atque inviolabilem in omnibus fidelitatem. Animadvertit poſtremo, quamquam nimium poliendo extenuare Opus non præſtet, errata tamen corrigenda eſſe, redundantia amputanda, & lacunas explendas.

* Autor Ephemeridum Sapientum ſub die Lunæ 7. Jan. 1704. in compendium redigens Diſſertationem P. Germoni Jeſuitæ *De veteribus Regum Francorum Diplomatibus*, hæc habet: „ Quod ad rationem attinet, qua
„ deſcripta eſt hujuſmodi P. Germo-
„ ni Diſſertatio, egregia plane eſt,
„ omnibuſque, qui ſcribendi ſuſci-
„ piunt onus, exemplo eſſe poteſt.
„ Res ad diſputandum ſubiectæ eo
„ ſunt ordine digeſtæ, ut volupta-
„ tem legentibus ingerant, nitidus
„ ſtylus eſt, purus, clarus, caſti-
„ gatus, & nullo involutus impedi-
„ mento. Patris hujus differendi mo-
„ dus dulcis eſt, limatus, atque al-
„ liciens; & moderatio in eo ſum-
„ ma reſplendet, nec non incredi-
„ bilis eorum quoque habita ratio,
„ in quos invehitur.„

** Si Thierio adhibenda fides eſt, *Flagellantium* hiſtoria omnibus iſtis ferme erroribus affecta eſt. Animadvertit ejus titulum ineptum eſſe, obſcuram dictionem & ſtrigoſam, deſcriptiones obſcœnas, dicta multa cenſura digna, nutantia principia, male deductas concluſiones, peſſime perceptos Autores, Anachroniſmos, & mendaces citationes continere. Memor. Trevolt. Menſis Junii, anni 1703 art. 98, pag. 976.

Digla-

Digladiantur Sapientes in virtutibus alicujus Operis aſſerendis, ut inter bona recenſeri poſſit. *

Sunt qui nihil flagitant ſupra optimum judicium, & rei exeutiendæ intelligentiam. Quatuor expoſcunt alii; prudentiam nimirum, aut diſcretionem, ſoliditatem, nitorem aut ordinem, & brevitatem. Non deſunt, qui ſatis eſſe putent ſcientiam, accurationem, eumque congruentem rerum uſum, qui harmoniam & proportionem efficit Operum. Accedat itaque Critices fructibus, eam nos informaſſe, ferendum eſſe de Librorum bonitate aut pravitate judicium, eum ex materie, in qua verſantur, tum ex forma, quam in illos Autores inducunt: Libri boni nomine donandum non eſſe eum, qui talis omni capite ſit, ſed qui minimis urgetur vitiis: illum quoque bonum Librum dicendum, in quo quid boni reperiatur, ita tamen, ut mediocri & malo bonum antecellat: neque aliquem infra malos detrudendum eſſe, in quo mediocre dominetur: malum autem & bonum æqualem gerant principatum.

Ars Cogitandi p. 3. c. 19. p. 363. Baill. Judic. Sap. T. 1. p. 2. c. 6.

Fert etiam opinio, Opus illud, quod elocutionis cauſſa confectum non eſt, aliquando bonitatem ſuam non amittere quoad materiam; quamvis ipſius ſtylus nullo ſit in pretio: ex. gr. quandiu Hiſtoricus fidelis erit, prudens, probeque eruditus. Philoſophus in ratiocinationibus ſuis rectus, ſolidiſque fundamentis ſuperſtruat: Theologus autem fidei conſentiens ſit, neque unquam a Scripturis & Traditione deflectat; tandiu Scriptores iſti ab incorrupti judicii hominibus Hiſtorici boni, boni Philoſophi, bonique Theologi habebuntur.

Poſſevinus in Bibliotheca Selecta l. 1. de cultu ingen. c. 49.

Non paucas exhibet Regulas Struvius, ad pronunciandum de Libri alicujus excellentia, cogitatas, quarum præcipuæ hæ ſunt. 1. Libro illi potiſſimum advertas animum, qui ab Autore magni propter celebrata Opera ſua nominis profectus eſt. 2. Autorem, qui egregia inſtructus eſt Bibliotheca, illi præferas, qui hujuſmodi caret ſubſidio. 3. Tempus, quo ſe ad Librum exarandum dedit, poteſt pro Autore momentum aliquod afferre. 4. Attendat Autoris ætati & Patriæ, quicumque de ipſius Libro decernere ſtatuit. Verum Scriptores Monumentorum Trevoltientium merito queruntur, haſce Struvii Regulas neque exquiſitas eſſe, neque inconcuſſas. Expeditior, addunt, ad judicandum de quolibet Libro via eſt, ipſum legere, ſi intelligentia valeas; ſi ſecus, ad intelligentes judicium deferre.

Supplementum ad Introduct. de Cognitione Librorum c. 3.

Mem. Trevolt. Februar. 1712. art. 17.

* Oſtendit Deſpravius quænam ſint alicujus præſtantis ingenii Operis venuſtates & ſales. „ Cogitata, inquit, vera, & apta verba. Mens „ ſiquidem hominis natura ipſa innumeris veri ideis referta eſt, atque „ turbata, quas ſæpe numero dimidia ex parte concipit, nihilque „ propterea gratius ipſi poteſt accidere, quam cum aliqua ex his formis ſatis illuſtrata, atque in perſpicuo lumine collocata ante ipſius „ oculos proponitur; In Prefat. Op. div. „

De Librorum Interpretatione.

XIV. Ars Interpretandi Libros ad illud ſpectat ſine controverſia ſtudiorum genus, quod Humanæ Litteræ vocatur, immo ex præcipuis ipſius partibus una eſt. Si autem certum eſt, quam quod in dubium revocari poſſit, Scriptores, alios interpretando, accommodam & elegantem addiſcere elocutionem; pulcherimarum hoc pacto figurarum veluti Theſaurum congerere, facultatem aſſequi prorſus ſingularem exprimendi ſenſa ſua; & Magnos Autores deſcribentes, ſemetipſos aliqua ratione magnos efficere: ſique labore iſto factum eſt, ut poſtremorum Sæculorum Scriptores ad id elegantiæ & mundiciei pervenerint, cujus ne veſtigium quidem pene ante ipſos apparebat, nemo inficiabitur, innumeras fere in unoquoque Librorum genere Interpretationes, ut excellentiora per Criticen parta emolumenta recognoſcere. Hæc eadem Leges condidit, quibus optimi Interpretis conditiones diſpiciuntur, viamque tradit, qua ipſe Autographum ſuum fideliter referat. Utilitas Interpretationum.

Tot ſunt egregii poſteriorum Sæculorum Interpretes, totque Opera ex una in aliam Linguam converſa; ut nullo ea modo conſequi numerando poſſim: ſitque monuiſſe ſatis, Bailletum per dimidio majorem Tertii Tomi Judicii Sapientum partem in illorum enumeratione verſari.

Quod Operum eſt, quæ nobis ad optimos informandos Interpretes Critice comparavit, nullibi excellentiores de Græcis Autoribus vertendis Regulas reperies, quam in *Theſauro Linguæ Græcæ* ab Henrico Stephano quatuor Voluminibus *in fol.* digeſto. Addere licet Obſervationes Sacras Jacobi de Billy; æque ac libellum alium ejuſdem Abbatis, *Græcarum Locutionum Volumen* nuncupatum. At nihil ad Græcorum Patrum Interpretationem prodiit utilius Theſauro Eccleſiaſtico Joannis Gaſpari Sviceri, Amſtelodami duobus Tomis *in fol.* anno 1682. impreſſo. Interpretationes Patrum Græcorum.

Bailletus & Mabillonius ſummis laudibus efferunt Huetii antiqui Epiſcopi Abrincenſis Opus *de Optimo genere Interpretandi*; in quo eruditus hic Præſul qualitates optimo Interpreti neceſſarias, & firmiores, magiſque ad bene Interpretandum cuſtodiendas præſcriptiones Criticas collegit. Nonnullas quoque legere eſt huc illucque in tertio Tomo Judicii Sapientum a Bailleto diſperſas, non ſecus atque in Autore Lectionis Patrum. Aliæ Interpretationes. *Baill. t. 3. pag. 301. & ſeq. Gal. Lectio Patrum p. 4. c. 10. Gall.*

Qui Critices præcepta pro Gallicis Interpretationibus ſervanda tenere deſiderat, evolvat neceſſe eſt Librum a Leſtangio ſuper hac re editum Pariſiis anno 1660.

Sunt autem novem: Primum, Utramque Linguam funditus cognoſcito. *Leſtang. in Præf.*

II. Non modo Autoris ſenſa, verum eadem verba etiam, cum intereſt rei, diligentiſſime vertere ſtudeto.

III. In Autoris ingenio atque indole ſervandis diligentiam adhibeto.

IV. Quoſcumque more ſuo loquentes uſitatis vocibus, & rerum naturæ reſpondentibus inducito.

V. Cum Autori lepores & figuræ exprimi nequeunt, alias iis, quam maxime fieri poteſt, ſimiles reddito.

VI. A longo verborum circuitu ſtudioſe caveto; niſi ſi claritatis aut elegantiæ cauſſa uſurpetur.

VII. In purum & electum Orationis genus ſemper intendito; & propterea, ubi res poſtulat, Periodi unius complexionem in membra divido.

VIII. Pariter qui Autorem contractiori ſtylo utentem interpretaris, breviores Periodos una complexione devincito.

IX. Non tantum optima verba, & mundam dictionem aucupare; ſed Interpretationem tuam veneribus & figuris, non ſemel latentibus, quæ nonniſi ſedulitate ſumma percipiuntur, illuſtrato.

X. Cl. Mabillonius decimam addidit regulam: nimirum omnia Autoris cogitata fideliter catenus exprimito; ut nimium abjecte & ſerviliter verbis non hæreas.

Mabillon. de Stud. Monaſt. p. 2. c. 25. pag. 321.

De Diplomatibus, Numiſmatibus, & Inſcriptionibus.

XV. Tabularum antiquarum, Numiſmatum, & Inſcriptionum ſcientia ad Humanarum Litterarum ſtudium referri ſolet. Quicunque his omnibus vel leviter imbutus ſit, deprehendet maniſeſto, regulas pro Diplomatibus conſtitutas uſus habere nunc temporis optimos ad germanas Tabulas a fallacibus aut ſuſpicioſis internoſcendas: potens eas eſſe adverſus falſariorum calumnias antidotum: per eas quidquid in Hiſtoricis mendoſum eſt, reſtitui non ſemel poſſe: Antiquitatum Numiſmatum, * & Numorum doctrinam multas habere opportunitates ad diverſos veterum characteres cognoſcendos, atque ad Chronologiam & Hiſtoriam expurgandas: in cognitionem ducere quamplurium veterum Imperatorum memorabilium factornm, quæ in averſa Numiſmatum parte ſculpta ſunt: ad ſtatuendas Urbium & Rerumpublicarum Originis Epochas

* Illud eſt præcipuum, quod a Numiſmatibus ad Hiſtoriam præſtoleris emolumentum: ut nimirum antiquorum Hiſtoricorum negligentiæ occurrant, quod ad geſtarum rerum Epochas pertinet. Ceterum mendaces ſunt veritatis vades, ipſiſque fidere, non ſecus eſſet, ac adulationi aſſentationique ipſi credere, *Mem. Trevolt, Sept,* 1709.

chas conducere : antiquarum Inſcriptionum notitiæ lucem afferre plurimam, quæ ſane prima veluti rudimenta ſunt, & Hiſtoricæ facultatis fontes; Atqui hoc quidquid lucri eſt, Critice nobis peperit; ut abs re non ſit dicere, nullam reperiri Humanarum Litterarum partem, in qua tanti opus ſit, quanti his omnibus expediendis, acutiſſimam & prudentiſſimam Criticen adhibere.

Incidet alias ſermo de Legibus a Mabillonio in Diplomatica quoad antiquas Tabulas conditis; atque de Operibus ultro citroque hac de re editis. Scriptum eſt a multis de Numiſmatum doctrina uti a P. Noriſio, a Patino filio, Vaillantio, P. Harduino, Moulineto aliiſque non paucis Antiquariis. Proſtant in Monumentis Trevoltienſibus Menſis Aprilis & Junii anni 1709. complures Epiſtolæ de Veterum Numiſmatum uſu; in quarum prima & ſecunda duo præſcribit Autor Numiſmatibus explicandis accommodata. Primum eſt, numquam a veritate deficere: alterum nihil in medium proferre quod a conſuetudine omni tempore in Inſcriptionibus & Numiſmatibus ſervata abhorreat. Enodat Epiſtola tertia antiquorum Numiſmatum circumſcriptionis loca: quarta Numiſmatum Imperii Græci: quinta Numiſmatum Conſularium notas: poſtrema circumſcriptionum uſum.

Nicolaus V. Pontifex, * qui de Scientiarum inſtauratione optime præ aliis meritus eſt, in id quoque Litteraturæ genus ſuam contulit ſollicitudinem, quod ſpectat ad Inſcriptiones Cyriaci Anconitani opera uſus eſt pro antiquis Inſcriptionibus conſulendis & exſcribendis, cujus tamen collectio publicam lucem non ſubivit. In crimen vocant Antiquarium iſtum, quod liberali Domini ſui curioſitati peſſime aliquando reſponderit. Eodem ceſſerunt Joannis Marca-nova, Andreæ Mantegna, Joannis Jucundi Veronenſis Ordinis Prædicatorum, Petri Sabini, Franciſci Philippi Pedemontani, Andreæ Alciati in rem hanc ſtudia; iiſque duntaxat profuerunt, in quorum manus hæc MSS. inciderunt.

Mem. Trevolt. Julii 1709 art. 97. Gall.

Omnium primus fuit Andreas Fulvius, qui hujus generis Opus emitteret nomine Jacobi Mazochi Bibliopolæ Romani. Ipſius veſtigia apud Italos perſecuti ſunt Thomaſinus, Onuphrius Panvinus, & Scardeonius; apud Germanos vero Amantius, & Apianus. Tametſi contemnendus minime ſit Scriptorum iſtorum labor, nihilominus Martino Smetio pro-

* Diem extremum clauſit Nicolaus V. anno 1455. Eo Eccleſiam adminiſtrante, quæ plurium ſæculorum intervallo ſepultæ jacuerant humanæ Litteræ, caput magnifice erexerunt: non modo enim ſapiens erat Pontifex hic, verum Sapientum etiam Patronus. Ipſius juſſu per omnes Orbis partes pulchriora Græca & Latina MSS. conquiſita ſunt, & Græci Tractatus interpretati; immo quinque Numorum argenteorum millia ei ſpoponderat, qui Hebraice ſcriptum D. Matthæi Evangelium ad ipſum deferret.

greſſus ſuos debet Inſcriptionum diſciplina: cum autem Autor hic ſuſpenſus fuerit Bruxellis; ejus MSS. mercatus eſt in Anglia Douſa Cl. Batavus, illudque edendum curavit anno 1588., quod adnotationibus locupletavit Lipſius Editioni præfectus.

In animum induxit Scaliger ut ampliorem Inſcriptionum collectionem divulgaret, in cujus conſilii partem venerunt Velſerius, & Gruterus, qui gravius Operis onus in ſuum penſum tranſtulit.*

Viginti quatuor Tabulæ Scaligerianæ præclariſſimum hac de re opus paſſim habentur. Editioni Gruteri ſui nævi ſunt: nova autem anno 1707. Amſtelodami adornata nimium quidem quoad labes adhæſit Archetypo ſuo; eſt quidem formis elegantior, & locupletior figuris ſcite cælatis, at magis quam in veteri editione mendoſis. Thomas Reineſius ampliorem Gruterianа Inſcriptionum collectionem diſpoſuit; adnotationibus & Commentariis auxit; & *Sintagma Inſcriptionum Romæ veteris* nominavit; verum nonniſi poſt Autoris fatum anno 1682. *in fol.* prelis Lugdonenſibus ſuppoſita eſt. Aliud Supplementum Operi Gruteri addidit Sponus Medicinæ Doctor, titulo: *Miſcellanea erudita antiquitatis; ſive Supplementum Gruterianum*, & Lugduni anni 1679. & 1683. *in fol.* impreſſit. Ducangius quoque in ſuo Latino *Gloſſario* de Inſcriptionibus agit; ſimilesque Collectiones moliti ſunt ſapientes multi, uti Seldenus, doctus Fabrettus, aliique qui id genus collectionum optimis animadverſionibus illuſtrarunt.

De Philologia.

XVI. Ut majorem excellentium fructuum partem, quos aliquibus Philologiæ partibus attulit Critice, atque ut quos identidem finxit præſtantes homines, ſub uno aſpectu ponamus; ſatis ſuperque erit præclariſſimi & prudentis Deſpravii verba recitare; cui non admodum dubium eſt, quin aſſerat, præteritum ſæculum eos aſſurgere Litteratos inſpexiſſe, qui in omnibus ferme humanis diſciplinis celebriores Ævi Auguſti Scriptores ſuperaverint. „ Quod attinet ad ſummam doctrinam, „ & cognitionum copiam Varrones & Plinii, doctiores inter Latinos, „ mediocres videntur eſſe Sapientes præ noſtris Bignonibus, Scaligeris, „ Saumaſiis, Sirmondis, & Petaviis. Fidenter equidem confirmarem neminem fore, qui apud Latinos, ne producto quidem longiſſimo temporis intervallo a Cicerone ad Cornelium Tacitum uſque Auguſti Sæculo, Philoſophum unum reperiat, quem de Phyſicis rebus cum Car-

Fontanella Digreſſ. de antiquis. Gall.

Boill. Deſpravius Tom. 2. Epiſt. ad Perr. pag 193. Edit. Amſtel. 1702. Gall.

* Autor Ephemeridum Lipſiæ Opus Gruteri nuncupat *Vaſtum, æternum, & incomparabile*. 1. April. 1682.

„ te-

„ teſio, aut Gaſſendo conferat, &c. „ Huic teſtimonio alia quoque addere illuſtrium Scriptorum liberum eſſet.

Præter Logices, Metaphiſices, & Philoſophiæ Opera: ex. gr. Artem cogitandi, De inquirenda Veritate P. Malebranchii; Philoſophias Hamelii, Rohaltii, Regis, P. Maignani ex Minimorum familia, & P. Fabri; Scripta P. Kirkerii, P. Schiotti, & nonnullorum aliorum, multa inventa ſunt elapſis ſæculis prorſus ignota; quemadmodum ſanguinis circuitus & transfuſio; Liquorum æquilibritas; pondus aeris a Paſchali manifeſtatum; quibus acceſſionem faciant Teleſcopia, oculorum Vitra, Microſcopia, Thermometra, Hygrometra, Barometra, Tubæ loquentes; & infinita Phyſices experimenta de Motu e loco ad locum, de lumine, de coloribus, de Phoſphoris; ut mittamus tot inventa ad Mare, Terram, Meteora, animalia, plantas, & res metallicas pertinentia. Hæc univerſa cum in Monumentis Academiæ Scientiarum, tum in Gallicis, & aliarum Europæ Nationum Ephemeridibus reperiuntur, quæ rara nobis atque extraordinaria Phenomena anteactis Sæculis non diſcuſſa firme adeo & feliciter exponunt, ut Autores Ephemeridum ſapientum ſine metu fraudis aſſeverare non dubitaverint: „ ab initio XVII. ſæculi plura in „ Phyſicis inventa eſſe, quam bis mille ante annis præſtitum fuerit. „ *Ephem. Sap. 12. Decembris 1678. Gall.*

Confitetur certe Deſpravius, deeſſe nobis Poetas Heroicos, atque Oratores, quos poſſimus Virgiliis, & Ciceronibus comparare: veteres quoque excelluiſſe nobis in Satyra, & Elegia, quamquam admirabiles plane ſuperſint Regnieri Satyræ; & Voituri, Sarrazini, & Comitis Seguſinæ ſumma confectæ ſuavitate Elegiæ. Præterquamquod tuetur ipſe, Gallicos Poetas, * non habita aliarum Gentium mentione, antiquis Poetis in Tragedia, & rebus Comicis eminere: quod vero ad Odes attinet, licet neminem habeamus Horatio Latinorum Poetarum Lyrico ſingulari parem; ſuppetunt tamen complures ſermonis elegantia & ſenſuum integritate, quam ipſe, non inferiores. *Deſpr. 26. 292.* *Fontanella Digr. de Antiquis Gall.*

Jam vero aliud animadverſione dignum emolumentum Poetice per Criticen illatum eſt; cum Poetis moderationem & verecundiam, quæ ſane veterum indoles nequaquam erat, inſinuavit. Si namque id non eſt aſſecuta Critice, ut Parnaſſum funditus mundaret, ſanctaſque Muſas redderet; inficiari nequaquam poſſumus, ex quo inita ratio eſt poſtremis hiſce ſæculis veterum ſtudium revocandi, primas eorum curas,

* Inter Poetas, qui publicam laudem ſunt conſecuti, locum habent Malherbæ, Racani, Maynardi, Voituri, a Fonte, Cornelii, Racini, Deſpravii: Comedias item Molieri admiratus eſt Orbis univerſus. Aliorum præclariſſimorum Poetarum ex Gallia meminit Merviſinus in ſua Hiſtoria Gallicæ Poeſis anno 1706. impreſſa, apud quem ejuſdem ortus progreſſus & perfectio legi queunt.

quos

quos Numinis providentia ad conſtituendas Sapientis Critices regulas deſignavit, eo intendiſſe, ut a Poetices finibus nugas & obſcœnitates exterminarent. * Nemo adverſabitur illos egregio muneri iſti perutilem navaſſe operam; totque hujus rei invicto eſſe poterunt argumento, quot a Petrarchæ temporibus ad noſtra uſque extiterunt ampliſſimi Poetæ: quamvis fateri neceſſe ſit, illos contentione ſumma tantum non valuiſſe, quantum ſat fuiſſet ad cuncta Artis hujus vitia radicitus extirpanda.

Baill. Judic. Sap. t. 4. Præfat. in Poetas.

Si Geometria, Aſtronomia, Proſpectiva, aliæque Mathematum partes eo abſolutionis devenerunt, quo illas eſſe miramur: non video cui ſit hoc vendicandum, quam ætatis nobis propioris ſanæ intelligentiæ, adeoque Critices luminibus, quorum ductu ad magnæ Artis hujus leges omnia Eruditi direxerunt; quod non minus ipſis inſtaurandis contulit, atque multis detexendis leviori negotio, in quorum ignoratione ſuperiora ſæcula verſabantur.

De Artibus Liberalibus.

XVII. Non eſt magnopere elaborandum, ut oſtendamus, pingendi, fabricandi, ſculpendi, navigandi, & excudendi Artes maxima ſibi adjunxiſſe Critices auxilia; cui tribuendum duxerim, eas ad illud præſtantiæ faſtigium provectas fuiſſe, quod, ſimul ac ipſius ſunt adjutæ ſplendore, tenuerunt. Perſuaſum hoc ita Deſpravio erat, paullo ante a nobis memorato, ut non vereretur veteres provocare, ut unum duntaxat in medium proponerent egregium Pictorem, unum duntaxat egregium Sculptorem, unum duntaxat egregium Architectum, recentioribus noſtris æqualem; tametſi Auguſti ætate, ut fert opinio, cunctæ facultates iſtæ omnibus numeris eſſent abſolutæ. „ Cum contra, ſubdit Cl. & „ Sapiens Criticus, hic undique fama celebrata ſint, atque propagata „ noſtrorum Pouſſinorum, Brunorum, Girardoniorum, atque Manſardorum Opera „. Exploratum eſt, nunquam diligenter adeo quoad tres præcipuas ipſius partes excultam fuiſſe Navigationem: videlicet, quoad Architecturam *Navalem* docentem navigia facere, ad eos uſus, ad quos conſtruuntur, accommodata: 2. quoad eam, quam *Operariam* vocant, traditque modum agendæ Navis quoquoverſum apta eſt cieri, idque opportune: 3. quoad *Navigationem*, artem nimirum ex uno in alium locum Naves traducendi. Anno 1707. Bouguerius Regius Hydrographiæ Profeſſor ſuum de Navigatione Tractatum rurſus eudendum

Deſpr. ubi ſupra pag. 194.

* Deſpravio laudi datur, quod Satyræ pudorem atque modeſtiam reſtituerit, quam cum libertate ab ejus generis Operibus petita componi minime poſſe ex Gallis Poetis nonnulli exiſtimaverant.

cu-

curavit, in quo Nauticam artem Nautis utiliſſimam magiſque neceſſariam tradit cumulate.

Ars imprimendi non modo contulit ad propulſandam præteritorum ſæculorum barbariem, atque humanarum Litterarum inſtaurationi ſubſidio venit: verum ipſi quoque eo in dies acceſſio major facta eſt, quo exquiſitum ſtudiorum genus & Critice proficiebant.

Facultate Libros imprimendi formis dimidium verſus ſæculi XV. a Germanis inventa, * cœptum ſtatim eſt eas fingere ſimillimas litteris, quæ apud regiones illas in uſu erant, quæque Gothicas proxime imitabantur; ſtudiumque omne in MSS. exprimendis collocatum eſt: at liberalibus Artibus politius ope Critices atque elegantius coli incipientibus, notæ quoque verborum in hujus utilitatis partem vocatæ ſunt, rurſumque invaluit conſuetudo rotundas litteras, ** atque Gothicis longe diſſimiles adhibendi. Ex eo tempore quotidie magis ac magis perpolita eſt Ars hujuſmodi ab Stephanis cum Pariſienſibus, tum Genevenſibus, a Vekeriis, Colinis, Vaſcoſanis, Patiſſoniis, Turnebis, Plantinis, Moretis, Nivellis, Cramoiſiis, Camuſatis, Saureviis, & Petitis ad Antonium Vitreum uſque, eujus induſtria omnium ſententia ad ſummam dignitatem atque elegantiam perducta eſt. ***

* Pervagatum eſt excudendi artem ab anno 1420. ad annum 1450., inventam fuiſſe: at multi operis eſt verum Inventorem definire. Sunt qui hunc opinentur eſſe Joannem Fauſtum Civem Moguntinum; nonnulli hujus inventionis gloriam vendicant Joanni Guttembergio Nobili Germano Argentoratenſi; quidam autem Joanni Menteln ejuſdem Urbis Civi. Teſtantur Batavi admirandi iſtius arcani Inventorem primum Laurentium Coſterium fuiſſe Harlemitanum in Hollandiæ Comitatu. Porro Struvius in eam deſcendit opinionem, ut crederet, multis ante ſæculis Chinenſes quandam imprimendi Artem tenuiſſe; ſed compertum eſt eos incidere potius, quam typis edere.

** Apud Italos incepit Characterum rotundorum uſus; iiſque primo impreſſi ſunt Libri D. Auguſtini de Civitate Dei, atque Epiſtolæ D. Hieronymi, in quarum Præfatione Paulo Tertio Pontifici Maximo nuncupata duo ſunt animadvertenda: Primo: Artem hanc inventam in Germania fuiſſe; ſecundo, id circiter anno 1450. contigiſſe. Jodocus Badius Aſcenſius ad annum 1500. ab Italia morem hunc in Galliam detulit: omnes etenim Libri antehac Gothicis elementis efformati emittebantur; cum a Germanis, nulla alia adhuc utentibus formarum ratione, elegans hoc inventum acceperint Galli.

*** In duobus offendunt Vitrei Editiones; primo, quod ipſius minutus Character non ſatis concluſus ſit; ſecundo quod inter conſonantem & vocalem litterarum j, & v. non diſtinguat. Typographiæ omnes recentiores hujuſcemodi labes ſuſtulerunt, præſertim vero Typographia Regia, e qua Editiones prodierunt dignæ ſane, quæ optimum Artis hujus in exemplum proponantur. Hoc numero inter ceteras ſit Collectio Numiſmatum de præcipuis præclari Regni Ludovici Magni eventis, quorum Hiſtoria characteribus edita eſt novæ planæ rationis, multorum annorum ſpatio excogitatæ atque perfectæ mandato & ſtudiis accuratiſſimi Abbatis Bignoni.

De

De præjudicatis, quas excuſſimus, opinionibus.

XVIII. Non eos dixerim tantum certiores Critices fructus, & quorum jam nunc capimur voluptate, quod exulaverint barbaries, depravatuſque Litterarum ſenſus, fabularum & mendacii amor, nimia extraordinariis rebus, ſive falſis, ſive vero parum ſimilibus credulitas, inordinatus honoris Sanctorum ardor, atque innumeræ populares incertæ vel ſuppoſitæ Traditiones: verum quod revixerit, revocatumque fuerit exquiſitum judicium ſimul cum veritatis cognitione, quæ eo in dies progreditur uberius, quo complures factorum inveterati errores evaneſcunt, quibus poſt Imperii præſertim caſum ab imperitia & præjudiciis hominum animi infecti erant.

Rejecimus itaque hodie, ajunt Cl. Critici noſtri, narratiunculas omnes, quæ olim de Beatæ Virginis genere, ortu, vita, atque obitu recitabantur: perſpectum in præſenti eſt, eam non Ieruſalem, ſed Epheſi occubuiſſe; pariterque Sanctam Mariam Magdalenam, illamque, quæ Virgo fuit, aliam prorſus eſſe à Maria *Peccatrice*, & Maria Marthæ ſorore. * Ad fabulas amandamus duarum ſororum iſtarum, fratriſque Lazari in Galliam adventum, non ſecus atque illum S. Jacobi in Hiſpaniam, & Septem Epiſcoporum in Gallias ante annum 250., Decio Imperante.

Tillem. t. 1. not. 2. 3. 13. 14. 15. in B. Virg. Bail. 15. Auguſt. Gall.

Nemo ferme Criticorum alicuius nominis unus eſt, cui probatum non ſit commentitia eſſe Opera SS. Lino, Clementi Papæ, & Dionyſio Areopagitæ tributa; ** Carmina Sybillarum nomen præferentia; Libri,

* Cum dixerit Simonins in Epiſtola XXXI. 1. Julii 1685. Doctores Pariſienſes Jacobum Fabium damnaſſe; propterea quod opinionem communem, tres fœminas ab Evangeliſtis revera ſecretas, haud internoſcentem vituperaret; Autor Notationum in eas Epiſtolas hæc animadvertit: „ Quod tunc ſanxerunt Do„ ctores Pariſienſes, ut pote Sacris „ Litteris & Traditioni reſpondens, „ nunc a Sapientibus velut Sacris Lit„ teris adverſum repudiatur. Non „ pauci Epiſcopi Gallicani *Breviarium* „ ſuum ſuper hac re caſtigarunt, „ pronunciantes Facultatis Pariſienſis „ deciſionem errorem manifeſtum in „ ſeſe continere. „ *Not. 79. pag.* 261. Multa indicia eſſe videntur, quod inter omnes de hujuſmodi Cenſura non conveniet.

** Autor Ephemeridum Eruditorum ad diem 6. Maii 1709. poſtquam compend o dedit Opus inſcriptum: *Problema Sapientibus propoſitum de Libris S. Dionyſio Areopagita triuntie*, ſubdit. „ Poterit unuſquiſque uni„ verſos Libros in id argumenti ha„ ctenus lucubratos deponere: hic „ etenim ſatis ſuperque eſt; ſive „ placeat Areopagiticos impugna„ re, ſive propugnare. „ Monumenta autem Trevoltienſia, ejuſdem voluminis exhibita Epitome, concludunt. „ Simnlarque æquis pon„ deribus examinatæ fuerint omnes „ utriuſque partis rationes in hoc „ Problemate deſcriptæ, negotium „ faceſſet cuique, quid tandem con„ ſilii capiat „. Verbis iſtarum Ephemeridum confici poſſet, opinionem Opera S. Dionyſio tributa, eidem adjudicantem ab omni protſus probabilitate non abhorrere,

quo-

Digitized by Google

quorum Autores reputati ſunt Trimegiſtus, Ariſteas, aliique: Collectio demum Decretalium, quam fictus Iſidorus primorum Pontificum nomine divulgavit.

Hiſtoria a S. Joanne Damaſceno ſcriptis mandata de Trajani anima, quam putat ipſe a mortuis excitatam, atque a S. Gregorio Magno Baptiſmate ablutam; Conſtantini lepra, & Baptiſma ipſi a S. Sylveſtro collatum; S. Marcellini Papæ lapſus, ejuſque in adducta Sinueſſana Synodo damnatio, modo, ſi fides eſt Eruditis Criticis noſtris, extra controverſiam poſita ſunt, quemadmodum plura alia ejus generis facta, per hæc tempora Critices luminibus & Sapientum noſtrorum curis, ut putant, cumulatiſſime illuſtrata.

ARTICULUS VI.

Hiſtoria Critices, ejuſque inſtaurationis.

SI Sapientes, qui poſtremis hiſce temporibus floruerunt, Criticen procreaſſe dicendi non ſunt; neque tamen honorem ipſis denegabimus, quod eam videlicet inſtauraverint, atque in altiſſimo perfectionis, quem hactenus nunquam tenuerat, gradu collocaverint. Fatendum ſiquidem eſt, vetuſtiſſimam eſſe excellentis Artis hujus exercitationem, & quamcumque ætatem præſtantiſſimos Criticos protuliſſe; quod reputans Scriptor quidam: Ingenium Criticum, dixit, omnium Sæculorum & populorum ingenium eſſe. *Autor Ingenii hujus Sæculi in Præf. Gall.*

Apud Dionem Cryſoſtomum principem inter Criticos locum obtinet Ariſtoteles, eumque uti magnæ illorum Artis Autorem veneratur. *Ariſtoteles, a quo ajunt Criticam & Grammaticam initium cæpiſſe*. Sed quamquam Philoſophus iſte primus fortaſſe non fuerit, qui utilem adeo Critices artem uſurpaverit; diffiteri tamen nequaquam poſſumus, teſte Voſſio, facultatem hanc celebris iſtius Philoſophi temporibus eminere cœpiſſe. *Dio Cryſoſt. Orat. 3. de Homero.* *Voſſius in Ariſtot. l. 1. c. 6.*

Critice, ut ab ipſius ordiamur origine, ſolis continuo Grammatices diſquiſitionibus circumſcripta fuit. Referente namque Euſthatio, qui ampliſſimum in Homerum Commentarium nobis reliquit, ii Criticorum nomine donabantur, qui ad Grammatices normam Carmina revocare ſciebant; iidemque aliquando etiam *accurati Grammatici* vocabantur ἀκριβεῖς γραμματικούς. Initio quidem nulla alia fundamenta tantæ Artis jaciebant præter quoddam optimum juditium lectione excultum, & ordine

ad diſcutienda Poetices Opera accomodatum; & cum magnos progreſſus feciſſet Critice ſtudio atque aſſiduitate Ariſtarchi, * Varronis, ** Dionyſii Halycarnaſſæi, *** Longini, **** aliorumque multorum Paganorum, qui totius antiquitatis celeberrimi Critici exiſtimantur; traducta eſt ad perpendenda quæcumque Opera ingenio parta, atque ad ſolidum judicium de iis omnibus ferendum. Deinde cum ad Patres Eccleſiæ deveniſſet Critice, jus, ut ita dicam, obtinuit de re qualibet decernendi: deque ipſo aliqua ratione ſanctorum Bibliorum Textu; quatenus (quod ad rem pertinet Grammaticam) univerſa ſcientiam Eccleſiaſticam attingentia ad ſuum Tribunal vocavit.

Non eſt itaque de Autorum Eccleſiaſticorum gloria detrahendum, quod prioribus ſæculis florentes, Critica diſciplina minime præſtiterint; ſi ſtatuamus id ex Operibus, quæ in Textum Sacrum poſteritati commendarunt, atque ex præceptis, quæ tradiderunt, ut de Libris in Eccleſiaſticam Hiſtoriam confectis ſapienter diſceptaretur.

Quatuor revera Tractationum Criticarum genera quoad Sacras Litteras apud Patres reperimus. Quædam ad Bibliæ totius lectionem Introductionis loco ſunt: ſicuti *Philocalia* Origenis, in qua de autoritate, ſtylo, & Scripturarum Interpretatione diſſeritur; Libri de Doctrina Chriſtiana Sancti Auguſtini, ubi plurimas Critices regulas complectitur ſen-

* Ariſtarchus acutiſſimorum & excellentiſſimorum totius antiquitatis Criticorum unus fuit: ex quo factum eſt, ut iis qui ſe alienis corrigendis ſcriptis implicant, *Ariſtarcorum* nomen impoſitum eſt. Novem hic ſcripſit libros de Iliadis, & Odyſſeæ Homeri emendatione. Samoſatenus erat, & litterarum laude centeſimo ante Chriſtum natum anno conſpicuus.

** Marcus Terentius Varro Romanorum habitus doctiſſimus ortus eſt anno 638. ab Urbe condita. Animum præcipue Criticis ſtudiis applicuit ejuſque doctrinæ in quodlibet Litteraturæ genus amplitudo jam in Proverbii conſuetudinem venit, uti Ciceronis eloquentia, atque Ariſtotelis ratiocinatio; ita ut, ſi quem velimus deſignare univerſa eruditione ſpectandum virum, eum Sæculi ſui, aut regionis ſuæ Varronem appellemus. Julii Cæſaris temporibus enituit.

*** Dionyſius Halycarnaſſæus, ſublatis ab Auguſto feliciter Civilibus Bellis, Romam venit. Fragmenta, quæ ipſius nomine ſuperſunt, illorum aperte demonſtrant omnium exemplar eſſe, quotquot huic ſcribendi rationi ſe dedunt: immo fertur paſſim hunc acri & prudenti Critice cunctis antiquitatis Criticis præiviſſe, poſteritatis vero magiſtrum extitiſſe.

**** Dionyſius Caſſius Longinus ſapiens Sophiſta, nec non Criticus præſtantiſſimus ſummam nomini ſuo famam ſæculo tertio collegit. Deſpravius in Proœmio ipſius operibus affixo teſtatur, Porphirium Philoſophum Longini olim auditorem, ejus tamquam prodigii cujuſdam meminiſſe. Si eumdem audiamus, ejus judicium optimi judicii nota erat; Deciſiones vero de Operibus quaſi Principum decreta colebantur. Anno 273. Imperator Aurelianus illum morte multavit, quod Autorem crediderit impudentis Epiſtolæ ad ſe Syriaca Lingua a Zenobia Palmyræorum Regina datæ.

ſui

Digitized by Google

ſui Litteræ Bibliorum percipiendo utiliſſimas; & Synopſis S. Athanaſii nomine inſignita. Aliæ Proœmia veluti totidem ſunt in unumquemque ipſorum librum. Hujuſmodi ſunt Epiſtola Hieronymi ad Paulinum, altera Epiſtola Præfationis more in Verſionem Pentateuchi, & multæ Præfationes ad majorem divinorum Librorum partem: Præfationes Theodoreti in Scripturam univerſam; Tractatus S. Gregorii Nyſſeni de Pſalmorum Inſcriptionibus; Epiſtola S. Athanaſii ad Marcellinum ejuſdem argumenti; & complura S. Auguſtini Opera. Tertium genus ad verborum S. Scripturæ difficiliorum explicationem attinet: quemadmodum non paucæ S. Hieronymi Epiſtolæ, 130. 137. 138. 142. 143. 145.; quibus addas licet a Sancto Epiphanio de Nummis, ponderibus, & menſuris conſcripta. Poſtremæ inſtitutæ ſunt ad quamplures difficultates Biblicas enodandas, & de Theologicis Philoſophicis Chronologicis &c. rebus quæſtionem ponunt. Conſule ſuper hac re Hieronymi ad Damaſi Papæ Quæſtiones, in Geneſim reſponſa Evagrio miſſa, alioſque multos Patrum Tractatus, ex quibus deprehendere nos jubent, tantum abeſſe, ut illi germanas Critices præſcriptiones ignoraret, ut eiſdem citius ſapienter uſi fuerint.

Quanam ſane ratione potuiſſent Heſychius, Lucianus Martyr, & Origines Bibliorum Editiones, ſive potius correctiones ſuas Eccleſiis pariter ſuis adhibendas præbere ſine prudentis Critices ſubſidio? Nonne conſtat Serapionem Antiochenum Epiſcopum pulchras duas Artis hujus regulas uſurpaſſe; ut oſtenderet, Evangelium, quod S. Petri titulo Roſenſis Eccleſia legebat, Opus eſſe ab Hæreticis Docitis ſuppoſitum, uti *Euſeb. Hiſt. l. 6. c. 12.* animadvertit Euſebius? Præterea ad Critici conditionem accedit Autor Commentarii in Epiſtolam ad Romanos D. Ambroſio tributi, qui Græcorum & Latinorum exemplorum diſcrimen ingenioſe ſpeculatur, cumque vetera Latina Autographa Græcis prætuliſſet, hanc Critices legem edidit, qua Lectionum varietas dignoſceretur. *Hoc verum arbitror, quando & ratio, & Hiſtoria, & authoritas obſervantur.* *In Ep. ad Rom. c. 5. v. 14.*

Iſtud in Sacra Biblia Critices genus uſque eo primis erat ſæculis uſitatum, ut Simonii teſtimonio plures quoque Nobiles fœminæ enixam illi operam darent. „ D. Hieronymus, inquit, diſtentus frequenter erat ſolvendis difficultatibusquas illæ proponebant; nihilque in rem hanc eruditius habemus, quam Patris iſtius reſponſum Sunniæ & Fretellæ, * *Sim. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 1. c. 1. p. 1. col. 2. Gall.*

* Martianæus in Commentationibus huic Epiſtolæ appoſitis animadvertit, non modo antiquam Venetam ejus Editionem, verum MSS. quoque multa titulum præſeferre *Dilectiſſimis fratribus Sunnia & Fretela*. Ex Epiſtolæ contextu conjicitur, *Sunniam & Fretelam* duos milites Getas fuiſſe. *Dudum*, ait Hieronymus, *calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtylum calamumque molleſcunt, & bellicoſa pectora vertuntur in manſuetudinem Chriſtianam*. T. 2. Oper. S. Hier. pag. 665.

M 2 „ quæ

„ quæ a Germaniæ finibus Epiſtolam ad eum conſcripſerant ; unde ap„ paret , eas non minus Græci & Hebraici , ac Latini ſermonis fuiſſe „ peritiſſimas . Non deſunt item Gallicæ Matronæ Sacrorum Bibliorum „ Critice ex eo tempore incumbentes * „

Me fugit extare alibi Critices regulas pro Librorum ſuppoſitione dijudicanda æquiores & accuratiores illis , quas nobis indicavit Sanctus Dionyſius Alexandrinus , & poſteritati ſervare ſtuduit Euſebius : noſque in ſequentibus planum faciemus , excellentiores Critices Leges de legitimorum Librorum a ſuppoſiticiis ſecretione , aut de factorum Hiſtoricorum a fabulis delectu Sanctos Hieronymum & Auguſtinum minime præteriiſſe . Non equidem putarem quemquam futurum , qui ab officio Critici inter antiquos præſtantis alienum ducat Euſebium ; ut miſſos faciam Tertullianum , Cyprianum , Athanaſium , alioſque Eccleſiaſticos Scriptores . Liquet etiam Concilia ** multa diverſis temporibus celebrata Critices lumina non neglexiſſe , ubi in quæſtionem inciderant de ſuſpicioſis Operibus vel dubiis Hiſtoriis expendendis . Extra aleam eſt , illuſtrem Romanam Scholam ad Sanctum Pontificem Gregorium uſque maximi factam , ut Agatho Papa fatetur , VI. circiter ſæculo decidiſſe : immo ante illa tempora optimum humanarum Litterarum & Critices ſenſum paullatim deſinere cœpiſſe ; atque eo ſerpere Barbariem & propagari , quo declinabat Imperium Græcum ; tunc etenim deſperatæ ferme curationis morbus viſus eſt .

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 25.

* Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis exſcribere fecit a Giſla ſorore Caroli magni duplex Pſalterium Hieronymi in duas columnas diſtributum , quarum prima Latinam veterem Editionem ad Græcum Septuaginta exemplar retractatam complectebatur ; altera autem Textus Hebraici verſionem proxime ab eodem Sancto Doctore adornatam : de quibus nos monent Theodulphi ad Religioſam iſtam Principem carmina. *Monum. Trevolt. Menſium Jan. & Februar.* 1701. *art.* 11. *pag.* 107.

** Sum neſcius , cui potius tribuendum ſit , quam ſolertiſſimæ Critices luminibus celeberrimum Gelaſii Papæ in Concilio Romano Decretum de Libris Sacris , de Patrum , aliorumque Autorum Operibus . Subveniente quoque Critice factum eſt ut Chriſtiani ad Colloquium anno 531. Conſtantinopoli habitum evocati infra ſuppoſitos rejicerent Libros a Severianis S. Dionyſii Areopagitæ nomine recitatos ; & Patres VI. Synodi Generalis fallaces eſſe declararent quaſdam Epiſtolas , V. Concilio Oecumenico aſſutas , atque ad Pontificem Vigilium , & Mennam Conſtantinopolitanum miſſas . Si Patres Concilii Francofordienſis improbitatem cognoverunt Elipandi Epiſcopi Toletani , qui ut confirmaret errores ſuos , autoritatemque ipſis adjungeret uti intendebat nonnullis locis Divis Hieronymo & Auguſtino falſo adſcriptis : ſique Rudericus Epiſcopus Toletanus in Concilio Lateranenſi coram Innocentio III. Pontifice vanas Epiſcopi Compoſtellani poſtulationes diſſipavit , commentitiis traditionibus & vulgi rumoribus quoad adventum S. Jacobi in Hiſpaniam innixas : hæc omnia evincunt , ante poſtrema ſæcula Criticam diſciplinam non fuiſſe neglectam .

Id

Id tamen nihil obfuit, quominus per illud temporum intervallum egregius aliquis Criticus identidem prodiret, & litteræ colerentur. Ineunte circiter ſæculo ſeptimo Auguſtinus Monachus, ceterique a S. Gregorio ad prædicandam Anglis fidem ablegati, ſcholam ibi erexerunt, quæ ſtudia fovit, quamdiu vires eorum in Europa univerſa frangebantur: in Italia propter Longobardorum cædes, in Hiſpania ob Saracenorum incurſionem, in Galliis Bellorum Civilium cauſſa. Exiit inde S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, & Gymnaſii Moguntini conditor; & ab Anglia deinceps Cl. Alcuinum accepit Gallia, qui præclariſſimos in Schola Cæſarodunenſi inſtituit diſcipulos, poſtmodum vero in Gymnaſio Aulæ Caroli Magni, & Rhemenſi, nec non in compluribus Monaſteriis magiſtros.

Fleur. Hiſt. Eccleſ. l. 13. in Præf. Gall.

Litterarum & Critices ſtudia non modo non in Germania, & Galliarum Monaſteriis perierunt, ſed neque in Græcia, ſi celeberrimi Photii eruditionem ſpectare velimus. Nullum ſiquidem Reſpublica Litteraria fortaſſis ſortita eſt Judicem aut Cenſorem, qui perſpicacior, aptior, liberior, atque a præjudiciis omnibus remotior eſſe viſus ſit, ac ſummus vir iſte, in Critice, quam in ducentorum octoginta Autorum Opera exercuit.

Photius in Bibliot.

Non longe a vero diſtare videtur, ab Octavo ad XII. Sæculum non tam abiectas Litteras & Criticen fuiſſe, ut nobis aliqui perſuaſum eſſe volunt: hoc nimirum annorum ſpatio Carolus Magnus, ejuſque Succeſſores, nonnullique Epiſcopi & Abbates in Gallia, Germania, Italia, Anglia, & Hiſpania amplius quinquaginta illuſtres Academias conſtruxerunt, e quibus Sapientes plurimi prodierunt; utque ceteras Scholas prætermittamus, Pariſienſis una poſt VIII. Sæculum, ſcilicet poſt annum 790. ad 1100. uſque e ſinu veluti ſuo protulit Viros ſupra ducentos Litterarum laude ſpectatos, & quorum plures non pauca in Sacra Volumina, in Theologiam & Philoſophiam, immo in humanas etiam Litteras immortalitati tradiderunt. Porro difficile admodum erit, ut mihi perſuadeant, tot inter Sapientes extitiſſe neminem, qui de Critices facultate ſollicitus fuerit.

Launoius lib. de Scholis a cap. 40 uſque ad 60.

Bulæus Hiſt. Univ. Pariſ. tom. 2. a pag. 542. ad 649. Gall.

Et certe firmum & conſtans eſt, Monachos Sæculo undecimo Critices & politiorum diſciplinarum, quæ præcedentium Sæculorum tenebris pene obrutæ erant, inſtaurationem ſuſcepiſſe. Gerbertus Monachus Aurilacenſis, Abbo Abbas Floriacenſis, Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, & Notgerus Leodienſis ceteris diligentius huic reſtituendæ elaborarunt, atque ipſorum diſciplina non paucos ad Sapientiam informavit. Patet etiam Stephanum III. Abbatem Ciſtertienſem non potuiſſe non Critica pollere plurimum doctrina, æque ac multi Monachi in hoc Monaſterio ab initio XI. Sæculi ad annum uſque 1100. degentes.

Ephem. Sap. 9. Jan. 1702. Gall.

Fa-

Fateri quoque neceſſe eſt Joannem Salisburyenſem Anglum, * Euſtatium Epiſcopum Theſſalonicenſem, ** Iſaacum & Joannem Tzetzeſios *** fratres Sæculo XII. florentes, germanos Criticos fuiſſe acutiſſimarum animadverſionum teſtimonio, quibus ipſorum Opera referta ſunt.

Luc. Brug. not. in c. 3. lib. Job. & in c. 10. libro Prov.

Lucas Brugenſis meminit correctionis cujuſdam Latinæ Bibliæ, imperante S. Ludovico, ad normam alterius Caroli Magni a Patribus Dominicanis redactæ; cujus Archetypum extat in hodiernam diem, ſervaturque in magno ipſorum Monaſterio Pariſienſi cum Criticis notationibus a Textu Hebraico, a Verſione Septuaginta, atque a Libris Origenis & Hieronymi excerptis: quæ omnia nos certiores faciunt Sæculi XIII. homines Criticam ſcientiam deſpicatui non penitus habuiſſe. Omitto Libros inſcriptos, *Correctoria*, in quibus afferuntur Lectiones Hebraici Textus, additis, ubicumque differunt, Græca, Septuaginta, & veteri Latina Editionibus. Hujuſmodi exemplaria, quorum unum memorat Robertus Stephanus titulo *Correctori Sorbonici*, per id temporis compoſita, ut legitima Critices Opera ſunt exiſtimanda.

Ceterum, quamquam minori Sapientum duorum vel trium Sæculorum iſtorum aſſiduitate non admodum Ars noſtra ſingularis, atque elegantiores Litteræ profecerint, ipſi tamen acerrimo ingenio præditi erant; quacunque etenim ætate oriuntur homines intelligentia recta, accurato judicio, & cogitatione felici: verum denſa caligo ſæculis illis offuſa pravæ educationis vitio vertenda eſt, cum meliora ingenia infantiæ præjudicia & populares opiniones facile ſectantia, corruptum tandem imbibant rerum ſenſum, & recte ratiocinandi conſuetudinem amittant, præſertim ſi deficiat exercitatio, & peſſima exemplaria ipſis ante oculos proponantur: ex quo apparet, Critices & humanarum Litterarum inſtaurationis, profectus, & perfectionis gloriam fuiſſe poſterioribus ætatibus reſervatam. Enim vero ingenia exculta ſunt, vulgi errores ablati, & exquiſita ſtudiorum ratio revocata eſt, ob quam comparandam, optimorum magiſtrorum imitatione ipſamet exercebatur.

Sæculo itaque XIV. complurium ſummorum Virorum ſtudiis, præcipue vero tribus Italis in id eximio nominis ſplendore nitentibus, cœpe-

* Joannes Salisburgenſis Litteris operam dedit Pariſiis, ibique Doctoris Laurea donatus eſt; cumque aliquandiu Præceptoris munere functus fuiſſet, Epiſcopus Carnotenſis renunciatus eſt. Interfuit Concilio Lateranenſi anno 1179., obiitque 1181. vel 1182.

** Epiſcopus hic Sæculo XII. florebat tempore Emanuelis, Alexii, & Andronici Comneni. Probatiſſima in Homerum, & Dionyſium Geographum ſcripſit commentaria.

*** Prior ſapienter Lycophronum commentatus eſt, alter erudita in Heſiodum Scholia reliquit; amboque Sæculo XII. exeunte vixerunt.

runt

runt humanæ Litteræ ſeſe e tot laqueis expedire. Primus horum fuit Dantes Aligerius ex clarioribus ſui temporis ingeniis vir, magnus Poeta, bonuſque Philoſophus; alter Petrarcha, & tertius Boccacius. * Præ aliis vero Petrarcha horribilem barbariem a præcedentium Sæculorum perturbationibus inductam omnium prior ſuperavit; eoque humanas Litteras exitu perpolivit, ut meritorum ejus admiratione non pauci ad illum imitandum allicerentur. Ipſius exemplo Veteres evolvere cœperunt, eorumque indolem aſſequi; at dum legebant, vias omnes perſequebantur, ut eos intelligerent: unuſquiſque certatim contendebat, quo ſibi emendatiora exempla pararet, ſingulorum ſtylum diſpiciebant, & venuſtates omnes odorabantur, quæ euncta primus veluti gradus fuerunt, per quem ad legitimorum Operum delectum aſcenderent, ab iiſque ſecernerent, quæ inconſulto ſub eorum nomine vulgabantur.

Eadem Antiquorum lectio innumera pariter ſuperioribus ætatibus ignorata facta in apertum emiſit; nec pauciores narratiunculas, quæ propter craſſiſſimas, lateque dominantes tenebras diſſeminatæ fuerant, fallaces eſſe oſtendit. Hoc itaque pacto ampliſſimi homines iſti Litterarum ſtudium rurſus excitarunt, unde Critices efformata eſt, quæ radices agere cœpit. Verum tamen quamcumque tandem animi contentionem ad hæc ſtudiorum genera inſtauranda Dantes, Petrarcha, & Boccacius adhibuerint, non nimis certe adhuc proceſſerant, una excepta Itala Lingua, tot per ipſos elegantibus dicendi formulis, atque ornamentis ditata atque expolita; ut nihil quicquam addi impoſterum poſſe perſuaſum ſit.

Quocirca ſtatuenda eſt medio circiter decimo quinto ſæculo renovatio iſta; * ſtatimque infinita vis prodiit Litteratorum apud Italos primo, ** deinde apud Gallos, & Europam univerſam; quorum multi ad vo-

* Papyrius Maſſonius trium iſtorum illuſtrium Italorum Hiſtoriam hoc titulo exaravit: *Vita trium Hetruriæ Procerum, Dantis, Petrarchæ, Boccaccii*, Tomo 2. Elogior. pag. 15. & ſeq. Complures alii Scriptores de tantis viris ſumma cum laude locuti ſunt.

** Duo inſtaurationis hujus in cauſſa fuerunt. Primum Conſtantinopolis per Turcas anno 1453. occupatio; qua Urbe Græcarum principe capta, non pauci illius Nationis Eruditi in Occidentis partes, præſertim autem in Italiam commigrantes, ibi inter Litterarum ſtudioſos æmulationem excitarunt. Tum ſane alia inita ſtudia ſunt, quam Theologia Scholaſtica. Alterum fuit Typorum uſus: *Duplici fere id cauſſa acceptum referri debet, capta a Turcis Conſtantinopoli, & inventa Arti Typographica*. Henr. Warton Append. ad Hiſtoriam Litterar. Guill. Cave pag. 67.

*** In eorum numerum, qui ante alios diſciplinis perficiendis labores ſuos impenderunt, referri poſſunt Leonardus Bruni a Patria Civitate *Aretinus* dictus: Joannes Franciſcus Poggius Bracciolinus Florentiæ ortus; Laurentius Volla Romanus, Canonicus Lateranenſis; Joannes Baptiſta Guarinus Ferrarienſis; Georgius Merula ex Alexandria Statiellorum; Domitius Calderinus Calderiæ natus, quæ prope Veronam viculus eſt; Andreas Baſſius *Politianus*, nomine a

lu-

lutandos, quotquot præ manibus habere poterant, Antiquorum Codices, ad Latine ſcribendum, quantum in ipſis erat, elegantiſſime; atque ad Græcos Autores interpretandos incredibili ardore ſe contulerunt.

Ars Typographiæ pro magna Librorum præſertim caſtigatorum inopia non exiguo ſubſidio fuit. Hinc quamplures operam ſuam in parandis, meliorum MSS. fide, bonorum Scriptorum præclaris Editionibus collocarunt. Vetuſtiora MSS. conquiſita ſunt, & cum recentioribus ſecundum Criticas præſcriptiones collata. Nonnulli Lexica, & Grammatices accuratiſſimas lucubrarunt, alii vero ad explanandam Autorum intelligentiam Commentaria: quidam peculiares de eodem argumento Tractationes ſibi aſſumſere, partim de fabula, partim de Veterum Religionibus, regimine, & militia; minutiſſimas morum ſuorum, veſtium, ciborum, & ſolatiorum notitias ſcrutati ſunt; nihilque prætermiſſum eſt, quod pertinere videretur ad abſolutam eorum omnium hauriendam cognitionem, quæ tanto annorum intervallo de antiquis Græcis & Latinis Libris ſupereſſe potuerunt.

Eventa plurima animadverſione digna hanc renovationis humanarum Litterarum & Critices Epocham celeberrimam reddiderunt. Vivida quædam ex Aula Florentina ingenia acutiſſimæ Litteraturæ Criticorum famam adepta ſunt; at impietatis vitio laborabant; quam nominis exiſtimationem illorum aliqui adeo operibus & ſcriptis ſuis confirmarunt, ut Litterarum inſtaurationis Epocha immoderatæ quoque licentiæ renovationem recte deſignet. Quo forte adductus eſt nuperus quidam Scriptor, ut diceret: *neque in Galliis ante Franciſcum I., neque in Italia ante captam Conſtantinopolim Atheum quempiam reperiri.* *

Clavigni a S. Honor. de delectu & non libr. ſuſp. pag. 82. Galli.

Monte Politiano parva Hætruriæ Urbe deſumto &c qui a medio circiter XV. Sæculo ad finem uſque floruerunt.

* Non levis negotii opus eſſet, hujuſmodi factum tueri. Protagoras Abderites Sophiſta, & Democriti diſcipulus a Lactantio Atheorum anteſignanus habitus eſt. *Protagoras*, inquit Pater iſte, *primus omnium extitit, qui ſibi diceret non liquere, utrum eſſet aliqua Divinitas nec ne. Quamobrem Athenienſes ſuis finibus eum expulerunt.* Lib. de Ira Dei c. 9. Nonagerius deceſſit, ad annum 338. ab Urbe condita; multoſque Auditores ſuos Atheiſmi Magiſtros poſt ſe reliquit, uti Theodorus, Critias, Clitomarus, Diagoras, de quo legitur illud Athanaſii Orat. pro Chriſto: *Diagora eſt aperte promulgata ſententia nullum plane extare Deum.* Animadvertit tamen Vaſſorius in ſuo Tractatu de vera Religione, licet ante falſam Reformationem non defuerit Atheiſmus, & Fidei contemtus, eum rudi magis minuſque perſpicaci ratione propugnatum fuiſſe. Spinoſa quidem præterito Sæculo Atheiſmum in integrum reſtituit; cujus ſententia, unicam tantummodo fas eſt naturam univerſam agnoſcere a qualibet natura, naturarumque collectione indiſtinctam; naturam autem libertate, providentia, conſilio, fine, delectu, & electione carentem, & ad quæque præſtanda cæca & inevitabili neceſſitate compulſam.
„ Equidem exiſtimo, inquit perdo-
„ ctus Pater Lami Benedictinus in
„ Tractatu *Novi Atheiſmi everſi*. Gall.

Hi-

Habemus a Fleurio Bezam ulterius tendere, cum dicit, falſæ *Reformationis* Autores non modo hujuſmodi ſtudia ſpectaſſe veluti neceſſarias ad inſtaurandam Eccleſiam vias; verum etiam reſtitutas humanas diſciplinas, Criticenque tamquam primum divinæ ſuper hac re voluntatis indicium venditare voluiſſe. Videbatur ipſis hanc Linguarum & Hiſtoriæ aſſiduo labore partam intelligentiam extraordinariæ cujuſdam Miſſionis notam certiſſimam eſſe: quinimmo contendit Bayleus, „ eo tempore, quo clara ingenia, & eruditi Humanitatis Profeſſores in Italia nitentes profligatæ Religionis ignominia afficiebantur, emicantem rurſus Linguarum doctarum & politioris Litteraturæ ſplendorem *Reformatoribus* ſemitam ſtraviſſe „

Fleur. de Delectu ſtudiorum pag. 79. & 80. Gallice.

Bayleus in Diction. Crit. in verbo Taxidin. Gallice.

Humanarum Litterarum felicitatem aliud quoque vitium conſecutum eſt, quod hiſce verbis deſcribit Simonius. „ Simul ut liberaliora ſtudia in Europa vigere perſpeximus, ſtatim qui Græco Latinoque ſermone imbuti nonnihil erant, antiquum Eccleſiæ Interpretem in contemtum adducere cœperunt, præſertim Itali, qui politiſſimam in litteris elegantiam præ omnibus arrogabant. „ Quamobrem Laurentius Humfredus, Hæreticus licet, non potuit abſtinere, quin Italos redargueret nimiæ libertatis, cum Sacros Scriptores Ciceronis Lingua loquentes induxerunt.

Simon. Hiſt. Crit. Verſ. n. Teſt. c. 4. pag. 236.

Humfr. de rat. Interpr. l. 1. in Præf.

Nos monet Gaſſendus contendiſſe Sapientes multos, ut celebrem Epicurum priſtinæ dignitati reſtituerent, de qua anteactis ſæculis turpiter dejectus fuerat: *vix tamen Libros humaniores, excuſſo pulvere, rediiſſe in manus ante duo fere ſæcula, cum omnes pene Eruditi ſimbolum, pro eo,* Epicuro *contulerunt*. Perſequitur deinde nobiliorum Scriptorum nomina, qui ſe Epicuro favere teſtati ſunt.

Gaſſendus in Vita Epicuri l. 7. c. 7.

Quamtumvis autem Critice XV. ſæculo ad ampliſſimam creverit magnitudinem, in nihilum ferme evadunt tot incrementa, ſi eum XVI. ſæculi incrementis conferantur. Ejus ætatis ſapientes, præſidiis & luminibus, quæ ipſis induſtrii ſuperioris Ævi Critici ſuppeditaverant, novos conatus addiderunt, ut non horridas ſolum Litterariæ Reipublicæ terras deceſſoribus ſuis ignotas colerent; verum ut perpolirent quoque, atque explerent quæcumque ab illis acceperant. Honoris loco habuerunt, ne quidpiam eorum aciem fugeret; omnes Bibliothecarum angulos, ut nova eruerent MSS., prætentarunt; invicem illa contulerunt; Hiſtorica facta Textibus caſtigandis, & ſtatuendo tempori Epiſtolis adſcripto opportuna digeſſerunt; inſtitutumque eſt, minime de Librorum intellectu

„ pag. 23. nihil ſupra ad efformandum „ Atheiſmum deſiderari; vehementerque aſſentior cuidam egregio Sæculi hujus ingenio dicenti, nullum „ unquam, niſi explicata ſuperius „ ratione, Atheum extitiſſe. „

ante maturam inquiſitionem pronunciare, ne fallerent, aut fallerentur.

Satis Eruditis nequaquam fuit, uti elapſo Sæculo fuerat, Criticen ad Eccleſiaſticos & Profanos Scriptores examinandos accommodare; ſed mentis oculos longius intendentes, ſtudia ſua ad Græcos & Latinos Patres converterunt, ut eorum doctrinam medullitus tenerent; multumque operæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Conciliis, & antiquis Canonibus poſuerunt: Traditionum fontes adire; Sanctorum Hiſtorias corruptiſſimas, & infinitis fabulis conſarcinatas ad trutinam revocare, incomptamque doctrinam a primo capite repetere; Divini verbi explicatus Linguarum & Critices ope inveſtigare: in quod plane ſtudium ſatis leviter antecedentis Sæculi Scriptores incubuerant: pulcherrimas demum Leges condere, ut Critices uſus invaleſceret, quæ ad Artem redacta, non intermiſſo labore exornata, & ſequenti ætate ad altiſſimum perfectionis faſtigium evecta eſt, ipſis familiare fuit.

Convenit inter omnes, Criticen XVII. Sæculo omnes virtutis numeros habuiſſe, tum ſi attendamus animo ad Operum hac de re editorum multitudinem, & magnæ Artis hujus regulas cumulatius ad omne Litteraturæ genus illuſtratas; tum ſi perſpicaciam, ſoliditatem, & diligentiam; tum denique ſi præcellentes fructus in Republica Litteraria a Sæculo deinceps partos ſpectare velimus. Quæ forte cogitatio Dupinum adduxit, ut poſtremam ſuæ Autorum Eccleſiaſticorum Bibliothecæ partem exordiretur ab Elogio XVII. Sæculi, quod merito ceteris omnibus Linguarum peritia, Theologiæ & Philoſophiæ tractandæ ratione, Critices præſtantia, Hiſtoriæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcientia, exquiſita Concionandi facultate, & piorum Librorum delectu anteponit: addere ſane potuiſſet ſtrenuus Autor iſte, humanarum Litterarum, liberalium Artium, & Bibliorum Sanctorum cognitionem, quæ totidem Critices emolumenta ſunt, quibus tantam ſplendoris acceſſionem afferre nequiviſſet, niſi ipſa omnibus partibus ſuis fuiſſet expleta.

Dupinus in Biblioth. 17. Sæculo, tomo 1. Gall.

Nihilominus non admodum a veritate diſtat, eam huc non perveniſſe, præterquam ſub ſæculi XVII. finem; ſi Bailletum audiamus diſſentem de conſilio, quod ceperat Magiſter † Sanctorum gloriæ ſcilicet operam navandi: „ Exiſtimavit, inquit, puram de Geſtis Sanctorum Hiſtoriam moliendum Opus non eſſe, donec nulla alia ſubſidio venirent adjumenta; Criticenque tanto muneri neceſſariam adhuc abſolutam ita nequaquam eſſe, ut in præſenti perſpicuum eſt. „

† Hinc migravit anno 1618.

Baillet. Differt. in Vitas Sanctorum pag. 103. Gall.

Poſtulaverit fortaſſe Lector, ut Indicem atque Elogium Sapientum illorum confeciſſem, qui ab exacto Sæculi XV. dimidio enituerunt, adeoque de Republica Litteraria optime meriti ſunt. Verum præterquamquod

mea

mea non intereſt facinus hoc; neque longius quam par ſit, protraheret, (neque enim paucæ ſolis ipſorum nominibus recitandis paginæ ſufficerent,) Bailletus tribus prioribus de Judicio Sapientum Voluminibus habita a Scriptoribus de ipſis Elogia, & quidquid de iiſdem memoriæ prodiderunt, collegit; Thuanus * pariter amplius quadringentorum mentionem fecit, quemadmodum alii plures, qui eorum merita celebrare non ſunt obliti; ante omnes autem Ephemeridum Scriptores, qui ab Operis inſtitutione officio iſti non defuerunt. Denique, quod majus perſolvi poterat, præſtitum ipſis eſt in tot Libris, ſive viventibus illis, ſive poſt illorum obitum lucubratis; quare opus non eſt id hoc loco fuſius perſequi; eoque magis, quo ſtudui diligenter illorum ſaltem præcipuos hoc in Opere citare, immo pluris habitos acceptoſque Tractatus oblata occaſione ſignificare.

ARTICULUS VII.

De Sapientibus Criticis ſingillatim, in quorum Opera nonnullas animadverſiones excitabimus.

IN immenſum abire vellet, quicumque aggrederetur ad omnes, quæ de Criticorum noſtri temporis doctrina ſuboriri poſſunt, dubitationes in medium producendas, & ſingula ipſorum Opera in judicium vocanda. Operæ itaque pretium eſſe duxi, me ſequentibus Criticis circumſcribere; videlicet Simonio, Tillemontio, Dupino, P. Alexandro, Bailleto, & D. Theodorico Ruinartio: quod tamen non oberit, quominus per opportunitatem animadverſiones aliquando noſtras ad aliorum poſterioris Ævi Criticorum ſenſa convertamus.

Nemini autem mirum videbitur, me hos præferre, vel citius ſeligere, ſi modo reputet; 1. Sex iſtos Scriptores accurate niſi de omnibus, de præcipuis certe argumentis diſputaſſe, quæ Criticæ Eccleſiaſticæ magnos uſus afferre poſſunt; 2. videri eruditos Autores iſtos materiem ſibi ſubjectam exhauriiſſe: nihil etenim præteriit forſitan Simonius eorum, quæ ad Scripturarum Textus Criticen, regulaſque optimæ Verſioni pa-

* Teiſſierius 2. Vol. in 12. Litteratorum hominum Elogia congregavit, quorum meminit Thuanus in Hiſtoria ſua, iiſque additamenta appoſuit notatione maxime digna, præſertim in altera Editione Trajectina anno 1697., ex qua noviſſima alia constructa eſt, & tertio Volumine aucta Berlini anno 1704.

randæ neceſſarias pertinent: Tillemontius Eccleſiaſticam primorum Sæculorum Hiſtoriam funditus evolvit: Bailletus, niſi fallor, in Sanctorum Vitas Criticen tranſegit: Theodoricus Ruinartius firmioris autoritatis Acta primorum Martyrum in ora hominum eduxit: Dupino nihil excidit ad Autores Eccleſiaſticos attingens: Patriſque Alexandri Opus ab omnibus ſuſpicitur veluti Dogmatica Theologia hactenus editis perfectior. 3. Operoſum fore aliquam Critices quæſtionem indicare, quæ Virorum iſtorum luminibus ſe ſubduxerit. 4. Ipſos in Operibus ſuis cunctas Criticæ Artis præſcriptiones comprehendiſſe, earumdemque uſum, quæ conducere poſſunt objectis illuſtrandis, quæ de rebus ſuperius memoratis urgeri queunt; mihique perſuaſum eſſe, perpaucas repertum iri, quæ in Sapientum iſtorum Scriptis non contineantur, aut eodem non recidant, quo per ipſos nobis traditæ, & uſurpatæ.

Ecce tibi rationes, quibus compulſus ſum, ut me exiguo hoc præ omnibus aliis Cl. Criticorum numero definirem. Ne præſtoleris, me illorum doctrinam oppugnare, placita refellere, aut perpendere, utrum capiantur, nec ne, ubi factum aliquod ſive probant, ſive improbant; cum id nullomodo ſit Operis hujus inſtitutum; illud vero tantum, ut noſmetipſos, propoſitis in Critices regulas ab ipſis exhibitas & adhibitas dubitationibus, erudiamus.

Ceterum cogitari nequit obſervantia atque exiſtimatio iis majores, quas erga celeberrimos Scriptores iſtos, eorumque ſapientiam harum Animadverſionum Autor profitetur. Ingenue ſiquidem teſtatur, eos quatuor egregiis dotibus non mediocriter exornari: 1. recondita eruditione, abſolutiſſima ſcientia, ſolido judicio; immo dixerim, ſingulos rem, de qua diſputant, ſuperaſſe: 2. perfecta omnium germanæ Critices Legum cognitione: 3. quod vero maxime conſentaneum ſit, eos admodum nihil in Operibus ſuis protuliſſe, quod ad ſeverioris Critices normam exactum non fuerit. Demum Autores iſti conceptis verbis ratum nobis eſſe volunt, unum veritatis amorem laboribus & deciſionibus ſuis præfuiſſe: præjudicia autem, privata negotia, animi affectiones, propriumque commodum longe ſummota eſſe a ferendis ſententiis illis, quas ſuffragio ſuo comprobarunt.

Is profecto Tillemontii vim ampliſſimam ingenii minime complectetur,
Tillemontius. * cui ſatis eſſet dixiſſe, cum opera ſua ab Autographorum Scri-

* Ludovicus Sebaſtianus Nanus Tillemontius Pariſiis ortus pridie Kalendas Decembris anni 1637. Patrem habuit Joannem Nanum ſupplicibus Libellis Præfectum. Sacris initiatus eſt anno 1676. Conſuetudine erat ſuavi ſimplici humili modeſta & gravi; tempore Quadrageſimæ jejunium poſt ſolis occaſum protrahebat, ſolis leguminibus veſcebatur, a voluptatibus etiam caſtiſſimis abſtinebat, & nonnullis aſperitatibus deditus

pto-

ptorum viſceribus excerpſiſſe, quorum non ſemel eadem uſurpat verba; eorundem ſenſa integerrime reddere, & ordine, conſenſu, & diſtinctione tanta collocare; ut mirari ſubeat eos, qui experimento norunt, quot labores in hæc ſtudiorum genera impendantur. Ne id quidem ſufficeret addere, ex ejus nimirum copioſo fonte, ipſo adhuc in vivis agente, hauſiſſe plurima Autores Geſtorum Tertulliani, & Origenis, S.S. Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Cryſoſtomi, Ambroſii, & Ludovici: ad Tillemontii Monumenta confugiſſe Sapientes illos, qui novas poſteritati propagarunt Editiones S. Cypriani, S. Hilarii, S. Ambroſii, S. Auguſtini, S. Paulini, S. Fulgentii, aliorumque multorum, tum quoad Hiſtoriam de Geſtis Sanctorum iſtorum, tum etiam quoad Operum ſuorum delectum, & Chronologiam: Bailletum inſuper tanti Viri aſſiduitati non pauca ex iis debere, quæ memoriæ prodidit de Martyrum Actis, & Sanctorum quatuor prioribus ſæculis viventium Geſtis. Tot eximiæ Cl. Abbatis hujus virtutes ſumma animi demiſſione, & ſingulari prorſus moderatione commendabantur, quæ miram cum tanta ingenii luce copia & eruditione ſocietatem cojerunt. *Specimen Vitæ & ingenii Tillemontii art. 6. & 27. Gall.*

Doctiſſimus quidam Abbas Tillemontii Sapientiam & accurationem tanti fecit; ut Hiſtoriam Eccleſiaſticam † ſcripturus libere profiteatur, ſe ab hoc uberrimo fonte non modicos rivulos deduxiſſe. „ Scriptura „ Sancta, inquit Abbas Choiſyus, totius ædificii baſis erit, materiæ „ vero partem ſuggeret nobis in ſua de Imperatoribus Hiſtoria, & in „ Hiſtoriam Eccleſiaſticam Monumentis Tillemontius, de quibus examinandis non laborabo; cum ejus ingenium de ipſius intelligentia nos in tuto ponat, ejuſque virtus pro ipſius bona fide nobis ſpondeat..... „ Aperte pronuncio, me nihil dicturum, niſi ex eorum fide, quos „ paullo ante memoravi, præcipue vero Tillemontii, qui pro me, „ proque anni poſteritate Archetypa ſcrutatus eſt.

† primum volumen impreſſum eſt Pariſiis anno 1703. *Choiſyus Hiſtor. Eccleſ. in admonition. pag. 6. Gall.*

Ibid. pag. 8.

Univerſi, queis conſuetudo aliqua cum Bailleto * intercedebat, in ipſo Bailletus.

erat. *In ſpecim. Vitæ & Ingenii Tillem. art.* 55. Qui Magni hujus hominis Volumina verſant, eum in verbis ſuis moderatum, in alienis adducendis rectum, in deciſionibus cautum, atque in animadverſionibus ſagaciſſimum agnoſcunt. Diem clauſit 4. Idus Januarii 1698. Sexagenario aliquanto major. *Dupin. Biblioth. 17. Sæculo parte 4.*

* Adrianus Bailletus in lucem prodiit Idibus Junii 1649. Novævillæ, juxta Bellovacum vico, Patre Prædioli cujuſdam, quod ad ipſum a majoribus ſuis venerat, propriis manibus cultore. Apud Fratres Minores vico illi proximos educatus eſt; deinde in Collegio Urbis Bellovacenſis ſtudiorum ſuorum curriculum confecit, atque ibidem Humanarum Artium moderator fuit anno 1676. Ad Sacerdotium promotus, cuidam Diœceſis Bellovacenſis Parocho aliquandiu operam ſuam locavit: anno vero 1680. Bibliothecæ Lamoignoni Patroni Generalis præfectus eſt, quo in munere ad mortem uſque perſeveravit, illamque oppetiit Pariſiis circiter 57. ætatis ſuæ anno 1706. Duodecimo Kal. Febrarii.

per-

perſpicaciſſimum & ampliſſimum ingenium, miram ad veritatem ab eo internoſcendam quod illius ſpeciem duntaxat habet, facilitatem, ſolidum judicium, acrem Criticen, & certum de quibuſcumque ingenio partis Operibus ſenſum ſuſpiciebant. Hæc omnia conſequebantur inexplebilis ſcientiarum ardor, immenſa & recondita lectio, aſſiduus & immanis labor, & magna Librorum & Autorum in quolibet Litteraturæ genus, cognitio: Quod additum tot præſtantiſſimis Libris publicæ utilitati mandatis Dupinum adduxit, ut teſtatum relinqueret: *admirationi locum eſſe, quod ipſe tot legere potuerit, cum tot ſcripſerit, totque ſcribere, cum tot legerit.*

Ephem. Sap. in ſupplem. Menſis Jan. 1706 Gall. Dupin in Biblioth. Aut. Eccleſ. Saeculo 17 parte 4. pag. 383. Gall. Mercurius feſtivus (Gallis) Galant Menſis Februarii 1706. Gallice.

Flagrans hoc diſciplinarum ſtudium alia quæque in Bailleto reſtinxerat, & parum adeo illum Officia, dignitates, Eccleſiaſtica Beneficia, ambitio, fortuna, & gradus alliciebant, ut nihil minus: tametſi quod ad laborioſiſſimi hujus Scriptoris perſonam attinet, convictu eſſet longe omnium optimo, lepidus, jucundus, in hominum conventibus elegans, & moribus irreprehenſibilis. Annos exegit ſuos legendo & ſcribendo, nullum nactus laxamentum aut oblectationem, vitam ducens Chriſtiano homine digniſſimam, ſuique perpetuo ſimilem, miſericos, beneficus, atque a quacumque redundantia abhorrens. Virtutis tandem & pœnitentiæ exemplum erat, a vino temperans, humi cubans, ſibique conſtanter voluptates omnes interdicens & vitæ commoda, quam, mundi licet frequentia media, ab hominum ſemper turba aſpectuque remotus traduxit.

D. Theodoricus Ruinartius.

D. Theodorici Ruinartii Opera, * quæ in manibus ſunt Litteratorum omnium; totidem dicunt ejus meriti ingeniique teſtimonia. Eminet exquiſito judicio, prudenti Critice, accuratione ſingulari, nitido & caſtigatiſſimo ſtylo, aſſiduitate in Bibliorum Sacrorum, Operum Eccleſiæ Patrum, & Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudiis non vulgari, cum primis vero indole quadam ſuavitatis ſimplicitatis integritatis & Modeſtiæ, Mabillonium plane, cujus alumnus dignus erat, referente. Immanes labores a Ruinartio diuturno annorum ſpatio exantlati, Religioſæ diſciplinæ ardorem, aut illius ſtatus officiis obſervantiam non reſtinxerunt, quinimmo non minus fuit inter Religioſos viros virtutum omnium exercitatione, quam fuerit recondita eruditione inter Sæculi noſtri Litteratos inſignis.

Ephem. Sap. 3. Martii 1710. Dupin Biblioth. ea 17 Saeculo p. 6. pag. 267. & ſeq.

* D. Theodoricus Ruinartius Rhemis honeſta ſtirpe profectus, Congregationi S. Mauri ſe addixit viceſimo ætatis ſuæ anno, quam profeſſus eſt decimo quarto Kal. Novembris 1675. In Monaſterio de Hautvilliers evaſit e vita 29. Septembris 1709. tribus annis major quinquagenario.

Stu-

Studioſorum Reipublicæ perſpectiſſima ſunt præclara eruditio ingeniumque Simonii, * quæ in quibuslibet Operum ab ipſo editorum paginis apparent. Quamobrem perdoctus quidam Hæreticus ipſius Hiſtoriæ Criticæ oppugnator pro veritatis cauſſa ſibi reticendum non eſſe arbitratus eſt, quod de illo conficit, Elogium. „ Nihil, inquit, hoc P. Simonii Opere „ abſolutius reperiri poteſt, & quicumque ad illud volutandum accedet, „ inventa multa cum jucunda tum nova diſcere poterit. Non deſunt „ ipſi limatum judicium, acerrima intelligentia, eruditio, probitas, per„ ſpicacia, & rerum conſenſio. Rectam ſuæ Critices rationem inivit, cu„ jus materiem jamdiu paraverat; nihil ferme deſiderandum reliquit; & „ ſtudioſiſſimi cujuſque lectoris curioſitatem aliquo ſaltem pacto explevit. „ Ipſius Liber multorum voluminum compendium eſt, ſive potius ple„ na Bibliotheca. „ Autor Ephemeridis Lipſienſis duobus verbis Simonii Hiſtoriam Criticam effert, cum eam nuncupat *Opus in genere curioſum & ſummæ eruditionis*.

Simonius. — *Spanhemius in Epiſt. ad Amicum de Hiſt. Crit. Gall.* — *Acta Erudit. Lipſia 1 Aprilis 1682. pag. 94.*

Uberrima doctrina, quam redolent R. P. Alexandri ſcripta; ** communis omnium Eruditorum plauſus, publica exiſtimatio atque approbatio ſatis legitimam ſingularis meriti magni hujus Ordinis Sancti Dominici ſplendoris afferunt conjecturam. Ampliſſimum ipſum ejus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſilium, quod complectitur quidquid majoris momenti a mundi exordio uſque adhuc de Religione contigit, hujus vaſta mente ingenioque admirando Doctoris vires minime fregit; tametſi peragendæ res multorum Sapientum exhauriendæ doctrinæ conſumendiſque laboribus abunde ſufficerent. Ad ipſius pertinet dignitatem, quod omnium primus tantum non modo propoſitum animo informaverit, verum opere quoque perfecerit. Memoria repete quidquid in divinis cum veteris tum novi Teſtamenti Libris ſublimius eſt, intimum magis, myſteriiſque ſanctius; quidquid in Eccleſiaſtica & profana Hiſtoria ſpinoſius, difficilius, aut amœnius, nihil in iſtis diſquiſitionibus ejus perſpicacitati ſe ſubduxit. Religionis Controverſiæ, quæ clariora ingenia occuparunt, immo in eas ſubinde impegerunt: quæcumque aſperiora ad-

R. P. Alexander.

* Riccardus Simonius Deppenſis Oratorii Congregationem adiit, in qua non Theologiæ modo, verum Linguis, & Bibliorum Critice dedit operam. Poſtquam anno 1678. ſuam in Vetus Teſtamentum Criticen in publicum produxit, Oratorio ſe abdicavit.

** Pater Natalis Alexander ortum habuit Rhotomagi quarto Idus Januarii 1639. Studiorum ſuorum ſtadium emenſus eſt apud Patres Prædicatores, quibus ſe in ejuſdem Civitatis Conventu ſociavit anno 1653. ſequenti vero eorum inſtitutum profeſſus eſt. Pariſiorum Magnum Conventum ſtudiorum cauſſa petiit, ibique Philoſophiam & Theologiam duodecim annorum ſpatio docuit. In Pariſienſi Facultate Theologiæ Doctoris Laurea decoratus eſt 21. Februarii 1675.

huc

hue objecta ſunt de quatuor ſummis Orbis Imperiis, de Pontificibus; de Imperatoribus, de Perſecutionibus, de Conciliis, de Hæreſibus, aliiſque omnibus majori conſideratione dignis cum Hiſtoriam Eccleſiaſticam componentibus, tum ipſi cognatione aliqua adjunctis, quoad tempora, loca; facta, doctrinam, perſonas, & varia Decreta; & hæc omnia expeditiſſima ſunt, & magna luce circumfuſa in Diſſertationibus Hiſtoricis, Chronologicis, Criticis, & Dogmaticis ejus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Ingenium, Sapientia, politumque judicium, quæ in hoc Opere, ne dicam in aliis doctiſſimi hujus Dominicani Tractatibus, late dominantur; prudens acuta atque integerrima Critice, quam in Patrum, Autorum Eccleſiaſticorum & profanorum ſcripta exercuit; naturalis demum ordo, mira rerum copia, eaſque tractandi robur, eam ipſi famam communemque exiſtimationem compararunt, quæ tandiu ſtabunt, quandiu ejus ingenii fœtus in Litteratorum manibus verſabuntur. Liceat itaque præter erroris ſuſpicionem aſſerere, nullum unquam aptius Elogium confectum fuiſſe, quam ab Doctoribus illis, qui pro Eccleſiaſtica celeberrimi hominis iſtius Hiſtoria ſuffragium tulerunt, cum ipſis eam appellare placuit *Fontem purum & perennem, ex quo non tyrones modo, ſed & eruditi quique reconditiorem Sapientiæ aquam haurire poſſunt.* *Approb. Hiſt. Eccleſ. Tom. 1.*

Dupinus. Si quis eſſet, cui in mentem venire poſſet de Dupini * recondita Sapientia & beatiſſimo ingenio dubitare, quod quidem iis omnibus etiam majus eſt, quæ de prioribus Bibliothecæ ſuæ Voluminibus Cenſores teſtati ſunt, remittendus hic ad idem opus eſſet, in quo præſto ipſi erit, unde ſemetipſum aſpectu ipſo redarguat: non eſſe ſcilicet niſi Maximorum hominum maxima ſuſcipere, atque ad exitum perducere. Hujus Operis titulo, quantumvis ſimplici, cujuſdam conſilii ampli & difficilis in ejus mente ſpecies inſideret; & profiteri cogeretur, *Appr. Biblioth. Aut. Eccleſ. 3. Gall.*

* Autore ipſo Dupino didicimus, eum Pariſiis ortum decimo quinto Kal. Julii 1657. filium fuiſſe Ludovici Ellies Nobilis, Domini Dupini, ex illuſtri & vetuſta Normaniæ familia profecti, & Mariæ Vitartiæ ex Campania. Subdit deinde, ſe a Patre & Magiſtris Grammatices elementis imbutum, ut decennis hujuſmodi fuerit, qui in Collegium Harcourtienſe, tertia claſſe, reciperetur. Confecto Philoſophiæ curriculo, Artium magiſter eſt apellatus anno 1672. Dehinc Sorbonicos Profeſſores conſueto trium annorum ſpatio audivit, atque anno 1680. *Baccalaurei* gradum aſcendit. Tum ſtudiis rurſus inſtitit: publicæ diſputationis diſcrimen de more ſubivit, qua in ſubſelliis primis locum occupavit. Doctoris inſignia retulit Kalendis Julii 1684. moxque Bibliothecæ Autorum Eccleſiaſticorum ſe totum dedidit. Quantumvis autem longum operoſumque in primis Opus eſſet, non omiſit, quin ad alia quoque animum adjiceret, atque identidem in vulgus emitteret, quod etiam nunc facere pergit non improſpere. *Dupinus Biblioth. 17. Sæculo; Tomo 6. pag. 1. & ſeq.*

ad

ad illud ex dignitate abſolvendum eruditione opus eſſe ſæcula omnia complectente, exquiſita intelligentia, ne errore caperetur, aut aliorum credulitati fucum faceret, opera denique aſſidua cui nullum moram inferat impedimentum, aut illam opprimat. In eo deprehenderet Scientiam patentem ita, ut ſeſe ad omnia argumentorum genera longe lateque diffundat; vim intelligendi ſubtilem adeo, ut ne intricatiſſimæ quidem res ipſi obſiſtere poſſint; eam ingenii æquitatem, veritatiſque ſenſum, quæ neque in fraudem impellat, neque impellatur; Criticen poſtremo; quæ luce, prudentia, & probitate ſemper affecta, certa a fabuloſis & ſuſpicioſis ſecernit. Aſſenſionem nunquam ſuam temere præcipitat: conjectura, veluti invicta ratione, non ducitur: tantam cuique rei, quanta in ipſa eſt, tribuit autoritatem; ut incorruptas veritati aures præbeat, præjudicia procul amandat; in veritatis diſquiſitione nulli præter ipſam proſpicit; nihilque damnari ſuſtinet, niſi ſublata quacumque illud purgandi via. Hine conſecutionem intulit quidam egregius Scriptor, „ Bibliothecam Autorum Eccleſiaſticorum Opus eſſe indole quadam ſua „ & plane ſingulari, quod a turba ſubducit Autorem ſuum, illumque „ inter ceteros ejuſdem rei Scriptores non mediocriter commendat. „ Noſtri item illuſtres Critici reconditæ huic eruditioni perfectam omnium germanæ Critices Legum ſcientiam addiderunt.

Petitdidierus in Animadv. in Bibliothecam Tom. 1. Præf. Gall.

Univerſum Simonii Opus omnibus Regulis iſtis contextum eſt, quæ ſane frequentiores in eo ſunt, quam in ceteris Bibliorum Interpretibus & explanatoribus, tum ad emendandam Litteram, tum ad veteres Verſiones reſtituendas, tum ad novam edendam aliis quibuſcumque hactenus confectis per ipſum, abſolutiorem, tum ad acquirendam S.S. Patrum Scripturas interpretantium intelligentiam, tum denique ad errata deſignanda, ſive ea animadvertenda, quæ melioris notæ ſunt in Libris Interpretum Verbi Divini, ſive ad hoc commentationibus aut ſcholiis elucidandum.

Hiſt. Crit. Veteris & Novi Teſtamenti. Gall.

Dupinus ſecunda parte Proœmii ad primum ſuæ Bibliothecæ Tomum; & capite viceſimo Tractatus de Doctrina Chriſtiana omnia collegit Critices præcepta, Autorum Opera attingentia, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſactis utiliſſima. Theodorico Ruinartio in Tractatu de Actis ſelectis, & Bailleto in Sermonibus de Geſtis Sanctorum non exciderunt animo quæcumque ad Martyrum Acta, & Vitas Sanctorum ſpectant; ſique de Critices Monitis aperte Tillemontius & Alexander minime diſſeruerunt, iis nihilominus plena ſunt, & undique reſperſa eorum Opera. Quocirca inficias ire nemo poterit, ſecundam a nobis Sapientibus Scriptoribus iſtis adſcriptam dotem in ipſis nequaquam deſiderari, non ſecus atque tertiam. Ipſorum accuratio, prudentia, judicium limatum, & generalis

ipſorum Operibus ab Eruditis excitatus plauſus, argumento eſſe debent; nihil eos ſcriptis tradidiſſe, quod æqua religioſioris Critices lance diligenter non ſuſpenderint: eorundemque fama, veritatis amor, & acies publica, quam non latet quidpiam, quæquæ hujuſcemodi peccatis non ignoſcit, vades nobis erunt, eos omnia præſtitiſſe, ut ipſis nemo exprobraret, quæ jure ſolent in hoc eruditionis genere claudicantibus exprobrari.

Nimium quidem judicio deferimus, quod de ſummis Viris iſtis Sapientes pronunciarunt, ut ipſorum verbis fidem derogemus, cum declarant, eos veritati Scriptis ſuis illuſtrandæ, non vero uniuſcujuſque præjudiciis ſectandis intendiſſe, quam quartam ponimus excellentis Critici proprietatem.

Hiſt. Crit. in Præf.

„ Deprehendi, inquit Simonius, neminem adhuc ſatis in Critices Li„ brorum Sanctorum latebras altius mentis oculos conjeciſſe, cunctoſque „ cum Judæos, tum antiquos & recentes Chriſtianos ex præjudicatis ſin„ gulorum opinionibus de illa diſputaſſe........ Ita ut dici poſſit, pau„ cos admodum eſſe illos, qui medium quoddam tenere valeant aſſequen„ dæ veritati neceſſarium. „ In hoc itaque, quantum in me fuit, nervos „ omnes contendi; neque aut Græco, aut Latino, aut Hebraico Textui „ pertinaciter adhæſi, ſed ſtudioſe, & ſecundum communes Critices Le„ ges expendi, &c. „

Tillem. t. 1. in Præf. pag. 8. 9. & 16.

Tillemontius de ſe ipſo loquens. Monumentorum iſtorum Autor, ait, „ nequaquam ſe Eccleſiæ prorſus inutilem fore putabit, ſi ſimpliciſſi„ mam veritatem effingere, eamque pro viribus ſuis conſtituere pote„ rit....... Satis ſibi eſſe ducit factorum veritatem rimari, & quando„ quidem eam inveniat, non veretur, ne ad pravos uſus detorquea„ tur...... Cum Opus hoc ad Hiſtoriæ veritatem inveſtigandam inſti„ tutum ſit, &c. „

Dupinus millies enunciat manifeſte, ſe conniti, ut veritati lumen afferat, eamque a ſervitute, qua opprimebatur, vindicet in libertatem. Bailletus Admonitionem de ſua Geſtorum Sanctorum Hiſtoria his verbis concludit: „ Coram ſumma veritate profiteor, me illi duntaxat ex „ animo inſervire; meque obſtrictum eſſe, ut illam uſque ad minimo„ rum factorum medullas perſequerer. Quod ſi non ſatis proſpere res ceſ„ ſit, ut in eam ſæpe numero offenderem, illam certe dilexi ſemper, „ quæcunque tandem ſui parte latitaret, paratuſque omni tempore fui, „ eandem amplecti, cum primum emergeret. Non abſimilia exprimit ſen„ ſa R. P. Alexander, & pro certo ponit, veritatis amorem non raro illum coegiſſe, doctiſſimorum Virorum opiniones deponere. *Quanquam*, ait, *mihi blandiri nolim, quod veritatem ſim in omnibus aſſecutus; ſed quod*

Baill. Vita Sanctor. in Admonitione T. 1.

Alexander in Hiſt. Eccleſ. 1. Sæculi Præf.

quod ipſam animo ſincero ſemper quæſierim, & illas amplexus ſim opiniones, quas aut veras, aut certe veritati viciniores exiſtimavi, hoc porro eſt, de quo mihi ipſi gratulari poſſim. Ruinartius in eadem ſententia eſt, uti luculenter in Actorum Selectorum Præfatione teſtatur.

Ecce præſtantes virtutes, quæ peculiare doctorum Criticorum, quos in quæſtionem poſtulo, ingenium effingunt: haſce quoque opus eſſe credimus, omnibus ferme peræqua portione Criticis accommodare, quorum in hoc Opere meminero; Siquidem non video, qui potuiſſent ad Critices perfectionem & diſciplinarum inſtaurationem tot conferre, quot paſſim jactari ſolent; ſi eos adjumenta iſta defeciſſent. Enim vero nemo probus Criticus erit, qui non ſit præclaro judicio & recondita inſtructus eruditione; qui veræ inſtitutiones Critices non calleat perfecte, iiſque non utatur eatenus, ut conditæ ſunt: quamvis non dubitemus, nonnullos illas peſſime traduxiſſe; quod nimirum præjudiciis ſuis, non autem rationis luminibus ducerentur. Ratum itaque & firmum ſit, eum non eſſe perfecti Critici nomine honeſtandum, cui ex iſtis conditionibus deſit aliqua.

Nobis adeo perſuaſum eſt, eas omnes habere Criticos noſtros, licet forte non eodem in ſingulis numero; ut id pronunciati cujuſdam loco ſtatuamus, atque ex præcipuis ſit quarumcumque noſtrarum Animadverſionum fundamentis, ut jam inde a Proœmio admonuimus.

DISSERTATIO II.

ANIMADVERSIONES

IN REGULAS CRITICES,

QUOD ATTINET AD HISTORIAM ECCLESIÆ,

OPERA PATRUM, ET DOGMATICEN:

Conſtitutas in Veterum Teſtimoniis ſumtis ab illorum Operibus cum veris, tum ſuppoſititiis.

INNITUNTUR Critici Autoritati & Conjecturæ. Autoritati quidem cum Autores in medium producunt, aut ipſorum ſenſa conceptis verbis referentes, aut ſaltem ea, ex quibus neceſſaria conſecutione confici poſſint: Conjecturæ vero, cum de factis a Veteribus traditis diſputantes, fit ipſis vero ſimile hoc aut illo modo res contigiſſe; tametſi aliter revera ſe habere potuerint. Hæ duæ ſemitæ, * quarum prima tutior eſt, altera periculoſior, nulliuſque pene fidei, in veritatis cognitionem ducere poſſunt: at alea ſumma ineſt illis ſectandis; neque enim vera ſemper ſunt, quæ Autores ſcribunt; & Conjecturæ, quæ vel a veris illorum narrationibus ducuntur, maxime verſantur in ancipiti; quapropter Regulas præſto eſſe oportet, quibus errandi periculum, quo cingimur, pro facultate noſtra ſubterfugiamus. Hujuſmodi multas ſibi præſtituerunt Critici, a quibus utinam non declinaſſent unquam, non enim toties in lubrico pedes poſuiſſent. Mittamus alio, quæ ad Conjecturam pertinent, & ſermonem de Autoritate inſtitua-

* *Bivium enim ad corrigendum, libri, & conjectura. Prima via ſatis certa & tuta; lubrica altera.* Juſt. Lypſ. Satyr. Menipp.

tuamus, eaque tantummodo ab Hiſtoria Eccleſiaſtica, Patrum Operibus, & Dogmatica Theologia petita. Quæ ſcripturam Sanctam & Martyrum Acta attingunt, inferius ſeorſim claritatis gratia diſcutiemus, cum ſatis ſuperque ab iis differant, quæ ſunt Hiſtoriæ, aut Operum Antiquorum.

Secunda hæc Diſſertatio bipartitur: in priori parte penſitabimus præcipuas Critices regulas de Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis excogitatas; verum quoniam ſimpliciſſimæ ſunt, ejuſque rationis, ut nemo ſanæ mentis eas in dubium revocare poſſit, minus mihi negotii faceſſet illas ſtatuere, quam diligenter inquirere, num ipſis ſatis accurate Critici noſtri obtemperaverint: in altera hujus Diſſertationis parte nonnulla animadvertimus in momenta, quæ colligi poſſunt a Libris ſuppoſiticiis, ſuſpicioſis & apocryphis; a quorundam Autorum teſtimonio, quod non admodum grave pondus afferre videtur; atque ab iis, qui factis, quorum meminerunt, ſæculo amplius ſunt recentiores. Accedunt his quædam animadverſiones in argumenta a Manuſcriptis comparata.

PRIMA PARS.

REGULÆ CRITICES,

Quæ ad Veterum teſtimonium ſpectant ab illorum germanis Operibus depromtum.

ARTICULUS PRIMUS.

Summus honor Autoribus Eccleſiaſticis antiquis deferendus eſt; eorumque teſtimonium magna cum obſervantia excipiendum.

INTER noſtri temporis Criticos, vix unum reperies, qui majorem Tillemontio erga veteres Scriptores cultum & reverentiam adhibeat. Non modo ipſius Opus verborum illorum textura quædam eſt, verum etiam ab ipſa ſua admonitione hoc egregium principium fundamenti loco jecit; „ ſe in univerſo Opere autoritatem citius, quam rationem conſuluiſſe, & compluribus exemplis perſpectum habuiſſe, ea „ ipſa, quæ maxime apparent improbabilia, nonnunquam vera eſſe & „ ger- *Admon. pag. 16. Gall.*

„ germana . . . . . multa quoque facie prima aperte pugnantia, conci„ liari nihilominus facile admodum, cum rei adjuncta cognoſcuntur. „ Quo factum eſt, ut propoſitis mihi rebus, veterum alicujus nominis „ Scriptorum autoritate fultis, qui ab Eccleſiæ filiis honorifice ſuſcipi „ debent; viſum non eſt ab iis eſſe recedendum, niſi invictiſſimis ratio„ nibus ſuadentibus: tametſi non diſſimulem, id a celeberrimorum ætа„ tis huius Criticorum ſententia longe abeſſe.

Pulcherrimæ Legis hujus præſcripto non pauca a plurimis Criticis repudiata nobilis Criticus iſte veluti genuina minimeque fucata recipit ſive Scripta ſive facta: uti Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, & Abgari ad Jeſum Chriſtum, earumque Hiſtoriam ab Euſebio, & ſancto Ephrem narratam, tamquam e Civitatis Edeſſenæ tabulario depromtam; Hegeſippi narrationem de Martyrio S. Jacobi Epiſcopi Hieroſolymitani per eundem Euſebium nobis ſervatam, Hiſtoriam mortis Magni Panos, * ab Euſebio item ex Plutarcho traditam, quæ nonnullis Proteſtantibus fabulam redolet, quamque Godavius aliique Catholici bene multi propugnare negant. Cum autem Tillemontius Eruditorum de Hiſtoriis proxime relatis rationibus ſe urgeri intelligit, ad ſuam regulam confugit. „ In „ ſpem inducor, inquit, prudentes homines nobis veniam daturos, ſi „ Legi noſtræ nolumus derogare, ne quidpiam antiquitate ſatis muni„ tum abjiciamus, præterquam firmiſſimis obſtantibus momentis „: Aut ad iſtam a P. Petavio deductam: „ præſtat magis ſcrutari, quare id „ factum ſit, quam probati Autoris teſtimonium rejicere.

Tillem. t.1. art. 21 in Jeſ. Chriſt. pag. 49.

God. Hiſt. Eccl. l.3. pag.158.

Tillem. ibidem notat. 7. in S. Thomam pag. 662. col.1. infine.

Ibidem notat. 53. in S. Jacobum pag. 677. col.2. initio.

Poſt hujuſmodi ſenſa Veterum autoritati adeo obſequentia, me præterit quomodo Tillemontius de Sancti Zachariæ Patris S. Joannis Baptiſtæ verba faciens, non acquieſcat Origeni, S. Baſilio, Sancto Gregorio Nyſſeno, Sancto Cyrillo Alexandrino aliiſque non obſcure ferentibus, in Templo Hieroſolymitano locum inter Templum & Altare fuiſſe Virginibus deſtinatum: Deiparam etiam poſt Jeſu Chriſti nativitatem eo concedere voluiſſe; cumque propterea murmur ſubortum eſſet, eamque inde pellere cogitarent, Zachariam tum Sacerdotis munere fungentem, reſpondiſſe, neceſſum fore, ut ibi maneret, quod nimirum adhuc Virgo eſſet, idque in cauſſa fuiſſe, cur eum populus eodem loco interimeret.„ Traditio hæc

* Plutarchus in quodam Opuſculo Cleombrotum narrantem inducit, teſtatum fuiſſe Epitherſen, quod cum in Italiam navigaret, & prope Paxas deveniſſet, ex Echinadis Inſulis unam, in Corinthii ſinus ingreſſu, repente vocem auditam fuiſſe, qua navis gubernator Thramnus nomine vocabatur; eoque reſpondente, exclamaſſe vocem: *Cum juxta Paludem fueris, annuncia tunc Pana magnum eſſe mortuum*. Pana autem quidam erat ex præcipuis Paganorum Diis; hancque Hiſtoriam perhibent Mortis Domini noſtri tempore contigiſſe. *Apud Euſ. de Præp. l. 5. c. 9.*

ſub-

ſubdit Doctus noſter Criticus, maxima eſt conſideratione digna ob illorum qui ipſi ſubſcripſere, dignitatem; ceterum non apparet nobis, eam Sanctæ Virginis moderationi congruere. „ *Notat. 3. in S. Joann. Bapt. pag. 510. col. 1. initio.*

Nonne eadem in rem hanc Tillemontio reſpondere poſſemus, quæ ille, ut Abgari & Jeſu Chriſti Epiſtolas tueatur, reſpondet: „ videri „ ſcilicet, invictis demonſtrationibus opus eſſe ad rejiciendam narratio- „ nem multorum tanti momenti Virorum autoritate roboratam? „ ſive adverſus eum ipſas Leges ſuas retorquere; præſertim illam: „ *præſtat magis ſcrutari, cur id factum ſit, quam* ſimplici conjectura tot celebriorum *Patrum teſtimonium rejicere?* *Notat. 7. in S. Thomam pag. 662. col. 1. in medio.*

Oſtendit etiam ſe a prudentis Critices legibus diſceſſiſſe, cum reputavit, num S. Jacobus Sanctum Sanctorum ingrederetur. „ S. Hierony- „ mus, ait, & Rufinus, vertentes Hegeſippi verba ab Euſebio recitata, „ pro *Sancta* ſcripſerunt *Sancta Sanctorum*: idem habet Epiphanius . . . „ verum commodius eſt id profiteri, quod ſatis exploratum eſt, ne- „ que Hieronymum neque Rufinum, maximis alias præditos virtuti- „ bus, accurationis tamen dono fuiſſe commendatos, adeoque locum „ Sanctum a Sanctuario non internoſcere potuiſſe. „ Secundum Tillemontii principia aptius forte fuiſſet ſubjicere: quod, cum Patres τὴν ἁγίαν legerint, conſequens ſit potius ea verba in Euſebiano Textu reperiri, quam inde, uti facit, colligere, iſtos, quantumvis ſummæ doctrinæ Patres, *locum Sanctum a Sanctuario non internoſcere potuiſſe*. Impoſterum non pauca facta ob oculos ponam, in quibus leviſſima conjectura ductus Tillemontius Veterum opinionibus refragatur. *T. 1. notat. 10. in S. Jacob. Minorem 2. Edit.*

Eandem erga antiquos reverentiæ legem ſibi præcepiſſe indicat Dupinus. Id ex eo efficitur, quod de Sancti Barnabæ Epiſtola loquitur, ab ipſo fide Veterum Apoſtolo iſti adjudicata. Ubi namque cuncta perſecutus eſt, quæ de illius Suppoſitione afferri ſolent, ea labefactat in hunc modum: „ Quæcumque Epiſtolæ huic vitio vertuntur, non obfuerunt, „ quominus eam Sanctus Clemens, Origenes Euſebius, & Sanctus Hiero- „ nymus Apoſtolo Barnabæ * tribuerent. Turpis profecto, mea ſententia, „ addit Doctor iſte, imprudentia foret, nos Magnis antiquitatis Criticis *Dupinus Bibliotheca Tomo 1. pag. 18.*

* Sunt, qui credunt, nonnullos Judæos Alexandrinos, imperante Adriano, Epiſtolam hanc exaraſſe. Moventur his. 1. Epiſtola iſta Allegoriis redundat, quod eſt Alexandrinorum ingenium. 2. In more poſitum habent, ut ſummis Viris libros ab ipſis compoſitos vendicent. 3. Scripturarum citationes magis MSS. Alexandrino, quam Bibliis Septuaginta reſpondent. 4. Fabuloſa ſexus in Hyenna converſio apud Ægyptios præſertim percrebuerat. 5. Alexandrini erant Veteres, qui mentionem hujus Epiſtolæ fecerunt. 6. Formulas exprimit loquendi Alexandriæ uſitatas. *Animad. Tenzelii in Librum S. Hieronymi de Script. Eccleſ.*

per-

„ perſpicaciores arbitrari. Magis ipſi quidem temporibus Apoſtolicis erant „ proximi, præ manibus innumeros fere habebant ab ipſorum diſcipulis lu„ cubratos Libros, quorum jacturam fecimus, & propterea felicius; „ quam nos, Apoſtolorum, eorum ſociorum, & diſcipulorum ſtylum „ & ſcribendi rationem diſpicere poterant. Si itaque exiſtimarunt ipſi al„ legorias, Myſticas explicationes, fabulaſque, quibus referta eſt S. Bar„ nabæ Epiſtola, ab ipſo deſcribi potuiſſe quo jure inpræſentiarum id „ poſſumus inficiari? „

Idem in Patres obſequium ſignificat Dupinus, cum illorum teſtimonio legitima eſſe & nullatenus conficta docet Librum Paſtoris, Hærmæ nomen præferentem; primam S. Clementis ad Corinthios Epiſtolam; & ſecundæ, quod ſupereſt, fragmentum; ſeptem S. Ignatii Epiſtolas, quarum meminit Euſebius, atque alia multa Opera. Diſputans vero de Epiſtola, quæ S. Polycarpi titulo circumfertur, hæc habet verba digna animadverſione: „ Non dubito, quin contendam, ſummæ genus eſſe „ impudentiæ, illam infra ſuppoſitas detrudere, quod Blondellus & Dal„ leus faciunt. A quo demum etenim eam Polycarpi nequaquam eſſe „ didicerunt? Quæ ipſis ſuper hac re præſto ſunt argumenta? Anne San„ cti Polycarpi dictionem acutius Irenæo ejus diſcipulo dignoſcunt? An „ vero eruditiores hujus rei ſunt, quam Euſebius, Hieronymus & Pho„ tius? „

Ibidem pag. 173.

Lector hercle ſanctam venit in exiſtimationem tanti in Dupino erga Veteres ſtudii, tantæque reverentiæ; at ſtudium hoc, hæc reverentia non ſatis diu permanent in propoſito. Cum de octo Libris diſquirit Carmina Sibyllina continentibus, alia ſibi præſcribit ſuperioribus quam maxime repugnantia. „ Nemini mirum ſit, inquit, nos tanquam ſuppoſitos ex„ plodere Libros aliquos ab Antiquis habitos pro germanis; neque pro„ pterea ſuſpicandum eſt, nos Patrum Autoritatem flocci facere, aut in„ juriam inferre veritati. Contra potius injuria afficeretur, ſi eam falſis „ probationibus munire auderemus, tum maxime, cum de illarum frau„ de conſtat . . . . . . Et quidem nihil mirari ſubit Patres trutina Cri„ tices hos (Sibyllarum) Libros minime examinaſſe. Novimus enim, il„ los tunc temporis gravioribus negotiis diſtentos fuiſſe, iiſque totum in„ tendiſſe animum; immo haud raro quoad profanas Hiſtorias hallucina„ tos fuiſſe, & commentitios Libros in medium protuliſſe. „

Ibidem pag. 63.

Dupinus certe, ut ſpecies eſt, ſecum ipſe non conſentit. Ex duobus præcedentibus locis „ imprudentiæ ſummæ turpiſque imprudentiæ erat, „ ſemetipſos Patribus perſpicaciores arbitrari “, & veluti ſpurios Libros repudiare, in quibus omnes ipſi veritatis notas agnoſcebant: ex proximo „ autem textu Sapientis Critici noſtri, “ nemini mirum eſſe debet, nos

„ tan-

„ tanquam ſuppoſitos explodere Libros aliquos ab Antiquis habitos pro „ germanis ? „ Illic Patres Magni Antiquitatis Critici appellantur : hic „ Libros Critices trutina minime examinarunt. Illic cum innumeros fere „ præ manibus Libros, quorum jacturam fecimus, haberent, feli- „ cius, quam nos, Veterum ſtylum & ſcribendi rationem diſpicere poterant; „ ſique exiſtimarunt ipſi fabulas ab Apoſtolis quaſdam potuiſſe deſcribi, „ quo jure id inpræſentiarum poſſumus inficiari ? „ Hic autem : „ no- „ vimus illos haud raro quoad profanas Hiſtorias hallucinatos fuiſſe, & „ commentitios Libros in medium protuliſſe; „ & noſtri Sæculi Docto- res his illuſtribus Antiquitatis luminibus perſpicaciores eſſe, facultatemque „ habere, ut ratum faciant, plura facta a Patribus, tanquam genuina, „ propoſita inter fabulas recenſenda eſſe, cum de illorum fraude con- ſtat „. Siccine Criticus ſe ſubducet ? at vana fuga eſt, ipſique nullo negotio intercludenda, uti ſequenti articulo planum fiet.

Alterius hujus principii ductu non aſſentitur Dupinus Jacobi in Hi- ſpaniam itineri, nec ſibi perſuadere poteſt, Symbolum Apoſtolorum ab ipſis revera digeſtum eſſe, quod tamen tradunt Irenæus, Tertullianus, Lucifer Calaritanus, & Sanctus Hieronymus dicentes, Symbolum regu- lam Fidei eſſe ab Apoſtolis ad Eccleſiam derivatam : idemque animad- vertit Ambroſius, Eccleſiam Romanam Apoſtolorum Symbolum inte- gerrime nullis additis aut demtis ſervaſſe; & S. Auguſtinus, Rufinus; S. Leo, Maximus Taurinenſis, Fortunatus, S. Petrus Chryſologus aliique innumeri Autores pro certo & enucleato ponunt Symbolum in quodam Apoſtolorum conventu conſtructum fuiſſe. Dupinus de tot quoad Sym- bolum Patrum teſtimoniis nonadmodum repugnat. „ Impudentiæ, ſub- „ jungit, ſpeciem habet, de eo dubitare, de quo convenit inter Catho- „ licos: hæſitare autem audent Hæretici tantum, aut Hæreſeos ſuſpicio- „ ne laborantes. Attamen ſine temeritatis nota, ſequitur, in dubitatio- „ nem adducere poſſumus : utrum Symboli edendi cauſſa congregati ſint, „ nec ne . . . . Ceterum novum non eſt in re Critica commu- „ nem opinionem excutere, atque in aliam deſcendere aliquibus doctis „ hominibus, ſuſpectis etiam, probatam. „ Fieri ne poteſt, ut aliquam Dupinus inierit rationem, hunc morem ſuum, & reverentiam, ex prio- ri ipſius regula, Veteribus debitam, inter ſe conciliandi ? Aſſerere tamen per eum liceat, nos penitus latere, quænam hæc eſſe poſſit.

Diſſert. prælim. pag. 183. & 191.
Tomo 1. pag. 28.
Ibidem pag. 31.
Ibidem.
pag. 33.

Nunc videamus, an P. Alexander, doctiſſimus ille Dominicanus, cu- jus eruditionem & merita celebravimus, a ſuis aliquando Critices re- gulis deficiat : neque enim quæſtio eſt num ipſe erret : verum dunta- xat, num de Legibus ſuis, earumque uſu ſibi cohæreat, quod ad mo- rem Patribus gerendum pertinet.

Hiſt. Sæculo 1. Tomo 1. Diſſert. 1. pag. 160.

Magnificat Autor hic quam ſæpiſſime in Hiſtoria ſua maximam erga Patres, eorumque placita venerationem. Hujus gratia inconcuſſæ regulæ loco firmat *Hanc eſſe legitimi Operis notam, ſi Antiqui laudent illud Opus ſub nomine illius Autoris, cui inſcriptum eſt*. Item Sybillina carmina a Patribus memorata primorum Chriſtianorum inventum non fuiſſe re-

Ibidem.

cognoſcit: ſeptem Epiſtolas Ignatii nomine inſcriptas illuſtri Martyri illi con-

Ibidem cap. 11. art. 13. pag. 236.

cedit: Libros S. Dionyſio Areopagitæ nomine inſignitos, legitimos eſſe hujus S. Pauli diſcipuli fœtus; & Epiſtolas, quæ extant Senecæ & Sancti Pauli veras cenſet & genuinas. * *Ut id aſſeram*, inquit de poſtre-

Ibidem art. 3. pag. 91.

mis iſtis Epiſtolis, *adducor autoritate Sanctorum Doctorum Hieronymi, & Auguſtini, cui majorem opponet hac in parte nemo.*

Non minori verecundia in Hiſtoria ſua Veteris Teſtamenti Patrum ſententiis de re Critica gratificatur. Ibi, ipſis faventibus, contendit, an-

Hiſt. Vet. Teſt. Tomo 6. Diſſert. 8. prop. 1. pag. 780.

tiquam Verſionem Græcam Veteris Teſtamenti, quam Septuaginta Verſionem appellant, illorum revera eſſe, a quibus nomenclaturam accepit. Declarat, verbis ſane Doctore dignis, *ſe Veteres in antiquitatis notitia duces ſequi malle, quam recentiores quoſdam, qui conjecturis inanibus antiquam Traditionem, ſeu opinionem in Eccleſia ab Apoſtolicis temporibus receptam impugnant, ut Criticæ eruditionis famam aucupentur.*

Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. T. 2. Diſſert. 16. pag. 68. &c.

Ex hujus certe excellentis regulæ præſcripto aggreſſus eſt ad propugnandum pro adventu S. Mariæ Magdalenæ, S. Marthæ, Lazari, & ſociorum in Galliam, pro illorum appulſu ad Littora Provinciæ, in iiſque incolatu: certo probatum eſſe aſſerit, Sanctum Dionyſium Areopagitam, S. Martialem alioſque Epiſcopos in Gallias Evangelii lumen intuliſſe,

Ibidem Diſſert. 17. prop. 1. &c.

primo ſeculo, quo a Sancto Clemente Pontifice Maximo ablegati fuerant; & digladiatur pro compluribus ſimilibus antiquis Traditionibus, quæ majori Criticorum noſtri temporis parti non ſapiunt.

Pulcherrima Lege iſta optime accommodata, erit fortaſſis cur mi-

Ibidem Tomo 1. Diſſert. 3. pag. 266. Ibidem c. 31. art. 6. pag. 98. Ibidem art. 15. pag. 144.

remur, navum Doctorem iſtum ad Suppoſititios Libros ablegare Epiſtolas Abgari, & Jeſu Chriſti; Epiſtolam S. Barnabæ a tot illuſtribus Patribus ipſi tributam; Librum *Pimandri* Mercurii Trimegiſti vocabulo notum; aliaque his ſimilia ab Antiquitate honorifice excepta; & plane ignoro, anne Critici, adverſus quos arma tulit, reſponſo acquieſcerent, quod reddit teſtimoniis S. Juſtini, Lactantii, S. Auguſtini, S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque Patrum, qui *Pimandri* Librum ſub nomine *Mer-*

* Mendaees Senecæ ad Paulum Epiſtolæ anſam præbuerunt ad Paganum Philoſophum iſtum ioter Scriptores Eccleſiaſticos enumerandum. Non eſt tamen ſimile vero ea Sapientia Criticum, qua pollebat Hieronymus, ſupino hoe errore capi potuiſſe. Leonellus Ferrariæ & Mutinæ Princeps ante omnes injuriam tanto Patri illatam fuiſſe præſenſit. *Tenzelius Animadv. in Libr. S. Hieronymi de Script. Eccleſ. Gall.*

curii

Digitized by Google

curii Triſmegiſti adducunt, ipſique adjudicant: R*eſpondeo; Patres illum hoc nomine citaſſe, quia illum Mercurio Gentiles tribuebant, illumque magno habebant in pretio ...... Ceterum an Mercurii revera eſſet, nec ne, Patres non expenderunt, majora in ſtudia incumbentes.* *Hiſt. fac. 1. Tom. 1. art. 15. pag. 141.*

Quid reponeret doctus iſte Criticus, ſi quis eundem in modum obviam iret Patrum Textibus, quibus fidit ipſe veritatem Autorum Verſionis ſeptuaginta Interpretum, Oraculorum Sibyllinorum, & Epiſtolarum S. Pauli & Senecæ? Nihil eo facilius eſt quam ipſi ſecundam ſuam Legem opponere: tunc autem neſcio, an ipſe quoque non deprehenderet, quam parum hæc cum priori conſentiat.

Non erit multi operis hujuſcemodi dubitationes de celebris Simonii Operibus movere. Diu multumque queruntur homines, Autorem iſtum non ſatis venerandæ Antiquitati obſecutum eſſe; idque ajunt ejus Præfationis verbis ſequentibus nimis perſpicue indicari. *Præf. Hiſt. Crit. Vet. Teſt.* „ Inter nos verſan-„ tur ſapientes ætate hac, qui ſatis ſibi eſſe ducunt, in unum redige-„ re, quidquid apud Sanctos Patres de ſcripturis legunt: quaſi vero fe-„ licius Patribus quam aliis Interpretibus labor ceſſerit. Qui veritatis „ veſtigia, ejus duntaxat ſtudio, ſummotiſque affectibus, perſequuntur, „ hominum nominibus & vetuſtate non impediuntur, præſertim cum de „ Fidei dogmatibus ſermo non eſt. Enim vero compertum habemus o-„ mnia Patres adjumenta neceſſaria in promtu non habuiſſe, neque ſatis „ temporis nactos fuiſſe, ut graviores difficultates in divinis Litteris oc-„ currentes enuclearent. Quare novorum Interpretum commentaria pri-„ ſcorum Commentariis non paucis locis ſunt anteferenda. „

Aliorum ſit pro libito in hæc Simonii verba animadvertere, quæ multis obnoxia ſunt meditationibus. Ego quidem a propoſito non declino. Si huic principio ſtare velimus, quod totius Hiſtoriæ Criticæ fundamentum videtur eſſe, multa ſane ejuſdem Libri loca vehementer extenuantur, cum illis eorum autoritatis pondus afferendi ſibi facultatem adimere videatur, quibus non ita proſpere ceſſit labor, atque recentibus Bibliorum Interpretibus. Cum autem reſtituendæ Verſioni Septuaginta hanc ipſe regulam præfiniet. „ Neceſſum fore antiqua exemplaria Græca conſulere, *Hiſt. Crit. l. 1. cap. 2. pag. 156.* „ iiſque addere Patrum Opera „; ſive quando hæc eadem Opera in medium proferet, atque ad Priſcorum teſtimonia appellabit; liberum ne erit propriam ipſi legem objicere, eundemque interpellare? Quorſum Patrum Libros adducere? Num forte, „ quod felicius ipſis labor ceſſe-„ rit, quam poſterioribus Bibliorum Interpretibus, qui veritatis veſti-„ gia, ejus duntaxat ſtudio, ſummotiſque affectibus, perſequuntur, „ hominum nominibus & vetuſtate non impediuntur? Nonne com-„ pertum habemus omnia Patres adjumenta neceſſaria in promtu non

„ habuiſſe, neque ſatis temporis nactos fuiſſe, ut graviores difficul„ tates in divinis Litteris occurrentes enuclearent? „ Hine nullius pe„ ne frugis erit, inquiet quis, „ Patrum Opera Græcis exemplaribus addere, ſive ad reſtituendam Septuaginta Verſionem, „ vel ad vim aliquam Simonii dictis afferendam; propterea quod „ novorum In„ terpretum Commentaria Priſcorum Commentariis juvat anteponere.„ Aut demum adverſus eum ſua ipſius verba ſtatuemus: „ Primi Patres, „ qui contra Paganos vel Judæos ſcripſerunt, in diſputationibus ſuis „ aliiſque etiam Voluminibus Rhetorum inſtitutum tenebant, qui pro„ bationibus ſpecie tenus tantummodo veris utuntur, Actiſque dubiis, „ ad quorum normam haud expedit ſemper nos dirigere. „

Hiſt. Critica No-vi Teſtam. c. 3.

Eruditus Oratorii Præsbyter Lamius ita perſuaſum ſibi oſtendit, priſcos Scriptores teſtes eſſe ſumma cum dignitate audiendos, ut decernat veluti inconcuſſum pronunciatum, quod deinde ſæpiſſime repetit in Operibus ſuis, maximopere faciendam Patrum autoritatem, non de rebus modo ad Fidem atque optimos mores ſpectantibus, ſed de Factis etiam Criticеs, circa quæ integrum eſt unicuique eam ſequi opinionem, quam probabiliorem judicabit. Huic adhæreſcit pronunciato, cum defendit, ex commodiori Evangeliſtarum intellectu *peccatricem*, Mariam Magdalenam, & Mariam Lazari ſororem eandem fœminam eſſe, quod ſcilicet ſenſus hic plures habeat Autorum Eccleſiaſticorum adſtipulatores. A Veteribus quoque præjudicium petit, * ut oſtendat, Chriſtum Dominum in extrema Cœna, mortis ſuæ pervigilio celebrata, Agnum Paſchalem non manducaſſe; & Menſam illam, qua Jeſus Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, nihil habuiſſe cum hac Legis ſolemnitate commune; At tum ii qui contra Lamium ſuper hac quæſtione diſputant, ipſi ante oculos ponunt, quæ Origenes, S. Anatolius, S. Hieronymus, S. Epiphanius, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, S. Joannes Cryſoſtomus, aliique priorum Sæculorum Patres de ipſius ſententia ſcriptis commendarunt, quorum quidem autoritas majoris momenti eſt, quam eorum, quos recitat Lamius ſuæ cauſſæ Patronos; præclarus Criticus iſte omnium Patrum iſtorum colendo teſtimonio ſe putat feciſſe ſatis, cum reſpondet: „ eos factum iſtud ha„ buiſſe pro rato, nulliſque rationibus confirmandum curaſſe: Patres „ huic materiæ ſtudium non impendiſſe, & propterea teneri neminem,

Tractatu de Paſchate 2. parte c. 6. Gall.

* Autores, quos pro ſe ſtare docet Criticus iſte, non ſunt alii a Cedreno, duobus anonymis Scriptoribus, Præfatione ad Chronicon Paſchale, S. Petro Alexandrino falſo tributa; Philopono, Hyppolito Portuenſi, Apollinari Hierapolitano, & S. Clemente Alexandrino; verum horum poſtremorum Scriptorum Textus aperti non ſunt, alios vero minimi nominis eſſe exiſtimat Tillemontius.

ipſis

„ ipſis in hujuſcemodi quæſtione ſuffragari . „ Eſt ne , ſubdit alibi , in„ commodo conſecutio , ſi fateri cogimur , hac in quæſtione , quemad„ modum in aliis pluribus alienis a negotio Religionis, ipſos quoque Pa„ tres offendiſſe ? Num repugnat ipſos in rei Hiſtoricæ , uti noſtra eſt, „ errore aliquando verſari ? „ Verum quo reſponſum hoc non magno Patres habet in honore , quemadmodum in Epiſtola ad celebrem hunc Oratorii Præsbyterum data animadvertit Tillemontius , eo videtur jacto in Operibus ſuis de Priſcorum autoritate fundamento , ab imis ſubverti.

Lamius addit. 6 ad Tractatum Hiſtoricum de Paſchate . Gall.

ARTICULUS II.

Nefas eſt a Veterum teſtimonio recedere , præterquam firmis urgentibus rationibus , multo vero minus nulla intercedente .

Si doctiſſimos Criticos noſtros audiamus, ipſi accuratiſſime hujuſmodi præcepto obtemperant . „ Propoſitis mihi rebus veterum alicujus nominis Scriptorum autoritate fultis , qui ab Eccleſiæ filiis honorifice ſuſcipi debent , viſum non eſt ab iis eſſe recedendum , niſi invictiſſimis rationibus ſuadentibus . „ Hoc animo ad Opus ſuum lucubrandum Tillemontius acceſſit . Dupinus item , P. Alexander , * aliique Critici pronunciant , ſe in ſententias a Patribus conſtitutas ituros , modo ne de factorum ab ipſis relatorum fallacia argumentis conſtantibus convincantur.

Tillem. in Præf. pag. 16.

Dupinus Diſſert. Prælim. pag. 177. , item Tomo 1. pag. 63. Alexander in Hiſt. Eccleſ. Sæc. 1. Tomo 1. Diſſert. 2. quæſt. 1. pag. 185. &c.

Præſtantiſſima ſane Regula , cui ſi adhærcant Sapientes Critici noſtri , nullus erit eos inſimulandi locus , quod nimirum omnem Patribus morem minime geſſerint . Veritas namque quacumque demum eſt autoritate ipſi oppoſita honorabilior : immo ex obſequio Patribus deferendo detraheret , qui pro illis tum ſuffragium ferret , cum in hoc ferendo culpa vacare nequiret . At enim numquid de Lege iſta ſapientes noſtri derogarunt ? Impulſi ne teſtatiſſimis probationibus ſunt , quotieſcumque Antiquos abjecerunt & oppugnarunt ? An vero id non ſemel ab ipſis temere factum eſt ? Nonnullas graviſſimas Hiſtorias ſuper hac re excutiamus .

Confeſſa res eſt Tillemontio de itinere Sancti Pauli in Hiſpaniam diſcr-

* *Fatebimur namque nos ab antiquis diſcedere non levibus ductos rationibus .* | Alexander Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. tomo 1. pag. 185.

Art. 47. in D. Paulum pag. 315. item annot. 71. in D. Paulum pag. 609. col. 1.

ferenti, Sanctum Epiphanium, Sanctum Joannem Cryſoſtomum, Sanctum Hieronymum, Theodoretum, Sanctum Gregorium Magnum, multoſque alios profectum S. Paulum dixiſſe, ut Hiſpanos Chriſti præceptis imbueret: nihilominus iter hoc habet incertum. Verumtamen, ambigendi locus eſt, num rationes illas probaturi ſint docti homines, quibus adductus eſt, ut a regula ſua in præſens deſciſceret. Spoponderat Patribus non obſiſtere niſi invictiſſimis rationibus ſuadentibus. Habeto priorem, quæ illum prohibuit, ne cunctis paullo ante a nobis laudatis ſuper hoc facto aequieſceret. „ Omnem veri ſpeciem refert, ait, quod Patres hujus itineris meminerint „ ex iis ſolum, quæ ad Romanos idem Paulus ſignificavit, videlicet, ſe „ illuc proficiſcendi conſilium ſuſcepiſſe. „ Si invictiſſima appellari poteſt ratio iſta, & hujuſmodi, ut doctiſſimum hominem hunc Patres cogeret repudiare, pauca admodum facta narrabunt, quibus deferendis invictiſſimæ rationes non ſuppetant. Alterum hujus nobilis Critici argumentum in hæc verba effertur. „ Res eſt certe animadverſione digna, nullum „ niſi leviſſimum hujus in Hiſpania prædicationis S. Pauli extare veſti„ gium. „ Ecce quidquid Tillemontium adegit ut monitis ſuis adverſaretur. Articulo præcedenti retulimus, eum tenuiſſimæ conjecturæ ſuaſione patrum ſenſa de Sancti Zachariæ Martyrio non amplexum fuiſſe; & nullo labore alia congerere facta poſſemus, quorum occaſione ſibi liberum eſſe credidit Leges ſuas infringere, licet ſolidioribus rationibus meo judicio non premeretur. At ſermonem ad alios Criticos convertere juvat.

Ibidem. *Ibidem.*

Valeſ. Not in cap. 15. lib. 2. Hiſt. Euſebii pag. 33. col. 1.

Vehementer miror Valeſium, eximium illum venerandæ antiquitatis cultorem, fabulis, ut videtur, Simonis Magi volatum & lapſum, ſive ex ejus verbis *Icarium illum Simonis interitum*, adnumerare: tametſi Hiſtoria hæc a Cl. quampluribus Græcæ & Latinæ Eccleſiæ Patribus tradita ſit. Neque mihi perſuadeo Euſebii & Irenæi hac de re ſilentium, non magis atque hujus egregii Interpretis conjecturam, (ſcilicet quod factum hoc labefactaret aliud de Simulacro poſt Simonis Magi obitum erecto,) Arnobii, S. Cyrilli Hieroſolymitani, Sancti Ambroſii, & Sancti Auguſtini aliorumque non paucorum Patrum, eventum hoc confirmantium, fidei præſtare poſſe.

Dup. tomo 1. pag. 238.

Cum Dupinus in ſuum Textum tranſtuliſſet Euſebii & Sancti Hieronymi ſenſa de invento apud Indos a Sancto Pantæno Evangelio Sancti Matthæi Hebraicis litteris conſcripto, * quod populis illis Divus Bartholomæus reliquerat, in hæc ferme verba loquitur, ſua in hunc articulum

* Animadvertit Sanctus Hieronymus Evangelium Sancti Matthæi Hebraica Lingua compoſitum extitiſſe ætate ſua in celebri Bibliotheca Cæſareenſi a S. Pamphilo Martyre congregata, *In Catal.*

anno-

annotatione. „ Ægre admodum fidem adhibeo Hiſtoriæ huic; potius vero ad eredendum inducerer, fuiſſe iſtud Evangelium ſecundum Hebræos a Nazaræis admiſſum, quod vulgo S. Matthæi Evangelium habebatur. Quo etenim conſilio D. Bartholomæus librum Hebraice exaratum Indis reliquiſſet? „ Intererat tamen, aut ego fallor, validiora momenta præſto eſſe illi, qui factum hujuſmodi, duorum Patrum autoritate interpoſita, ab omnibus receptum, de gradu dejiceret. Integrum ne cuipiam eſſet Dupinum interrogare? Quo conſilio Evangelicum Nazaræorum Indis reliquit Bartholomæus; quandoquidem ipſum pariter, non ſecus ac illud Sancti Matthæi, Hebraico ſermone legebatur, uti Doctor iſte nos monitos facit?

Ibidem pag. 2. 39. Valeſius Not. in l. 5. c. 10 Hiſtoria Euſeb.

Dupinus ibidem pag. 7.

Nemo eſt, qui neſciat, cum in priori Epiſtola ſe illam Babylone dediſſe narrat Sanctus Petrus, ea eſſe opinione Euſebium, S. Hieronymum, Rufinum, Bedam, aliosque plures, ut credant, Babylonis nomine Romam per obſcuram quandam Catachreſim ſignificaſſe, ne, quem locum incolebat, appareret. Verum Dupinus, quacumque ratione prætermiſſa, brevi rem expedit. „ Interpretatio hæc falſitatis notam habet, & congruit magis aſſerere, Sanctum Petrum Epiſtolam hanc Babylone dictaſſe. „

Dupinus Diſſert. Præliminpag. 193.

Eadem prope reſponſione occurrit Dupinus teſtimonio Hegeſippi, quo, referente & confirmante Euſebio, prodit, Domitianum ex genere Davidico ortos, Nepotes Judæ fratris Domini perquirendos juſſiſſe, nihilque mali adverſus eos decreviſſe, quod nimirum pauperrimos illos, atque a re ulla adverſus Imperium molienda quam longiſſime remotos comperiſſet. „ Non facile erit, ut mihi perſuadeam, inquit doctus Criticus noſter, hanc narrationem veram eſſe. „ *

Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 15.

Videtur etiam, concoquere nullo modo poſſe Dupinus, quod D. Hieronymus, rejecto non ſemel tanquam Apocrypho Libro Judithæ, fateatur nihilominus Nicænam Synodum in Divinorum Voluminum numerum illum retuliſſe. „ Fas eſt dicere, inquit nobilis hic Criticus, Hiſtoriam hanc ab Hieronymo aliorum fide monumentis conſignatam: nullum etenim in ea veritatis veſtigium apparet. „ Nihilo ſecius conceptis

Dupinus Diſſert. Prælim. p. 132.

* Euſebius undecimo ejuſdem Libri capite *Veſpaſianum*, tradit, *poſt vaſtationem Hieroſolymorum mandaſſe, ut omnes ex Davidis genere prognati diligenter conquirerentur, quo nemo apud Judæos ex illa Regia ſtirpe omnino in poſterum ſupereſſet*. Capite autem ejuſdem Libri tertii viceſimo ſexto ſubjungit, novam Trajanum eorum inquiſitionem feciſſe, qui Davidico ſanguine progeniti erant; quod argumento fuit, ut inſectaretur familia hæc, & S. Simon Hieroſolymitanus martyrio coronaretur.

ver-

Hieron. Præf. in Librum Judith.

verbis ait Hieronymus: *Hunc Librum Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe.*

Petitdidierus Animad. Tomo 1. pag. 104 Gall. Item Tomo 2. in Præf. p. 54.

Dupin. Biblioth. Tomo 5. in. Reſp. ad animad. pag. 101.

In medium producta a Dupino trina in Baptiſmate immerſione, Canonum Apoſtolicorum Lege ſancita, ut Canones iſtos Apoſtolis auferret, eum ipſi objeciſſet Petitdidierus, Tertullianum, & Sanctum Baſilium, queis addere potuiſſet S. Hieronymum, S. Ambroſium, & Sanctum Auguſtinum, plane ſignificare, Ritum hunc omnibus comprobatum, veluti Traditionem ab Apoſtolis ad nos traductam, fuiſſe: hoc pacto Dupinus apertum Patrum * iſtorum teſtimonium enervat. „ Ego videre mihi videor, cum „ nimis credulum eſſe oportere, qui talia ſentiat. Numquid enim veri „ ſpecimen habet, Apoſtolos, innumeram hominum multitudinem con„ tinenter abluentes, unumquemque eorum ter in aquam immerſiſſe? „ An vero tale aliquid enunciat Scriptura?

Hieron. l. 1. contra Jov.

Dupinus Tomo 1. pag. 77.

Ibidem pag. 184. & pag. 201.

Ibidem pag. 184. & 194.

Animadvertit Sanctus Hieronymus adverſus Iovinianum diſputans, Deum Sibyllis, Virginitatis merito, Prophetiæ donum contuliſſe. „ Futilis eſt judicio meo, inquit Dupinus, meditatio, aſſerere cum Hie„ ronymo, Sibyllas Prophetiæ donum Virginitatis merito accepiſſe „ „ Alibi deceptum Hieronymum, ait, quod doceat, Magnam Sancti Juſtini „ Apologiam quarto Antonini anno oblatam fuiſſe. Sanctus Epiphanius „ tradit Severum ante Tatianum fuiſſe, verum tota errat via „. Ita habet Dupinus. Idem Sanctus Epiphanius, Dupino teſte, ſæpius Conſtitutionum Libros laudavit, quod eſſe inditio poſſet, licet ii, qui modo extant, vitiati & ſuppoſiti ſint, alios extare tunc potuiſſe integros atque legitimos, quod Doctor noſter ſolvit in hunc modum: „ D. Epipha„ nius fortaſſe opus hoc non ſatis expendit; fortaſſe memoriter, aut alio„ rum fide recitabat. „ Si cui tanti videntur eſſe rationes iſtæ, ut ex iis effici poſſit, Veteres lapſos fuiſſe; adeoque non adſtringi quemquam illorum ſententiis res definire, poterit hic Dupino concedere, illum ab Antiquis defeciſſe numquam niſi eum, ut ſibi præſcripſerat, exploratam haberet illorum argumentorum imbecillitatem.

Ibidem pag. 97.

Ibidem pag. 63.

Simon. Hiſt. Critic. Novi Teſt. c. 4. p. 31.

Non videtur S. Hieronymus, ſcribit Simonius, Euſebii mentem aſſecutus, cum dicit in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Pantænum Alexandria remigrantem ſecum detuliſſe S. Matthæi Evangelium Hebraicis litteris conſectum: cur autem id neget, reticuit.

Inveteravit opinio apud multos, ſequitur Autor idem, Pſalmos, Proverbia, Eccleſiaſten, & Jobi Librum adſtricta numeris Oratione reve-

* *Tert. lib. de Corona c. 3. Item l. contra Praxeam. S. Baſilius de Spiritu Sancto, cap. 26. S. Hieronymus in Dialogo adv. Lucifer. Ambr. l. 2. de Sacram Auguſt. Serm. 91. de Tempore.*

ra

ra fuiſſe deſcriptos : * Joſephus & Sanctus Hieronymus ** ejus inſuper metrum ſignare ſtuduerunt ; „ at non ſatis accuratum ad judicium rem „ hujuſmodi revocarunt , ubi horum , quæ exiſtimabant , Carminum „ cum Græcis & Latinis collationem inſtituerunt . *** „

Simonius Hiſt. Critic. Vet. Teſt. l. 1. c. 8. pag. 57. col. 2.

Inconſulto item aſpernatur factum illud, quod de Archetypo Sancti Joannis Evangelii Epheſi ſervato poſteris commendavit Divus Petrus Alexandrinus . Secundum hæc , eum Iſaacus Voſſius S. Clementis Alexandrini Textum ad Sibyllina Oracula ſpectantem uſurpaſſet : ecce tibi quæ reponat Simonius , ut Patris iſtius , aliorumque veterum Eccleſiæ Doctorum autoritatem de gradu deiiciat . *Norunt , qui aliquam rerum Eccleſiaſticarum cognitionem habent , quam vafre priſci illi Patres , atque in primis Clemens Alexandrinus , cum Judæis ac Gentilibus diſputaverint .*

Hiſt. Crit. Novi Teſt. c. 4. p. 42.

Sim. Caſtig. ad Opuſc. Voſſii de Orac. Sibyll.

Hæc Simonii conſuetudo ab eruditi Patris Mabillonii moderatione longe admodum abhorret . „ Cum res , inquit , tulerit , ut a ſummorum „ Virorum diſcrepes ſententia , id obſervantia & proviſione ſingulari fiat: „ ſique ad extrema deſcendendum eſſet , mallem citius modum excede„ re , quemadmodum nos inſtituit ſimili de re Quintilianus , euncta , „ quæ proferunt , temere accipiendo , quam acriorem Criticen in eos intentando „ : *Si neceſſe eſt in alteram errare partem ; omnia eorum legentibus placere , quam multa diſplicere maluerim .*

Mab. de Stud. Mon. p. 2. c. 1. pag 185.

Quint. lib. 10. c. 1.

Non ſolum Simonius , ut hactenus viſum eſt , nulla urgente ratione digreditur a Patribus , eoſque flocci facere videtur ; verum ita refellit quandam Hiſtoriam Anthimi Epiſcopi , Cyprienſis Inſulæ Metropolitæ . Increbuit , Præſulem hunc in ſomnis admonitum de loco fuiſſe , quo humatum fuerat Sancti Barnabæ Corpus , ibi revera ad annum 488. inventum , gerens in pectore Librum , Evangelium nempe Sancti Matthæi , ejuſdem Barnabæ littera deſcriptum . Auguſtum exemplar hoc continuo

* P. Meneſterius in Tractatu de Muſicis Repræſentationibus teſtatum facit , Jobi Librum Opus quoddam Drammaticum eſſe : Lamius Oratorii Presbyter cenſet Pſalmos germanam Poeſin . Lib. 3. cap. 14. Rhetorices : Bailletus tanden Canticum Deutoronomii , & Librum Jobi Poeticis formulis referta putat . Jud. Sap. Tomo 4. De Poetis .

** Non dubitat Joſephus L. 2. Antiq. cap. ult & l. 17. c. 12. , quin aſſerat , Cantica Moſis Heroicis Verſibus fuſa fuiſſe , & cum eo faciunt Euſebius de Præp. l. 11. cap. 3. , & Origenes . Hieronymus autem obſervat , Pſalterium Verſibus Jambicis , Alcaicis , & Saphicis ritu Pindari & Horatii ; Cantica Deutoronomii , & Iſaiæ ; Libros Jobi , & Salomonis Hexametris & Pentametris digeſta fuiſſe .

*** Franciſcus Gomara in Libro *Davidis Lyra* inſcripto intendit palam facere , Sacrorum Voluminum carmina Græcis & Latinis eſſe ſimilia . Totus eſt exinde in condendis hujus Poeſis Legibus , ſtatuendis pedibus , & Carminum iſtorum diverſis generibus recenſendis . Conſule Patrem Calmetum Diſſertatione de Poeſi Hebræorum . Tomo 1. Comm. Litt. Diſſert. 2.

Digitized by Google

ad Zenonem Imperatorem miſſum, a quo Sacri, magnique pretii, Monumenti loco habitum eſt, & deinceps ipſi ſemel in ſingulos annos Evangelium legendi mos invaluit. Factum hoc a quampluribus Autoribus memoratur. Theodorus Lector, Nicephorus, Cedrenus, aliique Scriptores Græci non pauci hujus S. Matthæi Evangelii Barnabæ manu ſcripti meminerunt. Baronius indubiam facit Hiſtoriam hanc, & Tillemontius ipſe ſuper Articulum de Sancto Barnaba illam textui ſuo inſerendam putavit. Nihil tamen minus Hiſtoriam hanc Simonius fabuloſam enunciat, non vero probat. Contendit ſiquidem fictum ab Epiſcopo ſomnium illud, eundemque, ut omnem fraudis ſuſpicionem tolleret, in manibus Sancti Barnabæ Evangelium locaſſe Sancti Matthæi, idque ad ſuum commodum ea occaſione convertiſſe, ut Cyprienſis Eccleſiæ jura tueretur, quæ, Petri Fouloni poſtulatis, Concilii Epheſini Decretis adverſantibus, in Antiochenæ ſuæ ditione & poteſtate erat. Quod ſi vitium eſt accuratæ Critices præceptis oppoſitum, Veterum teſtimonia ſine formarum probationum atque optimarum Conjecturarum præſidio reſpuere, licebit ſane dicere probe moralis Diſciplinæ inſtitutis alienum, ſine idoneis argumentis hujuſmodi calumniam Epiſcopo conflare.

Theod. Collect. lib. 2.

Simon. Hiſt. Crit. Novi Teſt. c. 4. pag. 43. &c.

Cl. Pater Alexander utitur quandoque formulis iſtis: *Epiphanius deceptus eſt* . . . . . . *Severo ſulpitio non eſt fides adhibenda* . . . . . *Gregorius Turonenſis erravit* . . . . . . *facile errat;* in eaſdem crebro incidit Valeſius in Euſebii Commentariis, cum quoad ipſum, tum quo ad alios Patres; & complures alii Critici, qui expedita hac facilique via incommodam Opinionibus ſuis Antiquorum autoritatem imminuere ſatagunt. At enim rationes iſtæ & dicendi formæ adhibendæ ne ſunt rectæ elaborataeque Critices præſcripto? Super hac re ſententiam Tillemontii verbis feramus: „ Tametſi ætate noſtra, qua latius dominatur Critice, permiſſum ſit; aliquanto eſſe liberiorem dictis iſtis; neceſſe tamen eſt piæ fidei terminis coerceri, cum nos Patribus noſtris perſpicaciores jactare nequeamus. „

Tillem. T. 1. notat. 16. in S. Virg. pag. 475. ſec. Edit.

Novimus Patres tanto munere donatos minime fuiſſe, ut ſcilicet errarent nunquam, cum ſola facta privati Doctores ob oculos ponunt: videtur nihilominus ipſorum Sanctitas, doctrina, atque vetuſtas a præſtantiſſimis Criticis noſtris flagitare, ne illos defererent, antequam conſilii ſui redderent rationem, atque omnibus facerent exploratum, ſe piam illam a Tillemontio petitam fidem Patribus adjungere: quod ſi ab Antiquitatis Doctoribus iſtis recedunt, id ab eis ſolidas rationes extorquere, aut certe vi quadam coactos eſſe ab eorum mente, reverentia tamen, quanta ipſis debetur, maxima diſcedere, quam validiſſimæ oppugnant conjecturæ.

„ Quin

„ Quin oportet, excellenti hoc Balzacii monito, minutas Virorum „ Antiquitatis Principum labes omni ſtudio & conatu diſſimulare, larva quadam veluti obducere, & tegere; publice ſaltem, ut bono ſimus ceteri exemplo . . . . Cum autem res videtur poſtulare, ut ab „ illorum opinionibus abeamus, nobis curæ ſit, objecta noſtra auro veluti oblinire, & odore quodam imbuere ſuavi. Integrum quidem cuique eſt a Magiſtris ſejungi, cum pro veritate ſectanda alio trahimur; „ at expedit abeundi facultatem officio ſe petere, & perpetuam impoſterum fidelitatem profiteri. „ *Balzac. Exercit. XI, pag. 199. & 200. Gall.*

Niſi hæc præcaveantur, verendum eſt, ne exceptione, quam dare ſolent Sapientes Critici noſtri ſuæ erga Veteres obſervantiæ, quantumvis æqua & juſta videatur, cauſſam prætexant, unde venerandæ Antiquitatis eludant teſtimonia. Plerumque etenim firmæ iſtæ concluſæque rationes, quibus ad Veteres non audiendos compelluntur, deſinunt tandem in leviſſimam quandam veri ſimilitudinem, aut longe tenuem conjecturam. Cumque nulla ſit Hiſtoria conſtans adeo, in qua facile admodum non ſit, hæc aut his ſimilia aſſequi conjiciendo, nulla item eſt, de qua putent interdictum ſibi autoritate Majorum, ne in controverſiam vocetur; adeoque ex quocumque evadent judicio; ubi reſpondebunt, firmiſſimas rationes in cauſſa fuiſſe, cur ea non moverentur.

ARTICULUS III.

Non licet Antiquorum teſtimonium reſponſis non ſatis, ut videtur, ſolidis elevare.

QUotieſcumque perdoctis Criticis noſtris veterum Eccleſiæ Doctorum obiicitur Autoritas, quam illorum opinioni adverſari certis adeo exploratiſque Textibus conſtat; ut ne minimus quidem reliquus ſit de ipſorum mente dubitandi locus: toties argumenta hæc extenuare, ſeque ab iis expedire conantur reſponſis hujuſmodi, quæ ſcrupulum nobis aliquem injiciunt, neque fortaſſis omnibus æquis hominibus arridebunt.

Veteres plurimi Nicolaum ex ſeptem primis Diaconis unum autorem faciunt Hæreticorum, quibus *Nicolaitis* nomen, idque evincunt S. Irenæi, Tertulliani, S. Epiphanii, S. Hilarii, S. Hieronymi, Philaſtrii, S. Auguſtini, S. Iſidori Hiſpalenſis, aliorumque multorum autoritate. Pater Alexander, qui ſentit contra, reſpondet, verba S. Irenæi: *Nicolaitæ Magiſtrum habent Nicolaum, unum ex ſeptem, qui primi ad Diaconatum* *Iren. l. 1. c. 27.*

ab Apoſtolis ordinati ſunt; negotium majus ſibi faceſſere, quam quæ ab aliis Patribus afferuntur: revera enim nihil apertius hac de re dici poteſt. Nihilominus, ſubjungit Theologus hic; *Irenæus ſolum ſignificat, Nicolaitas Magiſtrum agnoſcere, ideſt jactare Nicolaum. Nihil enim cogit, ut alio ſenſu Sancti Irenæi verba accipiamus.*

Alex. Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Diſſert. 9.

S. Hieronymus de Sancto Barnaba ſermonem in Libro de Viris Illuſtribus inſtituens, tradit: *Barnabam unam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem Epiſtolam compoſuiſſe.* Nemo Theologorum eſt, qui verbis iſtis præciſe adeo perſpicueque pronunciatis minime acquieſcat. Alexander tamen, cui placuit hanc ſuppoſititiis accenſere, iſto modo S. Hieronymi explicat teſtimonium. *Cum S. Hieronymus hanc Epiſtolam compoſitam dicit a Sancto Barnaba, titulum ſpectat Epiſtolæ, non rei veritatem.* Quando autem S. Hieronymus eodem loco ſubdit: *Ignatius ſcripſit unam Epiſtolam ad Epheſios, alteram ad Magneſianos, tertiam &c.*, additque propterea: *Polycarpus ſcripſit ad Philippenſes valde utilem Epiſtolam*: æqui ne & boni faceret Alexander, qui genuinas has eſſe ducit, ſi quis poſtremis Hieronymi verbis reſponſionem primis adhibitam accommodaret, *Cum Hieronymus has Epiſtolas dicit compoſitas a Sancto Ignatio, & a Sancto Polycarpo, titulum ſpectat Epiſtolarum, non rei veritatem?*

Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. c. 12. art. 8.

Tillemontius optimis ductus rationibus, atque Euſebii, S. Ephrem Diaconi Edeſſeni, Darii Comitis, Evagrii, S. Joannis Damaſceni, Theodori Studitæ innixus teſtimoniis opinatur, Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, atque Abgari ad Jeſum Chriſtum non eſſe nota falſitatis inurendas: At Pater Alexander, qui in adverſam conceſſit opinionem, cuncta Patrum iſtorum dicta diſtinctione unica de medio tollit. *Si Autores illi hujuſmodi Monumentorum fidem expenderint, concedo; ſi minus expenderint, & in eorum cenſura ſint decepti, nego. Porro*, ſequitur illuſtris Criticus, *Euſebius, Sanctus Ephrem, & alii qui ipſos ſecuti ſunt ſcriptores, illas Epiſtolas, & Annales Eccleſiæ Edeſſenæ tanta cum accuratione & diligentia non expenderunt, ac Gelaſius, & LXX. Synodi Romanæ Patres, qui hoc de illis Epiſtolis judicium tulerunt: Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem apocrypha. Epiſtola Abgari ad Jeſum apocrypha. Unde nulla nobis debet eſſe religio illos deſerere, ut Gelaſii, Synodique illius Decreto adhæreamus. Nam in iis, quæ Librorum delectum & cenſuram ſpectant, potior eſt Eccleſiæ autoritas privatorum Hiſtoricorum, vel Patrum ſuffragiis.*

Alex. ſæc. 1. Tomo 1. Diſſert. 3. pag. 270.

Nihil profecto de vi, quam huic afferunt reſponſo, aut de amplitudine, quam habere poteſt, detractum volo: verumtamen ſi totus hæret in hac regula ſapiens iſte Doctor, reliquum nobis eſt dubitare; num per eum liceret, non abſimiliter Irenæum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, Athanaſium, Hieronymum, Rufinum, alioſque

reſellere, ex quibus colligit ipſe Paſtoris Librum ſpurium non eſſe; ſed revera ab Herma lucubratum: *Si illi Autores huius Libri fidem expenderint, concedo, ſi minus expenderint, vel in illius cenſura ſint decepti, nego. Porro univerſi Patres iſti tanta cum accuratione & diligentia Paſtoris Librum non expenderunt, ac Gelaſius, & LXX. Synodi Romanæ Patres, qui illum Apocryphis annumerarunt. Liber, qui apellatur Paſtoris Apocryphus.* Unde non erit quidem Patrum iſtorum dignitati derogare, ubi ipſorum teſtimonium Eccleſiæ teſtimonio poſtponamus. *Nam in iis, quæ Librorum delectum ſpectant, potior eſt Eccleſiæ autoritas privatorum Hiſtoricorum, vel Patrum ſuffragiis.* *Ibid. cap. XIV. art. 9. pag. 103.*

Tillemontius, ceterique Scriptores, qui pro Epiſtolis iſtis pugnant, nonne duo poſſent Alexandro, reſpondere? 1. Eadem eſſe prorſus Decreti verba, quibus ambæ iſtæ Epiſtolæ, & Paſtoris Liber Apocryphis adſcribuntur. 2. Concedere ultro Criticos iſtos eadem eſſe ratione Apocrypham Epiſtolam Jeſu Chriſti, qua Paſtoris Librum Apocryphum aſſerit Alexander, videlicet non eſſe Canonicam; qua de re docti hujus Dominicani reſponſio æque ſuam petit de Paſtoris volumine, ac aliorum de Jeſu Chriſti & Abgari Epiſtolis ſententiam.

Diſcutit exinde idem Autor primorum Pontificum Epiſtolas *Decretales*, quarum fraude probata, opponit ipſe ſibi: *Illæ Epiſtolæ genuinæ ſunt, quas ut genuinas agnoverunt Concilia, Conciliorum & Canonum Collectores aliique Doctores graviſſimi; atqui &c.* Tot autem labefactandis teſtimoniis ſufficit ipſi abunde unica Diſtinctio: *Agnoverunt illas Epiſtolas Concilia &c. & hæc Concilia, aliique Collectores & Doctores poſteriores ſunt nono ſæculo nec Epiſtolas illas ad ſeveriores Criticæ regulas expenderunt; concedo; & nono ſæculo antiquiores ſunt, & illas Epiſtolas revocarunt ad examen, nego.* Quæ diſtinctio tanti apud ipſum eſt ponderis, ut ea quoque ad Sancti Martialis explodendas Epiſtolas utatur; atque ad eandem Lannojus, Simonius, Dupinus, aliique Critici ſæpe confugiant. *Sæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 20. pag. 221. fine.* *Ibidem pag. 223.* *Tomo 1. ſæc. 1. art. 9. cap. XX.*

Atqui illud nobis incommode cadit, non animadvertiſſe Alexandrum, ſe diſtinctione illa Actorum Sancti Andreæ veritatem ſubruere funditus, quæ vult LIX. Jeſu Chriſti anno, Neronis Imperatoris VI. a Presbyteris & Diaconis Eccleſiarum Achajæ conſcripta, fidem habens verbis Etherii Uxamenſis Epiſcopi, & Beati Presbyteri, qui ſæculo VIII. exeunte ſcripſerunt; Remigii Monachi ſub finem IX. florentis; S. Petri Damiani, aliorumque recentiorum. Proteſtantes etenim, adverſus quos Alexander Acta iſta ſarta tecta defendit, ut Autorum iſtorum autoritatem exterminent, nihil ulterius laborabunt; quam in eodem ipſius reſponſo afferendo: *Et omnes illi Authores ſunt ſæculo ſeptimo, aut octavo poſteriores, nec Acta illa ad ſeverioris Criticæ regulas expenderunt, concedo; &* *Ibid. art. 8. pag. 106.* *Guil. Cave Hiſt. Litt. Script. Eccleſ. pag. 17. col. 2.*

ſepti-

ſeptimo aut octavo ſæculo antiquiores fuerunt, & illa Acta revocarunt ad examen, nego. In illum etiam retorqueri poſſent, quoad S. Andreæ Acta, reſponſiones ab ipſo pro tuenda diſtinctione ſua redditæ adverſus Epiſtolas Decretales: *Si* Acta Sancti Andreæ primi ſæculi *genuini fœtus eſſent, harum Autores Eccleſiaſtici octo priorum ſæculorum interdum meminiſſent*; *has citaſſent interdum Concilia, aut Pontifices*, Euſebius, Hieronymus, aliive; *atque nullus* Acta illa *ante* octavum *Sæculum vel nominavit quidem &c.* Quamobrem omiſſis etiam rationibus ceteris adverſus Epiſtolas Decretales exponi ſolitis, perſpicuum fit, ſi firma & rata ſit reſponſio hæc, ut Conciliorum, aliorumque Autorum a Decretalium iſtarum cauſſa ſtantium autoritatem frangat; eandem ſimiliter Sancti Andreæ Acta ſuſdeque vertere. *ubi ſupra.*

Ex præcipuis momentis unum, quod uſurpat celeberrimus hic Dominicanus, ut Sancti Maximini Monachos in Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ poſſeſſione retineat, a novem ſive decem ſummorum Pontificum ducitur Diplomatibus. Cum autem quædam ex his ſimilibus pro ſe interpretatus fuerit Launojus, ut oſtenderet, S. Mariæ Magdalenæ Reliquias noni ſæculi exitu Vezeliacum tranſlatas, ad omnia hæc Pontificia Diplomata ſe reſponſurum profitetur Alexander, *quæ reſpondet Launojus ad ea, quæ pro Magdalena Sammaximianenſi proferuntur.* Hæc utriuſque Doctoris verba ſunt. *Hæc mera facti, non dogmatis quæſtio eſt, ex hominum teſtimoniis pendens, in quo poteſt quiſque Sanctiſſimus at doctiſſimus fidei orthodoxæ Profeſſor aliquando falli.* Quid prohibet nos ab ambobus Doctoribus iſtis ſciſcitari: Aut vobis reſponſio hæc exquiſita videtur, quæque ſanæ mentis hominibus placere poſſit; aut perſuaſum vobis eſt; illam rectam non ſatis eſſe atque conſtantem: Si ſecundum, cur ab iis contrariorum diſſolutionibus Critici eruditiſſimi præſidium petitis, in quibus nec vos ipſi acquieſcitis? Si vero juſtam atque honeſtam reſponſionem judicatis, quare illam adhibendi viciſſim vobis adimitis facultatem? Nonne revera Launojus ex. gr. a Diplomatibus pro Vezeliacenſibus datis otioſe colligit argumenta; ſi liquet ipſi Pontificum pro retinenda S. Maximini poſſeſſione diplomata rem non conficere, aut nullam eorum habendam eſſe rationem, quod nimirum *in facti quæſtione poteſt quiſque Sanctiſſimus ac doctiſſimus aliquando falli?*

Alex. Saec. Tomo 2. Diſſ. 16. pag. 79.

Alex. ibid. pag. 101. fine.

Contendens Valeſius Euſebium de eo purgare, quod ipſum VII. Concilium Œcumenicum illorum principem appellet, qui adverſus Sanctam Nicænam Synodum arma verterunt, hanc in eum animadverſionem ita declinat: *Non agebatur de Euſebii fide in illa Synodo, ſed de Imaginum cultu, ad quem ſubvertendum cum adverſarii paullo ante in Urbe regia congregati, teſtimonium ex Euſebii ad Conſtantiam Epiſtola protuliſſent, eoque maxi-*

Valeſ. de Vita Euſebii Praef. Hiſt. Eccleſ.

maxime niterentur, Patres VII. Synodi ad elevandam hujus teſtimonii autoritatem acclamarunt Euſebium Arrianum eſſe. Verum id obiter tantum, ex occaſione & odio illius Epiſtolæ ab eis factum eſt, non autem data opera, aut cauſſa prius cognita.

En paucis verbis coagmentata reſponſa multa: at ſatis ne ſolida ad frangendam Concilii Generalis autoritatem? Inquit primo: *Non agebatur de Euſebii fide in illa Synodo, ſed de Imaginum cultu.* Quorſum ſpectant iſta? ut indicet, negotium, cujus gratia coactum eſt II. Nicænum Concilium, non fuiſſe Euſebianæ doctrinæ diſceptationem? Cui vero iſtuc notiſſimum incompertum eſt? quidve de facto a nobis hic controverſo colligi inde poteſt? Num inquiet, Concilium minime Euſebii Epiſtolam abjeciſſe, quod Autor hic, utpote Arrianus, fidem non mereretur, cum illa pro Monothelitis in medium producta fuerit? Mendacium eſſet ſola Actorum hujus Concilii lectione redarguendum, ſi cui ſuboriri dubium poſſet. Sequitur ſecundo: Patres ſeptimæ Synodi ad elevandam tantummodo cujuſdam Euſebii Epiſtolæ autoritatem, ipſi Arrianiſmum exprobrant. Fieri ne potuit, ut hoc pacto ſe gereret Concilium illud? Non eſt quidem auſus Valeſius id enunciare. An vero, quamquam optime conſtituta fuerit Concilii adverſus Euſebium de Arrianiſmo intentata accuſatio, tanti tamen non erit, ut de Scriptoris hujus teſtimonio robur omne detrahat, quod alias habuiſſet? Quid porro iſtud rei eſſet, niſi eadem in Veterum Hæreticorum, atque Eccleſiæ Patrum verbis momenta ponere? Addit tertio: Concilium Nicænum doctrinæ Euſebianæ cauſſam non cognoviſſe, atque obiter tantum ex occaſione locutum fuiſſe. Num reddunt hæc, falſum eſſe præceps judicium a Synodo commiſſum? Unde autem id confirmas, quamve tanta cum dignitate ſuſcipiendæ Concilii Generalis autoritati demonſtrationem opponis? Præterea nonne illas ante deliberationem ſuam probationes conſtituerunt, quæ argumento eſſent, illos pronunciaſſe nihil, quin autoris hujus ſcripta maturis ponderibus examinaſſent? *

* Recitata eſt Actione V. longa Analyſis Epiſtolæ Euſebii ad Euphrationem Epiſcopum Balanenſem in Syria, quæ ſcatebat blaſphemiis, & puriſſimum Arrianiſmi virus evomebat. Dehinc ſexta Actione, poſtquam aliud ejuſdem Epiſtolæ fragmentum retulit Epiphanius Diaconus, exclamavit: *Quis fidelium ignorat, Euſebium Pamphili in reprobum ſenſum traditum ejuſdem ſententiæ, & conſentientem cum iis, qui Arrii Dogma ſequuntur? In omnibus quippe Hiſtoricis ſuis libris creaturam filium, & rationem Dei vocat, & Miniſtrum, & ſecundum adorabilem.* Adducitur item in eodem Concilio non modica pars Epiſtolæ Euſebii ad Sanctum Alexandum, & Sancti Alexandri adverſus Arrium. Addit tandem Concilium ſæpius ejdem Sancto Viro Euſebium Epiſtolas dediſſe pro Arrio, blaſphemiarum refertiſſimas.

Fru-

Fruſtra quoque ſubjungit Valeſius, nullum agnoviſſe diſcrimen Synodum inter Libros, quos ante, atque eos, quos poſt Nicænum primum Concilium deſcripſerat Euſebius ; *quod omnino fieri debuerat, ut de Euſebii fide certum ac legitimum judicium promeretur*. Reipſa autem hunc ne delectum Synodus prætermiſit ? * Hæ ſunt ambages, in quas abeunt illuſtres Critici noſtri, ut clariora eludant teſtimonia, quæ cum præjudiciis ſuis minime conſentiunt : accommodata ſane ad firmius unumquodque Hiſtoriæ monumentum ſubruendum via.

Tametſi nunquam ſatis laudibus cumulare Tillemontii poſſimus accurationem, diſſimulandum tamen non eſt, ei aliquando reſponſiones excidiſſe, quæ fortaſſe non plane omnibus arridebunt. Eorum Sapiens iſte Criticus improbans opinionem, qui Euſebio aſſentiuntur de Barnabæ Epiſtola referenti ; tradit, quo Hiſtorici iſtius autoritati vim auferat, id Euſebium in quæſtionem non vocaſſe, num eſſet illa Barnabæ Epiſtola nec ne ? ſive quod illam non expenderit, ſive quod Operæ pretium non putaverit, judicium ſuum ea de re interponere. Nihilominus nullus eſt ambigendi locus, Euſebium mentem ſuam dilucide aperuiſſe.

Tillem. Tomo 1 Notat. de S. Bern. 6. pag. 689. col. 2. med. Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 25.

Obſervat quoque idem Euſebius, S. Ignatium ad Sanctum Polycarpum ſcribentem, eidem Antiochenæ Eccleſiæ curam & diligentiam commendare : verum cum id in Sancti Ignatii Epiſtola non legamus, atque hoc in illa fallaciæ ſuſpicionem commovere poſſet, Tillemontius omnia tentatus, ut Euſebianum textum explicaret, concludit his verbis: „ Fateri tamen neceſſe eſt, hæc notioni animis noſtris ab Euſebio inſitæ „ minime reſpondere, qui eo loci labi memoria, aut accuratione potuit. „ Si quivis alius Criticus hujuſmodi reſponſum redderet Tillemontio, putas ne futurum, ut ipſe reponeret nihil ; quemadmodum P. Halloixio ſimili occaſione repoſuit, qui, cum dixiſſet, fieri potuiſſe, ut Euſebio videre viſum fuerit in Libro *de Monarchia* Sancto Juſtino tributo, ea Sacrorum Bibliorum ſenſa, quæ nullo modo complectebatur, hanc Tillemontii cenſuram tulit : „ Ab eo majores autoritate ſua probationes flagitamus, ut adeo minus æque de Veteribus decernat. „

Tillem. t. 2. annot. 6. in S. Ign. pag. 622. col. 2. med.

Tillem. Tomo 2. annot. 7. in S. Juſt. pag. 688. col. a fine.

Certiſſimum eſt, teſtem eſſe S. Hieronymum, quod Hebraicum S. Matthæi Evangelium ætate ſua in Alexandrina Bibliotheca ſervabatur.

Dupinus, cui diſplicet factum hoc, ita excipit apertum Sancti hujus

* *Si qui*, habet Concilium actione eadem, *eum defendentes, dicant ſubſcripſiſſe eum in Synodo, demus ea eſſe ; & veritatem labiis honoravit, animus vero longe ab eo aberat, ut oſtendunt ſcripta ejus & Epiſtolæ omnes.* Denique Concilii Patres non paucas optimas rationes adnectunt ; ex quibus ſit manifeſto, Euſebii ſubſcriptionem ipſi nullatenus ſuffragari.

Do-

Doctoris teſtimonium. „ Accidit ſæpenumero, ut Autores ipſi coævi id „ genus rerum narrent, quæ ab aliis audierunt, neque judicio certo ponderarunt. Vulgo fortaſſis percrebuit Evangelium ſecundum Nazaræos „ Autographum fuiſſe S. Matthæi, ex quo certior fieri potuit Hierony- „ mus, illud in Bibliotheca eadem cuſtodiri. „ Convenit inter omnes Criticarum Legum, quæ ad facta Hiſtorica ſtatuenda latæ ſunt, cameſſe ſolidiſſimam, quæ ab ejuſdem ævi Autorum teſtimonio depromitur, præſertim cum nihil eſt in antiquitate tota, quod facto illi repugnet: Porro ſi alicujus momenti eſt Dupini reſponſum, argumentum hoc ab Autoribus contemporaneis petitum vanum reddit atque inane: ipſis enim rem narrantibus actam temporibus ſuis, occurrere erit cum Dupino. *Accidit ſæpenumero, ut Autores ipſi coævi id rerum genus narrent, quæ ab aliis audierunt, neque judicio certo ponderarunt &c.* Quare, dum autumat Autor iſte Hieronymi autoritatem infringere, ſibi facultatem eripit, argumenta ab æqualium Scriptorum teſtimonio colligendi; aut certe ratio inde deducta tandiu non admodum firma videbitur & rata; quandiu ſtabit reſponſum iſtud.

Dupinus Biblioth. tomo 6. in Reſp. ad Animad. pag. 424.

Fert communis opinio, quod aſſerere non dubitaverit S. Clemens Alexandrinus, Divum Paulum Carmina Sibyllis adjudicata laudaſſe. Cum autem Patris hujus teſtimonium perſuadere poſſet, Libros, gentilium iſtarum Vatum nomine inſignes, primo Eccleſiæ ſæculo notos fuiſſe; quod refragatur Dupino, opinanti, eos ſecundo ſæculo ſuppoſitos; Cl. Criticus hic ſeſe S. Clementis autoritate nullo negotio liberat verbis iſtis: „ Exploratum eſt, S. Paulum nunquam Sibyllinos Libros laudaſſe; „ ideoque capitur manifeſto Clemens Alexandrinus, ſi tamen id pro- „ ferat. „

Tillem. Reverend. Petit didier. Dupin. &c.

Dupin ibidem pag. 107.

Quamquam certiſſimum ſit, falli Clementem, cum Paulum Sibyllam laudaſſe ſcribit, ſi modo conſtet, illam a Paulo minime laudatam; videtur nihilominus futurum accommodatius inferre; S. Paulum Sibyllam revera citaſſe, propterea quod id ſcriptis Clemens mandavit. Nulla etenim inter Criticas leges eſt rationi magis conſentanea, aut Sapientum uſu magis recepta; quam quæ ſanxit: Factum illud habendum pro enucleato, quod ab Antiquo Scriptore poſteritati commiſſum eſt; dummodo incredibile nihil præſeferat, aut fabuloſum, ſive ab aliis item veteribus Scriptoribus non reprehendatur. Atqui fidem non ſuperat, Paulum Sibyllinos verſus in medium producere potuiſſe, cum alia Opera teſtatioris, quam Sibyllina Carmina, falſitatis † nominaverit; neque extet Autor quiſpiam, illumque certe non crederem a Dupino repertum iri, qui Paulum Sibyllæ meminiſſe aut inficias iverit, aut in controverſiam vocaverit.

† Quædam horum exempla deinceps ſubjiciemus.

Digitized by Google

Dupinus ipſe ad hanc regulam ſæpius appellat. Quot Hiſtorias tanquam indubias aut ſaltem maximæ probabilitatis in publicum edidit, unius duntaxat Autoris ſuffragio, uti ipſius quoque S. Clementis Alexandrini, Euſebii, Hieronymi, Photii, &c.? Nonne ex quodam Clementis Alexandrini textu animadvertit: *liberum cuique in aliquibus Eccleſiis fuiſſe, ad ſanctam Menſam accedere, ibique Euchariſtiam ſumere?*

Dupinus ibidem pag. 69.

S. Clem. l. 1. Stromat. pag. 271.

Dupinus ibidem pag. 119.

Nonne contendit idem Doctor, ut centum alia haud abſimilia facta prætercam, ubi in ſermonem incidit de contentione, quæ interceſſit inter Sanctum Victorem, & Epiſcopos Aſiæ de Paſchate: *Pontificem iſtum adductum fuiſſe, ut Polycratem, ceteroſque Aſiæ Epiſcopos a communi unitate Eccleſiæ amputaret*; & propterea ſecundum Euſebium, *per Litteras in eos invexiſſe, & prorſus a Communione ſecludendos edixiſſe?* Probaret ne Dupinus, ſi quis, ad infirmandam Patrum iſtorum fidem in hæc duo facta, quæ majus longe diſcrimen ab Antiquis & recentibus ſubierunt, * atque illud Divi Pauli, reſponſo iſto uteretur, & citra rationem omnem pronunciaret: Exploratum eſt, *liberum non fuiſſe cuique ad Sanctam Menſam accedere, ibique Divina Euchariſtiam ſumere*: exploratum etiam eſt, *Victorem Pontificem Aſiaticos a communione ſecludendos edixiſſe*; *ideoque capiuntur manifeſto Sanctus Clemens Alexandrinus & Euſebius, ſi tamen id protulerunt?* Quænam Hiſtoria, quantumvis Antiquorum teſtimonio probe munita, hujus vi ratiocinationis minime corrueret? Itaque licet in eo, quod de Sancto Paulo memoriæ prodidit, deceptus fuerit Clemens Alexandrinus; nihilo tamen minus non ſatis recta & accurata videtur Dupini reſponſio.

Euſebius Hiſt. l. 5. cap. 24.

Liquet pariter, Dupinum non ſemel, quoties veteris alicujus Scriptoris teſtimonio in anguſtias compellitur, ea illud ratione declinare, quæ tanti Viri luminibus nullo modo congruit. Quodam loco fatetur ultro, Antiquis de Pauli adventu in Hiſpaniam opinionem inſediſſe: in annotatione vero ad eundem locum, ut omnium Patrum iſtorum fidei detrahat, ſatis eſſe ducit, ſi dixerit: „ cuncti Autores iſti ſæculo tertio ſunt „ poſteriores; nullumque extat ante hac ejus rei monumentum. „ Tenet ne præclarus iſte Criticus, hujuſmodi eſſe reſponſum hoc, ut in ip

Differt præl. pag. 185.

Ibidem pag 19. col. 2. initio.

* Quod attinet ad primam Euchariſtiæ Hiſtoriam, fatetur Dupinus, nullum extare moris hujus in tota retro antiquitate veſtigium, neque ſibi notum eſſe quemquam, qui de illa mentionem fecerit. Valeſius, Petitdidierus, Alexander, aliique bene multi Irenæum, Hieronymum, Photium &c. ſecuti, cenſent, Papam Victorem minis tantum ſeparationis metum Eccleſiis Aſiæ incuſſiſſe, neque turbatam tunc fuiſſe Eccleſiæ pacem; quemadmodum non obſcure tradit Firmilianus primus Cappadociæ Antiſtes ſuper hac Controverſia ad Sanctum Cyprianum ſcribens: *Nec tamen propter hoc ab Eccleſia Catholica pace, atque unitate aliquando diſceſſum eſt*, Famil. Epiſt. inter Cypr.

ſo

ſo acquieſcere poſſimus? Credibile ſane eſt, eum non fore contentum, ſi quis ſimiliter occurret & ipſi, eum, Epiphanio & Hieronymo autoribus, docet, Matthæum paullo poſt Jeſu Chriſti mortem Hieroſolymis Evangelium ſuum propter eos, qui ex circumciſione crediderant, deſcripſiſſe; *Ibidem pag. 177. & 178.* cumque, Euſebio & Hieronymo teſtibus, Sanctum Ignatium in Antiochenæ Eccleſiæ regimine Evodio ad annum ortus Chriſti ſeptuageſimum ſucceſſiſſe memorat. *Tomo I. pag. 113. & 147.* Quid ſi tot evadendis difficultatibus Dupino reſponderemus: „ cuncti Autores iſti ſæculo tertio ſunt poſteriores, nullumque ex„ tat ante hac horum monumentum „?

Baronius anno 48. de Sanctæ Mariæ Virginis obitu diſſerens, his Euſebii utitur verbis: *ad Filium in cœlum aſſumitur*, ut corporeum Deiparæ ad vitam reditum demonſtraret. Hoc Euſebii dictum, quod momentum aliquod opinioni illi contrariæ, in quam venit Tillemontius, afferre videtur, Critici hujus animum non flectit, illudque putat a ſe nervoſe refutatum ubi adjecit. „ Apparet ſignificare hic intendiſſe corporis Deiparæ reſurre- *Tillem. Tomo I. annot. 3 de Virgine Maria pag. 491 col. 2. Mon dia.* „ ctionem, de qua tamen ſæculo IV. quiſpiam nondum loquebatur. „ Placet etiam aliquando eadem reſponſio Natali Alexandro, Launojo, aliiſque Criticis, quod nobis anſam dedit ad duo animadvertenda.

Primum eſt a Dupino mutuatum. Quando urgent Doctorem iſtum, diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros, quod in Ignatii Epiſtolis dignoſcitur, eſſe poſſe illarum falſitatis notam, cum hujuſmodi diſtinctio ſæculo duntaxat III. conſtituta ſit; audi quid opponat: „ Quamvis deeſ- *Dupinus T. I. pag. 140.* „ ſent nobis rationes aliæ, ex quibus efficeretur, habitum fuiſſe ſecun„ do ſæculo Epiſcoporum & Presbyterorum delectum, in rem eſſent „ abunde S. Ignatii Epiſtolæ, ne id in dubium verteremus: & tantum „ abeſt, ut eas eſſe ſuppoſitas colligatur, quod id in illis legitur, ut „ maxime colligendum eſſet, eos Divi Ignatii ætate diſtingui conſueviſ„ ſe, quod nimirum hoc in ipſius Epiſtolis reperitur. „ Jam vero quid vetat, ne Tillemontium & Dupinum alloquamur in hunc modum? *Quamvis deeſſent nobis rationes aliæ, ex quibus efficeretur*, ſæculo Quarto Deiparæ corporis reſurrectionem, & S. Pauli in Hiſpaniam iter agnitum fuiſſe, *in rem eſſent abunde* Euſebii aliorumque Patrum ſenſa, *ne id in dubium verteremus; & tantum abeſt*, *ut* horum memoriam ſæculo IV. *non extitiſſe colligatur*, *ut maxime colligendum eſſet*, factam eorum ſæculis III. & IV. mentionem fuiſſe, *quod nimirum* id Patres iſti nobis tradiderunt.

Altera animadverſio eſt; ſi quid valet Sapientum noſtrorum Criticorum reſponſum, uſque eo funditus everti majorem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem, ut nihil ferme integrum ſuperſit. Otioſe namque tertii, quarti, quinti, & ſequentium Sæculorum Scriptorem adducemus, qui rem ante ævum ſuum geſtam litteris conſignaverit; ipſorum etenim vio-

Digitized by Google

lando teſtimonio non opus erit majori eniti opera, niſi ut cum Dupino reſpondeamus: *nullum extat ante hac ejus rei monumentum*; aut cum Tillemontio, & P. Alexandro: *de hac re ſæculo illo quiſpiam nondum loquebatur*. Non ſecus quandocumque Critici noſtri facta quamplurima primo & ſecundo ſæculo geſta a Patribus tertii, quarti, & poſteriorum ſæculorum haurient, ne illorum autoritate proficiant, ſatis erit dixiſſe: *nullum extabat ante hac ejus rei monumentum*; *de re hac ſæculo illo nondum loquebatur quiſpiam*.

ARTICULUS IV.

Quotieſcunque nos premit, nobiſque officit Antiquorum teſtimonium, haud licet circuitionibus uti; illius eludendi, aut imminuendi cauſſa.

HOC & proxime ſequenti articulo multiplicem complectar modum, quem adhibent Critici noſtri celeberrimi, ut Autorum Eccleſiaſticorum ipſis adverſantium autoritati aut fucum faciant, aut robur detrahant. Hujus generis eſſet, aſſerere: Antiquum ſcriptorem aliquem ſibi noxium atque incommodum aliis in rebus falli; ipſius Opera fabulis atqua erratis conferta eſſe; minus accuratum, nimis credulum, aut ſuſpicioſæ doctrinæ hominem deprehendi; eumque inſtar magis laudatoris, vel Poetæ, quam Hiſtorici res narrare.

Cum animadvertiſſet Tillemontius, ex Auguſtini mente communem opinionem ferre, Spiritum Sanctum die Dominico deſcendiſſe, ſubdit: „ verum id quamvis Auguſtinus aperte adeo protuliſſet, quemadmodum „ faſſus eſt, Jeſum Chriſtum die Martii viceſima quinta duobus Geminis Conſulibus interiiſſe, non majoris eſſet ipſius teſtimonium alterutra ex parte momenti. „ Eadem ferme ratione alibi quoque ſententiam aperit ſuam de eo, quod Rufino, & Zoſimo Pontifici perſuaſum fuit, S. Clementem Pontificem martyrio affectum fuiſſe. Cum hujuſmodi opinio Cl. Critico noſtro non arrideat, curat diligenter, ut eam oppugnet. Habeto autem, quo ſe gereat modo: „ Rufinus, inquit, „ minori pollebat ingenii accuratione atque perſpicacia; quandoquidem „ is fuit, qui *Recognitionum* fabulis fidem adiungeret, tempuſque in illis vertendis contereret; perſpectumque nobis eſt ex iis, quæ ad Celeſtium & Patroclum Arelatenſem pertinent, Zoſimum fuiſſe ad retinenda illa, quæ ipſi obtrudebantur, natura comparatum. „

Tillem. tome 1. annot. de Sancto Petro pag. 537. col. 1.

Tillem. tome 2. ad S. Clem annot. 12 pag. 608. col. 1.

Non

Non ſatis commode conciliare regulam iſtam quis poterit, cum alia ab eodem Critico lata annotatione quadam in D. Jacobum. „ Diffici- „ le, ut opinor eſt ab Hegeſippo non deſciſcere referente, conceſſam „ fuiſſe S. Jacobo duntaxat ingrediendi Sancta Sanctorum facultatem „ . . . . . . Erit hic Hegeſippi error; at, ut mihi quidem videtur, „ levis & excuſatione dignus, neque enim quod eſt rei caput, inver- „ tit; & propterea tanti non erit, ut autoritatem ceteris narrationi- „ bus ſuis auferre poſſit; cum nemo Scriptorum ſit teſtatiſſimus & di- „ ligentiſſimus, qui nævis hujuſmodi opus ſuum non reſperſerit. „ Si Tillemontii confeſſione, neminem Scriptorum reperias, qui interdum non labatur, non eſt itaque conſequens, offendiſſe in reliquis Auguſtinum, Rufinum, Zoſimum &c. ex quo aliquando offenderint. Quamquam etenim non dificeatur, Hegeſippum in ſua de Morte S. Jacobi Hiſtoria pluribus locis deceptum fuiſſe, non patitur tamen inde concludi poſſe, eum futurum in univerſa Hiſtoria mendacem.

Tillem. Tomo 1. annot. 10. ad S. Jac. pag. 675. col. 1. in fine.

Deficit in Chronico Euſebius per Tillemontium, cum tradit, expoſitionem Mortis & in vitam reditus Jeſu Chriſti a Pilato Romam anni triceſimi ſexti Conſulibus miſſam fuiſſe. Attamen licet hic peccaverit Euſebius, elici ne conſecutio poſſet, ut elicuit de Sancto Auguſtino, quod *etiamſi aperte adeo protuliſſet* Euſebius Pilatum ad Tiberium non niſi triceſimo ſexto anno ſcripſiſſe, *quemadmodum alia plura faſſus eſt* eodem ſpectantia; *non majoris eſſe* Euſebii *teſtimonium alterutra ex parte momenti?*

Ibidem notat. 16. in S. Petrum pag. 551. col. 1.

Ibid. art. 19. in S. Petrum pag. 151. 152.

Profitetur idem Tillemontius, Euſebium falſo annum, quo Chriſtiana Religione initiatus eſt Abgarus, aſſignaſſe. Epiphanium erroris redarguit Dupinus, quod S. Juſtini obitum Adriani Imperatoris tempore contigiſſe credat. S. Joannes Cryſoſtomus, ſi Tillemontium interrogemus, Chriſtum Dominum ad cœlos aſcendiſſe die Sabbathi exiſtimavit; & Sanctus Gregorius Nazianzenus, quæ Sancti Cypriani Epiſcopi in Oriente ſunt, Sancto Cypriano Cartaginenſi Epiſcopo attribuit. Integrum ne eſſet ex his colligere. *Quamvis* Euſebius *aperte adeo protuliſſet* quidquid de Epiſtolis Jeſu Chriſti ad Abgarum memoriæ prodidit, *quemadmodum faſſus eſt*, Abgarum Chriſto nomen dediſſe quadrigenteſimo triceſimo Edeſſenorum Anno: *Quamvis* S. Epiphanius *aperte adeo protuliſſet* S. Juſtinum juſſu Ruſtici Romæ Præfecti capite plexum, *quemadmodum faſſus eſt* Adriano imperante acquieviſſe: *quamvis* S. Joannes Cryſoſtomus, & Gregorius Nazianzenus de aliis rebus *aperte adeo* loquerentur, *quemadmodum* de factis proxime memoratis *loquuntur*; *non eſſent majoris* iſtorum Patrum *teſtimonia alterutra ex parte momenti?*

Dupinus Tomo pag. 184. col. 1.

Dupin. T. 1. p. 4.

Autor Animadverſionis, † in teſtimonium, quod pro Chriſto dixit Euſe-

† Rumor eſt, eam a Piquio Doctore Sorbonico compoſitam fuiſſe.

Euſebius in Antiquitatibus Judaicis, ab eodem reſponſo auxilium petit, ut Euſebio fidem deroget, qui primus omnium Iudæi hujus Hiſtorici locum recitavit. Inquit, " Euſebium ipſum mendoſe & temere Joſe- „ phum citaſſe de vocibus in Hieroſolymitano Templo exclamare audi- „ tis: *Exeamus hinc*. Obiicientibus Dupino, Tertullianum, & Sanctum Baſilium non obſcure propugnaſſe, trinæ in Bapriſmate immerſionis ritum ab Apoſtolis derivatum; attende qua ratione autor iſte reſpondeat. „ Non repugno, ait; Tertullianum & Sanctum Baſilium, conſuetudi- „ nis hujus, tamquam vetuſtæ traditionis, verba feciſſe: at Patres iſti „ mores quoſdam eodem loco pro vetuſtiſſimis habent Traditionibus, „ quos nemo ſane ab Apoſtolis inſtitutos eſſe contendere vellet. „

Simon. Biblioth. Critic cap. 2. pag. 35.

Dupin Tom. 5. in Reſp. ad Animad pag. 101.

Si nobilium Criticorum iſtorum reſponſionibus ſtandum eſſet, numquid non in ſummum diſcrimen adduceremur, omnem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ veritatem, quæ a Veterum teſtimonio pendet, concutiendi? Cum etenim unuſquiſque fallatur aliquando, & Apocryphos Libros in medium producat; liceret ſemper inferre, non eſſe magis adhibendam fidem, cum rem, quantumvis certam & exploratam exhibent, quam cum ſuſpicioſas, aut manifeſte fallaces. His autem admiſſis, quid, amabo, ſupererit, quod factis deferamus in Sapientum iſtorum Operibus recenſitis? Vix unum reperies, quod hujuſmodi reſponſionum uſu in dubium revocare nequeas. Do ultro atque concedo, ſummos hoſce Viros nihil litteris commendare Priſcorum teſtimonio non confirmatum. Priſci iſti plurimis ne locis, immo non ſemel, aliqua ejuſdem facti circumſtantia in fraudem deducti ſunt? Liberum itaque erit cum Criticis noſtris argumentari: Eſto antiquus hic Autor eadem perſpicuitate iſtud, atque illud aſſereret, *maioris non eſſet ipſius teſtimonium alterutra ex parte momenti*.

Quapropter, quando Critici, aſſumta Sulpicii ſeveri, & Sancti Gregorii Turonenſis autoritate, ſeptem Epiſcoporum in Gallias adventum ad tertium circiter medium ſæculum protrahunt; quando Petrum & Paulum Romam conceſſiſſe volunt; & Conſtantinum vitæ ſuæ duntaxat extremo aqua Baptiſmatis tinctum fuiſſe, aliaſque id genus hiſtorias ab Euſebio, Irenæo, Athanaſio, ceteriſque Scriptoribus Eccleſiaſticis depromunt, fas erit, ajo, ut Scriptorum tantorum ſuffragia, atque rationes inde quæſitæ de medio tollantur, Criticorum noſtrorum ſemiram tenere: *At vero quamvis* Sulpicius Severus, Gregorius Turonenſis plane dicerent; Dioniſium, Martialem, Trophimum, alioſque Galliam nonniſi ætate Decii petiiſſe, non ſecus ac primus Neronem Antichriſtum fuiſſe plane nunciat, & alter S. Saturninum in Galliam a S. Clemente Pontifice ablegatum affirmat: quamvis Euſebius, Hieronymus, aliique Patres revera adeo mentem ſuam de factis dudum relatis aperirent,

ſicu-

ſicuti de non paucis aliis Hiſtoriis aperiunt, *maioris non eſſet ipſorum teſtimonium alterutra ex parte momenti*. Sive ſatius eſſet reſpondere: Patres iſti in multa alia facta impegerunt, quæ nemo defendere auderet. Si inter Criticos noſtros de his conſecutionibus conveniet, ipſorum reſponſa lubenti animo probabimus.

Verum non omnes hactenus perſecuti ſumus modos, qui ad attenuandam Doctorum Eccleſiaſticorum autoritatem Sapientibus iſtis ſcriptoribus ſuppetunt. Præſto ſunt alii, qui nos nihil minus torquent, quam præcedentes. Cum Tillemontio acceptum id non ſit, quod apud ſanctum Aldhelmum, & Ven. Bedam de Sanctæ Agathæ Martyrio legitur, ſtudet, ut verbis iſtis illorum exiſtimationem infirmet: „ Sanctus Aldhel- „ mus quamplurimis Hiſtoriis incertis, & palam fabuloſis redundat; „ eoque devenit, ut Baptiſmati a Sancto Sylveſtro Conſtantino collato „ aſſentiretur, neque pluris faciendus eſt Beda, qui non paucas item cor- „ ruptas Hiſtorias in ſuum cenſum tranſtulit.„ Cum Tillemontio conſentit Bailletus, qui poſtquam animadvertit, Palladii teſtimonium non ſatis ad intelligentiam, & exploratam Hiſtoriæ S. Joannis Cryſoſtomi veritatem eſſe, illique Socratem, Sozomenum, & Theodoretum addendos putat, ſubjungit: „ Socrates in iis, que ipſius ſunt, parum eſt ex- „ quiſitus; aliique duo interdum hallucinantur. „ Idem Autor, quo poſſit Actis S.S. Cyri, & Joannis Martyrum, a Sophronio Hieroſolymitano Epiſcopo deſcriptis, vim & robur demere, Sophronium facilitatis, ſimplicitatis, & credulitatis inſimulat; & ſæpiſſime ſimiles his reſponſiones errantes atque vagas amplectitur, quoties Geſtorum Sanctorum Scriptores ea perhibent, quibus non ſapit palatus ejus. Ex. gr. Anaſtaſium Bibliothecarium levioris teſtimonii pondus habere arbitratur, ipſius negligentiæ & facilitatis vitio. Leoncius Neapolitanus Epiſcopus, ſeptimi ſæculi Scriptor erat probus atque Sapiens, ejuſque Opera tanquam Orthodoxa a ſecundi Concilii Niceni Patribus celebrata ſunt; ſe tamen plus æquo bonum & credulum præbebat: Jampridem, inquit alibi Bailletus, Joannes Mochus *Prati Spiritalis* Autor nominis ſui famam amiſit; atque in hæc verba loquitur de quampluribus vetuſtis Scriptoribus, qui nonnullas ſanctorum Vitas lucubrarunt, ſive illorum mentionem fecerunt; quinimmo de ampliſſimis quibuslibet Eccleſiæ Patribus.

Tillem. tomo 3. annot. 1. ad S. Agat. pag. 730. col. 2.

Baill. in Tab. Crit. 27. Jan. pag. 63.

Ibid. 31. Jan. pag. 70.

Baill. 21. Junii in Vita S. Sylverii.

Tabul. Crit. 1. Julii in Vita S. Simeon. Gall. Ibidem 13. Septembr. pag. 22. in Vita S. Eulogii.

At enim quæſtio non eſt, inquiet aliquis, num veteres Scriptores iſti nimia credulitate, bonitate, & facilitate peccaverint; num Libros ſuos mendis, Hiſtoriiſque fabuloſis, aut minus elaboratis referſerint; verum num reipſa locis iis, quos citamus, nobis impoſuerint. Si ita ſe res habuit, ipſorum errata notanda eſſent, ut ſibi ipſis provide cavere poſ-

poſſent Lectores; ſin minus, quare illos afficere infamia tanta? Pergratum quoque mihi eſſet, fieri certiorem: utrum verba hæc communia tendant horſum, ut univerſam Scriptorum iſtorum autoritatem exterminent, videlicet, utrum illa nullo numero ſit, neque ex ea momenti quicquam ad Hiſtoriam comparari poſſit: quod ſi ita eſt: quid hercle dicendum, cum ipſi eoſdem Autores paſſim adducant, atque ab illis factorum multorum teſtimonia petant, ut non ægre in Operibus eorum deprehendere poſſumus? ſi autem cenſoriæ formulæ iſtæ generales in peculiares, quæ præ manibus ſunt, Hiſtorias animadvertunt; unde fit Monumenta eos Eccleſiaſtica, & Sanctorum Vitas tot Hiſtoriis ejuſmodi nota inuſtis cumulaſſe; ut compertum erit cuicumque, loca a nobis ſuperius recitata conſulenti?

Fruſtra quidem cauſaretur quis, ſe id genus communia dicta uſurpare, ut cautum Lectori ſit, ne ſemper Scriptorum iſtorum teſtimonio negotium tranſigat, dum facta ob oculos ponunt, quæ ſæpius errore, aut erroris periculo non vacant. Verum enim vero quorſum verba illa ſplendidiſſima quæ in Operum ſuorum limine collocant, & quorum memoriam identidem refricant præſtantes Critici, ſe Hiſtorias ſuas ex iis, quæ majoris & firmioris ſunt in tota antiquitate fidei, digeſſiſſe? Nonne nobis egregia multa monumenta Eccleſia ſuppeditat, quibus fidelium hominum pietatem alamus, quin eos incertis, dubiis, immo fortaſſe fabuloſis dapibus obrueremus? Si a Scriptorum noſtrorum voluminibus ſublata eſſent, quæcumque per eos in ſuſpicionem vocantur, quam lacunoſa multa apparerent? Quamobrem ſpero equidem futurum, ut Litterati viri has omnes Veterum teſtimoniis redditas reſponſiones vitio vertant neceſſitati, qua premuntur Eruditi Scriptores noſtri, Antiquorum nomen debilitandi, quoties ab eorum mente longe diſtant, eaque memoriæ produnt, quæ ipſis quadrare nullo modo poſſunt: idque propterea, quod eorumdem autoritatem ſuſcipiant, ubicumque ſuis opinionibus conſentaneam agnoſcunt.

AR-

ARTICULUS V.

IN IDEM ARGUMENTUM.

Modi alii, qui in more ſunt Criticorum, ad imminuendum Veterum teſtimonium.

NEminem latet, omnem moviſſe lapidem Bailletum & Tillemontium, ut oſtenderent, Deiparam Virginem Epheſi occubuiſſe, ejuſque corpus tempore tertii Concilii Generalis anno 431. coacti ibi fuiſſe. In rem ſatis non erat, Hiſtoriæ huic, quanta fieri poterat major, ſimilitudinem veri accommodare: operæ quidem pretium erat, Lectorem adverſus Juvenalem Hieroſolymitanum Patriarcham antevertere, qui contendebat, ſe in ea Urbe Sepulchrum Beatæ Virginis reperiſſe: quod nocere poterat iis, qui eam Epheſi requieſcere exiſtimabant. Operæ inquam pretium erat, ſiniſtram exprimere Præſulis hujus imaginem, quo in ſuſpicionem aut dubitationem incideret ejus hac de re teſtimonium. „ Quamquam conſtans eſſet, id Juvenalem dixiſſe, inquit Tillemontius, quod „ ipſi affingit Euthimius, intereſt ſcire, Juvenalem hominem fuiſſe, cujus ambitionem abominatus eſt Sanctus Cyrillus, qui male meritus eſt, „ ut de gradu ſuo dejiceretur, eo quod Dioſcori violentiæ in falſo Concilio Epheſino venerit in ſocietatem; quemque fraudis redarguit S. Leo, „ quaſi monumenta quædam adulteraverit, animo providendi novæ ſuæ „ Patriarchæ Hieroſolymitani dignitati: hic porro æque idoneus erat, „ qui fallaces Hiſtorias ſupponeret; ut ſe ſe penitus in Marciani Imperatoris benevolentiam inſinuaret, cujus patrocinium ipſi tum erat magnopere neceſſarium. *Tillem. Tomo 1. annot. 13. in Mortiam Virg. pag. 494. col. 2.*

Bailletus, qui ferme nunquam diffidet a Tillemontio, his ſimilia ſenſa uſurpat. „ Tametſi verum eſſet, nihilque Juvenali ſuper hac re imponeretur; non gravem inferret, ut videtur, Præſuli huic injuriam ſuſpicari, cum verſaſſe animo, hujuſmodi negotium per ſimulationem atque artificium ad ſui quæſtum lucrumque revocare. Quæ etenim committere nequeat homo, ob explendam immoderatam honorum cupiditatem, aſſuetus prodere cauſſam veritatis, ut argumento ſunt Sancti „ Cyrilli Alexandrini querelæ; atque ob principem locum ſupra fratres „ ſuos obtinendum, aſſuetus adulterinas tabulas componere; ut ipſi exprobrat Sanctus Leo Pontifex Maximus? „ Ecce qua ratione utrique *Baill. 15. Augusti de Aſſumt. Deip. Virg. pag. 422. initio.*

Sapientes Viri de Patriarchæ hujus autoritate detrahere conentur, quod ad Deiparæ tumuli locum attinet. Si de hoc Epiſcopo pronunciandum eſſet ſecundum ipſius ſpeciem a duobus Criticis iſtis nobis propoſitam, ecquis ſane hujus ingenii Præſuli fidem poſſet adjungere?

Nihilo tamen minus quicumque in animum induceret pro Juvenale arma capere, illumque hoc capite purgandum ſuſcipere, nonne duo Tillemontio & Bailleto commode regerere poſſet? Primum quidem, non inveſtigari ea in quæſtione, num Juvenalis homo fuerit, cujus ambitionem abominatus ſit Sanctus Cyrillus, & quem redarguat fraudis Sanctus Leo; neque utrum idoneus fuerit, qui fallaces Hiſtorias ſupponeret, ſed momenta deſiderari, quibus efficiatur, eum reapſe præſentem Hiſtoriam temere cudiſſe. Opus quoque eſſet, aut ego fallor, ſolidas proferre rationes a Bailleti ipſius regulis * petitas, quæ planum facerent, Epiſcopum iſtum rem a ſe excogitatam divulgaſſe. Neque enim ſufficit, ut Juvenalis teſtimonium explodatur, dicere, eum ad hanc meditandam Hiſtoriam idoneum fuiſſe; ſed incumbit oſtendere, eum opere ipſo illam conflaſſe.

Alterum reſponſum eſt, eum de hac eadem controverſia Judices libenter conſtituere Bailletum & Tillemontium. Hic faſſus ſe velle primorum Pontificum ordinem ad Siricium uſque ab Euſebio depromere, addit: „Ultro nobis in confeſſo eſt, Euſebium multis in rebus aberraſ„ ſe, ex quo haud ægre colligitur eum fortaſſis aliis in pluribus dece„ ptum: aſt hic non inſtituitur de Fide & moribus diſputatio, quæ re„ gulas flagitat inconcuſſas, eum æternitatis ſumma ex iis pendeat „ Bailletus autem non dubitat, Philoſtorgio autore, producere: Sanctum Lucianum Antiochenum paullo ante Martyrium ſupra ſtomachum ſuum, veluti ſuper altare, ſpecies conſecrandas collocari juſſiſſe; atque hoc pacto ſacrificium obtuliſſe.„ Hujus Hiſtoriæ Scriptor „ ſubjungit Criticus iſte „ Hæreſis nota affectus eſt: verum non erat cur id „ in ſectæ ſuæ ſtudium machinaretur. „

Tillem. Tomo ſecundo annot. 2. S. Clem. pag. 595 col. 2.

Baill. 7. Jan. in Vita S. Luc. p. 278.

Fundamenta habes, quibus opinantur ambo iſti Critici, non eſſe ſpectandos optimos mores, Fideique integritatem, ubi de ſolis factis eſt di-

* Nonnulli forte arbitrabuntur, quoties mendax aliquis erroris propugnator latius diſſeminat vitium ſuum, quia induſtrii, ſinceri, probique hominis exiſtimationem conſecutus eſt, utile in primis fore, eum hujuſmodi fama ſpoliare: verum id nullo modo licet, niſi ſi accuſationem ſuam publicis, certis, & enucleatis probationibus roborare poſſis. Quapropter, quantumvis id optimo conſilio fiat, nefas eſt in rem hanc inconſultis ſuſpicionibus, atque judiciis, ab eo, quod ſub imo pectore hominum latet, deductis, locum dare. *Bailletus in Judicio Sap. tomo 1. p. 2. c. 8. pag. 377.*

ſce-

ſceptatio. Niſi etenim hoc per eos proviſum eſſet; multa profecto ab Operibus Criticorum iſtorum eſſent amputanda, qui haud raro eorum, quæ tradunt, Hæreticos tantum ſponſores appellant.

Enim vero, quo animo ferrent nobiles hi Critici, ſi quis, ut in Euſebium ſuſpicionem commoveret de pluribus Hiſtoriis, ejus duntaxat teſtimonio probatis, hanc ipſis obiiceret argumentationem? „ Quamvis „ conſtans eſſet id vere dixiſſe Euſebium; quem præterit eum id homi„ nis fuiſſe, quem neque ab incredibilis ſuperbiæ, neque ab abjectiſſimæ „ Conſtantino aſſentationis culpa liberabis; quem Hieronymus apertum „ impietatis Arrii defenſorem, atque Arrianæ Sectæ Signiferum nuncu„ pavit; qui a non paucis Fidei capitibus deflexit; & cujus pœnitentia „ non eſt incerta minus, quam certus ſit lapſus: hominem denique, de „ quo Athanaſius, Theodoretus, Photius, multaque Concilia haud „ æquiorem Hieronymo ſententiam pronunciarunt? „

Hieron. Theod. Synod VII. &c. apud Vales in Præf. de vet. teſtim. contra Euſ.

Equidem mihi videor videre, non probaturos Criticos noſtros, crimina hæc omnia in Euſebium intentata, ejuſdem de rebus Hiſtoricis teſtimonio iniicere ſuſpicionem poſſe. Quare itaque perſuaſum nobis vellent, Juvenalis delicta, *quibus male meritus eſt, ut de gradu ſuo deiiceretur, eo quod Dioſcori violentiæ in falſo Concilio Epheſino venerit in ſocietatem*: delicta, inquam, minoris, quam Euſebii delicta, momenti, ſatis eſſe ad fidem omnem Juvenali abrogandam, eumque dubium omnino & ſuſpicioſum judicandum?

Tametſi multum afferat ponderis S. Leonis adverſus Juvenalem accuſatio, nihilo ſecius non levi conjectura aſſequi poſſumus, Juvenalem tum fuiſſe, cum id contigit, in veterem tanti Pontificis gratiam reſtitutum; & peſſimum ſui exemplum, quod in Eccleſiam monumentorum fraude invexerat, ſuſtuliſſe. Non eſſet multi operis id nonnullis S. Leonis Epiſtolis confirmare. *

Multo vero minus ſimile vero eſt, Patriarcham iſtum fraudulentas Hiſtorias excogitare voluiſſe, ut pro rato ponunt, quo *ſeſe penitus in Marciani Imperatoris benevolentiam inſinuaret, cujus patrocinium ipſi tunc erat magnopere neceſſarium*. Quoniam per id tempus in priſti-

* Epiſtola S. Leonis nonageſima nona continet gratias ab hoc Pontifice Marciano Imperatori actas, quod nimirum Juvenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum in primum honoris locum revocaſſet. In centeſima ad Julianum miſſa gaudio perfunditur Leo de recuperata ab Hieroſolymitano Juvenale dignitate. In centeſima decima eidem Juvenali nuncupata, gratulatur hic Pontifex, quod Eutiche execrato, ſede priſtina donatus fuerit Juvenalis, eumque hortatur, ut pro Eccleſiæ de Incarnatione Fide ſtrenue decertet, cujus Loca Sancta in ditionis ſuæ finibus ſita teſtatiſſimo ſunt argumento.

nam Imperatoris amicitiam receptus jam fuerat ; neque propter controverſias ſuas ejus Patrocinio indigebat, cum omnes eſſent penitus diremtæ.

Poſtremo meminiſſe oportet, Hiſtoriam inventi Deiparæ Virginis tumuli recitaſſe Juvenalem coram Marciano Imperatore, Pulcheria Imperatrice, atque Epiſcopis Palæſtinis, qui cum Conſtantinopolim convenerant, & deinceps Chalcedonenſi Concilio anno 451. interfuerunt. Porro, fit admodum credibile, non paucos ex his Epiſcopis Epheſinæ Synodo adfuiſſe, cui præſens item fuerat Juvenalis, atque in ea alterum locum occupaverat. Epiſcoporum autem iſtorum plurimi, qui ignorare nullo modo poterant, quæcumque in Epheſino Conventu de Mariæ Virginis ſepulchro geſta fuerant, mendacii Juvenalem redarguere potuiſſent, cum Sanctiſſimæ Dei Matris tumulum Hieroſolymis repertum profitebatur : nihilque ipſis reſpondendum fuiſſet, quam, declaraſſe Concilii Epheſini Patres, Deiparæ Corpus in Principe Urbis illius Templo jacere. Non crediderim ſane impudentiorem Juvenale quemquam extitiſſe, ſi modo Hiſtoria ab illo coram auguſtiſſimo Cœtu, & in conſpectu eorum recitata, qui Oratorem falſitatis convincere poterant, publicæ non fuiſſet famæ & veritatis.

Ab hac quoque Eccleſiaſticos Autores labefactandi via minime receſſit Natalis Alexander. Poſtquam Sapiens hic Dominicanus Patrum textus congeſſit, quibus placet, Petrum ex animo a Paulo reprehenſum fuiſſe; opponit ipſe ſibi nonnullorum veterum Doctorum teſtimonia, contendentium id ex compacto factum & ſimulate; uti Origenis, Hieronymi, Didymi, Apollinaris Laodiceni, Alexandri, Euſebii Emiſſeni, & S. Joannis Cryſoſtomi. Ut obiectum ſolvat argumentum, totque ſe ſuffragiorum laqueis ſubducat, ſatis ducit reſpondiſſe: *Origenem, Apollinarem, Didymum, & Alexandrum ab ipſo Hieronymo fuiſſe nomine Hæreſeos notatos*. Si reſponſum hoc non parum videtur Doctori huic roboris habere atque nervorum, moleſte ne ferre debet quoties ad infirmandam eorundem Scriptorum autoritatem dum ab eo laudantur, ut modo fit in rebus factionis ſuæ *cauſſam nullatenus ſpectantibus* reponeret quis: iſtos *ab ipſo Hieronymo fuiſſe nomine Hæreſeos notatos*? Probaret ne, nos reſponſionem illam rei præſenti accommodare, quam adhibet cuidam Cardinalis Baronii momento, qui, ut Euſebii mentem de Conſtantini Baptiſmate prope mortem ipſi collato eludat, in hujus effati fidem ſe recipit: audiendum non eſſe ſuper hac re Euſebium; *quod Arrianorum ſignifer extiterit?* Hoc autem confutat Alexander his verbis: *Euſebio derogare fidem in rebus Hiſtoricis, Arrianorum cauſſam nullatenus ſpectantibus, nec iuvantibus, quia Arrianus fuit, ineptum & ineruditum eſt*. Verumtamen,

Alex. Tomo 1. ſæc. 1. Diſſert. 10. pag. 485.

Alex. ſæc. 4. Diſſert. 22. pag. 359. Tomo 2.

Tomo 2. ſæc. 1. Diſſert. 18. pag. 207. & alibi.

men, quaſi ipſi exciderit animo Sapiens reſponſum iſtud, aliud frequenter reddit uſquequaque diverſum.

Novis etiam capitibus minori eſt apud Criticos noſtros in honore Autorum Eccleſiaſticorum teſtimonium: ajunt enim, eos Laudatorum more res geſtas commemorare. Hanc tenet ſemitam Simonius, ut irritum faciat, quod ſcriptis commendavit Alexander Monachus de Reliquiarum S. Barnabæ invento, cujus ſuperius memini: ab eadem non recedunt quam ſæpiſſime Tillemontius & Bailletus, ubi Patrum dicta aliqua afficere macula eos juvat. Nos autem alibi oſtendemus, ſi vis inſit ulla huic reſponſo, illud majoris Monumentorum autoritatis de Hiſtoriis Sanctorum exiſtimationem non mediocriter violaturum, quæ ad nos traducta alia via non ſunt, quam in Homiliis, Poematibus, aut Hymnis nonnullorum Eccleſiæ Patrum: operibus ſiquidem, quæ Oratoriis & Poeticis ornamentis redundant.

Sim. Hiſt. Crit. n. Teſt. c. 4. pag. 43.

Tillem. annot. 3. in S. Barn. pag. 686. col. 2. Baill. 13. Jan. 11. Junii; 10. Auguſt.

Recentiorum Criticorum plurimi, ut ſuſpicionibus ſuis pretium aliquod comparent, atque in eaſdem callide Lectores adducant, indulgent ſibi, in congerendis adverſus primos Chriſtianos vagis accuſationibus, iiſque notandis tamquam flagitioſis & calumniatoribus; quippe qui Religionis ſuæ ſtudio non pauca adulterina monumenta in publicum proponere non horruerunt. Uſitata hæc eſt illorum induſtria, qui autoritate Patrum veterumque Scriptorum, minus opinionum illarum, quas inſerere vellent, novitati faventium, implicantur. Cum enim eos optimæ rationes deficiant extricandis difficultatibus, quæ poſſent nomine illo adverſus ipſos moveri, & quarum vim omnem ſatis perſpectam habent, iſtarum ſuppoſitionum atque inductarum fraudum titulo eas ictu uno concidunt.

Laun. Sim. Tillem. Baill. Petitdidierus, Dupinus, Alexander. &c.

Intereſſet tamen rei, ut opinor, eos fieri in primis Fidelibus ſuper his criminandis aliquanto cautiores, quorum virtus ſingularis, & mendacii fraudiſque horror, præſertim ſuper negotio Religionis, eos in tuto ponere deberent. Idque eo magis, quo criminationes ſuas non aliis ſepiunt probationibus, quam exemplo Librorum Mercurii Triſmegiſti, & Sybillarum, Textus Euſebii, aliorumque ſimilium exiguo numero Opuſculorum, perinde ac ſi, quod ex illis Patres laudaverunt, ſine ulla controverſia fucatum ſit, atque hujuſmodi a ſapientibus omnibus habitum, cum id tamen non liqueat, ſaltem quoad Scriptorum illorum aliqua: aut ſi liqueret, demonſtrare utique poſſent, id Fidelibus potius, quam Judæis Helleniſtis, aut ætatis illius Hæreticis crimini dandum. Neque enim haſce, quas magnificant, ſuppoſitiones tum exploratas reddiderunt, cum urgent tertio quoque verbo, quendam Aſiæ Presbyterum, cujus meminerunt Tertullianus, atque

Tert. de Baptiſmo. Hieron. de Script. Eccleſ.

que Hieronymus, pia commenta neſcio quæ de S. Pauli & S. Theclæ itineribus, ejuſdem Apoſtoli amore, exſtruxiſſe, atque ob id turpiter loco excidiſſe. Etenim præterquamquod unicum fortaſſis eſt exemplum iſtud, quod in minus rectam primorum Chriſtianorum fidem afferri poſſit, adeoque leviſſimum argumentum, ut eos hujuſmodi doli in univerſum autores habeamus; ex eo etiam conficitur, nullam producere poſſe Criticos firmiorem pro adverſa parte rationem; cum hæc Aſiatici Presbyteri Hiſtoria nos plane doceat, primæva Eccleſiæ ætate, fuiſſe Epiſcopos in id genus fallaciis detegendis perſpicaces, atque accuratos in reiiciendis; quandoquidem graviſſimo ſupplicio erratum vindicarunt, ſimplicitate citius atque ignorantia, quam improbitate commiſſum.

Præterire hic non licet mihi modum alium a Sirmondo uſurpatum, ut vim debilitet eorum, quæ tradit Hincmarus, Hilduinum ſecutus, de Miſſione S. Dionyſii Areopagitæ in Galliam. „ Primus omnium Hincmarus, inquit Sapiens hic Jeſuita, memoriæ prodidit, Clodoveum „ Regem in pervigilio Paſchæ baptizatum fuiſſe. „ Traditio hæc Rhemenſis iſtius Epiſcopi munita teſtimonio perſeveravit ad id uſque tempus, quo ex Aviti Viennenſis ad Clodoveum ipſum Epiſtola deprehenſum eſt eam falſam eſſe: in ipſa nanque de Principis hujus baptiſmate gratulatur, ejus pompam atque utilitatem deſcribit, „ atque Natalis Domini „ die ſacris undis ablutum oſtendit. „ *Ut hoc exemplo liqueat falli, & fallere Hincmarum quam proclive ſit*. Quare quemadmodum, ſubdit Doctus iſte Criticus, *de Clodovei baptiſmo, quod falſo ab Hincmaro litteris eſt proditum, Hincmarus præſtare non poteſt, ut verum ſit: ſic in Dionyſii quæſtione nunquam efficiet Hilduinus ut fabula non ſit, quæ ante Hilduinum fabula fuit, eo quod ipſe pro vetuſta traditione eam venditet*.

Sirm. Tomo 4. Differt. de duobus Dionyſiis. c. 4. Tomo 1. Conc. Gall. pag. 153. Epiſt. 41.

Si flocci faciendum eſt ſuper Sancti Dionyſii quæſtione Hincmari teſtimonium, eo quod labitur, cum Clodoveum in Paſchatis pervigilio Baptiſmate ablutum aſſerit; argumentatione hac concludi videtur, integrum Sirmondo nequaquam fuiſſe, Traditionem, Dionyſium Athenarum Epiſcopum a Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo diſtinguentem, autoritate conſtituere Sulpicii Severi, & Gregorii Turonenſis, qui de re Hiſtorica vehementius erraverunt, ac de Clodovei Baptiſmate erraverit Hincmarus.

Non dubito, quin tantus Criticus integritate, atque accuratione ſua improbaturus eſſet illius Critici conſilium, qui ut evinceret, in errore verſatum fuiſſe Sanctum Avitum, proindeque ipſius ſuffragium de Clodoveo, Baptiſmatis aqua tincto in Nativitatis Domini pervigilio, leviſſimum eſſe, in hunc modum diſputaret. Sanctus Avitus in Epiſtola ſecunda ad Gondebaudum Burgundionum Regem data, Neſtorii atque

Euti-

Eutichetis Hæreſes confutat: verum rudis adeo in Hiſtoria erat, ut huic prioris dogmata attribuat. Idem non ſatis rebus illis imbutus apparet, quæ per ea tempora in Oriente gerebantur: in Epiſtola namque tertia Epiſcopum carpit Conſtantinopolitanum, quod anno ſuperiore a *Triſagio* deleverit verba illa *Qui crucifixus es pro nobis, miſerere nobis*, atque hanc formulam tamquam vetuſtiſſimam propugnat. Conſtat tamen, voces illas a Petro Fulono paullo ante *Triſagio* additas; & Conſtantinopolitanus Epiſcopus, tantum abeſt, ut eas abraſerit, ut potius huic additamento ſubſcripſerit, *Triſagiumque* iis auctum cani imperaverit. Qua de re ſubortus erat in Conſtantinopolitana Eccleſia tumultus ab Avito memoratus, qui capitur, dum perturbationis illius in cauſſa ponit verborum illorum lituram, quibus e converſo adjectis excitata fuerat.

Hac præhabita ratiocinatione, liceret ne colligere, *Ut ex his exemplis liqueat, falli & fallere Avitum, quam proclive ſit*? Quare quemadmodum nemo præſtare poſſet, quod veræ eſſent hujuſmodi Hiſtoriæ, quia eas, ut veras litteris prodiderit Avitus: ſic nunquam efficiet Avitus teſtimonio ſuo, ut fabula non ſit Baptiſmus natalitia Chriſti nocte Clodoveo collatus, qui ante Avitum fabula fuit.

Si libitum cuique foret, ad eos confugere modos, quos duobus hiſce poſtremis articulis perſecuti ſumus, atque iis uti anfractibus, qui apud Criticos moris ſunt, ut Patrum autoritatem proiiciant: ſubrueretur funditus Eccleſiaſtica Hiſtoria, & nutaret quodcumque demum venerabilius colendæ antiquitatis monumentum.

ARTICULUS VI.

Vitium eſt Eccleſiaſticorum Patrum deſerere autoritatem, atque Hæreticorum de re Hiſtorica ſequi veſtigia, præcipue cum ad Religionis negotium referri poteſt.

INſitæ animis noſtris adverſus *Proteſtantium* Opera prænotiones non obſunt, quominus illis, quod æquum eſt, vendicemus, ante omnia, quod ad Criticen pertinet, in qua creberrime excelluerunt, & cujus luminibus plurimas veritates, ad optimos uſus per nos traductas, nobis aperuerunt. „ In quæſtionibus namque, quæ autoritate non diju- *Tillem. tomo 2. annot. 4. in S. Dionyſium Areop. 567. col. 1.* „ dicantur, ait Tillemontius, ſed factis & probationibus duntaxat hu- „ manis, liberum eſt Hæreticis aures præbere; ſique recte procedant, „ inveſtigare. „ Non diſſimulat pariter Dupinus, in Critica diſciplina

Dupin. in Præf. Tom. 1. pag. 10.

Cœſius Hiſt. Eccleſ. in Adm. pag. 6. Gall.

Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæc. 1. Diſſert. 2. tomo 1. pag. 265.

aerioris longe aciei nonnunquam fuiſſe Hæreticos, quam Catholicos; eaque in ipſorum Operibus reperiri, quæ recognoſcere atque probare neceſſe eſt. Quapropter palam edixit Abbas quidam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor, ſe Religioni non habuiſſe, Opera etiam *Proteſtantium* in ſuum cenſum referre, „ quæ ſolidiſſimas veritates non ſemel complectuntur, „ quoties eos non abripit libido contra Eccleſiam Catholicam declamandi. „ Alexander item non ambigit pronunciare: *amandam eſſe etiam in Hæreticis veritatem, cum eam detegunt; noſque nunc plura, ut Apocrypha reiicere, quæ legitimos inter Autorum Eccleſiaſticorum fœtus cenſebantur; antequam Viri Hæretici doctiſſimi Critica Opera emiſiſſent.*

Mabill. Tract. de Stud. Monaſt. p. 2. c. 2. pag. 215.

Aſſeverat tandem Mabillonius, non eſſe ferendum inique, ſe aliquando res ad Heterodoxos revocare; poſtquam D. Auguſtinus, quo nobis Sacris Bibliis intelligendis viam ſterneret faciliorem, ſeptem Tichonii Donatiſtæ regulas ſervandas propoſuit:

Ipſi quoque Patres ab hoc inſtituto non abhorruerunt, & paſſim videre eſt, eos fide Eccleſiæ ſuſpecta Autores in Operibus ſuis citaſſe. Apud Divum Hieronymum non exigua loca legimus a Didymo, ab Origene, atque Apollinari petita. Vetus quoddam Commentarium, in Evangelia a Lambecio relatum, Severum Antiochenum Hæreticum manifeſtum cum Sanctis Patribus permixtum exhibet. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Epiſtola ad Eulogium multo magis ab hac conſuetudine fuit: non omnia, quæ proferunt Hæretici, Hæretica cenſenda eſſe, noſque quidquid bonæ frugis in ſeſe continent, laudibus efferre poſſe, abſque eo quod ipſorum erroribus faveamus. *Si Origenem aliquando laudaverim*, inquit Hieronymus, nimirum *in Præfatiuncula ad Damaſum in Homilias Cantici Canticorum, & Prologo in Librum Hebraicorum nominum*, in Epiſtola ad Magnum, & alibi; *laudavi Interpretem, non Dogmatiſten, ingenium, non fidem.*

Hieron. Ep. 65. Pammach., & Oceano.

Si porro in poteſtate eſt uniuſcujuſque, optimis Hæreticorum cognitionibus proficere, licebit ne ipſorum teſtimonium Veteribus aliis conſtantibus Fidei Orthodoxæ ſectatoribus anteferre? Hic ſane mos Patrum exemplo minime roborabitur: neque enim reperire erit, eos antiquioris, aut ejuſdem ætatis Patrum ſenſa duxiſſe deſpicatui, ut ſapientum noſtri ſæculi Criticorum ritu, Hæreticorum placitis adhærerent.

Hoc recentiorum Criticorum vitium tacitus præterire nullo modo potuit Tillemontius, quamquam fateatur, uti paullo ſuperius monuimus, „ in queſtionibus, quæ autoritate non dijudicantur, ſed probationibus „ duntaxat humanis, liberum eſſe illis aures præbere. „ Etenim in Epiſtola, ad Patrem Lamium in ejus de veteri Hebræorum Paſchate Tractationem miſſa, hæc habet verba memoranda. „ Novi equidem ſenti-

Tillem. Tomo 2. Ep. ad P. Lam. art. 63. pag. 49. col. 2.

„ re

„ re præſtantes ingenio atque eruditione Viros, alteram tui Operis partem anſam præbere poſſe ad reverentiam Patribus debitam imminuendam, quod perincommode accideret ſæculo noſtro, quo calamitoſa „ patet hominibus celebriores Eccleſiæ Patres in contemtum adducendi „ licentia, & quo Religione nulla a Fidei noſtræ Patribus, Deique amicis non pauci transfugiunt, ut haud raro ad utriuſque hoſtes infenſiſſimos devolent.

Enim vero quorſum tenuiſſimas ab Eccleſiæ inimicis flammulas mutuari, quod illuſtris quidam e noſtris Criticis facit, ut lumine ſuo prodant, non eſſe extra omnem aleam, Græcam Veteris Teſtamenti Verſionem a Septuaginta lucubratam fuiſſe; ut aliquas iniiciant dubitationes de Actorum S. Andrææ ab Achajæ Presbyteris conſcriptorum veritate; de Pilati Epiſtola quoad Jeſu Chriſti portenta ad Tiberium data; de celeberrimo Joſephi, quod Servatoris noſtri Divinitatem attingit, teſtimonio, deque aliis id generis monumentis, quæ Religionis intereſſe plurimum Patres exiſtimarunt? Quorſum Marca & Dupinus leviſſimis Scaligeri, aliorumque Proteſtantium ducuntur conjecturis, ut adverſus magnam Patrum vim tueantur, D. Petrum in priori Epiſtola ſua *Babylonis* vocabulo Romanam Urbem non deſignaſſe? „ Præſtat, inquit Tillemontius, Patrum momentis, quam vanis nullo numero hominum „ conjecturis hæc pendere.„ Dupinus quoque quare cum iis conſentit, in quibus ſuſpicio ſubeſt, de modo, quo Apoſtoli Symbolum ipſorum nomine inſignitum compoſuerunt; cum major SS. Patrum numerus ſuper his duobus factis ſententiam ſuam liquido pronunciaverit? Quare demum Arnaldus & Dupinus elegerunt citius captioſas argumentationes adoptare Joſephi Scaligeri, cui fabulam olet Martyrium S. Jacobi Apoſtoli ab Hegeſippo recitatum, atque in Euſebiana Hiſtoria comprehenſum; quam Antiquorum judicium, illud pro rato habentium, amplecti, immo ipſius Eccleſiæ, a qua dignum exiſtimatum eſt, ut in *Breviario* ab ipſa probato collocaretur?

Dupin. Diſſert. prælim. pag. 160.

Dupin. Tomo 1. pag. 52.

Ibidem pag. 33.

Ibidem pag. 70 73.

Marca c. 1. l. 8. Concord. §. 4. Dupinus Diſſert. prælim. pag. 286. Gall.

Tillem. Tomo 1. annot. 31. in D. Petr. pag 510. col. 1.

Dup. Tomo 1. pag. 33. & ſeq.

Arnald. Diſſert. de Martyr. S. Jacobi. Gall. apud Tillem tomo 1. 2. Edit. Gall. Dupinus Tomo 1 pag 165.

Scaliger. animadv. in Euſeb. pag. 278.

Eodem ſpectat, Simonium, adverſantibus licet Jeſu Chriſto, Apoſtolis, & omni retro antiquitate, autoritati rationibuſque parere Rabbini cujuſdam, Hobbeſii, Pereyræ, & Spinoſæ, qui Pentateucum a Moſe exaratum negant: eumdem maluiſſe Aaronis ex Caraitarum diſciplina interpretationem recipere, atque perdocto huic Judæo aſſentiri dicenti: Uxorem Lothi immobilem hæſiſſe, velut ſtatuam Salis; † quam cum Eccleſiæ Patribus miraculum iſtud ſecundum litteræ ſenſum intelligere: ipſi denique placuiſſe, diſputanti de Linguarum confuſione a Deo immiſſa, ut eorum, qui Turrim Babylonicam ædificabant, ſuperbiam retunderet, potius cum Clerico propugnare: „ opus fuiſſe in celebris hujuſce Turris

Simon. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. in Præf. Item l. 1. c. 1.

In. Præf Verſionis Nov. Teſt. Edit. Trevolt.

† Simonius appoſuit hic folium aliud vitioſi loco ſubſtituendum.

Simon. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 1. c. 15.

„ conſtructione nova cudere verba, & propterea nihil videri mirum, „ quod perturbatio tanta commota ſit; eum plurima ipſis obverſarentur, nominibus ſuis nondum ſignata, quæ quiſque pro facultate ſua „ efferebat, „ quam prodigium iſtud, ut littera docet, & unanimis Doctorum Sanctorum conſenſus, interpretari.

Alex. Hiſt. ſæc. Tomo 1. Diſſert. 2. q. 2. concl. 2. pag. 264.

Undenam oritur Alexandrum etiam a ſapientum omnium Ævi noſtri Criticorum, cunctorumque Eccleſiæ Patrum mente diſceſſiſſe, ut Philopono *aſtipularetur, qui vult Jeſum Chriſtum triceſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno mortem oppetiiſſe **: & Miniſtro Dallæo dediſſe manus, ut tutaretur, Canones, Apoſtolicos nuncupatos, falſum ipſorum nomen præſeferre, novos eſſe, & labente circiter quinto Eccleſiæ Sæculo coagmentatos; quam in doctiſſimorum Criticorum ſententiam adduci, ex qua majus in Religionem emolumentum redundat?

Iisdem ſæc. 1. Tom. 2. Diſſert. 27. pag. 150.

Valeſ. in notat. ad cap. 13. l. 2. Hiſt. Euſeb pag. 32. col. 2. Salm. annot. in Spar.

In aperto quoque eſt, Valeſium Salmaſio credidiſſe, & probaſſe deceptum Sanctum Juſtinum de Simulacro Romæ Simoni Mago, tamquam Numini cuidam erecto, velut is, qui inter Simonem Magum, & *Semonem Sangum* *** diſcrimen non agnoverit: cum in rem fuiſſet Sancti hujus Martyris narrationi, **** graviſſimorum multorum & veterum Patrum fultæ ſuffragiis, fidem deferre.

* Philoponus eruditus grammaticus Alexandrinus adverſus Severum, & Proclum Platonicum Philoſophum ſcripſit. At dum errorem unum inſectabatur, in alium Tritheitarum impegit. Librum adverſus Mortuorum Reſurrectionem, aliumque in Concilium Chalcedonenſe confecit, quorum mentio apud Photium *Cod. LV.* A Sexta Synodo Act.XI., quæ illum vocat *inaniter ſeu inepte laborantem*, Hæreſis Anathemate perculſus eſt. Conſtantinopoli ad annum 535. vitam degebat.

** Accepimus a Godavio, recenſere Auguſtinum illorum errorem, qui triginta ſex annos natum Chriſtum deceſſiſſe putabant. Tertullianus ad triceſimum retrahit; verum hanc Epocham ante ipſum meditatus fuerat Hæreſiarcha Valentinus. Epiphanius Chriſtum paſſum triceſimo tertio anno arbitratus eſt, cui tres menſes addunt ſcriptores non pauci, quibuſcum conſentit Baronii Chronologia, eandemque confirmat Eccleſiæ Romanæ mentem eſſe. Juniores tandem aliqui eum triceſimum quintum attigiſſe autumant. Godav. Hiſt. Eccleſ. l. 1. pag. 161. Gall.

*** Cardinalis Baronii ætate effoſus eſt lapis in Inſula Tiberina hac inſcriptione notatus, quæ ab alia, a S. Juſtino ſignificata, non admodum differt.

Semoni Sango Deo Fidio Sacrum.
Sex. Pompeius S. P. F. Col.
Muſſianus Quinquennalis
Decur. Bidentalis donum dedit.

Ex hac Inſcriptione animos ſubiit dubitare, num nominis ſimilitudine lapſus ſit Juſtinus. Verum eruditus hic Cardinalis hanc opinionem ſolide refutat, contenditque fidem omnem ſuperare, graviſſimum Patrem, & Gentilium Mythologia apprime exultum, nec non ad Romanum Imperatorem atque Senatum ſcribentem, ſumma ridicule adeo de re teſtatiſſima peccaſſe, de qua a minuto quopiam artifice redargui poterat. Bar. ad ann. 44. n. 55.

**** S. Juſtinus duobus magnæ ſuæ ad Imperatores, Senatum, & univerſum populum Romanum, Apologiæ

Me

Me latet inſuper, quanam ratione cum Eraſmo, Centuriatoribus, aliiſque recentibus ex eadem familia hominibus peſuadere nitatur Bailletus, S. Hieronymum exercendi ſtyli gratia S. Pauli primi Eremitæ Hiſtoriam excogitaſſe. *Baill. Tab.Crit. 1.Jan.*

Similiter non video, cur Tillemontius * & Bailletus in ſententiam iverint Caſauboni ſuper quæſtione de Bove & Aſino, quos in Chriſti naſcentis ſtabulo jacuiſſe ferunt, & communem Eccleſiæ Traditionem, jam inde a prioribus Chriſtianiſmi ſæculis derivatam, repudiaverint. ** *Tillem. Tomo 1. annot. 5. in Jeſ. Chriſt. pag. 417. Baill. 25. Decembr. 2. num. 3. in Baronium.*

Præterea mirari ſubit, Launojum, Dupinum, Bailletum &c. Blondeli prius opinionem aucupatos fuiſſe, cui inſedit animo, Stephanum Pontificem in errorem S. Cypriano adverſum incidiſſe de Baptiſmate Hæreticorum; quam aliam mentibus ſuis comprehenderent Euſebio, Auguſtino, Vincentio Lirinenſi, Facundo aliiſque Veteribus acceptam, qui pro certo ponunt, Sanctum illum Pontificem ea de re pro germana & vetuſta Eccleſiæ doctrina decertaſſe. *apud Alex. Tomo 1. ſæc. 3. Diſſert. 14. pag. 110.*

Quamquam primi omnium Poſſevinus & Caſtalio Carminum Sibyllis tributorum veritatem in dubitationem aliquam adduxerint, nihilo

locis hujus Simulacri incidit in mentionem, ejuſdemque ſermonem habet in Dialogo adverſus Triphonem. S. Irenæus l. 1. c. 10. hanc vocat communem opinionem, quam memorant Tertullianus, Euſebius, Cyrillus Hieroſolymitanus, & Theodoretus. Inquit Juſtinus *Statuam hanc in Amne Tiberi inter duos Pontes* videlicet in Inſula Tiberina, *erectam fuiſſe, Latinam hanc habentem Inſcriptionem*: Simoni Deo Sancto. Baron. ubi ſupra. Tillem. Tomo 2. annot. 1. in Simonem Magum pag. 521. & ſeq.

* Dilata eſt annis pluribus facultas imprimendi primum Tomum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tillemontii, quod Cenſor huic expendendo Operi præfectus ab eo petebat, ut locum deleret, quo probabile ipſi videbatur, nullo modo Bovem & Aſinum in ſtabulo Chriſti naſcentis extitiſſe; Magos non acceſſiſſe Chriſtum adoraturos, niſi fortaſſe poſt Purificationem; Mariam Cleophæ uxorem veram fuiſſe, ut videtur, Deiparæ Virginis ſororem &c. Re demum ad Cancellarium Bucheratium devoluta, novum ipſe data Opera Cenſorem delegit, atque Opus nulla adhibita mutatione probatum eſt. *Adnot. in art. 10. ſpeciminis. Vita atque ingenii Tillemontii.*

Oblata hujus animadverſionis occaſione additum velim, cum Autor quidam Typis committere inceperit Gallice Opus nuncupatum *Monumenta adverſus Tillemontii monumenta*, immo editurus eſſet quantocius aliud titulo hoc: *Explicatio duorum primorum Eccleſiæ ſæculorum*, utraque Scripta, amicorum Tillemontii fama, interdicta fuiſſe.

** Initium ducit Traditio iſta a Verſione Septuaginta, quæ habet: *In medio duorum Animalium cognoſceris.* *Abac.* 3. 2., a loco quodam Gregorii Nazianzeni Orat. 18., Sancti Paulini, aliorumque: imprimis autem a verbis illis Hieronymi ad Euſtochium de Sancta Paula: *Inde Bethleem ingreſſa, in ſpeluncam Salvatoris introiens, poſtquam vidit Sacrum Virginis diverſorium, & ſtabulum, in quo cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ut illud impleret, quod in eodem Propheta ſcriptum eſt: Beatus qui ſeminat ſuper aqua ubi bos & aſinus calcant.* &c. Vide Bar. ad annum 1. §. 3.

ſecius ſi Sapientum plurimi, invitis multis veteribus Patribus, ætate noſtra ad ſuppoſititia monumenta detrudunt hujuſmodi carmina, ejus rei in cauſſa eſt, quod Blondelli Critice animum adhibuerint, qui ante omnes illa veluti ſpuria, exploſit; quia nimirum Proteſtantium erroribus incommoda multa contineant.

Quantacumque demum accuratione & circumſpectione ſpectatus ſit Abbas Commanvillæus in *Noviſſima Sanctorum Hiſtoria pro ſingulis anni diebus*, quam publica luce donavit, & formis Rothomagenſibus cudit ſæculi hujus exordio, admiratione tamen dignum eſt, eum, cauſſatum ſe maluiſſe citius fidelibus exhibere quod imitarentur, quam quod ſuſpicerent tantum, ſibi indixiſſe legem amovendi ab Hiſtoriis Sanctorum mira facta omnia præter illa, quæ in Sacris Bibliis commemorantur: verum ſuperſtitioſior hæc Commanvillæi Critice accomodatur magis præjudicatis quorumdam Hæreticorum opinionibus, * quam Cypriani, Athanaſii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Gregorii, aliorumque multorum Patrum conſuetudini, qui miracula prudentiæ judicio credibilia recenſere non dubitarunt.

Eſt etiam cur obſtupeamus, Fontanellam a totius antiquitatis mente abhorruiſſe, quod attinet ad Paganorum Oracula, ** atque audacis & temerariæ Critices Antonii Vandali Anabaptiſtæ Harlemitani luminibus illuſtrari voluiſſe, quo Sapientiam ſuam egregiam eruditus hic Academicus ad Oraculorum Hiſtoriam texendam conferret, ſuaderetque, illo Medico duce, non fuiſſe inſtinctu Dæmonum fuſa; & Patrum turbæ, dixerim, refragaretur, qui ea Chriſti Nativitate ceſſaſſe prodiderunt.

Si cuncti ferme celeberrimi Critici noſtri Libros Sancti Dionyſii Areopagitæ nomine vulgatos infra incerta & Apocrypha reiiciunt, id plane eos docuit Laurentius Valla, qui primus contra Libros illos poſtremis ſæculis bellum intulit, ſecutus deinde ab Eraſmo, Luthero, (qui propte-

* Guillelmus Fleetwoodus Hæreticus Anglus Diſſertationem de Miraculis confecit: ea duntaxat admittit, quorum mentio in Scriptura fit. *Monum. Trevolt. Menſis nov.* 1703. *art.* 189.

** Baltus Profeſſor Biblicus in Academia Strasburgenſi Opus edidit inſcriptum: *Reſponſum ad Hiſtoriam Oraculorum Fontanellæ Galli Academici* &c. *Strasburgi* 1707. Non inſiſtit tantummodo doctus hic Jeſuita in reſponſione ad Hiſtoriam eruditi hujus Academici, aut in confutatione Vandalianæ ſententiæ de Paganorum Oraculis, de cauſſis & tempore illorum ſilentii, ſed pergit ulterius aſſerere ſuper idem argumentum Eccleſiaſticorum Patrum ſenſa, adverſariorum errata plura aperire, atque in conſpectu ponere rationum, quas Patribus affingunt, fraudem, & momentorum ſuorum levitatem. Aliud idem ſcriptor Opus adornavit, quo objecta argumenta refellit XIII. Bibliothecæ ſelectæ Tomo, & XI. articulo Reipublicæ Litterariæ Menſis Junii 1707. Inſerta, Patrumque ſententiam de Paganorum Oraculis novis momentis confirmat.

rea

rea facultatis Pariſienſis nota inuſtus eſt,) a Centurlatoribus, Sculteto, Riveto &c. Immo, ſi cuidam juniori fides eſt, Morinus, Launojus, Dupinus, aliique non alia via Voluminum iſtorum veritatem oppugnarunt, quam collectis ab Heterodoxis argumentis. In confeſſo demum eſt, Lamium plurimorum Autorum Eccleſiaſticorum, atque ipſius Eccleſiæ placitum de Paſchatis extremi quæſtione repudiaſſe, ut ignotorum, ſuppoſitorum, immo Hæreticorum Dogma complecteretur. *

Autor Differt. de S. Dioniſio pag. 109. &c. Gall.

Quæ cum ita ſint, mirari quis deſinat, ſtrenuos hoſce Criticos mendacia Proteſtantium præjudicia imbibiſſe ſuper omnibus Hiſtoriis iſtis, ſuperque innumeris aliis, quas perſequi numerando poſſem; Veterumque teſtimonium, immo Eccleſiæ aliquando, nonnulla nobis proponentis, autoritatem dereliquiſſe: licet ſimplicium factorum fines non egrediantur, nec quicquam Fidei negotium attingant? neque enim Cl. Critici noſtri neſcii eſſe poterant, probationes, quæ univerſas haſce Hiſtorias SS. Patribus agnitas atque perſpectas a veritate eſſe demonſtrant, idem ſaltem robur in ſeſe continere, atque eas, quas in medium proferunt Proteſtantes, ut illas aut in dubium revocent, aut oppugnent. Morem hunc appellat Præſul quidem eruditiſſimus „ perniciosum. poſtremorum „ Criticorum inventum, qui hac ratione, non ſecus ac pluribus aliis, „ comites ſe Hæreticis præbentes, non verentur hoc ipſis adverſus Ec„ cleſiam commodum ſuppeditare. „

Boſſuetus Opuſ. Meld. Inſtrut 2. de interpret. Novi Teſtamenti Trevoltienſis. Gall.

Quod vero admirandum aliquibus videri poterit, ſapientes iſti Critici conſuetudinem hanc in aliis improbant, quam ipſi tamen tenere non deſinunt. Dictum a nobis ſuperius eſt, hanc Tillemontium *infelicem libertatem* nuncupare. Pronunciat Alexander: *in rebus, quæ Chriſtianam ſpectant Religionem, Verſionem Scripturarum, vel miracula, quę Deus in ſui populi gratiam edidit, maiorem adhibendam fidem eſſe Scriptoribus Eccleſiaſticis, quam profanis & Ethnicis.*

Alex. Hiſt. ſac. 2. Diſert. XI. quæſt. 2. pag. 243. Tomo 2.

Inſimulat Simonium Dupinus, quod poſtpoſita antiquitate tota, Spinoſæ, & Libri Præadamitarum Scriptoris opinioni de Pentateuchi Autore ſubſcripſerit: contra autem exprobrat Dupino Simonius, eum altere parte Diſſert. Prælimin., in qua de Librorum Veteris Teſtamenti Ca-

Dupinus Diſſert. Præl. pag. 77. col. 2.

Simonius in Epiſt. Gall. ad Amic. de afflatu ad Sacros Libros ſcrib. pag. 40. & 42.

* Opinio eſt Hæreticum Marcionem primum omnium inficias iviſſe Paſcha a Criſto Domino celebratum: aſt everſa a Sanctis Patribus ipſius ſententia, oblivione deletam fuiſſe, donec ineunte Sæculo ſeptimo eam Philoponus Hæreticus inſtauravit: eandem ſententiam tempore Photii habitam tamquam Eccleſiæ Catholicæ repugnantem; Leonis vero Noni ætate tanquam ſatuam: ſæculo quoque noſtro Romæ viſam flammis dignam; in Galliis autem & Hiſpania Hæreſim, ſive Hæreſi proximam judicatam. De his omnibus monemur a Witaſſio Doctore Sorbonico in Epiſtola quadam Patri Lamio reſpondente, quam in Ephemeride Sapientum anni 1696. collocandam curavit.

none

none diſputationem habet, Proteſtantium Opera exſcribere, eorundemque opinionibus favere.

Sapientum Criticorum noſtrorum ſit, æquis ponderibus examinare, utrum hujuſmodi inſtitutum congruat nec ne egregiæ Tertulliani præceptioni, cujus hæc ſunt verba: *Nobis, etſi quærendum eſſet adhuc & ſemper, ubi tamen quæri oportet? Apud Hæreticos; ubi omnia extranea & adverſaria noſtræ veritati, ad quos vetamur accedere? Quis ſervus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam hoſtibus Regibus, donativum ac ſtipendium captat, niſi plane deſertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat: etiam pulſator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa non inimicum, licet durum Judicem interpellabat. Nemo inde ſtrui poteſt, unde deſtruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro.*

Tert. de Præſc. cap. 12.

ARTICULUS VII.

Poſtulat fides, ne Autoribus Eccleſiaſticis ſenſa ab ipſis aliena affingamus.

PAuca admodum in promtu nobis ſunt Critices Decreta iis utiliora, quæ ſapientes Critici ſanciverunt, ut abſolutam Autorum intelligentiam aſſequeremur, neque nobiſmetipſis illos legendo fucum faceremus. Clericum, qui tot de Critica diſciplina commentaria ſcriptis mandavit, non fugit in hoc quoque argumentum condere leges aliquas, quorum præcipuas habeto: Continuo ponit in exploratis, opus eſſe cuilibet optime callere Linguam illam, qua uſus eſt Autor evolvendus. „ Optime autem, inquit, callere Linguam appello, ea eſſe facul- „ tate præditum, ut poſſit eaſdem legendo animo notiones informare, „ quas Autor ſcribendo ſubiecerat verbis ſuis, „

Clericus Bibliot. univ. & Hiſt. ann. 1688. Tomo X. pag. 309., & ſeq. Gallice.

Quo id præſtes, intereſt primo Grammaticas illius, quam præ manibus habet, Linguæ regulas omnino tenere.

II. Enitendum eſt, ut cujuſque Autoris loquendi modos percipias.

III. Species quædam adumbranda eſt ſtyli cum Autoris, tum ejus, qui temporibus illis erat uſitatus.

IV. Erudiaris oportet tum opinionum illarum notitia, quæ ætate illa dominabantur, tum illarum, quas Autor præ ceteris adamavit.

V. Ca-

V. Cave, ne tibi facile perſuadeas, celebrem atque induſtrium Scriptorem eadem pollere in quolibet ſtudiorum genere doctrinæ vi, neque quicquam, niſi exquiſitum, litteris prodidiſſe.

VI. Diligenter attendas, ſi eum quid aſſerit, id revera animo rei, de qua loquitur, addicto faciat, ſive ab Ævi ſui ſententiis diſcedat.

VII. Summa demum animi proviſione animadvertendum eſt, ne Autoribus tribuas cogitata illa, quæ eloqui ipſi debuiſſent, non quæ reapſe elocuti ſint; neve ipſorum verba accomodes menti tuæ, cum potius mens tua ipſorum verbis ſit accommodanda.

His poſitis mirum non eſt, ſecundi ſubſellii Criticos, multoſque Scholaſticos Theologos, aliqua Veterum ceterorumque Scriptorum loca mutilaſſe, aut illis ſenſus appoſuiſſe a genuina interpretatione longe remotos. Autores, ſive potius Compoſitores iſti minus de Operum bonitate, quam de Voluminum mole ſolliciti, Criticarum Legum, quas modo retulimus, fortaſſis ignari, intelligentia deſtituti, aut non ſatis otii nacti, ea in Autoribus haud raro legunt, quæ apud ipſos non reperiuntur, aut eadem legunt in Interpretibus, ſive in aliis Scriptoribus monumenta illa recitantibus, quos ipſi putant in hac lectione verſatos. Fieri itaque nulla ferme ratione poteſt, ut non aliquando ea in medium producant veluti Autorum germana ſenſa, quæ ipſi ne cogitatione quidem perceperunt. At oblivio, qua obruuntur hujus notæ Autorum Opera, tollit, quominus hæc errata detrimenta graviſſima conſequantur. Ita tamen quoad Autores alicujus nominis res non ſe habet. Lector ipſorum fama præoccupatus, verbis, quæ perhibent, adjungit fidem; & veluti Patrum doctrinam amplectitur, quidquid aſſeverent iſti, ipſorum niti teſtimonio. Quo fit, ut ſi quando Cl. Scriptores iſti Patribus ea imponunt dicta, quæ nunquam protulerunt, ceteris omnibus errandi periculum creant, atque imprudenter in Sententias eundi a veneranda antiquitate diſcrepantes.

Liberum ne eſſet in nobiliſſimos ſæculi noſtri Criticos hujuſmodi culpam conferre? Pater Morinus Duodecim Scriptores Eccleſiaſticos in medium proponit, ut probet Sanctos Patres de corrupto ſtudioſe ſacrorum Bibliorum Autographo Judæos arguiſſe. Verum inveſtigemus, num eo pacto loquantur, quo loqui inducuntur Autores iſti. Principem locum obtinet Juſtinus loco quodam ab ipſius Dialogo adverſus Triphonem excerpto. Atqui Sanctus Martyr ibi de Verſione Septuaginta tantummodo ſermonem habet, neque de Textu Hebraico verbum ullum facit. Id quidem animadverterat Morinus ipſe, ſiquidem argumentatur, ex quo Judæi Septuaginta Verſionem orbe toto vulgatiſſimam vitiaverint, ſpeciem habere veritatis, eos Hebraicum exemplar majori Chriſtianorum nume-

Morin. Exerc. Bibl. l. 1. Exerc. 1. c. 3. pag. 30. &c.

Ibidem pag. 32. numero prorſus ignotum depravare potuiſſe : *Quanto magis Codices ſuos falſare potuerunt?* Quamobrem Juſtinus non ait, Judæos Bibliorum Textum adulteraſſe, neque ex quo Verſionem Septuaginta vulgo notiorem vitiaverint, eos quoque Hebraicum Archetypum vitiare potuiſſe : ſed conſecutio hæc ſimplici elicitur conjectura ; nihilque admodum verborum Juſtini intellectum reddit.

S. Juſtino ſubiicit Morinus Irenæi autoritatem : hic tamen Eccleſiæ Doctor allato loco nihil habet ulterius, quam profiteri, ſi præſenſiſſent Judæi futurum fuiſſe, ut Scripturarum teſtimonia adverſus ſe retorquerent Chriſtiani, eas igne abſumturos : *non dubitaſſent comburere Scripturas*. Quo perſpicue efficitur, nihil dixiſſe minus Irenæum, quam Judæos Sacras Litteras immutaſſe.

Morinus ibidem. Tertius Autor a Morino memoratus eſt Tertullianus : at priſcus hic Pater cum Judæis expoſtulat, quod in Canonicorum Librorum numero Enochi Librum non collocaverint, atque a ſanctarum Scripturarum Canone plura ſubtraxerint volumina Chriſti Jeſu mentionem facientia. Tertullianus itaque commemorat eo loci Libros a Judæis ſuppreſſos, non autem Textus mutilos aut depravatos, ut contendit Morinus.

His ſuccedit Euſebius: legat porro Euſebii ſenſa, quicumque certior fieri amat, Hiſtoricum iſtum Juſtini tantummodo verba ſuper hoc capite centies recitare, quin utri parti calculum ſuum adjiciat. Quod ſi Euſebio adjudicandæ eſſent eorum enunciationes, quorum plurimas exſcribit; non pauca ſane eum locutum fuiſſe arbitraremur, quæ ne animo quidem agitavit; immo ſi ultro conveniret inter nos, eum pro Juſtino ſtetiſſe, conſequens inde eſſet duntaxat, de Verſionis Septuaginta, non vero de Textus Hebraici corruptione ſore intelligendum. Idem dicito de Nicephoro, qui narrat nobis Triphonem a Juſtino reprehenſum, quod a Septuaginta Verſione nonnulla Meſſiæ adventui faventia teſtimonia Judæi ſuſtulerint.

Non negarim equidem Autorem Sinopſeos S. Athanaſii nomen gerentis probro dare Judæis, quod ipſorum negligentia perierint multi Scripturarum Libri, quorum tituli tantum in aliis Canonicis ætatem evaſerunt : ceterum longe abeſt, ut vel unicum de Codicis Hebraici vitio verbum ſundat. Euthimius & Theophilus, qui hos ſequuntur, eodem plane recidunt, atque Sinopſeos Autor : videlicet culpæ vertendum eſſe Judæorum ſive negligentiæ, ſive fraudi, cur aliqui Libri in divinis Voluminibus nominati ad nos uſque minime pervenerint.

Jam vero fatendum eſt, Paleologi Textum edicere non obſcure, contaminatam ab Judæis fuiſſe Scripturam Sanctam, æque ac primum ex duobus locis a S. Ioanne Cryſoſtomo depromtis ; quod enim eſt alio-

rum

rum duòrum vel trium ab eodem Patre ſumtorum, qui non parum ſane ſunt involuti, unam Judæis objiciunt in ſervandis Bibliis ſocordiam.

Item inficiari nequaquam poſſumus, Origenem ſæpius Judæos in idem crimen vocaſſe: at enim nonne ipſo Morino adſtipulatore, conſtans eſt, eumdem Scriptorem in Commentariis ſuper Prophetas creberrime Judæos ab injuria in ipſos jacta liberare, cum accuſantur tantum admiſiſſe delicti, ut divinas Litteras ſupponerent? adeoque nihil ex Origenis autoritate contra prove Judæis colligi commode poteſt. Ecce tibi teſtimonia, quibus ſibi perſuadet Morinus quandam Veterum Traditionem conſtituere ſuper Hebraici Textus Judæorum auſu corruptione. *Illam Patres antiqui, quotquot fere de hac materia ſcripſere, docuerunt.* *Morinus ibidem pag. 10.*

Pauciſſimi ii ſunt ætate noſtra litterarum laude florentes, qui Metaphraſten profligata fama hominem nequaquam judicent. Tot iſte locis deceptus eſt, & ſupinis adeo ſcatet erroribus; ut mirum videatur, Bailletum, quo ipſius nomen penitus extingueret, novos alios in eum intentaſſe, quorum fortaſſis integer eſt.

Metaphraſten arguit Criticus iſte, quod rogaverit Leges aliquas ad fabuloſas Hiſtorias excogitandas: Graviſſima ſane accuſatio, & plane digna, quæ ad exquiſitum judicium revocetur. Excutiamus quæſo ſingillatim, quæ protulit Bailletus, quæque Metaphraſtes; ut inde compertum fiat, num firma & conſtans ſit adverſus vetuſtum Scriptorem hunc data delatio.

Poſtquam animadvertit Bailletus, ſæculo circiter decimo „ pravam „ ſtudiorum ratione adeo eorum ingenium, qui deſcribendis Sanctorum „ Actis vacabant, contaminaſſe; ut Hiſtoriæ omnes in eorum, a qui- „ bus tractabantur, manibus ad fabulas vergerent; atque ipſi Religio- „ ſiores muneri ſuo deficere exiſtimarent, niſi mendacium ipſum veritati „ devoverent, & pias haſce calumnias ad majorem Dei gloriam propa- „ gandam traducerent. „ Fingendi ars, proſequitur, tanti habita, & „ magno uſui viſa eſt ſæculis illis; ut operæ pretium duxerint ad illam „ comparandam aliquam inire rationem. Qua de re præcepta quædam „ tradidit Metaphraſtes, perinde quaſi a mendaciis congerendis extermi- „ nare vellet impudentiam, & ſtupiditatem, moderationem & veritatis „ ſpeciem introducere. „ *Neceſſum eſt*, inquit, magnus hic præceptor in fallaci Sanctæ Marinæ Hiſtoria, quam nos Sanctam Margaritam volumus appellatam, *materiam ita ſeligere & aptare, ut narratio probabile efficiat, quidquid de Martyrum magnanimitate, & perſequentium crudelitate Lectoribus prodimus. Servandum etiam diligentiſſime decorum, hominumque ingenium; & cavendum accurate, ne animum, aut aures offendamus*

Baill ſermon. de Hiſt. Vita Sanct. pag. 27.

Metaphr. apud Sur. die 20. Julii pag. 248.

ſive aliquid mirum, naturamque ſuperans inducamus; niſi ſi gratia illud, & Jeſu Chriſti poteſtas præſtiterit. „ Audire porro tibi videreris magiſtrum Poetices dictatum reddentem; at ea ſunt, quæ tradebat Metaphraſtes, & volvebat animo Hiſtoriis ſuis accommodare, cum depravato mentis ſuæ judicio perſuaſum ipſi fuerit, ſatis eſſe, ut veri ſimilitudo veritatis genuinæ locum obtineret. „

Baill. ibid. pag. 28.

„ In hanc ſe deſcendiſſe ſententiam affirmabat, ne tot fraudulenta Martyrum Acta ſequi cogeretur; *quæ*, ipſo teſte, *jam inde ab initio ſive a Paganis, ſive ab Hæreticis, ſive a profanis hominibus, aliiſve demum veritatis hoſtibus inquinata fuerant; quæque ſordibus tantum nugiſque oppleta, nihil præter diabolicas doctrinas, ſacrilegaſque calumnias complectebantur, ad Jeſus Chriſti, & Sanctorum contumeliam inventas, & veriſſimas quaſque Hiſtorias in ſuſpicionem vocantes*. Quod ſi hinc, ſubjungit Bailletus, „ piæ Romanenſes Metaphraſtis, aliorumque Græcorum fabulæ, quas Latini non melioris judicii homines ſectati ſunt, caſtiores atque rectiores erant, quam calumniæ Hæreticorum; illinc certe periculoſiores eas dixerim, & dolis conſuendis accommodatiores; propterea quod veritatem melius imitari ſcirent, ſeque legendas exhiberent tanto majori voluptate, quanto in alios horrore afficiebantur. „ Hæc ſunt expreſſa Bailleti verba, inter quæ, caracteribus Italicis efformata per ipſum Metaphraſtis ſenſa ſunt.

Baill. ibidem.

In præſenti autem operæ pretium eſt huc transferre hujus Græci Autoris verba e ſede a Bailleto laudata. Audiamus itaque Metaphraſten: *Nihil æque lætificat, & exhilarat animam bonam & fidelem ut quod victoria potitorum athletarum legitur Martyrium: & eo magis delectat Auditorem, quo meliorem habuerit compoſitionem, aptamque & probabilem narrationem, & ea recenſentem, quæ & perſecutoris improbitati, & eorum, qui decertabant, animi magnitudini, quin etiam ejus quoque, qui una decertabat, Chriſti potentiæ apta ſint & convenientia. Sit namque oportet omni ex parte ejuſmodi, ut & nihil habeat offenſionis, & rem rectis auribus oſtendat credibilem.*

Ibidem apud Surium.

Etenim ſcire oportet, non paucas ex iis, quæ Martyrum res geſtas continent, narrationibus ab initio fuiſſe adulteratas: ut quæ a Gentilibus forte, aut ab Hæreticis, & veritatis intelligentia privatis viris corruptæ, & aut nugis & vaniſſimis ineptiis ſordidatæ ac conſpurcatæ, & evidentiſſimis Dæmoniorum doctrinis, pravæque ac ſceleratæ mentis execrandis figmentis profanatæ, & ad Chriſti & Sanctorum ejus contumeliam compoſitæ fuerint; & ideo fidem de cetero adeo labefactant, & tantum ei detrimenti afferunt, ut propterea ne veriſſimis quidem aſſentiatur; ſed aut omnino ea rejiciat ac repudiet, aut ut quæ ſunt dubia deſpiciat, & ea minoris faciat. His addit Me-

Digitized by Google

Metaphraſtes, ſanctæ Matinæ vitam fucatam olim fuiſſe; ſe vero fabulas inde omnes detracturum, nihilque tum verborum ejus, tum rerum geſtarum in medium allaturum, quod veriſſimum non ſit.

Si libitum nobis eſſet, aliquid præjudiciis deferre, locus ſane dubitandi foret, ea Bailleto non futura nimis ſecunda. * Ceterum, ne Lectorem ſive pro Metaphraſte ſive adverſus eum præoccupare videar, nullam ulterius in duo modo recitata loca animadverſionem excitabo. Aliorum itaque ſit diſpicere recte nec ne Metaphraſtis epitomen a Surio relatam Gallice verterit Bailletus; num ejus intelligentiam probe ſit aſſecutus; num in ea Leges, atque ars fingendi tradantur; an vero Græci hujus mentem aliquanto diſtorſerit. Si namque ejus ſenſa integre reddidit Bailletus, excuſari nequit Metaphraſtes, eum artis fingendi rationem iniiſſe, ut illum appellat egregius Criticus noſter, & conſilium ſuſcepiſſe aliquas in rem hanc regulas edendi. Contra vero ſi criminis hujus reus non eſt Metaphraſtes, æquitatem Bailletianæ cenſuræ cognoſcat Sapientum Reſpublica: quod ad me attinet, duo animadvertam. Primo non admodum facile hanc conciliari poſſe cum laudibus, quibus Adriani ** VI. moderationem extollit idem Bailletus. Secundo, etiamſi revera Metraphraſtes in errore, de quo redarguitur, verſatus fuerit, eximi eum a culpa poſſe, ratione quadam per eundem Bailletum excogitata.

Poſtquam etenim de Aſſumtionis Feſto orationem habuit Criticus iſte, *Baill. 15. Aug. de Aſſumt. t. 3. pag 405 & ſeq.* diſſerit luculenter de Beatiſſimæ Virginis exuvlis, videlicet de ipſius veſtibus, tunica, zona, velo, ſubuculis, anulo, calceis, &c. Quidquid

* Abbas Roquius ſynopſin conficiens quatuor priorum voluminum Bailleti *de Judicio Sapientum*, animadvertit, plura habere Criticos, quæ de muneris ſui functione hujc objiciant Autori. Deinceps propoſitis hujus rei nonnullis exemplis, ſubjicit. „ Ei excidiſſe animo promiſſum „ ſuum, quo ſpopondit, ſe nihil „ Marte proprio dicturum, neque „ felicius urbanitati. quam erga Lit„ teratos jactat aliunde, morem geſ„ ſiſſe. Ut autem eos prætercam, „ qui nimium in illo pro quibuſdam „ Scriptoribus ſtudium reprehendunt „ . . . . . non deſunt alii eumdem „ criminantes, quod Autores indu„ cat, judicium de Operibus pro„ nunciantes, in lucem editis non„ niſi multis poſt annis, quam ea, „ in quibus contendit habitam illo„ rum fuiſſe ab iiſdem Autoribus „ mentionem. Ephem. Sap. 12. „ Nov. 1685.

„ ** De eo potiſſimum, inquit „ Bailletus, commendari ſolet A„ drianus Pontifex, quod Lovanien„ ſis Academiæ jam tum Decanus, „ cenſoriam in libros facultatem „ exerceret facilitate atque indul„ gentia ad prudentiam tantam com„ poſita; & ſtuderet ſemper dicta „ ſpecie tenus aſpera atque incom„ moda in mitiorem flectere par„ tem; ambiguis rebus meliores ex„ plicatus accommodare; pauca da„ mnare, pleraque vero excuſatione „ agere: verbo complectar omnia: „ ut oſtenderet poſt veritatis nego„ tium, nulli alio poſtponendum, „ nihil magis ſibi cordi fuiſſe. quam „ uniuſcujuſque Autoris dignitatem „ tueri. *Baill. Jud. Sap. Tomo 1. p. 1. „ cap. 13. §. 4. p. 89.*

horum vulgatum eſt, ad fabulas amandat Criticus noſter, ne ipſo excepto ſepulchro, quod Octavo circiter ſæculo Hieroſolymis adhuc exſtare ferebatur. „ Hæc omnia, concludit navus hic Criticus, ſatis mihi argu„ mento non ſunt, ut credam, illud reipſa fuiſſe Deiparæ ſepul„ chrum. „

Baill. ibidem pag. 423.

E quibus deinceps hanc elicit regulam generalem. „ Hæc autem nos „ docent, omnia tandem adjumento nobis eſſe, ut Sanctorum ſuorum „ cauſſa Deum colamus; nihilque officere, quod monumentum aliquod „ ſit adulterinum; cum inſtitutum ſit, ut eandem ſenſibus noſtris in„ ferat ſpeciem, quam Archetypum ipſum immitteret. „ Liberum ne ergo eſſet ex hujus doctrinæ præſcripto Fidelibus venerandum proponere, immo ſupponere Sanguinem Jeſu Chriſti, ejus Coronæ Spinas, Sanctæ Crucis Lignum, Beatæ Virginis Lac, Sanctorum Reliquias, ipſorum Martyrii, aut pœnitentiæ inſtrumenta, ſub obtentu Chriſtianorum pietatem & reverentiam excitandi: *quia nihil afficit, monumentum aliquod eſſe adulterinum; cum inſtitutum ſit, ut eandem ſenſibus noſtris inferat ſpeciem, quam Archetypum ipſum immitteret*?

Equidem ignoro, quid præſtet demum, aut falſas Reliquias imitari, aut falſas Hiſtorias excogitare: utrumque meo judicio æque veritati nocet; ſique piæ ſpecies, quas mentibus ingerunt falſæ S.S. Reliquiæ, purgando primo fraudis generi ſufficiunt; cur alteri quoque minime ſufficiant?

Baill. Vit. Sanct. 6. Jan. Hiſt. adorat. Mag. pag. 135.

Examinatis a Bailleto nonnullis difficultatibus ad Magos, qui Chriſtum in ſtabulo adoraverunt, ſpectantibus, ſubdit: „ Opiniones iſtæ de regio„ nibus, nobilitate, inſtituto, & numero Magorum cum ſero admodum „ in Eccleſia exortæ ſint, & vulgo Traditionum veluti more ſervatæ, „ &c. „ In ora vero paginæ deſcribit Baronium ad ann. 1. num. 19. & Caſaubonum Exercit. 2. in Baron. Atqui Baronius diverſa Patrum, a quibus pendent Traditiones iſtæ, ſenſa referens, eaſque probabiles, non autem certas & inconcuſſas exiſtimans, tantum abeſt, ut aſſerat, eas in Eccleſia admodum ſero exortas fuiſſe; ut potius intenderit eas vetuſtiſſimas demonſtrare.

Non diſſimulo, Caſauboni ſententia, Traditionem Magis nomina Melchioris, Gaſparis, & Balthaſſaris imponentem *ex parum antiqua & parum certa* origine proficiſci. Qua de re Baronium celebrat, qui eam tacitus prætcrivit. Non apparet autem, Caſaubonum ſcripſiſſe: *opiniones de Regionibus, conditione, inſtituto, & numero Magorum admodum ſero in Eccleſia exortas fuiſſe*, immo contrarium ex hujus Proteſtantis doctrina concludi poteſt, quem non latebat, hujuſmodi Traditiones fundamenta locare aliqua in antiquioribus Eccleſiaſticis & profanis ſcriptoribus, quorum

rum placita perſequitur. Non improbat quoque Traditionem Magis titulum regium concedentem, (quæ tamen gravioribus, quam ceteræ, premitur difficultatibus) modo fas cuique ſit, quod magis libuerit, ſentire; cum ſuper hac re altum in Scripturis ſilentium ſit, Patreſque viciſſim non conſentiant. „ *Non eſt, ait, toleranda eorum tyrannis in Eccleſia Dei viventis, qui aliter opinantes ferre non poſſunt: & melius etiam ipſe Baronius, qui præciſe nihil definit, ut rem probabilem tuetur*. Igitur neque Baronius, neque Caſaubonus ea ſcriptis reliquerunt quæ ipſis tribuit Bailletus. *Caſaub. Exer. 2. in Bar. pag. 164. col. 2.*

Tillemontius de Libris diſputans, quos S. Dionyſii Areopagitæ nomine legimus, eum tradit divinæ Gratiæ nullatenus meminiſſe, ipſiuſque principia ducere ad exhibendum nobis Deum in qualibet natura eodem modo operantem: „ ita tamen ut quæ voluntate præditæ ſunt, vi ſua conſti-
„ tuant, vel ad eum accedere, vel ab eo recedere: quod ægre a Pelagia-
„ niſmi labe liberari poteſt. „ Aſſeverat inſuper Tillemontius Idem, prælucente Bollandi & Morini ſuffragio, ſe in illo quædam Apollinariſtarum, & Eutychianorum veſtigia deprehendere, qui non ſatis duas in Chriſto Jeſu naturas diſtinguunt. Sunt tamen, qui multis evincant, celebres hoſce Criticos Scriptori huic ſenſa non modo non ſua, verum a principiis * etiam ſuis diſcrepantia vendicare. *Tillem. tomo 2. annot. 4. in S. Dion. pag. 574. col. 2.* *Autor Differt. de S. Dion. Areop. pag. 319. & ſeq.*

Pro re nata iſtorum Librorum, in rem futurum arbitror, obſervationem quandam hic non reticere, cui cognatio aliqua cum regula, quam modo excutimus, intercedit. Cum ſummatim S. Dionyſii Areopagitæ Geſta collegiſſet Tillemontius, ad quæſtionem de Libris, ab iſto S. Pauli diſcipulo nuncupatis, tranſitum facit. „ Nihil tamen, inquit, apparet,
„ addendum nobis eſſe iis, quæ Morinus, Sirmondus, aliique tempori- *Tillem. tomo 2. art. de S. Dion. Areop. pag. 134.*

* Docet hominem propter crimen originis in peccati captivitatem incidiſſe, a qua ut illum redimeret, Filium Dei humanam naturam aſſumſiſſe: Deum boni totius fontem eſſe; ejuſque virtute vocari, quicumque vocantur, & ſalutem conſequi, quicumque conſequuntur, lapſos erigi, atque imaginem divinam in iis inſtaurari, qui eam culpis deleverant. Continet pariter caput 2. & 3. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & cap. 2. de divinis nominibus alia plura non magis Pelagianorum erroribus reſpondentia. S. Maximus in *Schol. ad cap. 5. Hierarch. Eccl.* habet hæc verba: *Eutychianos, & Apollinariſtas, & Acephalos, proſternit*; quicum conſentit Dupinus in hunc modum.
„ Perſpicue rejicit falſa Neſtoriano-
„ rum, Eutychianorum, & Anthro-
„ pomorphitarum dogmata. „ *Bibliot. tomo 1. pag.* 104. immo fatetur Tillemontius conſonans Bollando, nullam eſſe Scriptoris hujus partem, quæ Catholicum explicatum nequeat admittere: *Quas tamen opiniones Catholice interpretari quis poſſit, fortaſſis & debet*. Boll. Menſe Maji pag. 45. Si poteſt quis, immo etiam debet, Autoris hujus dictis Orthodoxam interpretationem accommodare; ſique ipſius principia atque doctrina ab erroribus ipſi impoſitis diſtant quam longiſſime, cur pro rato habent eum illos docuiſſe?

„ bus

„ bus noſtris poſteritati propagarunt, ut planum facerent, eos ante VI. „ ſæculum lucubratos mimime fuiſſe, quo a nonnullis Eutichianis uſurpari cœperunt. Sirmondus edidit, quidem Opuſculum inſcriptum: *Diſſertatio, in qua Dionyſii Pariſienſis, & Dionyſii Areopagitæ diſcrimen oſtenditur:* atque in eo probat, Areopagitam ad Gallias non adventaſſe; verum neque in hoc tractatu, neque in aliis Operibus ſententiam ſuam aperit de Voluminibus S. Dionyſio tributis. Quocirca verendum eſt, Tillemontii accurationem tum defeciſſe, cum Sirmondum hac de re ſcripſiſſe teſtatus eſt.

Sirm. Tomo 4. pag. 357. Edit. 1696.

Font. Hiſt. Orac. Gall. Conſilium inivit Fontanella, quod nemo ignorat, ut nimirum ſuaderet, celeberrima antiquitatis Oracula, tanto habita apud Paganos in honore, figmenta fuiſſe & pinguia præſtigia Sacerdotum Idolorum, vulgi credulitati imponentium, nihilque prorſus eorum in Dæmones referendum eſſe. Cum Paradoxum hoc toti retro Chriſtianæ antiquitati adverſetur, immo etiam Philoſophorum Paganorum, atque Idolatrarum populorum fidei, neceſſum erat, quo inſolens hæc & inaudita ſententia veritatis adumbrationem quandam acquireret, & communi oppugnandæ opinioni minus eſſet inepta, ad quorumdam Criticorum inſtitutum confugere, ſenſa primis Chriſtianis addicere, quæ ipſi ne cogitando quidem perceperunt, atque rationes ſupponere ab iis toto cœlo diverſas, quibus adducti ſunt, ut Gentilium Oracula Dæmonibus adjudicarent.

Ibid. c. 1. pag. 11. Tres itaque deſignat doctus hic Academicus, quæ Patres ad hanc amplectendam opinionem compulerunt. Prima petita eſt ab Hiſtoriis admirandis, quæ de Oraculis, & Geniis percrebuerant. Qua ſuper re Plutarchi memorat Hiſtoriam de Thamu Navis gubernatore, deque Magni Panos interitu ipſi nunciato; uti ſuperius in quadam Adnotatione obſervavimus. In medium deinde profert quoddam Oraculum, Autore Suida, quod a Deo Serapide Thuli Ægyptiorum Regi editum putat; alia item tria ab Euſebio, ut perhibet, in Porphirii acerrimi Chriſtianorum hoſtis Scriptis reperta: celeberrimum denique Auguſto redditum de puero Hebræo ab Oraculo Delphico reſponſum. Altera ratio, qua Veteres permoti ſunt, ut Oracula fundi crederent a Dæmonibus, ducitur ex
Ibid. cap. 3. pag. 25. opinionis hujus cum Chriſtianorum dogmate conſenſu. „ Cum etenim „ Dæmones exſtare conſtanti fide a Chriſtianis teneatur, naturali qua„ dam conſecutione factum eſt, ut officia ipſis quam maxime multa „ mandarent, nullaque in re ipſis parcerent, quoad Oracula & porten„ ta Paganorum, quæ hujuſmodi interpretatione indigere videbantur. Ex eo demum ſuccreſcit tertia ratio, quod nimirum Platonicæ Philoſo-
Ibid c. 2. pag. 20. phiæ congruat iſta ſententia. „ Platonis diſciplina, quæ in honorem „ Chriſtianæ Religionis vertebatur, quotieſcumque ipſi faveret, tota

Dæ-

„ Dæmonibus redundat ; unde ipſi ad Chriſtianorum de Oraculis commentum nullo ferme negotio propagati ſunt. „ Ecce momenta prioribus Eccleſiæ Patribus a Fontanella tributa, quibus addicti Oracula Dæmonum afflatu fundi cenſuerunt.

Si quæ veterum Chriſtianorum nomine vulgantur rationes, & refelluntur, eædem revera eſſent, quibus id habuiſſent perſuaſum; multi eſſet operis & laboris excuſationem ipſis afferre, eorumque minorem in ratiocinando diligentiam non habere perſpectam. At certum eſt, primorum Patrum haud eſſe rationes iſtas ipſis adſcriptas ; & non modo in illorum Operibus deſiderari, verum plures alias præſto eſſe eorum loco, apprime diverſas, & iis aliquanto ſolidiores, quæ ipſis aſſuuntur. *

Exemplis itaque iſtis comperimus, niſi Sapientes Critici noſtri Veteres ea, quæ nunquam locuti ſunt, loquentes induxiſſent ; niſi ad eos ſenſa, quæ nunquam expreſſerunt, retuliſſent, & niſi pro certo poſuiſſent, eos aliter, atque meditati ſunt, meditatos fuiſſe ; Magnam Critices Artem ſterilitate frequenter laboraturam, & futurum, ut tot vanæ inter Litteratos lites brevi dirimerentur, ceſſarent innumeræ, quas perpetuo in ſe hac de cauſſa viciſſim jaciunt, querelæ, moſque gereretur Veterum & recentiorum famæ, cui non ſatis aliquando obſequuntur, cum ipſis, aut falſa, aut a germanis ſuis quam maxime diſcrepantia inſerunt cogitata. Fortaſſis etiam lacunoſa multa in ipſorum voluminibus apparerent, ſi fas eſſet ſummovere inde loca omnia, in quibus de Scriptorum opinionibus capti ſunt Critici noſtri ; & quam plurimorum, aut ego fallor, Librorum onere preſſa non fuiſſet Reſpublica Litteraria, qui ex parte ſaltem opinionibus duntaxat innituntur procul a Scriptorum genuina mente remotis.

* Verbi divini autoritas, afferentis Paganorum Numina eſſe Dæmonia, in Chriſtianorum animis fundamenta prima jecit, ut Oraculorum autores Dæmones haberent. Altera ratio idem conficiens, atque hauſta ſimiliter a Sanctis Bibliis, erat, ipſos ab Oraculis, atque ab hominibus Oraculorum effata reddentibus Dæmones expellere, & Chriſtianos etiam, invocato Jeſu Chriſti nomine, nequam ſpiritus cogere, ut coram Paganis ipſis confiterentur, ſe deceptores Spiritus eſſe. Priſcorum denique Chriſtianorum ſtetit animo Dæmones Oraculorum Autores judicare; quod nimirum homines ad quorumcumque Criminum genera, & execrandas abominationes inducerent. *Autor Reſponſi ad Hiſtoriam de Oraculis 1, parte pag. 88, & ſeq.*

AR-

ARTICULUS VIII.

Accuratæ Critices regulis contrarium eſt, veras Autorum ſententias diſſimulare.

NISI Lectorem moleſtia afficere vererer, magnam huc exemplorum vim coacervare poſſem, ut conſtaret, eruditos ſæculi noſtri Criticos non ſatis ſtudioſe Legi huic ſemper parere. Pauca itaque congeram duntaxat, quæ mihi ſcrupulum aliquem injiciunt. Dupinus, ubi ſermonem habet de S. Paulo, Veteres, inquit, nonnulli opinati ſunt, „ cum in Hiſpaniam perexiſſe: hoc autem in ancipiti poſitum eſt; immo contra ſentire, majorem videtur habere cum vero ſimilitudinem. „ In annotatione loci hujus Patres recenſet hujus itineris propugnatores, uti S. Athanaſium, Cyrillum, Epiphanium, Joannem Cryſoſtomum, Theodoretum, Hieronymum, S. Gregorium Pontificem, & Ven. Bedam, nonnulloſque alios. Hæc tamen Patrum turba Criticum noſtrum nullatenus implicat, qui ſibi perſuadet, ſe commode eunctorum Patrum iſtorum teſtimoniis obviam iviſſe, ubi veram ipſorum intelligentiam occultavit, addiditque: *id eos non veluti certum factum, ſed tamquam conjecturam retuliſſe*. Nihil nobis reliquum eſt in præſentiarum, quam aliqua Patrum eorundem loca de S. Pauli itinere in medium producere, ut integrum unicuique ſit dijudicare, num Dupini interpretatio Doctorum veterum iſtorum menti reſponderit, ipſique iter iſtud *non veluti certum factum, ſed tamquam conjecturam retulerint.*

Dupin. Diſſert. prel pag. 183. — *Ibidem pag. 391. col. 1.* — *Ibid. col. 2.*

Silentio prætereo S. Athanaſii in Epiſtola ad Dracontium, & Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi decima ſeptima Textus, quod adeo perſpicui non ſint; atque aliorum Patrum ſenſa. Primum itaque a S. Epiphanio repeto, qui conceptis verbis ait: *Paulus in Hiſpaniam profectus eſt*. S. Joannes Cryſoſtomus nihil obſcurius loquitur: *Cum igitur biennium Romæ exegiſſet*, (de Sancto Paulo ſermonem habet) *tandem dimiſſus eſt; deinde in Hiſpaniam profectus*. Eodem recidit Theodoretus; *Profectus eſt in Hiſpaniam*. Non abſimiliter Hieronymus: *In Hiſpaniam alienigenarum portatus eſt navibus*. *Paulus*, inquit Sanctus Gregorius Papa, *cum nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Epheſum, nunc Romam, nunc Hiſpaniam peteret*.

Cryſoſt. Hom. 76. in Matt. — *Theod. in 1. Ep. ad Philipp cap. 1.* — *Hieron. in cap. 11. Iſaia.* — *Greg l. 3. Mor. cap. 22.*

Reſpondebit ne quiſpiam, ex his Patrum verbis non aperte colligi, eos S. Pauli in Hiſpaniam iter pro certo habuiſſe? Hoc ſi admittamus, quæ-

quænam erit nota, ut diſpiciamus Hiſtorias ab Eccleſiæ Patribus recitatas firmas & ratas eſſe judicandas? Enimvero Sancti Doctores iſti de Pauli in Hiſpaniam adventu plane & concluſe diſſerunt; neque illa utuntur ratione, qua ſolent ii, qui perſpectum eſſe volunt, ſe hæſitanter ea, quæ dicunt, in vulgus emittere; & iccireo, mea quidem ſententia, id eis in dubio fuiſſe perhibet Dupinus; ne videatur abſolute opinioni refragari, quam Veteres habuerint compertam.

Legere eſt apud Bailletum, in mentem veniſſe Sancto Ceraunio, qui Sæculi VII. initio vivebat, ut Martyrum Acta colligeret, nullaque in re ſibi peperciſſe, ut eorum, quæ in multis Galliæ Eccleſiis reperiri poterant, exempla deſcriberentur: „ Verum, addit Criticus iſte, ii quos „ ad id operis adhibuit, non eadem, nec ipſe, integritate ſpeciailter „ erant. Documento nobis eſt modus, quo ſe geſſit Warnaharius „ Ingonenſis Eccleſiæ Presbyter, cui ſe, ut trium Geminorum Acta re„ ciperet, commendavit. Hic pro eo, quod ad ipſum legitima & ve„ tuſta mitteret, quæ illuc e Cappadocia cum eorundem Sanctorum cor„ poribus facile translata fuerant, aut fateretur ea penes ſe nequaquam „ eſſe, maluit nova quædam coagmentare, quæ ad ipſum cum Actis „ Sancti Deſiderii Viennenſis deſcrenda curavit. „ Ut liqueat, an Bailletus nec ne Textum Warnaharii id ennarrantis nonnihil diſtraxerit, Presbyteri hujus veram mentem involverit, immo ipſi de confictis novis Actis calumniam conflaverit; ſatis erit huc propria Warnaharianæ Epiſtolæ verba traducere, quam ante Acta trium Geminorum ad Sanctum Ceraunium miſſa collocavit. Audi, qua id efferat oratione: *Geſta Sanctorum Geminorum, quæ in ſuburbio Lingonicæ Civitatis .... ſicut devotionis ſtudio imperaſtis, ita deſiderantiſſimæ famulationis obedientia deſcripſiſſe cognoſcatis*. Ait itaque Warnaharius, ſe horum Sanctorum Hiſtorias deſcripſiſſe quidem, non autem compoſuiſſe. Theodoricus certe Ruynartius manifeſte prodit, Vvarnaharium SS. iſtorum Geſta *imperante Ceraunio deſcripſiſſe*. Tillemontius quoque de iiſdem diſputans, ea Sæculo VII. vetuſtiora exiſtimat: Et profecto nihil aliud in rem hanc contulit Vvarnaharius, quam, ut ex ejus Proœmio conjicere licet, illorum exemplum ad Sanctum Ceraunium mittere.

Serm. de Vit. Sanct. pag. 22. Gall.

Apud Surium die 17. Jan. Tomo 1. pag. 302.

Ruynart. Præf. in Acta Selecta pag. 9.

Tillem. annot. 3. in S. Benig. pag. 603. col. 2.

Si Launoii curæ & cogitationes tantum in Antiquorum teſtimoniis afferendis, quantum in iiſdem multiplicandis, laboraverint, non paucas Criticorum ſuper hac re exprobationes declinaſſet. Ecce duo minoris integritatis argumenta, quæ ipſi vitio vertit Menardus. Diſputans namque Launojus de Sulpicii Severi Epocha ad Gallorum Martyres pertinente, duo Oroſii loca his verbis recitat: *Hinc apud Oroſium Libro VII. Hiſtoriæ edicit Nero, ut per diverſas Imperii Provincias, &c.* Et paullo

Laun. de duobus Dion. cap. 1. §. 2. pag. 4.

Ibid. pag. 5.

poſt: *Oroſius non ante Aurelium & Antoninum Verum, ſed ſub ipſis duntaxat Chriſtianos in Gallia diſerte afflictos fuiſſe teſtatur*. Porro exploratum eſt, quod ad priorem Textum attinet, Oroſium ſcripſiſſe *per omnes Provincias, non vero per diverſas*, ut Launoii ore loquitur. Suſtulit etiam idem Doctor ab altero Textu vocem *Aſia*, ipſique ſenſum accommodavit ab Autore abhorrentem, cujus verba hæc ſunt. *Defuncto Lucio Vero, M. Antoninus ſolus Reipublicæ præfuit; ſed in diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum in Aſia, & Gallia graves ejus præcepto fuerunt*. Quas mutationes maximi hoc loco faciendas eſſe, & longe aliter, ac Autor intendit, explicari ipſius dicta probat Menardus.

Menard. Diatriba de Unico Dionyſio c. 1. pag. 12 & 14. Alex. Hiſt. Tomo 1. Sæc. 1. cap. XI. art. 6. pag. 99. Euſe. l. 3. Hiſt. c. 19. Ed Joann. Chriſtophorſoni.

Euſebii autoritate utitur Alexander, ut tueatur, Epiſtolam, quæ S. Barnabæ nomine circumfertur, falſo hunc Apoſtolum Autorem jactare. *Inter Scripturas autem*, inquit Euſebius, *quæ falſo inſcriptæ, minimeque germanæ dicuntur, Pauli Acta numerantur, & liber qui vocatur Paſtor, & Epiſtola nomine Barnabæ edita, & quæ dicitur doctrina Apoſtolorum*. Porro extra aleam eſt, Euſebium verbis illis propoſitum non habuiſſe, Epiſtolam illam Sancto Barnabæ abjudicandi, ut ſibi blanditur Alexander.

Euſebius ſiquidem capite illo de Sacræ Scripturæ libris ſermonem inſtituit, quos multifariam partitur. Primo ponit eos, qui *omnium aſſeveratione conſtanter approbantur*, quoſque *Protocanonicos* appellant. Secundo locat Epiſtolas Jacobi, & Judæ, ſecundam Petri, ſecundam, & tertiam Joannis, *quæ in dubitationem*, inquit, *vocantur*. Tertiam ſedem obtinent ab Alexandro memorati; *queis adde, ſi videtur, Joannis Apocalypſin* ex Euſebio, Libros iſtos .... latiſſima quadam ſpecie appellante. Idem ſubjicit, *atque hi ſunt Libri, qui in dubium revocantur. Atque certe iſtorum Librorum enumerationem neceſſario fecimus, uti cum Scripturas, quæ ſecundum Eccleſiæ Traditionem veræ germanæ, & omnium ſententiis manifeſto confirmatæ ſunt, perſpicua quadam nota ab aliis, quæ non ſunt ejuſdem autoritatis, ſed ſunt poſitæ quidem in controverſia, a pleriſque tamen Eccleſiaſticis Viris evolutæ & pertractæ, diſtinxerimus*. Meminit tandem Euſebius Librorum ab Hæreticis Apoſtolorum nomine ſuppoſitorum, *quos tamen nemo ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, uſquam in ſuis ſcriptis in memoriam redigere dignatus eſt*.

Quamobrem licet Euſebius Barnabæ Epiſtolam Apocrypham, ideſt non Canonicam, enunciet; longe tamen abeſt, ut eam veluti falſo huic Apoſtolo tributam rejiciat: alioquin colligendum eſſet, ipſum quoque Paſtoris Librum, quod inficiantur Euſebius, & Alexander, fore ſuppoſititium; cum Euſebius eadem in claſſe Hermæ Librum, & S. Barnabæ Epiſtolam ſtatuat. Alexander vero ad confirmandam Paſtoris Libri veritatem hoc Euſebii teſtimonium adhibeat.

Alex. ibid. art. 7. pag. 104.

Tille-

Tillemontius, ubi in diſputationem incidit de Sanctæ Mariæ Virginis Aſſumtione, tradit, Uſuardum, & Adonem maximam ſuper hac re loquendi circumſpectionem poſtulare. Deinde ſequenti pagina Baronium, addit, hanc Uſuardi, & Adonis moderationem non improbare, quod his Baronii verbis evincit: *laudanda forte modeſtia*. Incommode tamen cadit, ipſi animo excidiſſe integrum Magni hujus Cardinalis locum exequi: *laudanda forte modeſtia; niſi eſſet labefactata mendacio.*

Tillem. Tome 1. annot. 15. in S. Virg. pag. 498. col. 2.
Bar. ad ann. 48.

Tillemontius idem, & Bailletus quendam Chriſtianorum in Oriente ritum memoriæ produnt. „ Fertur, inquit prior, ea die (ſexta nimirum Januarii) Chriſtianos Orientales Flumen quoddam ſolemniter benedicere, in quod deinceps, quaſi Baptiſma inſtaurantes, ſe immergunt, atque illius aquæ partem ad domos ſuas deferunt. „ Iiſdem pene verbis candem conſuetudinem narrat Bailletus: uterque vero facti hujus ſponſorem P. Thomaſinum appellat, eumque citat pag. 244. Tractatus ſui de Feſtorum celebratione. Equidem novi, Thomaſinum hujuſmodi Hiſtoriam perſequi non abſimiliter loco a Criticis noſtris deſignato: nihilominus obliti ſunt ambo duorum verborum, quibus Eruditus iſte Criticus narrationem ſuam abſolvit. *Hujus rei*, ſubdit, *neque teſtis ſum neque ſponſor*. Hæc duo ſane poſteriora exempla Antiquorum veritatem debilitatem non oſtenderunt; aſt diſſimulationes iſtæ, quibus in duos juniores & pervagatos Autores utuntur, quales ſunt Baronius & Thomaſſinus, in cauſſa eſſe poſſunt, cur timeamus, ab id genus aliis in vetuſtiores, minuſque notos ſcriptores non abſtinuiſſe.

Tillem. Tome 1. art. 6. de Jeſu Chriſto pag. 15.
Baill. 6. Jan. in Feſto Regum. pag. 158.
Tomaſſ. l. 2. cap. 7. num. 9. pag. 244.

Contendit Autor Hiſtoriæ *Flagellantium* pag. 188. & 189. nullam fieri in Vita S. Romualdi a B. Petro Damiano conſcripta *de Diſciplinis voluntariis* mentionem. Verumtamen in illa monemur: *cum ipſi quoque pecudum cuſtodes jejunarent, ſilentium tenerent, diſciplinas inter ſe facerent*. Boilavius animadvertit pag. 235. & 236. Beatum Guigonem Superiorem Charruſianorum, qui ante omnes Ordinis ſui inſtituta litteris tradidit, ne verbo quidem *Diſciplinas voluntarias* commemorare. At illas commemorat luculenter, eum de iis ſine Superioris permiſſu faciendis interdicit. *Abſtinentias & diſciplinas nulli noſtrum, niſi Priore ſciente & favente, facere licet*. Tum etiam capite *de Diſciplinis Fratrum*, Decretum extat verbis iſtis. *In adventu & Quadrageſima per ſingulas Hebdomadas ſinguli ſingulas accipiant diſciplinas. Quod ſi domi non fuerint, ſepties pro Diſciplina* Pater Noſter *dicant*. Obſervatum denique a Thierrio eſt, cum in Præfatione, tum aliis ſuæ Critices in hanc *Flagellantium* Hiſtoriam locis, Autorem iſtam eorum, quos laudat, ſcriptorum ſenſa reticere, & tertia quaque pagina mendoſa loca deprehendi, in quibus mala fide Autorum Textus afferuntur.

Cap. 15. num. 1. Statutorum.
Ibidem cap. 65.
Crit. Hiſt. Flagell. in Præf. c. 3. 4. 5. &c. Galli.

X 2 Non-

Nonne Theologi ex hac Sapientum Criticorum iſtorum negligentia emolumentum ſibi aliquod comparare poſſent ? Nonne jure eorum eſſet, æternas, quas in illos jactant, aliqua ex parte rependere exprobationes: quod nimirum alienis tantum oculis Eccleſiæ Patres volutaverint, pauciſſimos illorum textus, eoſque mutilos & incompoſitos in medium adduxerint, & nunquam res e fontibus hauſerint ? Si ad excutienda Criticorum iſtorum Opera paullo diligentius ſe conferant, nonne deprehendent ipſi quoque quamplures fallaciter citatos Textus, diminutos, diſtractos, & extranea interpretatione uſurpatos, ut viciſſim ſibi perpetuo objiciunt ? * An non occurrent Veterum ſenſa eadem ad diſparata confirmanda traducta ? ** Verum quidem eſt, hoc uno diferre Theologos Scholaſticos, & præſtantes Criticos ; quod omium conſtans erit

* Magnum Patrum numerum cogit Voſſius, ut probet, Hebraicum Codicem ab Judæis depravatum. Contra proclamat Simonius majorem eorum partem, qui Patres in rem hanc attulerunt, eos minus intellexiſſe. Si Dupinum audiamus, Priſcorum verba, quibus fidit Simonius ſententiam de ſcribis publicis, adverſus eam maxime faciunt. Simonius hinc Dupinum de quodam Aben-Eſræ Textu redarguit, quaſi Judæum hunc ea proferentem inducat, quæ ne animo quidem unquam agitavit. Matthæus Petitdidierus in Procemio ſecundi Vol. Animadv. in Biblioth. Dupini ſect. 2. 3. 4. conqueritur cum Dupino, eum ſibi reſpondentem, longe aliter ac ſenſerit, dicta ſua interpretatum fuiſſe, & diſſimulatione atque anfractibus uſum, ut ſeſe ex laqueis expediret, in quos eum induxerat annimadverſionibus ſuis bene multis. Alia ex parte Petididierum urget paſſim Dupinus in reſponſione ad ipſius animadverſiones, poſita in calce Tomi 5. Bibliothecæ, quod ſibi, quæ nunquam dixerit, appingat. Refutata a Thierrio Launoii Diſſertatione pro Argumento *negativo*, novum opus cudit Launojus, inſcripſitque: *Appendix ad præcedentem Diſſertationem*. in qua Tbierii peſſimam fidem, vitiumque aut involucris tegendi ſenſa ſua, aut aliena ſibi imponendi, uſquequaque criminatur: Thierrius ex adverſo Launojum calumniæ & fraudis accuſat; quodque præpoſtere ſumſerit argumenta ſua, ut ea in pravo lumine collocaret. *In Defenſ. adv. Joann. de Launoy Append.*

** Druſius capite 47. Libri 1. Quæſtionum Biblicarum Joſephi Bengorioni autoritate conſtituere putat, Haſſidæos, in Machabæorum Libris memoratos, eoſdem prorſus eſſe ac Phariſæos. Serrarius vero in Commentariis ad Machabæos, eadem autoritate, inter Haſſidæos & Eſſenos nihil intereſſe convincit. Dupinus ad confirmandam, & Alexander ad elevandam Epiſtolæ Sancti Barnabæ veritatem eadem adhibent verba Hieronymi dicentis. *Inter Apocryphas legitur*. Exiſtimat idem Dupinus, quamquam falſæ *Decretales* primis Pontificibus tributæ, Sancti Iſidori nomen præferant, hanc tamen collectionem a Magno Iſidoro Hiſpalenſi Archiepiſcopo componi non potuiſſe Biblioth. tom. 1. pag. 663. Argumento ipſi eſt (in Annot. illius loci) S. Iſidorum Hiſpalenſem e vivis migraſſe anno 636., Autorem autem *Decretalium* verba quædam a duobus Conciliis Toletanis, altero quidem anno 675. altero vero anno 681. celebratis decerpſiſſe. Nihilo ſecius Cardinali de Saens Aguirio viſum eſt, ea in his duobus Toletanis Synodis contineri, quibus conſtet, Iſidorum Hiſpalenſem *Decretalia* collegiſſe *Tomo 1. Diſſ. 1. Appar. ad Collect. Max. Conciliorum omnium Hiſpaniæ 1673. 1693.*

ſen-

ſententia, illorum errores ab antiquitatis ignoratione, iſtorum autem attentionis vitio, au certe propugnandæ opinionis neceſſitate proficiſci.

ARTICULUS IX.

Æquum non eſt, immodicis laudibus antiquum Scriptorem, qui nobis ſuffragatur, celebrare; alterius vero, qui refragatur, autoritatem aſpernari.

NEmo Scriptorum unus eſt, qui non aliquando, præſertim de re Hiſtorica capiatur: immo egregius quidam Theologus eo tendit effato iſto, ut aſſeveret: *nullum* inter veteres Patres eſſe, *quantumvis eruditum & ſanctum, qui non interdum hallucinetur*. Qua de re ita perſuaſum erat Patribus ipſis, ut profiterentur, ſe falli nonnumquam poſſe; * neque teſtimonio ſuo eſſe cuiquam acquieſcendum, niſi optimis rationibus fulcitetur. Inde fit, ut mirum non ſit, Criticos eruditiſſimos haud ſemper Patrum autoritati ſeſe dedere: illud certe permirum erit, eos Veteres ſibi faventes nimiis efferre præconiis, nocentes vero in contemtionem adducere. Qui ita agunt, duas lances atque menſuras habere ſignificant; citiuſque anticipatione duci, quam veritatis amore, Patrumque reverentia. Ecce quædam exempla, quibus perſpicuum fiat, quam parum ſtudii poſuerint Critici, ut juſtam hanc a ſe ſuſpicionem propulſarent.

Melch. Canus de Loc. Theolog. l. 7. c. 3.

Videtur P. Alexander Hiſtoriam Veteris Teſtamenti deſcribens totus eſſe in celeberrimi Joſephi Judæorum Hiſtorici accuratione negligentiæ notanda. Eum innumeris locis carpit; non ſemel ipſi duntaxat propoſitum eſt Autoris hujus errata in unum redigere; ut aliquando duobus capitibus amplius quinquaginta comprehendat, (iis omiſſis, quae ad Regum Juda Chronologiam pertinent ſatis apud ipſum implicatam) & alterum ex illis concludat verbis his: *alia Joſephi errata Hiſtorica & Chronologica prætereo, paſſim in hujus ætatis* (ſextæ ſcilicet) *Hiſtoria occurrentia*.

Alex. Hiſt. V. Teſt Tomo 5. c. 2. pag. 109. & ſeq. Tomo 6. c. 2. pag. 117. & ſeq.

Ibid. pag. 135.

* S. Auguſtinus, poſtquam oſtendit hominem decipi ſæpe numero, ſubdit, ſibi tantum non arrogare, ut quiſpiam ei credat: *niſi docenti, & rationem dicenti*. Lib. 2. contra Donat. c. 3. Propterea inſcitiam ſuam non ſemel Patres agnoſcunt, uti Hieronymus *in cap. 2. Mich.* item *in cap. Ezechiel.*; ajuntque, ſe, cum primum errores ſuos animadvertent, illos emendaturos, aut revocaturos, quod præſtitit Auguſtinus *in Retract. Libr.* aliquando etiam aperte declarant, ſe aliorum judicio opera ſua committere. Ita Gregorius Nazianzenus *Opuſc.* contra Arrianos.

Cre-

Alex. Hiſt. Eccleſ. ſæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 2. quæſt. 1. pag. 162. &c.

Crederet ne quis, doctiſſimum hunc Dominicanum, tantis cum Joſepho ſuſceptis inimicitiis, cum tamen quæſtio ſuboritur de anno Nativitatis Jeſu Chriſti, omnium Eccleſiæ Patrum, & quorumcumque Sapientum Epochas prætermittere, unique ſuper hac re Joſephi Cronologiæ & Hiſtoriæ adherere?

Locis citatis ex Tomo 5. & 6. Hiſt. Vet. Teſt. Sec. 1 Tomo 1. Diſſert. 2.

Hiſt. Vet. Teſt. Tom. 6. pag. 134.

Hiſt. Eccl. Tomo 1. ſæc. 1. Diſſert. 2 pag. 213.

In Hiſtoria Veteris Teſtamenti eum ob oculos ponit Hiſtoricum haud raro tabularum narratorem, ſupinis erroribus ſcatentem, & minori cum diligentia ſcribentem. In Hiſtoria vero Eccleſiaſtica Autor inducitur ſapientiſſimus, integerrimus, atque accurratiſſimus. Ibi Joſephus res producit ſine teſtibus: hic omnia ex optimis monumentis depromit. Ibi Joſephus impune mentitus eſt, cum ſcripſit, Herodem Templum Hieroſolymitanum rurſus a fundamentis erexiſſe; nullum enim metuebat, qui eum impudentiſſimi mendacii coargueret; *quod Judæorum quiſquiliæ, quæ ſuperſunt, illius ſcripta recognoſcere, aut examinare negligerent, aut etiam Græce ſcribentem intelligere non poſſent: hic Judaicæ gentis Proceres, quos utique res Herodis omnium ſermonibus celebratæ in Judæa, latere non poterant, Joſephi in conſcribendis rebus Herodis veracitati atteſtati ſunt.*

Ibidem cap. 2. pag. 125.

Viſus eſt Sane Alexander præſenſiſſe, modum, quo ipſe de Joſepho in Diſſertationibus ad Hiſtoriam Veteris Teſtamenti loquitur, non modicæ Lectoribus admirationi futurum; immo futurum etiam ut ipſe Scriptoris hujus autoritatis inpoſterum indigeret. *Obiiciet fortaſſe quiſpiam, nos in toto hoc Opere Joſephum intemperantius reprehendiſſe. Fide dignum Joſephum fateor, ſed quatenus Sacris Litteris non repugnat.* Neque indignum eſſe perhibet, cui fides habeatur, niſi cum Sacræ Scripturæ contradicit. * Hoc tamen tanti non eſt, ut ſpeciem iniquam Joſephi, quam animo noſtro Criticus hic informavit, diſpellat. De re hiſtorica nanque & Chronologica vitiorum ejus cognitionem agit; tametſi capitibus iſtis non longius a Sanctis Bibliis diſſentiat.

Ibidem.

Animadvertit eruditus hic Prædicatorum alumnus in Hiſtoria Veteris Teſtamenti, Joſephum „ præſtantiſſimum fuiſſe Romanorum judicio; „ Titum Imperatorem ejus Hiſtoriam manu ſua ſubſcriptam publicari „ præcepiſſe: Regem vero Agrippam duas & ſexaginta ad eum Epiſtolas „ ſcripſiſſe, quibus veritatem ab illo expoſitam fuiſſe teſtatur „ *At ho-*

* In tria erratorum genera lapſum fuiſſe Joſephum exiſtimat Alexander; 1. ea narrando, quæ in Divinis Voluminibus nequaquam exſtant, 2. quæ cum iiſdem Libris pugnant, 3. quæ Chronologiam, & Hiſtoriam attingunt. Quantulumcumque ſtudii in Alexandri verbis ponamus, liquido apparebit, majorem culparum partem ab eo in Joſephi Scriptis reprehenſarum ad facultates Hiſtoricas & Chronologicas pertinere, adeoque in illis non videri ipſius judicio fuiſſe deceptum; cum *fide dignum Joſephum fateatur, quatenus ſacris Litteris non repugnat.*

nores,

nores, *quibus a Romanis ornatus eſt*, per Alexandrum, *Hiſtoriam duntaxat Belli Judaici*, *non vero Judaicas antiquitates ſpectant*. Porro cum idem Doctor nos docet in Eccleſiaſtica Hiſtoria „ Joſepho fidem conciliaſſe ſuffragia Imperatorum Titi & Veſpaſiani, a quibus & Statua „ Romæ donatus eſt : atteſtatum fuiſſe Regem Agrippam, qui ſexaginta duas Epiſtolas ad Joſephum dedit, veritatis narratæ teſtes in „ conſcribendis rebus Herodis. „ hæc plane intelligenda ſunt de Antiquitatum Libris; illarum enim eo loci in dubium vertitur fides: alioquin irritum faceret univerſum illud de Hiſtorici hujus integritate & accuratione præconium, cum ipſius momenta ad Chriſti Nativitatis annum definiendum ab Antiquitatum Libris potiſſimum eruantur. *Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Tomo 1. Diſſert. 2.*

In Hiſtoria item Veteris Teſtamenti opinatur egregius iſte Criticus, aberrare Joſephum Regum Juda Chronologiam exequentem, ſcribentemque de Artaxerſe, Machabæis, Antiochi obitu, Magno Sacerdote Onia, Joanne Hircano, Pompejo in Templum ingrediente, de Moribus & morte Antipatri Herodis filii, deque Templo Hieroſolymitano ab Herode iterum conſtructo. Cum vero deſignare juvat Chriſti naſcentis annum, tum ſummam præſtat Joſephus, Alexandro Judice, fidem in his omnibus, quæ memoriæ prodit de Antigoni interitu, de Herodiani Regni intervallo, illius morte, aliiſque factis, quibus fretus Epocham ſuam moderatur. *Hiſt. Vet. Teſt. Tomo 6. c. 2. pag. 117. &c.* *Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Tomo 1. Diſſert. 2. pag. 24.*

Eodem ferme modo alibi Doctor hic argumentari conſuevit. Incumbit ne ipſi ſuadere, Septuaginta Græcam Vet. Teſtamenti verſionem, quæ ipſis tribuitur, adornaſſe? Joſephum ſtatim appellat, *qui ſane*, inquit, *in ſua gentis Hiſtoria haud ita rudis fuit, ut Verſionem a Septuaginta ſenioribus factam aſſeruiſſet : niſi communis hæc fuiſſet Judæorum perſuaſio, Maiorumque traditio, atque ex publicis etiam monumentis Hiſtoriæ ſubſtantiam didiciſſet*. Ceterum cum tradit Joſephus, *Herodem novum Templum idque maius & magnificentius, quam illud Zorobabelis a fundamentis erexiſſe*, tunc Judæus hic in Hiſtoricum convertitur integritate, diligentia, atque optimis Monumentis deficientem. En profecto mirum, qui fiat, ut de re famæ recentiſſimæ, quæque paullo antequam naſceretur, contigerat, fallatur Joſephus ille, qui aliunde in iis accuratiſſimus eſt atque integerrimus, quæ dicit de Septuaginta Verſione, trecentis forte, priuſquam in lucem ederetur, annis confecta; & cujus Hiſtoriam hauſerat a ſuppoſititio falſi Ariſteæ, ut ipſe fatetur, volumine. *Hiſt. Vet Teſt. Tomo 6. Diſſert. 8. prop. 1. pag. 780.* *Ibid. cap. 1. pag. 130. &c.* *Hiſt. Vet. Teſt. Tomo 6. pag. 778.*

Propoſitum ne eſt ſibi ratum facere, S. Creſcentem primo nominis Chriſtiani ſæculo in Gallias veniſſe, & Vienneſem Eccleſiam fundaſſe? in ſuffragium vocat Adonem ejuſdem Urbis Epiſcopum, *cui certe notus* *Hiſt. Eccl. ſæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 15. pag. 17.*

erat

Ibid. Diſſert. 16. pag. 78. *erat Eccleſiæ ſuæ cenſus & origo*. E contrario autem, objicientibus Erudito huic Dominicano Adonis ſilentium de S. Mariæ Magdalenæ, & ſociorum in Gallias appulſu, reſpondet: *Nonne ipſe* (ſcilicet is, qui de rebus ad Eccleſiam ſuam ſpectantibus uberrime fuerat inſtitutus) *nonne ipſe domeſticos Eccleſiæ ſuæ Sanctos ſilentio præteriit?* Unde colligit; *quid mirum ſi B. Magdalenæ in Provinciam appulſum &c. tacuerit?*

Hiſt. Eccl. ſæc. 4. Tomo 2. Diſſert. 22. pag. 100. *Ibid. pag. 388.* Idem P. Alexander Gelaſium * Cyzicenum identidem in teſtem accerſit. Hunc uſurpat probaturus, Oſium Cordubenſem Epiſcopum Nicænæ Synodo præfuiſſe; ejuſque ſententiæ primas dat, potius quam Hieronymo & Iſidoro aſſerentibus, Arrianum Epiſcopum Conſtantinum Magnum undis Baptiſmatis abluiſſe. *Ibid. pag. 360.* Non fugit pariter Alexandrum, Hiſtorici iſtius verba referre, quando Euſebii in Eccleſiaſtica Hiſtoria probitatem eximiis laudibus ornavit: at ubicumque ea perſequitur Gelaſius Cyzicenus, quibus irretiri facile poteſt Criticus noſter, tunc coactis undique permultis Gelaſii vitiis, concludit: *Ibid pag. 128.* *leviſſimi igitur ponderis eſt Gelaſii Cyziceni autoritas*. Si Gelaſius Euſebium ab Arrianiſmi labe purgat; *Ibidem pag. 232.* Alexander, apud quem tanti criminis reus eſt, *Gelaſii Cyziceni teſtimonium exſufflandum eſſe*, ait; *cum ſit autor nequaquam accuratus*, rurſuſque culparum ejus novum indicem texit: *In loco mox laudato craſſiſſimi & putidiſſimi notantur errores*. Porro te monitum volo, locum hic ab Alexandro reprehenſum, ſedem habere capite primo Libri ſecundi Hiſtoriæ Gelaſianæ, ex quo decerpſerat Autor noſter, quæ pro Euſebio profert Gelaſius, ad celebrandam Euſebii in Hiſtoria Eccleſiaſtica fidelitatem.

Tillem. annot. 5. in D. Paulum pag 572. col. 2. Non diſſimili admodum ratione in Uſuardum & Adonem ſe gerit Tillemontius. Enunciant ne hi quædam ipſius opinionibus abludentia? illorum teſtimonium teruntii facit. Propterea, ſi illi convertas animum, „ autoritas *Martyrologiorum* Uſuardi & Adonis, quæ D. Paulum altero poſt Aſcenſionem Domini anno Chriſtianis myſteriis initiatum perhibent, minoris momenti eſt. Conſtitutiones, inquit alibi, quæ, quan-

* Pervagatum eſt, Gelaſium Cyzicenum Ceſareæ Paleſtinæ Epiſcopum fuiſſe; Cyzici ortum, atque ex eadem Urbe Presbyteri filium. Cave Hiſt. Litt. pag. 293. col. 2. Huic eorum Hiſtoriam tribuunt, quæ geſta ſunt in primo Concilio Generali Nicæno. Ejus Opus in tres Libros partitur: priores duo Hiſtoriam Concilii complectuntur, tertius quaſdam Imperatoris Conſtantini Epiſtolas in ſeſe continet; editique Pariſiis fuere anno 1595. Typis Roberti Balphori. Photius codice 88. in hæc verba de illo pronunciat: *ipſa dictio ad humilem vilemque ſtylum plus æquo vergere animadvert.tur*. Dupinus etiam Tomo 4. p. 2. pag. 675. ſentit, Hiſtoricum hunc nullum in narratione ſua ordinem ſervare, ejuſque opus neque animadverſionum accommodatione, neque rerum delectu, neque limato judicio commendari.

„ ti

„ ti demum habendæ ſint, majoris certe, quam Ado & Uſuardus, „ ſunt exiſtimandæ, docent, Oneſimum Philemonis Epiſcopum Berrhoenſem in Macedonia fuiſſe renunciatum „. *Ibid. num. 70. pag 606. col. 2.* Miſſa facio plura alia loca, in quibus nullo ipſi in pretio ſunt utrumque Autorum iſtorum teſtimonia. Verum opus ipſi ſit aliquando illorum autoritatis: calculum illico reducit. „ Ado, tum inquit, Sanctorum honore in Romano *Martyrologio* decimo ſeptimo Kal. Januarii donatus, atque Uſuardus poſtulant, „ ut ſumma cum circumſpectione de Aſſumtionis negotio loquamur. *Notat. 25. in Deip. Virg. pag. 497. col. 2.* „ Et vero Uſuardi teſtimonium eo magis eſt ſuſpiciendum, quo ipſius „ *Martyrologium* Romæ atque apud quamplures Eccleſias probatum eſt.

Alibi quoque ab eadem conſuetudine non deflectit Tillemontius. Nihil quicquam addi poteſt laudibus, quibus Epiphanium cumulat, quoties opinionibus ſuis adſtipulatur. „ S. Epiphanius, eruditiſſimus vi„ delicet ſæculi IV. Pater, ait, de Virginis Deiparæ Aſſumtione diſpu„ tans, ſe definire poſſe negat, utrum mortua fuerit, an immortalita„ tem conſecuta. „ *Tillem art. 7. in in B. Virg. pag. 73.* Quod noſtra intereſt, ſcribit alio loco, malumus „ cum Baronio illuſtrem atque antiquum Autorem, qualis eſt S. Epi„ phanius, ſequi; & pro certo habere, S. Clementem, Romanum Epi„ ſcopum a S. Petro conſtitutum, tantam dignitatem Sanctis Lino & „ Anacleto ceſſiſſe. „ *Till. Tomo 2. num. 2. in S. Clem pag. 589. col. 2.* Immo hactenus Criticus iſte Patris hujus teſtimonio defert, ut una duntaxat illius autoritate, Euſebianæ quoque prælata, anno *66.* Petrum & Paulum extremum vitæ diem conſeciſſe putet. *Tillem. annot. 40. in S. Petrum pag. 557. col. 2.* „ Huic opinioni ſubdit, nihil eſt, quod repugnet, & Sancti Epiphanii „ Scriptoris gravis & vetuſti autoritate fulcitur. „

Preſſus demum neceſſitate, utendi Epiphanii teſtimonio, quo Sancti Juſtini Acta, quæ Bollando diſplicent, vera & legitima eſſe defendere poſſit, Patris illius verba tranſcribit: *Hic Juſtinus pro Chriſto Martyrium ſubiit ſub Romanis, Adriano Rege, cum annorum triginta eſſet, in matura, & conſiſtente ætate.* *Till. Tomo 2. notat. 1 in S. Juſt. pag. 623 col. 1. Epiph. Hær. 46. cap. 1.* Quandoquidem bis peccat turpiter eo loci Epiphanius: certum namque eſt, Juſtinum tum annorum triginta ætatem exceſſiſſe, cum mortem oppetiit; tum etiam eam non Adriano imperante, ſed extremis ad ſummum Antonini temporibus contigiſſe; viribus omnibus quam maxime poteſt, agit, ut amborum errorum excuſationem Epiphanio quærat. „ Fidem ſuperat, Sanctum Epiphanium in hujuſcemo„ di vitia incidiſſe; neque ullam ſpeciem habet veritatis, abſurda omnia, „ quæ inde conſequuntur, in S. Epiphanium conferre. „ *Tillem. ib. col. 2.*

Tillem. Tomo 1. in S. Joann. pag. 619.

Si quando tamen incommodum ipſi fuerit Patris hujus teſtimonium, tunc: „ Non eſt plane novum, Epiphanium in re Hiſtorica cæcutire: *Ibidem annot. 17. pag. 642. col. 1.* „ plus æquo levibus Hiſtoriis adoptandis indulget, pluraque ab Apocry„ phis libris decerpit; accurationis dono affectus non eſt, res miſcere ac per„ tur. *Ibidem num. 10. in D. Jacobum tom. 2. annot. 3. in Nic. pag. 525. col. 1. &c.*

„ turbare novit; ejuſque tandem autoritas tanti non valet, ut facti alicujus veritatem faciat exploratam. „

Sui ſimilis eſt in Euſebio afferendo, pro quo non exiguam exiſtimationis ſignificationem ſæpius protendit. Certe cum de primorum Pontificum ſerie & ordine diſſerit, ita pro hiſtorici hujus dignitate decertat: „

Tillem. Tomo 2. in S. Clem. pag. 595. col. 2.

„ Quoniam omnium, quibus aſſentiri poſſemus, vetuſtiſſimus & celeberrimus eſt Euſebius, eumque Græci & Latini omnes a ſuis ad noſtra „ uſque tempora ſecuti ſunt, nos pariter ab illius Chronologia Pontificum „ non recedemus. „ Nihilo tamen minus in Hiſtoria Imperatorum, „ ubi de Judæorum excidio ſermonem inſtituit. „ Oporteret quidem,

Tillem. annot. 21. in Excid. Jud. pag. 635. col. 1. Edit. 2.

„ inquit Tillemontius, ex Euſebii ſententia, Feſti mortem anno antecedente collocare; nihil tamen perſuadet, excipiendum a nobis Euſebium eſſe, qui in Chronologia claudicat plerumque . . . . . Si ſtandum eſſe ducimus, inquit alibi, vigintiquinque annorum, menſis „ unius, novemque dierum numero, reliquum erit colligere, Euſebium S. Petri Romam adventum in annum diſtuliſſe; quod illi familiare ſit a veritate deſciſcere . . . . Nullo negotio fatemur, ſubjungit etiam annot. ſecunda in Sanctum Clementem, pluribus Euſebium „ falli. „

Tillem. Tomo 1. annot. 40. in D. Petrum pag. 531. col. 1. Edit. 2.

Cum Eutychius * Patriarcha Alexandrinus in Annalibus ſuis teſtatum reliquerit, Sanctum Marcum duodecim Presbyteros creaſſe, qui cum Patriarcha commorarentur; ut, eo defuncto, ex illorum numero deligerent, quem conſecratum, manibuſque impoſitis, in Patriarchæ Cathedram ſufficerent; Tillemontius, cui non arridet hujuſmodi Hiſtoria, ſententiam hoc pacto aperit ſuam. „ Noſtrum non eſt, factum iſtud „ in controverſiam vocare: ſatis erit dixiſſe, eum ultro circumveniri, qui „ ſibi in animum inducit, rem aliquam una Eutychii autoritate definire, „ non modo, quia X. Sæculi Scriptor eſt, verum quia mendis undique „ inficitur, teſte ipſo Pocockio, ipſius Interprete, atque totius Operis „ editore. „ Recenſitis demum aliquibus Eutychii erroribus, infert eruditus Criticus noſter. „ Equidem non diffiteor, Eutychianam autoritatem minimi momenti eſſe, ut factum iſtud mihi imponere queat. „

Tillem. Tomo 2. annot. 30. in S. Marc. pag. 550. col. 2.

Ibid. pag. 552. col. 1.

Quis ſane ſibi perſuaderet, Tillemontium alibi diverſa plane ratione loqui? Quotieſcumque rationibus ſuis conducit Eutychii teſtimonium,

* *Eutychius natione Ægyptius, ex Civitate Foſtat oriundus, medicus inſignis, & ab anno 933. Patriarcha Alexandrinus, Sedem tenuit annos decem & ſeptem, menſes ſex, atque obiit anno 950. Scripſit Annales ab Orbe condito ad annum uſque 940. In his occurrunt plura notatu digniſſima: certe plurima anilibus fabulis ſimillima. Integros Annales cum Seldeni Præfatione, Notiſque arabice & latine in lucem protulit doctiſſimus Pocockius Oxonii anno* 1659. Carius Hiſt, Litter. ad annum 933. pag. 498.

deſi-

deſinit eſſe Autor fabulis redundans, minimæque autoritatis; atque in Hiſtoricum evadit, cujus ſententiam de S. Marci in Ægyptum ablegationis anno Euſebii & S. Hieronymi dictis anteferat; altero enim ex his ad annum 42. altero vero ad 43. eam referentibus, ipſe Eutychio duce, ad 49. protrahit; & perinde quaſi hac ipſe ſupputatione reperiſſet, in quo firmiter conſiſteret, ſubjungit, ſe compelli ad Euſebium derelinquendum; Eutychiumque, & Chronicon Orientale amplectendum.

Till. Tome 2. an. in S. Marc. pag. 549. col. 2.

Eodem de Sancto Marco articulo ſexies, aut ſepties Eutychium in medium producit. Bailletus quoque plurima ab eodem mutuatus eſt in Vita Sancti Marci, & Sancti Anniani primi ab ipſo Alexandrinorum Epiſcopi. Itaque his omnibus perſpicuum eſt, apud Criticos iſtos Eutychium opinionum eorum oppugnatorem fabulis redundare, minimæque autoritatis eſſe; aſſertorem vero, omnibus culpis iſtis omnino vacare.

Baill. in Vit. Sanct. 25. Aprilis.

Nihilo æquabilior eſt in Veteribus afferendis Dupinus. Hoc tantummodo exempli loco ſit, quod cum ambigerent nonnulli, utrum S. Cypriani Vita ab illius Diacono Pontio conſcripta genuinum opus eſſet nec ne: „ Non diſſimulo, inquit Dupinus, eam exquiſita adeo eloquentia „ lucubratam fuiſſe, ut in falſitatis ſuſpicionem cadere poſſet, niſi in ea„ dem veritatis notas Hieronymus deprehendiſſet. At poſt tanti Patris „ teſtimonium non puto quempiam adhuc animi pendere poſſe. „ Ubi tamen ſequenti articulo de Sancti Cornelii Papæ Epiſtolis rem habet doctus iſte Criticus, paucis quæſtionem dirimit. „ S. Hieronymus qua„ tuor Pontificis hujus Epiſtolas cenſet; ſed capitur. „

Dupin. Tome 1. pag. 551.

Ibid pag. 554. annot. 1.

Alia quidem præbere poſſem cum ab his, tum ab aliis Criticis petita documenta; verum hactenus dicta nos certiores commode faciunt, illos veterum teſtimonium enervare, immo non admodum officioſe dimittere ſi noceat; ſi proſit autem, cum laude atque amplitudine nominare.

ARTICULUS X.

Minus accuratum inſtitutum eſt, eadem priſcorum Scriptorum verba aliquando probare, deinceps improbare.

Collocandum ne in Privilegiis, aut pravis Critices uſibus erit Jus illud, quod ſibi vendicant magnæ Artis hujus Magiſtri; ut cum ipſis emolumenti eſt Antiqui alicujus teſtimonium, illud ſuſcipiant, cum autem detrimento futurum videatur, idem rejiciant, aut cavillando de-

torqueant? Verum id tamen in doctiſſimorum Criticorum eſt moribus; quod exemplis firmabo.

Hiſt. Vet. Teſt. Tom. 6. cap. 2. pag. 119. Primum occurrit nobis ab Alexandro petitum, qui in Joſephi errata de ſexta mundi ætate pro more ſuo animadvertens, eum offendiſſe vult, cum *Edicti a Dario Hyſtaſpis dati de Templi ædificatione impetrationem tribuit eloquentiæ & ſapientiæ Zorobabelis, qui inter tres Cubicularios Regis de Quæſtione illa, quænam res ſit omnium potentiſſima, optime diſſeruiſſet, palmamque dediſſet veritati. Immo ipſum Regem voto obſtrictum fuiſſe*, ait, *ad inſtaurationem Templi*. Cur autem in hoc offenderit, exiſtimat eruditus hic Dominicanus fuiſſe, quod Hiſtoriam hanc ex libro 3. Eſdræ Apocripho c. 3. & 4. acceperit. Nihilo ſecius, cum alibi inſtituat adverſus Scaligerum oſtendere, non fuiſſe *Darium Nothum, ſed Darium Hyſtaſpis, cujus anno ſexto Templi inſtauratio abſoluta eſt*, in promtu ipſi non fuit dilucidior, aut fortior ratio, quam locus Joſephi ab eodem capite quarto Libri XI. Antiquitatum Judaicarum excerptus, quem ſuperius exploſerat, uti ab Apocrypho nullius autoritatis libro depromtum.

Joſephus l. XI. Antiq. c. 4.

Alex. ibidem Diſſert. 5. pag. 553.

Dupin. Tom. 1. pag. 100. Ea eſt Dupinus opinione, ut credat, S. Dionyſium Areopagitam primum Gallici Regni Apoſtolum non fuiſſe, atque hanc quæſtionem per hæc tempora tot monumentis illuſtratam putat; ut vix deploratæ fidei hominem ſuper his hærentem invenias. „ Tertium, inquit, monumentum ſuppeditat nobis S. Gregorius Turonenſis ex vetuſto quodam *Paſſionis* S. Saturnini Scriptore narrante, Sanctum Dionyſium & ſocios Galliarum Apoſtolos illuc adventaſſe Imperatoris Decii ætate, ad annum circiter 250., regiones illas Jeſu Chriſti præceptis imbuendi gratia. „

Ibidem 102. Greg. Turon. l. 1. Hiſt. c. 30.

Launojus intendens animo aliquas injicere dubitationes Epiſtolæ 66. a S. Cypriano ad Stephanum Pontificem datæ, nactus eſt argumentum ab Hiſtoria S. Trophymi, qui, ſi fides adhibenda eſt Autori Vitæ S. Saturnini a Gregorio Turonenſi memoratæ, Arelaten dumtaxat venit, cujus Urbis ætate Decii Epiſcopus erat, quatuor aut quinque annis ante tempus, quo S. Cypriani Epiſtola ſcripta fuit. Ex hac tamen Epiſtola apparet, Marcianum per id temporis, non autem Trophymum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, & jamdiu in eadem Urbe conſtitutam Criſtianam Religionem. „ Magna quidem difficultas, inquit Dupinus; reſpondeas „ tamen licet, a Sulpicii Severi Epocha nunquam recedens, Trophy- „ mum illuc ante Decium ſe contuliſſe; neque enim Autor Vitæ S. Satur- „ nini, ſed Gregorius Turonenſis, ex quo ſcriptum reliquerit ille, San- „ ctum Saturninum imperante Decio Toloſanum Epiſcopatum geſſiſſe, „ alios addidit ſeptem Galliarum Epiſcopos, inter quos Trophymus. „ Ecce „ igitur refert, per Dupinum, S. Gregorius Turonenſis ex vetuſto quo-

Tom. 1. pag. 145.

„ dam

„ dam *Paſſionis* Sancti Saturnini Scriptore, Sanctum Dionyſium & ſocios ad „ Gallias adventaſſe anno circiter 250. „ Verum ſi quando textu eodem in laqueos ſeſe inducit Criticus noſter, confeſtim non ex Autore Vitæ Sancti Saturnini tradit Gregorius Turonenſis, Dionyſium ejuſque ſocios Decii Imperatoris temporibus Gallias petiiſſe; ſed ex iis, quæ ſcriptis reliquit Autor Vitæ Sancti Saturnini, alios ipſe addidit ſeptem Galliarum Epiſcopos.

Ita plane diſputat Bailletus ſuper Geſtis S. Pauli Narbonenſis Epiſcopi: *Baill. 22. Martii in Vita S. Pauli Narb. pag. 585. Gregor. Turon. ubi ſupra.* cum etenim dixerit, aſſerere Gregorium Turonenſem, D. Paulum Evangelii nunciandi cauſſa Narbonam eodem tempore miſſum, quo Toloſæ idem officium perſolvebat S. Saturninus, videlicet medio circiter tertio ſæculo, ſubjungit inferius: „ Fateri neceſſe eſt, Epocham ſeptem Epi- *Baill. ibid. pag. 586.* „ ſcopis aſſignatam, uni revera S. Saturnino Toloſano tribuendam eſſe, „ in cujus eam Actis invenit. „ Quocirca Bailletus Sanctum Gregorium Turonenſem inducit ſcribentem, Sanctum Paulum Saturnini temporibus Narbonam legatum fuiſſe: cum vero id ipſi non expedit, eundem Gregorium Turonenſem de Saturnino, non autem de ceteris interpretatur.

„ Legimus, inquit Tillemontius, in Libro de divinis Nominibus a S. „ Dionyſio Areopagita nuncupato, hunc alioſque multos Chriſtianos con- „ veniſſe, ut Beatæ Virginis corpus intuerentur . . . . . at falſum hunc *Tillem. annot. 14. in Sanctam Virginem pag. 495. col. 1.* „ Areopagitici Dionyſii ſimulatorem arbitrandum eſt quælibet alia, quæ „ recitat, facta excogitaſſe. Idem tamen præclarus Criticus expendens alibi, uter S. S. Petri & Andreæ natu major eſſet, ait: Caſſianus Joan- *Tillem. ibidem annot. 1. in S. Petr. pag. 531. col. 1.* „ nem Chriſoſtomum ſecutus nos monitos facit, Petrum cum dignitate, „ tum etiam ætate ceteros Apoſtolos anteiviſſe, quicum conſenſit Autor „ de Divinis Nominibus, ubi Sanctum Petrum tradit, ἡ Κορυφαῖα Καὶ *Dion. de Div. Nom. c. 3.* „ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης. „ Super quæ verba duo animadvertenda ſunt: primo illa Tillemontium deſumſiſſe ex eodem Textu, quem antea repudiaverit, tamquam Autoris, de quo arbitrandum eſt, omnia, quæ recitat, facta excogitaſſe. Secundo non liquere, quemadmodum de Petri ætate explicari poſſint; cum videatur, ea nonniſi de ipſius ſupra alios Apoſtolos excellentia ſenſum gignere. Accipe univerſum teſtimonium. *Cum & nos, ut noſti & ipſe, plurimique ſanctorum Fratrum noſtrorum, ad corpus illud, quod dedit principium vitæ, Deumque ſuſceperat, contuendum veniſſemus: aderat autem & Frater Domini Jacobus, & Petrus ſuprema iſta, atque antiquiſſima ſummitas Theologorum.*

AR-

ARTICULUS XI.

Speciem præferunt aliquando Critici Ævi noſtri doctiſſimi, quaſi de uberiori, quam Veteres, doctrina ſibi blandiantur.

NEmini mirum videbitur, Sapientes aliquos Criticos non ſemel ad conjecturam ſuam citius, quam ad Antiquorum autoritatem animum intendiſſe, tum maxime, cum optimis rationibus inniti exiſtimabant; ſi modo reputet duo: primum, ipſis aliquando fortaſſe perſuaſum fuiſſe, Veteres non ſemper facta Critica lance ſuſpendiſſe; ſe totos aliis gravioris momenti negotiis dediſſe, ipſoſque tempus, & adjumenta plurima defeciſſe. * Alterum, ſpecie tenus jactare Criticos ſe egregiæ Artis hujus ope majora, quam Veteres, compendia feciſſe, tantamque eruditionem, ab hac veluti face individuam, ea præſtare poſſe, quæ Patribus defuerunt, quæque nobis deſunt, non autem illis. **

Inſolens plane & novum non eſt, *** Heterodoxos Sanctam, & venerandam antiquitatem contemtui habere. Hoc uno productum olim fuit & jam nunc alitur eorum Schiſma, quod eam in rebus etiam majori honore proſequendis nihili faciant. Quamobrem neminem moveat, quoties eos dicentes audit, Veterum Opera minus ordine, eruditione, recto judicio, & accuratione, quam recentiorum Criticorum, eſſe ſpectanda, neque eos præſidia neceſſaria habuiſſe parata, aut ad optimos

Cler. Epiſt. item de Arte Critica tomo 2. pag. 485. & alibi.

* Antiquis ea præſto fuerunt ſubſidia, quæ a nobis deſiderantur, videlicet quamplurium Autorum Opera, quæ injuriam temporum paſſa ſunt. Conſulere poterant non paucos Hiſtoricos Ægyptios, Tyrios, & Babylonios, multorum Philoſophorum & Patrum ſcripta; unde ampliſſimam Bibliorum Hiſtoriæ & Chronologiæ, nec non Religionis ſtatuendæ cognitionem haurirent. Porro hæc omnia ſunt nobis ſublata. Joann. Cl. Epiſt. Crit. Epiſt. 4. pag. 129. 130.

** Quædam ſunt priſcis & junioribus communia, nimirum ea, quæ ab ingenio pendent, judicium, communis intelligentia, exquiſita rerum exiſtimatio, politum artificium, & perſpicacia. Si hæc æqua ratione in utriſque ſuſpiciamus, primas Veteribus concedere debemus, quas ipſis ortu præcedentibus detulit natura. Baill. in Jud. Sap. Tomo 1. p. 2. c. 1. pag. 140.

*** Clericus minorem erga Sanctam antiquitatem venerationem profitetur, de quo eum redarguit Cavius in Diſſertatione de Euſebii Arrianiſmo, adverſus hunc Batavum Proteſtantem vulgata. *Videtur . . . . . omnem, quæ Patribus debetur, reverentiam excutere, indeque de eorum Scriptis ſiniſtre & duriori cenſura judicare*, Append. Diſſert. 3. p. 193

uſus

uſus accommodare neſciviſſe. * Quid ſi Critici quoque Catholici eodem pene ore loquantur, atque in ejuſmodi vitium delabantur? Id ſcientiæ, quæ inflat, peculiare eſt; & eum primum a quopiam, Critici more, de omnibus, iiſdemque Veteribus pronunciandi ſuſceptum eſt inſtitutum; uno tantum abeſt gradu, quin ſe aliis, immo Veteribus anteferat.

Dupinus Paſtoris Librum Hermæ tributum Critices trutina penſitans, fatetur ſtatim, pauciſſimos Veterum extitiſſe, qui Volumen hoc non fecerint magni, illudque tanquam eximiæ autoritatis Opus non uſurpaverint: His addit; „ Apud recentiores tamen tanti non fit, & pauciſ- „ ſimi ſunt, qui de eo inpræſentiarum cum dignitate loquantur, at- „ que eodem, ac Veteres, in pretio habeant. „ Ita plane ſentit de Hieremiæ ſtylo; poſtquam enim dixit, eum, ſi rem ad Hieronymum deferamus, eloquio ſimplicem eſſe, & ſententiis gravem: nihilominus, „ ſubdit, hæc verborum ſimplicitas nobis in præſens non apparet: im- „ mo apparet contra cum ſenſis, tum elocutionis genere, loquendique „ formulis quam maxime ſublimis. „ *Dup. Tomo 1. pag. 83.* *Dupin. Diſſert. præl. pag. 61.*

Dolendum ſane eſt, Irenæum, Origenem, Euſebium, Hieronymum, quos Dupinus inter principes Antiquitatis Criticos collocat; Athanaſium, Rufinum, Caſſianum, Proſperum, Maximum tanta ingenii vi & eruditione præditos nequaquam fuiſſe; ut de Libro Hermæ judicium ferrent, perinde, atque Critici noſtri Sapientes, accuratum: & Sanctum Hieronymum non ſatis, ac Dupinus, mentis acie valuiſſe, ut de Hieremiæ ſtylo ſolide decerneret.

Nemo, quod noverim, Simonio exprobravit, immodicum, erga Patres Eccleſiaſticos ſtudium, neque dijudicare velim, utrum hæc nimiæ arrogantiæ, propriæque exiſtimationis ſint verba: „ Facile adeo uni San- „ ctorum Patrum autoritati adjungenda fides non eſt, cum de rei Cri- „ ticæ tantum factis diſputatur. „ Alibi autem magnificis Litteratos, *Sim. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 2. c. 2. pag. 188.* *Ibidem l. 3. c. 9. pag. 391.*

* Antiqui pluribus, recentiores ſuperant. 1. iis omnibus, quæ poſteris propagarunt, ut ratiocinandi vim acquirerent, elocutionem exercerent, idiomatis integritatem atque ornamenta ſervarent, quæque attinent ad hominis affectiones, & naturæ corruptæ conditiones exprimendas: 2. in politiorum Litterarum ſtudio, cujus abſolutam nemo cognitionem ſe aſſecuturum ſperet, niſi cum Veteribus vixerit.

Ut in diſciplinis adipiſcendis proficiat quis, intereſt rei, ſingularem quemdam pro elegantiori & ſaniori antiquitate ſenſum fovere; & nemini dubium erit, Veterum Opera fontes puriſſimos eſſe, unde divitias Theſauroſque haurlamus, quibus politum judicium, & recta rerum æſtimatio comparantur, quibuſque utimur ad verum & falſum internoſcendum in Naturæ venuſtaribus, ad quam adhæreſcere debemus, ut Artis venuſtates ſagaciſſime odorari poſſimus. Baill. Jud. Sap. Tomo 1. p. 2, pag. 138. 139.

& for-

& forte ſemetipſum verbis offerens: „ Major, ſubjicit, S. S. Patrum nu-
„ merus quoddam ſacris Bibliis funditus percipiendis apprime neceſſa-
„ rium Critices ſtudium non adhibebant; & per ipſorum munera inte-
„ grum ipſis non erat in rem hanc acutius introſpicere. „ Quod pro-
cul dubio eruditiſſimis magiſtris noſtris reſervatum fuerat.

Præf. ad Hiſt. Crit. Vet. Teſtamenti.

„ Mirum non eſt, inquit alio loco, eos Critice operam non dediſſe
„ ſæculis illis, in quibus Barbaries in Europa late dominabatur; pro-
„ pterea quod ſubſidiis carerent, quibus nos affluimus, quæque ſum-
„ mam habent ad perfectam Theologiam nanciſcendam neceſſitatem. „

Tillemontius; cujus aliunde moderationem nunquam ſatis celebrabi-
mus, levibus iſtis recentiorum ſupra Veteres emolumentis motus ali-
quantulum eſt; verum intellexit pariter, quominus nobis parum illis
utendum foret. „ In Judæorum, Romanorumque Hiſtoria, atque Aſtro-
„ nomia frequens fuiſti; (hæc ad P. Lamyum ſcribit,) Porro Patres ,
„ qui longe majorem nobis navabant operam Divinis Litteris, ſumma
„ revera fidei & morum integritatis diſciplina; parum quidem ceteris
„ omnibus incumbebant. Quamobrem minus, quam nos, exiguis hi-
„ ſce rebus, non autem haud ſatis, illos inſtructos dixerim, aut exem-
„ plo tuo id non dixerim, niſi ſi excideret me invito. *

In Epiſt. ad P. Lamyum art. 70. pag. 36. col. 2.

Non dubito futurum, ut illuſtres Critici ſingularem P. Alexandro gra-
tiam profiteantur, quod ipſis notum fecerit, præclaram Critices Artem
aliquod etiam in Concilia Sapientibus arbitrium conferre; atque illius
gaudii in partem veniant, quo, cum occurrerit teſtimonio Concilii A-
quiſgranenſis, aliorumque multorum, uti Colonienſis, Moguntini, Tri-
burienſis, Metenſis, Rhemenſis &c., quæ *Decretalium* primorum Ponti-
ficum meminerunt, hæc verba juniorum Criticorum ſolatio pronunciat.

Alex. Hiſt. Eccleſ. Sæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 20. pag. 422.

Si enim poſteriora Concilia jus habent corrigendi priora; cum aliquo ex-
perimento aperitur, quod clauſum erat, & innoteſcit, quod latebat,
ut ait Aug. l. 2. de Bapt. c. 3. *non mirum, quod Concilia, & eruditos
Autores, qui poſt octavum ſæculum vixerunt, viri hujus Sæculi doctiſſi-
mi emendent in rebus Criticis, quarum media ætas rudis erat.*

Ibidem pag. 424.

Sed fato quodam accidit, quod ſane de Cl. hujus Dominicani lætitia
delibabit quidquam, ut omnes ratiocinationis ejus vim percepturi non
ſint; niſi ſi velit, Sapientum in Concilia de re Critica juriſdictionem,
poſteriorum Conciliorum in priora de rebus ad ipſa ſpectantibus juriſdi-

* Studiorum genera, in quæ longius intenderunt Veteribus recentiores, ſunt præcipue ſcientiæ, quibus tempus omnia effingens, & ad maturitatem perducens; atque experientia induſtriæ fructus, magnam amplitudinis acceſſionem fecerant: videlicet Phyſices, Medicina, Aſtronomia, Chronologia Geographia, pluresque aliæ Mathematum, quæ Mixtas vocant, partes, rudi ſatis Minerva ab Antiquis excultæ.

ctio-

ctioni reſpondere. Hæc plane videtur eſſe eruditi hujus Viri conſecutio. *Si Concilia*, inquit, *poſteriora jus habent corrigendi priora*; *non mirum quod Concilia . . . . . Viri hujus Sæculi doctiſſimi emendent in rebus Criticis*. Quantumvis conſectarium hoc doctiſſimo P. Alexandro rectum videatur, ſum neſcius, utrum de illo inter omnes conveniet.

At ſatis non erat præclaris Criticis noſtris, ſemetipſos Veteribus, & Conciliis ipſis de re Critica eruditiores oſtentare; niſi ſibi cognitionem quoque aliquam Apoſtolis ignotam vendicaſſent. Hoc fundamento ductus eruditus P. Lamyus difficultatibus reſpondet adverſus opinionis ſuæ de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate novitatem allatis. „ Apoſtoli, ait, Critica objecta non proſpexerunt „. Quod tamen reſponſum aſperius appellare non prætermiſit Tillemontius, Epiſtola ad Lamyum data, quæ ad calcem exſtat alterius Tomi ſuorum Monumentorum Eccleſiaſticorum.

Lamyus Tract. de Veteri Paſchate pag. 300.

Tillem. art. 64. pag. 54. col. 2.

PARS ALTERA.

De Probationibus a Librorum Suppoſitorum, apocryphorum, atque ab Autorum, qui minoris momenti paſſim habentur, teſtimonio petitis.

QUotieſcumque nonnullorum Scriptorum egregiis Criticis noſtris objicitur autoritas, reſponſio in promtu eſt, eorum ſcilicet Autorum Opera ſuppoſititia eſſe, Apocrypha, aut falſo eorundem nomen præferentia: ipſos a corruptis fontibus rivulos deduxiſſe; perditi nominis eſſe; atque ætate nimium ab Hiſtoriis, quas perſequuntur, remota vixiſſe. Tametſi quamplurima ſint hujus generis Opera, mei tamen non intereſt conſilii, niſi quaſdam duntaxat in ea animadverſiones excitare, que frequentius pro Eccleſiaſtica Hiſtoria recitari ſolent. Ceterum ſuccreſcet his articulus de probatione a MSS. comparata propter argumenti, quod præ manibus habemus, affinitatem.

ARTICULUS PRIMUS.

De teſtimonio deducto a Libris, Veterum nomine vulgatis, licet eoſdem Autores nequaquam agnoſcant.

§. I.

De conſtitutionibus Apoſtolicis, Recognitionibus S. Clementi Pontifici tributis, & falſo Abdia.

NEmo eſt temporibus noſtris, qui ambigat, tria hæc volumina nullam præſeferre notam veritatis. „ Autor *Conſtitutionum*, inquit „ Dupinus, calumniator eſt, qui ſe Clementem Apoſtolorum diſcipulum „ ubique vendicat, iiſque in univerſum, & unicuique ſigillatim eas „ præceptiones, quæ ab ipſis longiſſime abſunt, adſcribit. Rufinus opus „ quoddam *Recognitionum Clementis* titulo notum vertit, quod nuncu„ pant etiam *Itinera*, *Itinerarium*, ſive *Acta S. Petri:* Gelaſius ad apo„ crypha rejicit; & Photius abſurda atque errata multa complecti tra„ dit. Et revera Scriptum hoc conſarcinatum eſt fabulis, erroribus, „ exercitationibus, & diſputationibus ridiculis inter Sanctum Petrum & „ Simonem Magum de induſtria confictis. „

Dupin. Tomo 1. pag. 44.

Dupin. ibidem pag. 90. Alex. ſac. 1. Tomo 1. cap. XI art. XI. pag. 126. Cave Hiſt. Litter. pag. 29. col. 2. Baileteus.

Ab eadem ſententia non diſcrepat Tillemontius. Cum enim quendam *Conſtitutionum Apoſtolicarum* locum contulerit Baronius ad oſtendendum, Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos die Dominico deſcendiſſe: ecce quanam Autoris hujus teſtimonium ratione refellat Tillemontius. „ Verum „ licet *Conſtitutiones*, illæ nimirum, quæ immerito Apoſtolorum nomi„ ne inſignitæ ſunt, quæque docent, quinquageſimo a Paſchatis Domini„ co die celebrandum eſſe Feſtum Pentecoſtes, quo Spiritum Sanctum „ miſit Jeſus Chriſtus, aperte traderent eum die Dominico miſiſſe, con„ ſtat, Librum hunc parvi pendendum „. Item habeto, quæ alibi proferat in rem eandem. „ Poſſem equidem plura de Sancto Petro a *Con„ ſtitutionibus & Recognitionibus* S. Clementis huc transferre: ſed hi om„ nes Libri non magnopere fiunt, tamquam commentitii aut deprava„ ti. „ Immo in Tabula rerum ſcriptum eſt: *Conſtitutiones Apoſtolicæ, nullius prorſus autoritatis Liber.*

Tillem. annot. 8. in D. Petrum pag. 536. col. 2.

Tillem. art. 40. in S. Petrum pag. 198.

Clarius tamen mentem ſuam de *Recognitionibus* aperit Criticus iſte. „ *Recognitionum* Liber fabuloſis Hiſtoriis confertus eſt, & ne ſpecie quidem ve„ ris,

Tillem. Tomo 2. art. 6. in S. Clem pag. 177. Item Tomo 1.

„ ris, Immo Hæreſibus aliquando non vacat. Expunctum fuit a Gelaſio, & „ generatim ab omnibus nullo pretio aut utilitate Opus. „

annot. in S. Barn. 687. col. 2.

Hoc habito judicio viſum ſane cuique eſſet; nunquam *Conſtitutiones, & Recognitiones* a Criticis iſtis citatum iri; ut factum aliquod, quodcumque tandem eſſet, probarent, aut majori autoritate roborarent. Nihiloſecius iis non ſemel uſus eſt Tillemontius. Annotatione namque 42. in Jeſum Chriſtum probaturus defeciſſe Joannem Chryſoſtomum, cum Servatorem noſtrum ad cœlos aſcendiſſe Sabbathi die teſtatus eſt: „ Dicendum, his loquitur verbis, id Jovis die contigiſſe, quo myſterium iſtud recolit Eccleſia, uti nos monent *Conſtitutiones Apoſtolicæ* „. Eaſdem pariter laudarat ſuper hac re in contextu articuli 24. de Jeſu Chriſto.

Tillem. Tomo 1. pag. 480. col. 2.

Similiter in quadam annotatione ad S. Petrum ſpectante recognoſcit, Hieronymum Diaconis bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem tribuiſſe. „ Et quidem, ſubdit, fas eſt credere, hunc in Oriente morem aliquando obtinuiſſe; cum *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Decreto cautum ſit Diaconis, ne quidpiam, inconſulto Epiſcopo, diſtribuant. „ Ad eas demum confugit, ut efficiat, Apoſtolos operam Evangelio ſimul, & Arti priſtinæ dediſſe. Integrum certe eſſet quam plurima alia loca memorare, in quibus non Tillemontius modo, verum Launojus etiam, Valeſius, Dupinus, Bailletus, Petit-Didierus, Alexander aliique Critici a *Conſtitutionibus Apoſtolicis* præſidium ſibi aſciſcunt: at moleſtus eſſet, atque inanis labor. Id unum ſubjiciam, eos nimirum, qui Mariam Magdalenam a Maria Sorore Lazari, & Maria peccatrice diſtinguunt, Tillemontium, Anquetinum, Launojum, &c. inter Veterum teſtimonia, quæ pro hujuſmodi diſtinctione ſtare contendunt, Apoſtolorum *Conſtitutiones* non præteriiſſe. Pati tamen nullo modo poſſunt, ex illis Criticos alios vel minimum quæſtus comparare.

Ibid. annot. 13. in S. Petrum pag. 539. col. 1.

Art. 28. in S. Petrum pag. 170. Ibidem art. 27. 34. &c.

Tillem. Tomo 2. annot. 1. in S. Mariam Magd. col. 2. pag. 513. Anquetinus Differtat. edita anno 1699.

Recognitiones autem uſurpant Tillemontius & Bailletus, ut conjiciant, Jeſum Chriſtum ſeptuaginta duos diſcipulos ad Moſis normam delegiſſe; & rurſus Tillemontius quodam *Recognitionum* Textu S. Thomam Apoſtolum Evangelica legatione apud Parthos functum fuiſſe declarat.

Tillem. annot. 24. in Jeſ. Chriſt. pag. 460 col. 2. Baill. 25. Julii Hiſt. 72. Diſcipulorum.

Nemo unus perſuaſum non habet, Librum qui Abdiæ vocabulo adhuc ſupereſt, Hiſtoriis fabuloſis & ſuppoſititiis confertum eſſe. „ Calu„ mniatoris opus eſt, inquit Dupinus, qui ſe fraudulenter Chriſti Diſci„ pulum prædicat .... Falſus Abdias, ſequitur Tillemontius, menda„ ciſſimus ſcriptor eſt; quodque apud ipſum tantum reperitur, perinde „ haberi debet, ac ſi nuſquam reperiretur. Propterea ſupervacaneum du„ xi, tempus in univerſo evolvendo conterere; ſi qua etenim vera profe„ rat, ea a fabulis & narratiunculis internoſcere non potuiſſem.

Tillem. art. de S. Thoma pag. 395. Dupinus Tomo 1. pag. 51. Alex. ſæc. 1. Tomo 1. cap. 12. art. 5. Cave Hiſt. Litter. pag. 18. Bailletus. Tillem. annot. 3. in S. Jacobum Majorem pag. 629. col. 1.

Quæ cum ita ſint, non intelligo, qui Cl. Critici hujus diligentiam fu-

fugerit, calumniatorem iſtum plurimis locis teſtem adhibere; Articulo ſiquidem S. Simonis Apoſtoli, quo de SS. Simonis & Judæ martyrio diſſerit, eum laudat in hæc verba: „ Prodit Abdias, illos, Sacerdotum „ Idolorum tumultu in eos facto, trucidatos fuiſſe. „ Ejus etiam mentionem facit S. Matthæi articulo, atque alibi, cujus hac ex parte veſtigiis inſtitit Bailletus.

Tillem. Tomo 1. pag. 424. Tillem. pag. 186. Baill. 21. Septembr in Vita S. Matt. pag. 529.

Nunquid non ea doctis Criticis iſtis reponere poſſemus, quæ Tillemontius, occaſione cujuſdam loci, in quo videtur deceptus S. Joannes Cryſoſtomus, quandoque animadvertit? „ Nihil nos manet dicere, niſi eum hominem fuiſſe, & non ſecus atque nos, obnoxium iis, quæ præ ceteris callebat, animo non advertendo. „

Tillem. annot. 42. in Jeſ. Chriſtum pag. 480. col. 2.

Quo plane modo Sapientes hi Critici veritatis, quæ alte ipſis inſederat, obliti ſunt: videlicet *Conſtitutiones Apoſtolicas*, & *recognitiones*, Opera eſſe fabulis redundantia, autoritate carentia, & Abdiam putiſſimum calumniatorem? Quamobrem *nihil nos manet dicere, niſi eos homines fuiſſe, & non ſecus atque Scriptores alii*, (in quos, ſi quando his offendant, ſeveritate tanta feruntur,) *obnoxios iis nonnunquam, quæ præ ceteris callent, animo non advertendo*.

§. II.

De Martyrologio S. Hieronymo tributo, & de Pontificali Damaſi nomen ferente.

VEnerabilis Beda recitans, quæ de Santi Simeonis Martyrio pervagata erant, obſervat, Hiſtoriam hanc Martyrologi Euſebiani, a S. Hieronymo converſi, autoritate firmari. * „ Hoc, ut videtur, inquit Tillemontius, Martyrologium eſt a Florentinio † publica luce do-

Tillem. art. de Sancto Simeone pag. 424.

† Nobili Lucenſi anno 1673. defuncto.

* Duo exſtant exemplorum hujus Martyrologii genera, quorum unum abſolutum Opus eſt, alterum Epitome. Quod eſt exemplorum abſolutorum, tria in vulgus edita ſunt. Primum Eſternacienſe an. 728. a Laurentio Monacho conſcriptum juſſu S. Vilbrodi primi Trajectini Epiſcopi. Alterum Corbienſe a D. Luca Dacherio quarto *Spicilegii* ſui Volumine emiſſum. Tertium eſt S. Vuandrilli nonnullis Sanctis locupletatum, atque a Florentinio publici juris factum, titulo *Veteris Martyrologii Eccleſiæ Occidentalis* cum Adnotationibus, quibus addidit Exemplaria Eſternacienſe, & Corbienſe, omnibus ſuis partibus abſoluta. Quod vero ſpectat ad Epitomen, a Dacherio accepimus illam S. Guilelmi a Deſerto, quinto *Spicilegii* Volumine inſertam. Aliarum duarum mentio eſt apud Abbatem Chaſtelanium in Admonitione, Martyrologio Romano Gallice reddito præfixa. Item Baill. ſerm. de Geſt. Sanctorum pag. 40. & 41.

Valeſius Opuſculo, quarto, quod adnotationibus ſuis in Euſebium appoſuit, ſuadere ſtudet, exemplum a Roſvveido anno 1613. cum Scholiis titulo *Veteris Martyrologii Romani* excuſum, non in Eccleſia Romana tantum uſum habuiſſe.

„ na-

„ natum hac Epigraphe: *Notæ in Vetus Martyrologium S. Hieronymi*. „ Iſtud quidem majorem omnibus, quæ exſtant, redolet antiquitatem; „ quamquam vitiis quampluribus immune non ſit, neque Euſebio, ne„ que Hieronymo, uti in præſentia legitur, adjudicandum „. Alibi quoque idem flocci facit, & leviſſimæ autoritatis Opus cenſet.

Nihil tamen obſtantibus his quam ſæpiſſime a Tillemontio & Bailleto in medium producitur. A primo quidem, ut de Feſti trium Regum celebratione primorum Sæculorum conſuetudinem Eccleſiaſticam oſtendat; rum annot. 6. in Jeſum Chriſtum; Articulo 1. de S. Joanne Baptiſta pag. 88., & annot. 2. pag. 507. Uno de S. Thoma Apoſtolo Articulo ſexies uſqe illius meminit pag. 394. multo vero magis in annot. ad Sanctam Virginem Florentinium appellat; Annotatione quinta, ut planum faciat Deiparam e mortuis non ſurrexiſſe, neque de hac Reſurrectione Antiquis liquido conſtaſſe; atque alibi creberrime, quemadmodum Bailletus, in opinionum ſuarum ſuffragium. Si tamen in hoc Martyrologio quid offendant ſibi incommodum, non deſinunt illud, tanquam *pluribus vitiis haud immune, & leviſſimæ autoritatis* repudiare.

Tillem. art. 3. in Jeſum Chriſtum pag. 8.
Baill. 15. Auguſti.
Baill. 21. Decembris in Vita S. Thomæ. pag. 342.

Exſtat vetuſtum *Pontificale*, ſive Pontificum Index a Bucherio Jeſuita Atrebatenſi, anno 1634., in Opere de Cyclo Paſchali Victoriano divulgatum. Criticorum fert ſententia, hoc idem prorſus eſſe; ac *Librum*, ſeu *Pontificale Damaſi* * a quam pluribus nuncupatum. Tillemontius longe admodum non abeſt, ut credat, hunc a Damaſo, cum adhuc Diaconus eſſet, exaratum; adeoque tanti pendet, ut profiteatur, ſe illum in Pontificum ſerie ducem ſecuturum, atque Euſebio antepoſiturum ad annum uſque 554. quo digeſtus creditur. Bailletus pariter eum vetuſtiſſimum, quod ad nos pervenerit, Calendarium vocat, cujuſque autoritas maximum ponderis habeat apud Criticos; qua de re illud identidem habet in manibus, atque ab illo non paucos Sanctos depromit.

Tillem. Tomo 2. annot. 2. in S. Clem. pag. 592. a. 1.
Tillem. ibidem pag. 595. col. 2.
Baill. Serm. pag. 38. Item 4. Mart. in Vita S. Lucii, 2. Aug. in Vita S. Stephani Pont. 8. Aug. in Vita S. Cyriaci &c.

Tillemotio non placet modo ipſius parere autoritati in Pontificum poſt S. Pontianum Chronologia, verum etiam in Articulis 27. & 28., atque in annotationibus ad S. Petrum. Quadrageſima nanque Catalogi hujus

Tillem. Tomo 1. pag. 556. col. 2.

* Schelſtratus in *Antiquitate illuſtrata* conſiderat, nihil habere nos, quod de *Pontificalis Romani*, aut de Hiſtoriæ Geſtorum Pontificum octo priorum Sæculorum Scriptore liqueat; atque in aperto ponit, nihil aliud eſſe Librum hunc, præter compendium trium Catalogorum Pontificum, quorum alter quarti ſæculi, alter ſexti, tertius denique Octavi Pontifices complectitur, adjecta Anaſtaſii Bibliothecarii, hujus Epitomes Autoris, continuatione.

Exiſtimat Bailletus Calendarium hoc, ſive Indicem, medio circiter IV. Sæculo, regnante Liberio, compoſitum. Chaſtelanius vero loco ſuperius allato, S. Julii Papæ anno 336. renunciati, temporibus exaratum putat.

Serm. de Geſt. Sanct. pag. 38.

ſuſ-

ſuffragio munit opinionem ſuam de SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in-

Till. annot. 44. in D. Petrum pag. 561. col. 1.

„ teritu tertio Kal. Julii . „ Quod unum officere poſſet , ait , a Faſtis „ ſumeretur *Polemei* cujuſdam *Silvii* , quos Romæ lucubratos volunt „ anno 449. , habentque octavo Kal. Martias : *Depoſitio SS. Petri & „ Pauli* ; tertio autem Kal. Julii nullum de illis verbum faciunt . Verum „ neceſſe propterea eſſet , cunctis Eccleſiæ Monumentis adverſari , quo- „ rum tamen aliqua Silvio ſunt vetuſtiora ; Catalogus enim Bucheria- „ nus notat tertio kal. Julii Feſtum S. Petri ad Catacumbas, & S. Pauli „ via Oſtienſi ; octavo autem kal. Martias : *Natale S. Petri de Cathedra*. „ Legitur quoque apud eundem Indicem , Petrum & Paulum tertio „ kal. Julii morti datos . „

Tillem. Tomo 1. annot. 40. in D. Petrum pag. 159. col. 2.

Tillemontius itaque Indice hoc ad diem obitus Apoſtolorum conſtituendum opus habens , illum non ſine laude nominat ; ſed cum idem ab ejus opinione diſſentiat de anno exitus Apoſtolorum , quem Tillemontius in annum 66. , Bucherius in 65. incidiſſe tradunt . „ Tum parum refert , ſubjicit , quid Index hic narret , tenere . Totus enim in errore ad Atherum uſque verſatur .

Baron. ad annum 224. §. 4. & 5.

Tomo 1. annot. 15. in Beatam Virginem pag. 492. col. 1.

Tillem. Tomo 3. annot. 1. in S. Calliſtum pag. 679. col. 1.

Baronius hujus *Damaſi Pontificalis* autoritate confirmare nititur , Calliſtum Pontificem Ædem Beatæ Virgini trans Tiberim conſtruendam curaſſe . At Tillemontius veritus , ne id ſententiæ ſuæ de Maria Virgine Epheſi quieſcente detrimento eſſet , cujus non levius momentum eſt , ibi fuiſſe Templum Deiparæ conſecratum , quod unum per ea tempora ipſius nomen præſeferret ; hoc pacto kalendarii hujus accipit teſtimonium . „ Res tanta minuta adeo autoritate , qualis eſt *Pontificalis Damaſi* autoritas, fulciri non debet „ Nec magis honorifice de eo loquitur Bailletus.

Quenam tandem erit diſparati hujus de iiſdem Operibus judicii cauſſa ? Num forte , quod Sanctus Hieronymus , cui Martyrologium vindicant , & Damaſus *Pontificalis* autor a veritate non deſciſcant locis ab eruditis Criticis noſtris recitatis, fucum vero nobis faciant aliis , ab iiſdem non probatis? Aſt quanto demumcunque in pretio Criticorum iſtorum accurationem , & dignoſcendi vim habeamus, non crediderim tamen fore , ut de his citra graviſſimas rationes inter omnes conveniat.

§. III.

§. III.

De nonnullis Operibus Sanctis Ambroſio, Joanni Cryſoſtomo, Auguſtino, & Ven. Bedæ injuria adjudicatis.

Rem profecto videretur longius producere, quam par eſſet, Lectoremque dicendo fatigare, ſi quis aggredi vellet ad ea omnia colligenda loca, in quibus perdocti Critici noſtri Opera Scriptoribus Eccleſiaſticis perperam tributa, atque ab ipſis aliena in ſuffragium vocant. Satis itaque nobis erit dubitationes quaſdam propoſuiſſe de nonnullis Tractatibus, quatuor aut quinque Patribus fallaciter adſcriptis; unde facile ſit cognoſcere, utrum nec ne jure agant Cl. iſti Critici, qui perpetuo inſurgunt adverſus Scriptores, hujuſmodi Volumina in medium adducentes.

Cum quidam Sanctorum Hiſtorici rati ſint, ſe poſſe quinquageſima tertia ex Epiſtolis, quæ inter Ambroſianas cenſentur, uti ad Vitas edendas SS. Vitalis, Urſicini, Valeriæ, aliorumque; generalis reſponſi ſui non obliviſcuntur Tillemontius & Bailletus; ajuntque, ſuppoſititiam eſſe Epiſtolam hanc, quod eam Patres Benedictini in poſtrema Sancti Ambroſii Editione de ſede ſua detractam, ad Appendicem, res nothas complectentem, detruſerint, & propterea nulla autoritate præſtare, aut fide dignam eſſe. Baronius ex cujuſdam Sermonis textu, S. Ambroſii nomen ferentis, nos certiores facit, Divi Pauli caput ſecuri percuſſum lacte pro ſanguine manaſſe. „ Generatim notum eſt, reſpondet Tillemontius, inter Sermones Ambroſii vocabulo nuncupatos quamplures ipſi falſo adſcribi, ſatiſque apparet ejus rationis eſſe iſtum, qui in veteribus Editionibus ſexageſimum octavum obtinet, locum.

Tillem. Tomo 2. annot. 2. in S. Gerv & Prot. pag 540.
Boll. 19. Junii, & 28. Aprilis.
Baron. ad annum 69.
Tillem. annot. 80. in D. Paulum pag. 613. col. 2.

Æquo ne animo ferrent Viri iſti Doctiſſimi, nos eadem ipſis reponere, quoties Sermonem aliquem ejuſdem Patris habitum, atque ab eo non ſecus ac duo paulo ante memorati abhorrentem uſurpant? Exiſtimavimus, „ hæc ſunt vera Tillemontii verba, nobis ſatis eſſe debere, ad Hiſtoriam „ Geſtorum SS. Nazarii & Celſi ea, quæ nos docent Evodius, † & Sermo „ quidam Ambroſii nomine a nobis laudatus, atque in ejuſdem Operibus inſertus. Quamvis duo hæc monumenta tantæ non ſint autoritatis, „ quantæ res poſtularet; haud tamen dixerim ea nullius omnino eſſe. „ A Monachis certe S. Benedicti, noviſſimis S. Ambroſii Editionibus collocatus eſt numero quinquageſimus quintus eorum, qui ad Patrem „ iſtum referri nullo modo poſſunt. Putavi itaque abs re non futurum, hoc Sermone uti, eundemque Ambroſiano vocabulo inſignire; „ quo.

Tillem. Tomo 2. art. de SS. Nazario & Celſo pag. 93. & pag. 543. col. 2.
† Epiſcopus Papienſis ſub finem V. Sæculi florens.
Boll. 28. Julii in Vita SS. Nazarii & Celſi.

„ quoniam in ipſius Operibus reperitur, & nemo Autorum eſt, cui „ illum ratione aliqua aſſignes. „

Verum enim vero ſi eruditis Criticis iſtis perſuaſum fuit, illorum Martyrum Vitas Operi manifeſte ſpurio inniti poſſe; quare non licebit Baronio aliiſque Sanctorum Hiſtoricis opiniones ſuas Epiſtola quinquageſima tertia, & Sermone ſexageſimo octavo, etſi commentitiis, confirmare? Sique Sermo quinquageſimus quintus, quamvis non genuinus, momentum aliquod habet & autoritatem; quare nullum habebunt Epiſtola quinquageſima tertia, & Sermo Sexageſimus octavus; cum tamen quiquid pro Sermone quinquageſimo quinto congerit Tillemontius, æque Epiſtolæ quinquageſimæ tertiæ, & Sermoni ſexageſimo octavo accommodari poſſit? hæc nanque duo Opuſcula in Appendice *noviſſimæ S. Ambroſii Editionis reperiuntur, & nemo Autorum eſt, cui illa ratione aliqua aſſignes*. Immo hoc intercedit non leve diſcrimen inter Sermonem ſexageſimum octavum, a Baronio memoratum, & quinquageſimum quintum a Sapientibus Criticis noſtris adductum; quod poſtremus hic, Tillemontii ipſius confeſſione, quampluribus rebus minime probabilibus refercitur, quæ de illius autoritate nonnihil detrahunt, aliiſque etiam per ſe ipſis parum credibilibus; contra vero ſexageſimus octavus omnia ſimilia veri contineat, quæque propugnari poſſunt.

Non ſatis tamen mirari queas, Cl. iſtos Criticos ab adulterinis Opuſculis teſtimonium ſumere iiſdem locis, in quibus eorum fraudem aperiunt. Teſtantur Tillemontius & Bailletus, Acta S. Sebaſtiani, a Bollando nomine Ambroſii in publicum emiſſa, mendoſe Patris hujus Operibus accenſeri. Nihilominus Sancti hujus Hiſtoriæ ab Actis iiſdem documenta ceperunt. Unanimes quoque recognoſcunt, Sermones duos, qui S. Ambroſii nomenclaturam ſortiti ſunt, eam fraudulenter ſibi arrogaſſe, & S. Benedicti Monachos illos Ambroſio denegare: hoc tamen non prohibuit, quominus ab illis excerpſerint plura ad conficiendam S. Laurentii Hiſtoriam opportuna; quemadmodum ab alio Sermone, S. Fulgentio affìcto, quem veluti fucatum in Appendice extremæ Operum ejus Editionis appoſuerunt.

Tillem. tomo 4. pag. 526. art. de S. Sebaſt. & annot. 2 pag. 741. ed. 2.
Baill. 20. Januarii in Vita S. Sebaſtiani.
Tillem. tomo 4. pag. 38. art. de S. Laurentio
Baill. 10. Auguſti in Tabula Critica de S. Laur.

Habemus etiam, Bailletum in Vita S. Dionyſii Epiſcopi Mediolanenſis petere præſidium veritatis a Sermone vitioſe Ambroſii titulum gerente; dum cogitatum narrat, quo errorem ſuſtulit Dionyſius, in quem impulſus fuerat, ut Athanaſii damnationi ſubſcriberet: atque in Hiſtoria SS. Martyrum Aquilejenſium Cantii &c. alio pariter S. Ambroſii fallaci Sermone ut qui in Appendice quadrageſimus eſt; nonnullique Sancto Maximo Taurinenſi tribuere ſolent.

Baill. 23. Maii In Vita S. Dionyſii pag. 804.
Baill. 31. Maii de MM. Cant. pag. 950.

Cum meminerit Baronius Sermonis S. Auguſtini 154. *de Tempore*, con-

Baron. ad ann. 34. §. 234.

confirmandi gratia, Spiritum Sanctum e Cœlo in Apoſtolos Dominico die delapſum fuiſſe, Tillemontius, ut vim auferat huic argumento, commune Criticis reſponſum reddit. „ Sermonem hunc Lovanienſes in dubium vocarunt, quique imposterum ſtudioſius Auguſtini Opera meditati ſunt, eum ab Auguſtino diſtare longe arbitrantur. „

Tillem. tomo 1. annot. 8. in D. Petrum pag. 136. col. 2.

Sermones item *ad Fratres in Eremo* omnium conſenſu Auguſtinum autorem non agnoſcunt. Illorum tamen viceſimus quintus Tillemontio argumenta ſuppeditavit ad oſtendendum; Pervigilium S. Joannis ab Ethnicis quoque ſolemni ritu celebratum fuiſſe, & noctem illam conſueviſſe eos in conventibus ſuis tranſigere. Subjicit deinceps: „ Opinor equidem, hujus Sermonis autorem tanti eſſe, ut nobis fidem faciat, id moris ætate ſua falſum omnino non fuiſſe. „ Ecce igitur ſuppoſititia Opuſcula aliquando alicujus, aliquando nullius autoritatis, ut eruditis Criticis noſtris libitum eſt.

Tillem. annot. 4. in S. Joann. Baptiſtam pag. 509. col. 1.

Iidem Bailletus & Tillemontius hauſerunt plura ad Hiſtoriam SS. Perpetuæ & Felicitatis attinentia a Sermone quodam D. Auguſtini, per Maurinos Monachos incerto. Tum in Hiſtoria S. Laurentii interſerunt quædam ab ejuſdem Doctoris Sermonibus octogeſimo ſeptimo, & centeſimo decimo ſexto ad Appendicem rejectis, depromta. Denique, tametſi extra controverſiam ſuppoſitus ſit, atque hujuſmodi in Appendice agnitus a Benedictinis Sermo Auguſtini trecenteſimus decimus ſeptimus; hoc nihilo ſecius non impedit, quominus inde eruant non pauca pro Hiſtoria Martyrum a *Maſſa candida* nuncupatorum.

Till. tomo 3. pag. 136. Art. de Perp. & Felic.
Baill. 7. Martii in Vita SS. Perpetuæ & Felic.
Tillem. tomo 4. art. 38. de S. Laurentio.
Tillem. tomo 4. Art. 67. de S. Cypriano pag. 175.

Exſtant VI. Operum S. Joannis Cryſoſtomi Volumine Pariſiis impreſſo anno 1636. ſeptuaginta tres Sermones, Frontoni Ducis judicio in S. Patris illius germanos fœtus ſubrepti, quicum conſentiunt Savilius, aliique Critici; immo Tillemontius crebro fatetur, Tomum hunc figmentum eſſe Opuſculis a Cryſoſtomo alienis compactum.

Baill. 24. Auguſti.
Tillem. annot. 1. in D. Paul. pag. 569. col. 1.

Poſt apertam adeo Sermonum iſtorum fallaciæ confeſſionem quid cogitem neſcio, cum reputo Tillemontium eundem eos in cenſum ſuum multis conſtituendis factis transferre. Articulo nanque 36. de D. Petro triceſimum citat, ut planum faciat, Petrum clavis Cruci ſuffixum; Articulo item 1. de S. Paulo pag. 202., & 569., ut oſtendat Apoſtolum hunc ad annum ætatis octavum & ſexageſimum vixiſſe. „ Verum quidem eſt, addit, nos Homiliam hanc magnopere non pendere: eam tamen uſurpamus, ſimul quia nihil reperire eſt, quod majoris momenti ſit, atque item nihil, quod ei videatur eſſe contrarium „ ...... Qua de re mirari aliqua ex parte ſubit, Tillemontium Baronio hanc eandem triceſimam Orationem afferenti, quo evinceret ex obtruncato Pauli capite lac loco ſanguinis diffluxiſſe, eundemque triginta quinque annorum

pag. 190.
Baron. anno 69. Item anno 36.

Tillem. annot. 80. in D. Paul. pag 613.

ſpatio ſervitutem Jeſu Chriſto ſerviviſſe, reſpondere, hanc S. Joannis; Cryſoſtomi Orationem ejus non eſſe, „ præterquamquod ſubjungit, id „ genus narrationum rem concluſe nunquam definiunt, cum raro admo- „ dum accuratæ ſint.

Item annot. 5. in D. Paul. pag. 372. col. 2.

At enim unde quæſo conjicit Tillemontius, intendiſſe Baronium ex hac Homilia concluſe facta hujuſmodi definire? Potius quidem ſpecies eſt, cum æque ac Tillemontium, *Homiliam iſtam magnopere non pendere: uſurpare tamen, ſimul quia nihil repererit, quod majoris momenti eſſet, atque item nihil, quod ei videretur eſſe contrarium*. Neque enim doctiſſimum hunc Cardinalem latebat Orationis hujus ſuppoſitio.

pag. 338.

Tillemontius rurſus Articulo de S. Andrea teſtem profert Homiliam viceſimam primam; articulo de Sancto Thoma quater triceſimam ſecundam; majoremque aliarum partem ubicunque demum res flagitat. In Vita S. Theclæ aures præbet duobus Opuſculis conſtanter falſis: quorum primum eſt fragmentum Panegyrici Sanctæ Theclæ; alterum Oratio 72. quæ ad S. Joannem *Jejunatorem* Patriarcham Conſtantinopolitanum pertinet Sæculi VI. exeuntis Scriptorem: ambæ autem Homiliæ habentur Tomo primo Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

Tillem. tomo 2. art. de S. Thecla pag. 66. & 67. Ibidem pag. 529. col. 1.

Dupinus, Alexander, Cave.

Communis fere opinio Criticorum ætate noſtra Tractatus *de Locis Sanctis*, qui tertio Bedæ Tomo aſſutus fuit, veritatem non recipit; cumque ex eo textum ſumſerit Baronius, ubi ait, tempore, quo Virgo enixa eſt, e rupe Speluncæ imminente, fontem mirum in modum erupiſſe; Tillemontio non arridet factum iſtud, atque ſubdit. „ Videtur id Baronius a Beda *de Locis Sanctis* mutuari, qui tamen hæc non profert: præterquamquod non pauca congerit eo in Opere aut minus probabilia, aut explorate mendacia. „

Tillem. annot. 8. in Jeſum Chriſtum pag. 446. col. 1.

A veritate ſane non abhorret, maluiſſe ſagacem Criticum iſtum aſſerere, Librum hunc aut *minus probabilia, aut explorate mendacia* complecti, quam commentitium Opus fateri; neque enim id ignorabat, ſed verebatur, ne id in damnum vergeret pluribus contextus ſui locis, in quibus ejuſdem Libri teſtimonio res narrat tam prodigioſas, quam quas in Baronio refellebat. Articulo ſiquidem 24. de Jeſu Chriſto hujus *de Locis Sanctis* Libri autoritate argumentatur, exſtructo Sanctæ Helenæ juſſu Templo *Aſcenſionis*, partem eam, qua Servator noſter in cœlum aſcendit, ſive ſecundum Bedam *interiorem domum* camerari & tegi non potuiſſe. Hieroſolymis hoc *Aſcenſionis* feſtum celebrabatur Octavo ſæculo lucernis, tota illa nocte ardentibus in Eccleſia, ut, enarrante Beda, *ardere mons & ſuppoſita loca viderentur*, quin eodem die *per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procellam venire conſueviſſe, & omnes, qui in Eccleſia fuerint, terræ proſternere*.

pag. 57.

Beda de Locis Sanctis Tomo 3. c. 7. pag. 366.

Alia

Alia complura inde etiam expromit Tillemontius; præcipue vero de Virginis Deiparæ Reſurrectione. „ Dici poteſt, iſta habet, Bedam adverſus illam ſtetiſſe; quamquam noſſet, quod ejus ſepulchrum Hieroſolymis oſtendebatur, atque ipſius corpus neque ibi, neque alibi locorum notorum quieſcebat. „ Si perſuaſum non eſt Tillemontio, Opus iſtud ſubreptitium eſſe, liceat per eum, imminuendi gratia hujus teſtimonii, nos adverſus illum reſponſum ſuum retorquere: *Certum eſt non pauca eo in opere Bedam congerere, aut minus probabilia, aut explorate mendacia.* Alias non ægre ferat, Baronium quoque Tractationis illius autoritatem ad ſuos uſus adjungere.

Tillem. annot. 1. in S. Virginem pag. 497. col. 2. Beda de locis Sanctis cap. 6. pag. 365.

Ceterum non inficiamur, poſſe quemque loco uno Scriptoris alicujus dictis adhærere, alio vero ab eodem recedere, quando nimirum evidens eſt, illum erraſſe; idque licere etiam credimus in ſuppoſititiis operibus, in quibus bona mixta malis eſſe poſſunt: illud unum æquitatem habere negamus, immodicis laudibus opus afficere, quod nobis favet, aſpernari autem, ſi noceat; aut infenſo quodam Operum autoritatem exterminandi ſtudio, hinc univerſe erroribus plenum, fallacem, fabuloſum, ſuppoſitum tandem Librum clamare; illinc vero, ſi urgeat res, eundem in medium producere.

Percuntamur ergo Criticos iſtos Sapientiſſimos, quodnam ſit ipſorum judicium, de *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, & *Recognitionum* Libris, de Abdia, de *Martyrologio* S. Hieronymi, de Damaſi *Pontificali*, de Tractatu *de Locis Sanctis*, de Sermonibus, de Homiliis, deque aliis hucuſque memoratis Operibus adulterinis, aut falſo Patribus iiſdem, aliiſque Veteribus tributis? Scire ab eis velim, utrum ipſorum ſententia alicui vel levi monumenta iſta eſſe poſſint argumento; an nenullius ponderis aut frugis Hiſtoriis conſtituendis futura ſint? Si ipſorum teſtimonium futile videtur, & nulla omnino fide dignum; quorſum eo utuntur Critici noſtri; Critici inquam præſtantes adeo, ut ubique jactare ſoleant, ſe nihil penitus recitaturos, quod e rerum fontibus in Opera ſua non derivaverint, & ſolidis monumentis non innitatur? Contra vero ſi exiſtimant, Opuſcula iſta, apocrypha licet, alicui compendio fore, & probationem ſaltem exiguam ſuppeditare, ſive quod ad antiquitatem eorum attinet, aut doctrinæ firmitatem, perſpicaciam, exquiſitum ſenſum, & accurationem in iis deprehenſam; ſive quod ad Autores ſpectat, quibus aliqua veri ſimilitudine referri poſſunt: cur accipiunt graviter, Scriptores alios ad ea nonnunquam confugere? cur ſuccenſent ceteris illa laudantibus, nulloque numero & autoritate eſſe teſtantur?

ARTICULUS PRIMUS.

De teſtimonio deducto a Libris, Veterum nomine vulgatis, licet eoſdem Autores nequaquam agnoſcant.

§. I.

De conſtitutionibus Apoſtolicis, Recognitionibus S. Clementi Pontifici tributis, & falſo Abdia.

NEmo eſt temporibus noſtris, qui ambigat, tria hæc volumina nullam præſeferre notam veritatis. „ Autor *Conſtitutionum*, inquit „ Dupinus, calumniator eſt, qui ſe Clementem Apoſtolorum diſcipulum „ ubique vendicat, iiſque in univerſum, & unicuique ſigillatim eas „ præceptiones, quæ ab ipſis longiſſime abſunt, adſcribit. Rufinus opus „ quoddam *Recognitionum Clementis* titulo notum vertit, quod nuncu„ pant etiam *Itinera*, *Itinerarium*, ſive *Acta S. Petri*: Gelaſius ad apo„ crypha rejicit; & Photius abſurda atque errata multa complecti tra„ dit. Et revera Scriptum hoc conſarcinatum eſt fabulis, erroribus, „ exercitationibus, & diſputationibus ridiculis inter Sanctum Petrum & „ Simonem Magum de induſtria confictis. „

Dupin. Tomo 1. pag. 44.

Dupin. ibidem pag. 90. Alex. ſæc. 1. Tomo 1. cap. XI art. XI. pag. 126. Cave Hiſt. Litter. pag. 39. col. 2. Baileius.

Ab eadem ſententia non diſcrepat Tillemontius. Cum enim quendam *Conſtitutionum Apoſtolicarum* locum contulerit Baronius ad oſtendendum, Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos die Dominico deſcendiſſe: ecce quanam Autoris hujus teſtimonium ratione refellat Tillemontius. „ Verum „ licet *Conſtitutiones*, illæ nimirum, quæ immerito Apoſtolorum nomi„ ne inſignitæ ſunt, quæque docent, quinquageſimo a Paſchatis Domini„ co die celebrandum eſſe Feſtum Pentecoſtes, quo Spiritum Sanctum „ miſit Jeſus Chriſtus, aperte traderent eum die Dominico miſiſſe, con„ ſtat, Librum hunc parvi pendendum „. Item habeto, quæ alibi proferat in rem eandem. „ Poſſem equidem plura de Sancto Petro a *Con„ ſtitutionibus & Recognitionibus* S. Clementis huc transferre: ſed hi om„ nes Libri non magnopere fiunt, tamquam commentitii aut deprava„ ti. „ Immo in Tabula rerum ſcriptum eſt: *Conſtitutiones Apoſtolicæ, nullius prorſus autoritatis Liber.*

Tillem. annot. 8. in D. Petrum pag. 536. col. 2.

Tillem. art. 40. in S. Petrum pag. 198.

Clarius tamen mentem ſuam de *Recognitionibus* aperit Criticus iſte. „ *Recognitionum* Liber fabuloſis Hiſtoriis confertus eſt, & ne ſpecie quidem ve„ ris,

Tillem. Tomo 2. art. 6. in S. Clem. pag. 177. Item Tomo 1.

„ ris, immo Hæreſibus aliquando non vacat. Expunctum fuit a Gelaſio, & „ generatim ab omnibus nullo pretio aut utilitate Opus. „

annot. in S. Barn. 687. col. 2.

Hoc habito judicio viſum ſane cuique eſſet; nunquam *Conſtitutiones*, & *Recognitiones* a Criticis iſtis citatum iri; ut factum aliquod, quodcumque tandem eſſet, probarent, aut majori autoritate roborarent. Nihiloſecius iis non ſemel uſus eſt Tillemontius. Annotatione namque 42. in Jeſum Chriſtum probaturus defeciſſe Joannem Chryſoſtomum, cum Servatorem noſtrum ad cœlos aſcendiſſe Sabbathi die teſtatus eſt: „ Dicendum, his loquitur verbis, id Jovis die contigiſſe, quo myſterium iſtud recolit Eccleſia, uti nos monent *Conſtitutiones Apoſtolicæ* „. Eaſdem pariter laudarat ſuper hac re in contextu articuli 24. de Jeſu Chriſto.

Tillem. Tome 1. pag. 480. col. 2.

Similiter in quadam annotatione ad S. Petrum ſpectante recognoſcit, Hieronymum Diaconis bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem tribuiſſe. „ Et quidem, ſubdit, fas eſt credere, hunc in Oriente morem aliquando obtinuiſſe; cum *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Decreto cautum ſit Diaconis, ne quidpiam, inconſulto Epiſcopo, diſtribuant. „ Ad eas demum confugit, ut efficiat, Apoſtolos operam Evangelio ſimul, & Arti priſtinæ dediſſe. Integrum certe eſſet quam plurima alia loca memorare, in quibus non Tillemontius modo, verum Launojus etiam, Valeſius, Dupinus, Bailletus, Petit-Didierus, Alexander aliique Critici a *Conſtitutionibus Apoſtolicis* præſidium ſibi aſciſcunt: at moleſtus eſſet, atque inanis labor. Id unum ſubjiciam, eos nimirum, qui Mariam Magdalenam a Maria Sorore Lazari, & Maria peccatrice diſtinguunt, Tillemontium, Anquetinum, Launojum, &c. inter Veterum teſtimonia, quæ pro hujuſmodi diſtinctione ſtare contendunt, Apoſtolorum *Conſtitutiones* non prætériiſſe. Pati tamen nullo modo poſſunt, ex illis Criticos alios vel minimum quæſtus comparare.

Ibid. annot. 13. in S. Petrum pag. 539. col. 1.

Art. 28. in S. Petrum pag. 170. Ibidem art. 27. 34. &c.

Tillem. Tome 2. annot. 2. in S. Mariam Magd. col. 2. pag. 513. Anquetinus Diſſertat. edita anno 1699.

Recognitiones autem uſurpant Tillemontius & Bailletus, ut conjiciant, Jeſum Chriſtum ſeptuaginta duos diſcipulos ad Moſis normam delegiſſe; & rurſus Tillemontius quodam *Recognitionum* Textu S. Thomam Apoſtolum Evangelica legatione apud Parthos functum fuiſſe declarat.

Tillem. annot. 24. in Jeſ. Chriſt. pag. 460 col. 2. Baill. 25. Julii Hiſt. 72. Diſcipulorum.

Tillem. art. de S. Thoma pag. 395.

Nemo unus perſuaſum non habet, Librum qui Abdiæ vocabulo adhuc ſupereſt, Hiſtoriis fabuloſis & ſuppoſititiis conſertum eſſe. „ Calu„ mniatoris opus eſt, inquit Dupinus, qui ſe fraudulenter Chriſti Diſci„ pulum prædicat .... Falſus Abdias, ſequitur Tillemontius, menda„ ciſſimus ſcriptor eſt; quodque apud ipſum tantum reperitur, perinde „ haberi debet, ac ſi nuſquam reperiretur. Propterea ſupervacaneum du„ xi, tempus in univerſo evolvendo conterere; ſi qua etenim vera profe„ rat, ea a fabulis & narratiunculis internoſcere non potuiſſem.

Dupinus Tomo 1. pag. 51. Alex. ſæc. 1. Tomo 1. cap. 11. art. 5. Cave Hiſt. Litter. pag. 18. Bailletus. Tillem. annot. 3. in S. Jacobum Majorem pag. 629. col. 1.

Quæ cum ita ſint, non intelligo, qui Cl. Critici hujus diligentiam fu-

fugerit, calumniatorem iſtum plurimis locis teſtem adhibere; Articulo ſiquidem S. Simonis Apoſtoli, quo de SS. Simonis & Judæ martyrio diſſerit, eum laudat in hæc verba: „ Prodit Abdias, illos, Sacerdotum „ Idolorum tumultu in eos facto, trucidatos fuiſſe. „ Ejus etiam mentionem facit S. Matthæi articulo, atque alibi, cujus hac ex parte veſtigiis inſtitit Bailletus.

Tillem. Tomo 1. pag. 424.
Tillem. pag. 186.
Baill. 21. Septembr. in Vita S. Matt. pag. 529.

Nunquid non ea doctis Criticis iſtis reponere poſſemus, quæ Tillemontius, occaſione cujuſdam loci, in quo videtur deceptus S. Joannes Cryſoſtomus, quandoque animadvertit? „ Nihil nos manet dicere, niſi eum hominem fuiſſe, & non ſecus atque nos, obnoxium iis, quæ præ ceteris callebat, animo non advertendo. „

Tillem. annot. 42. in Jeſ. Chriſtum pag. 480. col. 2.

Quo plane modo Sapientes hi Critici veritatis, quæ alte ipſis inſederat, obliti ſunt: videlicet *Conſtitutiones Apoſtolicas*, & *recognitiones*, Opera eſſe fabulis redundantia, autoritate carentia, & Abdiam putiſſimum calumniatorem? Quamobrem *nihil nos manet dicere, niſi eos homines fuiſſe, & non ſecus atque Scriptores alii*, (in quos, ſi quando his offendant, ſeveritate tanta feruntur,) *obnoxios iis nonnunquam, quæ præ ceteris callent, animo non advertendo.*

§. II.

De Martyrologio S. Hieronymo tributo, & de Pontificali Damaſi nomen ferente.

VEnerabilis Beda recitans, quæ de Santi Simeonis Martyrio pervagata erant, obſervat, Hiſtoriam hanc Martyrologi Euſebiani, a S. Hieronymo converſi, autoritate firmari. * „ Hoc, ut videtur, inquit Tillemontius, Martyrologium eſt a Florentinio † publica luce do-

Tillem. art. de Sancto Simeone pag. 424.
† Nobili Lucenſi anno 1673. defuncto.

* Duo exſtant exemplorum hujus Martyrologii genera, quorum unum abſolutum Opus eſt, alterum Epitome. Quod eſt exemplorum abſolutorum, tria in vulgus edita ſunt. Primum Eſternacienſe an. 728. a Laurentio Monacho conſcriptum juſſu S. Vilbrodi primi Trajectini Epiſcopi. Alterum Corbienſe a D. Luca Dacherio quarto *Spicilegii* ſui Volumine emiſſum. Tertium eſt S. Vuandrilli nonnullis Sanctis locupletatum, atque a Florentinio publici juris factum, titulo *Veteris Martyrologii Eccleſiæ Occidentalis* cum Adnotationibus, quibus addidit Exemplaria Eſternacienſe, & Corbienſe, omnibus ſuis partibus abſoluta. Quod vero ſpectat ad Epitomen, a Dacherio accepimus illam S. Guilelmi a Deſerto, quinto *Spicilegii* Volumine inſertam. Aliarum duarum mentio eſt apud Abbatem Chaſtelaninm in Admonitione, Martyrologio Romano Gallice reddito præfixa. Item Baill. ſerm. de Geſt. Sanctorum pag. 40. & 41.

Valeſius Opuſculo, quarto, quod adnotationibus ſnis in Euſebinm appoſnit, ſuadere ſtudet, exemplum a Roſvveido anno 1613. cum Scholiis titulo *Veteris Martyrologii Romani* excuſum, non in Eccleſia Romana tantum uſum habuiſſe.

„ na-

„ natum hac Epigraphe: *Notæ in Vetus Martyrologium S. Hieronymi*. „ Iſtud quidem majorem omnibus, quæ exſtant, redolet antiquitatem; „ quamquam vitiis quampluribus immune non ſit, neque Euſebio, ne„ que Hieronymo, uti in præſentia legitur, adjudicandum „. Alibi quoque idem flocci facit, & leviſſimæ autoritatis Opus cenſet.

Nihil tamen obſtantibus his quam ſæpiſſime a Tillemontio & Bailleto in medium producitur. A primo quidem, ut de Feſti trium Regum celebratione primorum Sæculorum conſuetudinem Eccleſiaſticam oſtendat; tum annot. 6. in Jeſum Chriſtum; Articulo 1. de S. Joanne Baptiſta pag. 88., & annot. 2. pag. 507. Uno de S. Thoma Apoſtolo Articulo ſexies uſqe illius meminit pag. 394. multo vero magis in annot. ad Sanctam Virginem Florentinium appellat; Annotatione quinta, ut planum faciat. Deiparam e mortuis non ſurrexiſſe, neque de hac Reſurectione Antiquis liquido conſtaſſe; atque alibi creberrime, quemadmodum Bailletus, in opinionum ſuarum ſuffragium. Si tamen in hoc Martyrologio quid offendant ſibi incommodum, non deſinunt illud, tanquam *pluribus vitiis haud immune*, & *leviſſimæ autoritatis* repudiare.

Tillem. art. 3. in Jeſum Chriſtum pag. 8.
Baill. 15. Auguſti.
Baill. 21. Decembris in Vita S. Thomæ. pag. 342.

Exſtat vetuſtum *Pontificale*, ſive Pontificum Index a Bucherio Jeſuita Atrebatenſi, anno 1634., in Opere de Cyclo Paſchali Victoriano divulgatum. Criticorum fert ſententia, hoc idem prorſus eſſe; ac *Librum*, ſeu *Pontificale Damaſi* * a quam pluribus nuncupatum. Tillemontius longe admodum non abeſt, ut credat, hunc a Damaſo, cum adhuc Diaconus eſſet, exaratum; adeoque tanti pendet, ut profiteatur, ſe illum in Pontificum ſerie ducem ſecuturum, atque Euſebio antepoſiturum ad annum uſque 554. quo digeſtus creditur. Bailletus pariter eum vetuſtiſſimum, quod ad nos pervenerit, Calendarium vocat, cujuſque autoritas maximum ponderis habeat apud Criticos; qua de re illud identidem habet in manibus, atque ab illo non paucos Sanctos depromit.

Tillem. Tomo 2. annot. 2. in S. Clem. pag. 592. a. 1.
Tillem. ibidem pag. 595. col. 2.
Baill. Serm. pag. 38. Item 4. Mart. in Vita S. Lucii, 2. Aug. in Vita S. Stephani Pont. 8. Aug. in Vita S. Cyriaci &c.

Tillemotio non placet modo ipſius parere autoritati in Pontificum poſt S. Pontianum Chronologia, verum etiam in Articulis 27. & 28., atque in annotationibus ad S. Petrum. Quadrageſima nanque Catalogi hujus

Tillem. Tomo 1. pag. 556. col. 2.

* Schelſtratus in *Antiquitate illuſtrata* conſiderat, nihil habere nos, quod de *Pontificalis Romani*, aut de Hiſtoriæ Geſtorum Pontificum octo priorum Sæculorum Scriptore liqueat; atque in aperto ponit, nihil aliud eſſe Librum hunc, præter compendium trium Catalogorum Pontificum, quorum alter quarti ſæculi, alter ſexti, tertius denique Octavi Pontifices complectitur, adjecta Anaſtaſii Bibliothecarii, hujus Epitomes Autoris, continuatione.

Exiſtimat Bailletus Calendarium hoc, ſive Indicem, medio circiter IV. Sæculo, regnante Liberio, compoſitum. Chaſtelanius vero loco ſuperius allato, S. Julii Papæ anno 336. renunciati, temporibus exaratum putat.

Serm. de Geſt. Sanct. pag. 38.

ſuf.

Digitized by Google

ſuffragio munit opinionem ſuam de SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in-

Till. annot. 44. in D. Petrum pag. 561. col. 1.

„ teritu tertio Kal. Julii. „ Quod unum officere poſſet, ait, a Faſtis „ ſumeretur *Polemei* cujuſdam *Silvii*, quos Romæ lucubratos volunt „ anno 449., habeutque octavo Kal. Martias: *Depoſitio SS. Petri & „ Pauli*; tertio autem Kal. Julii nullum de illis verbum faciunt. Verum „ neceſſe propterea eſſet, cunctis Eccleſiæ Monumentis adverſari, quo- „ rum tamen aliqua Silvio ſunt vetuſtiora; Catalogus enim Bucheria- „ nus notat tertio kal. Julii Feſtum S. Petri ad Catacumbas, & S. Pauli „ via Oſtienſi; octavo autem kal. Martias: *Natale S. Petri de Cathedra*. „ Legitur quoque apud eundem Indicem, Petrum & Paulum tertio „ kal. Julii morti datos. „

Tillem. Tomo 1. annot. 40. in D. Petrum pag. 159. col. 2.

Tillemontius itaque Indice hoc ad diem obitus Apoſtolorum conſtituendum opus habens, illum non ſine laude nominat; ſed cum idem ab ejus opinione diſſentiat de anno exitus Apoſtolorum, quem Tillemontius in annum 66., Bucherius in 65. incidiſſe tradunt. „ Tum parum refert, ſubjicit, quid Index hic narret, tenere. Totus enim in errore ad Atherum uſque verſatur.

Baron. ad annum 224. §. 4. & 5.

Tomo 1. annot. 25. in Beatam Virginem pag. 492. col. 1.

Tillem. Tomo 3. annot. 1. in S. Calliſtum pag. 679. col. 1.

Baronius hujus *Damaſi Pontificalis* autoritate confirmare nititur, Calliſtum Pontificem Ædem Beatæ Virgini trans Tiberim conſtruendam curaſſe. At Tillemontius veritus, ne id ſententiæ ſuæ de Maria Virgine Epheſi quieſcente detrimento eſſet, cujus non levius momentum eſt, ibi fuiſſe Templum Deiparæ conſecratum, quod unum per ea tempora ipſius nomen præſeferret; hoc pacto kalendarii hujus accipit teſtimonium. „ Res tanta minuta adeo autoritate, qualis eſt *Pontificalis Damaſi* autoritas, fulciri non debet „ Nec magis honorifice de eo lo- „ quitur Bailletus.

Quenam tandem erit diſparati hujus de iiſdem Operibus judicii cauſa? Num forte, quod Sanctus Hieronymus, cui Martyrologium vindicant, & Damaſus *Pontificalis* autor a veritate non deſciſcant locis ab eruditis Criticis noſtris recitatis, fucum vero nobis faciant aliis, ab iiſdem non probatis? Aſt quanto demumcunque in pretio Criticorum iſtorum accurationem, & dignoſcendi vim habeamus, non crediderim tamen fore, ut de his citra graviſſimas rationes inter omnes conveniat.

§. III.

§. III.

De nonnullis Operibus Sanctis Ambroſio, Joanni Cryſoſtomo, Auguſtino, & Ven. Bedæ injuria adjudicatis.

REm profectò videretur longius producere, quam par eſſet, Lectoremque dicendo fatigare, ſi quis aggredi vellet ad ea omnia colligenda loca, in quibus perdocti Critici noſtri Opera Scriptoribus Eccleſiaſticis perperam tributa, atque ab ipſis aliena in ſuffragium vocant. Satis itaque nobis erit dubitationes quaſdam propoſuiſſe de nonnullis Tractatibus, quatuor aut quinque Patribus fallaciter adſcriptis; unde facile ſit cognoſcere, utrum nec ne jure agant Cl. iſti Critici, qui perpetuo inſurgunt adverſus Scriptores, hujuſmodi Volumina in medium adducentes.

Cum quidam Sanctorum Hiſtorici rati ſint, ſe poſſe quinquageſima tertia ex Epiſtolis, quæ inter Ambroſianas cenſentur, uti ad Vitas edendas SS. Vitalis, Urſicini, Valeriæ, aliorumque; generalis reſponſi ſui non obliviſcuntur Tillemontius & Bailletus; ajuntque, ſuppoſititiam eſſe Epiſtolam hanc, quod eam Patres Benedictini in poſtrema Sancti Ambroſii Editione de ſede ſua detractam, ad Appendicem, res nothas complectentem, detruſerint, & propterea nulla autoritate præſtare, aut fide dignam eſſe. Baronius ex cujuſdam Sermonis textu, S. Ambroſii nomen ſerentis, nos certiores facit, Divi Pauli caput ſecuri percuſſum lacte pro ſanguine manaſſe. „ Generatim notum eſt, reſpondet Tillemontius, inter Sermones Ambroſii vocabulo nuncupatos quamplures ipſi falſo adſcribi, ſatiſque apparet ejus rationis eſſe iſtum, qui in veteribus Editionibus ſexageſimum octavum obtinet, locum.

Tillem. Tomo 2, annot. 2 in S. Gerv & Prot. pag 540. Baill. 19. Junii, & 28. Aprilis.

Baron. ad annum 69.

Tillem. annot. 80. in D. Paulum pag. 613. col. 2.

Æquo ne animo ferrent Viri iſti Doctiſſimi, nos eadem ipſis reponere, quoties Sermonem aliquem ejuſdem Patris habitum, atque ab eo non ſecus ac duo paulo ante memorati abhorrentem uſurpant? Exiſtimavimus, „ hæc ſunt vera Tillemontii verba, nobis ſatis eſſe debere, ad Hiſtoriam „ Geſtorum SS. Nazarii & Celſi ea, quæ nos docent Evodius, † & Sermo „ quidam Ambroſii nomine a nobis laudatus, atque in ejuſdem Operibus inſertus. Quamvis duo hæc monumenta tantæ non ſint autoritatis, „ quantæ res poſtularet; haud tamen dixerim ea nullius omnino eſſe. „ A Monachis certe S. Benedicti, noviſſimis S. Ambroſii Editionibus collocatus eſt numero quinquageſimus quintus eorum, qui ad Patrem „ iſtum referri nullo modo poſſunt. Putavi itaque abs re non futurum, hoc Sermone uti, eundemque Ambroſiano vocabulo inſignire; „ quo.

Tillem. Tomo 2. art. de SS. Nazario & Celſo pag. 93. & pag. 543. col. 2.

† Epiſcopus Papienſis ſub finem V. Sæculi florens.

Baill. 28. Julii in Vita SS. Nazarii & Celſi.

„ quoniam in ipſius Operibus reperitur, & nemo Autorum eſt, cui „ illum ratione aliqua aſſignes. „

Verum enim vero ſi eruditis Criticis iſtis perſuaſum fuit, illorum Martyrum Vitas Operi manifeſte ſpurio inniti poſſe; quare non licebit Baronio aliiſque Sanctorum Hiſtoricis opiniones ſuas Epiſtola quinquageſima tertia, & Sermone ſexageſimo octavo, etſi commentitiis, confirmare? Sique Sermo quinquageſimus quintus, quamvis non genuinus, momentum aliquod habet & autoritatem; quare nullum habebunt Epiſtola quinquageſima tertia, & Sermo Sexageſimus octavus; cum tamen quiquid pro Sermone quinquageſimo quinto congerit Tillemontius, æque Epiſtolæ quinquageſimæ tertiæ, & Sermoni ſexageſimo octavo accommodari poſſit? hæc nanque duo Opuſcula in Appendice *noviſſimæ S. Ambroſii Editionis reperiuntur, & nemo Autorum eſt, cui illa ratione aliqua aſſignes*. Immo hoc intercedit non leve diſcrimen inter Sermonem ſexageſimum octavum, a Baronio memoratum, & quinquageſimum quintum a Sapientibus Criticis noſtris adductum; quod poſtremus hic, Tillemontii ipſius confeſſione, quampluribus rebus minime probabilibus refercitur, quæ de illius autoritate nonnihil detrahunt, aliiſque etiam per ſe ipſis parum credibilibus; contra vero ſexageſimus octavus omnia ſimilia veri contineat, quæque propugnari poſſunt.

Non ſatis tamen mirari queas, Cl. iſtos Criticos ab adulterinis Opuſculis teſtimonium ſumere iiſdem locis, in quibus eorum fraudem aperiunt. Teſtantur Tillemontius & Bailletus, Acta S. Sebaſtiani, a Bollando nomine Ambroſii in publicum emiſſa, mendoſe Patris hujus Operibus accenſeri. Nihilominus Sancti hujus Hiſtoriæ ab Actis iiſdem documenta ceperunt. Unanimes quoque recognoſcunt, Sermones duos, qui S. Ambroſii nomenclaturam ſortiti ſunt, eam fraudulenter ſibi arrogaſſe, & S. Benedicti Monachos illos Ambroſio denegare: hoc tamen non prohibuit, quominus ab illis excerpſerint plura ad conficiendam S. Laurentii Hiſtoriam opportuna; quemadmodum ab alio Sermone, S. Fulgentio affictо, quem veluti fucatum in Appendice extremæ Operum ejus Editionis appoſuerunt.

Tillem. tomo 4. pag. 516. art. de S. Sebaſt. & annot. & pag. 741. col. 2.

Baill. 20. Januarii in Vita S. Sebaſtiani.

Tillem. tomo 4. pag. 38. art. de S. Laurentio

Baill. 10. Auguſti in Tabula Critica de S. Laur.

Habemus etiam, Bailletum in Vita S. Dionyſii Epiſcopi Mediolanenſis petere præſidium veritatis a Sermone vitioſe Ambroſii titulum gerente; dum cogitatum narrat, quo errorem ſuſtulit Dionyſius, in quem impulſus fuerat, ut Athanaſii damnationi ſubſcriberet: atque in Hiſtoria SS. Martyrum Aquilejenſium Cantii &c. alio pariter S. Ambroſii fallaci Sermone ut qui in Appendice quadrageſimus eſt; nonnullique Sancto Maximo Taurinenſi tribuere ſolent.

Baill. 23. Maii In Vita S. Dionyſii pag. 804.

Baill. 31. Maii de MM. Cant. pag. 950.

Cum meminerit Baronius Sermonis S. Auguſtini 154. *de Tempore*, con-

Baron. ad ann. 14. §. 234.

confirmandi gratia, Spiritum Sanctum e Cœlo in Apoſtolos Dominico die delapſum fuiſſe, Tillemontius, ut vim auferat huic argumento, commune Criticis reſponſum reddit. „ Sermonem hunc Lovanienſes in dubium vocarunt, quique impoſterum ſtudioſius Auguſtini Opera meditati ſunt, eum ab Auguſtino diſtare longe arbitrantur. „

Tillem. tomo 1. annot. 8. in D. Petrum pag. 316. col. 2.

Sermones item *ad Fratres in Eremo* omnium conſenſu Auguſtinum autorem non agnoſcunt. Illorum tamen viceſimus quintus Tillemontio argumenta ſuppeditavit ad oſtendendum; Pervigilium S. Joannis ab Ethnicis quoque ſolemni ritu celebratum fuiſſe, & noctem illam conſueviſſe eos in conventibus ſuis tranſigere. Subjicit deinceps: „ Opinor equidem, hujus Sermonis autorem tanti eſſe, ut nobis fidem faciat, id moris ætate ſua falſum omnino non fuiſſe. „ Ecce igitur ſuppoſititia Opuſcula aliquando alicujus, aliquando nullius autoritatis, ut eruditis Criticis noſtris libitum eſt.

Tillem. annot. 4. in S. Joann. Baptiſtam pag. 509. col. 1.

Iidem Bailletus & Tillemontius hauſerunt plura ad Hiſtoriam SS. Perpetuæ & Felicitatis attinentia a Sermone quodam D. Auguſtini, per Maurinos Monachos incerto. Tum in Hiſtoria S. Laurentii interſerunt quædam ab ejuſdem Doctoris Sermonibus octogeſimo ſeptimo, & centeſimo decimo ſexto ad Appendicem rejectis, depromta. Denique, tametſi extra controverſiam ſuppoſitus ſit, atque hujuſmodi in Appendice agnitus a Benedictinis Sermo Auguſtini trecenteſimus decimus ſeptimus; hoc nihilo ſecius non impedit, quominus inde eruant non pauca pro Hiſtoria Martyrum a *Maſſa candida* nuncupatorum.

Till. tomo 3. pag. 216. Art. de Perp. & Felic.
Baill. 7. Martii in Vita SS. Perpetua & Felic.
Tillem. tomo 4. art. 18. de S. Laurentio.
Tillem. tomo 4. Art. 67. de S. Cypriano pag. 175.

Exſtant VI. Operum S. Joannis Cryſoſtomi Volumine Pariſiis impreſſo anno 1636. ſeptuaginta tres Sermones, Frontoni Ducis judicio in S. Patris illius germanos fœtus ſubrepti, quietum conſentiunt Savilius, aliique Critici; immo Tillemontius crebro fatetur, Tomum hunc figmentum eſſe Opuſculis a Cryſoſtomo alienis compactum.

Baill. 24. Augusti.
Tillem. annot. 1. in D. Paul. pag. 569. col. 1.

Poſt apertam adeo Sermonum iſtorum fallaciæ confeſſionem quid cogitem neſcio, cum reputo Tillemontium eundem eos in cenſum ſuum multis conſtituendis factis transferre. Articulo nanque 36. de D. Petro triceſimum citat, ut planum faciat, Petrum clavis Cruci ſuffixum; Articulo item 1. de S. Paulo pag. 202., & 569., ut oſtendat Apoſtolum hunc ad annum ætatis octavum & ſexageſimum vixiſſe. „ Verum quidem eſt, addit, nos Homiliam hanc magnopere non pendere: eam tamen uſurpamus, ſimul quia nihil reperire eſt, quod majoris momenti ſit, atque item nihil, quod ei videatur eſſe contrarium „ ...... Qua de re mirari aliqua ex parte ſubit, Tillemontium Baronio hanc eandem triceſimam Orationem afferenti, quo evinceret ex obtruncato Pauli capite lac loco ſanguinis diffluxiſſe, eundemque triginta quinque annorum

pag. 190.
Baron. anno 69. Item anno 36.

Tillem. annot. 80. in D. Paul. pag 613.

ſpatio ſervitutem Jeſu Chriſto ſerviviſſe, reſpondere, hanc S. Joannis Cryſoſtomi Orationem ejus non eſſe, „ præterquamquod ſubjungit, id „ genus narrationum rem concluſe nunquam definiunt, cum raro admo- „ dum accuratæ ſint.

Item annot. 5. in D. Paul. pag. 372. col. 2.

At enim unde quæſo conjicit Tillemontius, intendiſſe Baronium ex hac Homilia concluſe facta hujuſmodi definire? Potius quidem ſpecies eſt, eum æque ac Tillemontium, *Homiliam iſtam magnopere non pendere: uſurpare tamen, ſimul quia nihil repererit, quod majoris momenti eſſet, atque item nihil, quod ei videretur eſſe contrarium*. Neque enim doctiſſimum hunc Cardinalem latebat Orationis hujus ſuppoſitio.

pag. 338.

Tillemontius rurſus Articulo de S. Andrea teſtem profert Homiliam viceſimam primam; articulo de Sancto Thoma quater triceſimam ſecundam; majoremque aliarum partem ubicunque demum res flagitat. In Vita S. Theclæ aures præbet duobus Opuſculis conſtanter falſis: quorum primum eſt fragmentum Panegyrici Sanctæ Theclæ; alterum Oratio 72. quæ ad S. Joannem *Jejunatorem* Patriarcham Conſtantinopolitanum pertinet Sæculi VI. exeuntis Scriptorem: ambæ autem Homiliæ habentur Tomo primo Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

Tillem. tomo 2. art. de S. Thecla pag. 66. & 67. Ibidem pag. 529. col. 2.

Dupinus, Alexander, Cave.

Communis fere opinio Criticorum ætate noſtra Tractatus *de Locis Sanctis*, qui tertio Bedæ Tomo aſſutus fuit, veritatem non recipit; cumque ex eo textum ſumſerit Baronius, ubi ait, tempore, quo Virgo enixa eſt, e rupe Speluncæ imminente, fontem mirum in modum erupiſſe; Tillemontio non arridet factum iſtud, atque ſubdit. „ Videtur id Baronius a Beda *de Locis Sanctis* mutuari, qui tamen hæc non profert: præterquamquod non pauca congerit eo in Opere aut minus probabilia, aut explorate mendacia. „

Tillem. annot. 5. in Jeſum Chriſtum pag. 448. col. 1.

A veritate ſane non abhorret, maluiſſe ſagacem Criticum iſtum aſſerere, Librum hunc aut *minus probabilia, aut explorate mendacia* complecti, quam commentitium Opus fateri; neque enim id ignorabat, ſed verebatur, ne id in damnum vergeret pluribus contextus ſui locis, in quibus ejuſdem Libri teſtimonio res narrat tam prodigioſas, quam quas in Baronio refellebat. Articulo ſiquidem 24. de Jeſu Chriſto hujus *de Locis Sanctis* Libri autoritate argumentatur, exſtructo Sanctæ Helenæ juſſu Templo *Aſcenſionis*, partem eam, qua Servator noſter in cœlum aſcendit, ſive ſecundum Bedam *interiorem domum* camerari & tegi non potuiſſe. Hieroſolymis hoc *Aſcenſionis* feſtum celebrabatur Octavo ſæculo lucernis, tota illa nocte ardentibus in Eccleſia, ut, enarrante Beda, *ardere mons & ſuppoſita loca viderentur*, quin eodem die *per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procellam venire conſueviſſe, & omnes, qui in Eccleſia fuerint, terræ proſternere*.

pag. 57.

Beda de Locis Sanctis Tomo 3. c. 7. pag. 366.

Alia

Alia complura inde etiam expromit Tillemontius; præcipue vero de Virginis Deiparæ Reſurrectione. „ Dici poteſt, iſta habet, Bedam adverſus illam ſtetiſſe; quamquam noſſet, quod ejus ſepulchrum Hieroſolymis oſtendebatur, atque ipſius corpus neque ibi, neque alibi locorum notorum quieſcebat. „ Si perſuaſum non eſt Tillemontio, Opus iſtud ſubreptitium eſſe, liceat per eum, imminuendi gratia hujus teſtimonii, nos adverſus illum reſponſum ſuum retorquere: *Certum eſt non pauca eo in opere Bedam congerere, aut minus probabilia, aut explorate mendacia.* Alias non ægre ferat, Baronium quoque Tractationis illius autoritatem ad ſuos uſus adjungere.

Tillem. annot. 1. in S. Virginem pag. 497. col. 2.
Beda de locis Sanctis cap. 6. pag. 365.

Ceterum non inficiamur, poſſe quemque loco uno Scriptoris alicujus dictis adhærere, alio vero ab eodem recedere, quando nimirum evidens eſt, illum erraſſe; idque licere etiam credimus in ſupppoſititiis operibus, in quibus bona mixta malis eſſe poſſunt: illud unum æquitatem habere negamus, immodicis laudibus opus afficere, quod nobis favet, aſpernari autem, ſi noceat; aut inſenſo quodam Operum autoritatem exterminandi ſtudio, hinc univerſe erroribus plenum, fallacem, ſabuloſum, ſuppoſitum tandem Librum clamare; illinc vero, ſi urgeat res, eundem in medium producere.

Percuntamur ergo Criticos iſtos Sapientiſſimos, quodnam ſit ipſorum judicium, de *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, & *Recognitionum* Libris, de Abdia, de *Martyrologio* S. Hieronymi, de Damaſi *Pontificali*, de Tractatu *de Locis Sanctis*, de Sermonibus, de Homiliis, deque aliis hucuſque memoratis Operibus adulterinis, aut falſo Patribus iiſdem, aliiſque Veteribus tributis? Scire ab eis velim, utrum ipſorum ſententia alicui vel levi monumenta iſta eſſe poſſint argumento; an ne nullius ponderis aut frugis Hiſtoriis conſtituendis futura ſint? Si ipſorum teſtimonium futile videtur, & nulla omnino fide dignum; quorſum eo utuntur Critici noſtri; Critici inquam præſtantes adeo, ut ubique jactare ſoleant, ſe nihil penitus recitaturos, quod e rerum fontibus in Opera ſua non derivaverint, & ſolidis monumentis non innitatur? Contra vero ſi exiſtimant, Opuſcula iſta, apocrypha licet, alicui compendio fore, & probationem ſaltem exiguam ſuppeditare, ſive quod ad antiquitatem eorum attinet, aut doctrinæ firmitatem, perſpicaciam, exquiſitum ſenſum, & accurationem in iis deprehenſam; ſive quod ad Autores ſpectat, quibus aliqua veri ſimilitudine referri poſſunt: cur accipiunt graviter, Scriptores alios ad ea nonnunquam confugere? cur ſuccenſent ceteris illa laudantibus, nulloque numero & autoritate eſſe teſtantur?

ARTICULUS II.

De Teſtimonio ab aliquibus Operibus depromto, quorum Autores latent in occulto.

§. I.

De Menæis Græcorum.

IN *Menæis* Grecorum, * quæ Latinorum *Breviariis* proxime accedunt, fas eſt ſecernere Feſtorum celebritatem, habitum Sanctis honorem, & de Geſtis illorum Hiſtoriam. Quod eſt cultus Sanctorum ea ratione, qua in Eccleſia Græca adhibitus fuit a primæva Feſtorum inſtitutione & deinceps, non ambigunt Critici, id genus Operum teſtimonio locum dare: quod autem eſt Hiſtoriæ Sanctorum, & eventuum cognatione aliqua cum illorum Geſtis conjunctorum, nullam putant Scriptores eruditi tribuendam eſſe *Menæis* quidpiam narrantibus autoritatem. Tillemontius & Bailletus ſuper ea re ſententiam ſuam enucleate aperuerunt.

Tillem. tomo 1. Praf. pag. XIII.

„ Non credidimus, inquit prior, eundem gerendum eſſe morem Græ„ corum *Menæis*, ... aut aliis Autoribus recens exortis, ætate ſci„ licet, qua Hiſtoriæ veritas popularibus Traditionibus, & haud raro fi„ gmentis de induſtria compactis turbata erat: non credidimus, inquam, „ ullum gerendum eſſe talibus Hiſtoriis morem; non quod ſinceri ni„ hil in ſeſe contineant: ſed quod ſincerum iſtud anceps ſemper & incer„ tum erit, neque a ſimulatis rebus diſpici poterit„ Id ipſum alibi ſignificat. „ *Menæa* quidem peculiares multas Hiſtoriæ Sancti Andreæ noti„ tias perſequuntur, quas tamen in penum noſtrum transferre non auſi „ ſumus, propter exiguam monumentorum illorum apud Hiſtoricos au„ toritatem. „

Tillem. tomo 1. annot. 2. in D. Andream pag. 623. col. 2.

Majoris non facit Hiſtorias haſce Bailletus. En quemadmodum loquatur.

Baill. Orat. de Vit. Sanct. pag. 35.

* *Menæa immenſum ſunt Opus, in duodecim Menſes, totidemque volumina diviſum: in quo Sancti omnes, quorum memoria ex Menſe colitur, ad proprias dies revocari recenſentur; ſingulorum Officium una cum Rubricis miniatis Litteris expreſſis, Miſſis, Canonibus, Lectionibus aliiſque recitandis ſubnectitur. Vita & res geſta compendio deſcripta plerumque exhibentur; quandoque & imagines præfiguntur. Editum eſt vaſtum hoc Menæorum Opus Venetiis diverſis annis.* Cave Hiſt. Litt. diſſert. 2. de Offic. Græc. in App. pag. 187. col. 1.

„ tur. „ *Menæa & Menologia* * ad depravatiſſimam normam redacta ſunt, „ quod attinet ad Vitas Sanctorum. Fabulæ magis exſuccæ nullo delectu „ & moderatione collocatæ ſunt, quo efficitur, ut illis fidendum non „ ſit, quoties ea, quæ referunt, alibi non reperiuntur ..... Legimus „ etiam in illis nonnulla cum bonis moribus, & Religionis integritate „ & ſanctitate pugnantia: nec non dubia verba & mendacia Sanctis Viris affiɛta plus quam ſatis argumento ſunt, in ipſis dominari latius „ Græcorum indolem, quam ſtudium veritatis. „ Quo ſine controverſia factum eſt, ut palam ediceret Criticus hic, ſe non audere, factum Hiſtoriæ Sanctorum ullum ex *Menæis* & *Menologiis* traducere. Et vero enim cautum hoc Criticorum iſtorum de *Menæis* conſilium omnibus ſanæ mentis acceptum & ratum eſſe debet: conſtat ſiquidem tot in Opera iſta errores irrepſiſſe; ut difficile ſit, plane ſibi de facti alicujus veritate perſuadere, quod ab his tantummodo pendeat.

Nihilo ſecius *Menæa Græcorum* in manus ſæpiſſime ſumunt Critici noſtri, & multi operis non videtur eſſe eos cum illis conciliare. Tillemontius, his, quas modo audivimus, obteſtationibus incaſſum reclamantibus, non dubitat contextum Operum ſuorum *Menæorum* teſtimoniis refercire. Bailletus, qui paullo ante in eos ſeveritate tanta invexerat, plura non modo de Feſtorum celebratione, & Sanctorum cultu; verum de Factis Hiſtoricis etiam ex illis collegit: idque uterque facit nihil eorum præcaventes, quæ conſueverunt in ſuſpicioſis aut conſtanter adumbratis Operibus commemorandis providere. Nulla igitur adhibita cautione, *Menæorum* dictis paret Tillemontius, cum tradit, Joannem cognomento Marcum, Diſcipulum & Conſobrinum Barnabæ, tantam Evangelici muneris defunctione apud Deum gratiam iniviſſe, ut una ipſius corporis umbra miram ſanandi vim conſecutus eſſet. Compertum item habemus, Bailletum a Græcorum *Menologiis*, nullo alio interpoſito vade, Vitam S. Marini, ſenis nuncupati, & Martyris deduxiſſe.

In Admonit. pag. XIV.

Tillem. Tomo 2. art. de S. Joanne Marco pag. 109.

Baill. Tab. Crit. 8. Aug. pag. XVII.

Nos fugit pariter, aliunde, quam e Menæis, hauſiſſe utroſque eruditos Criticos iſtos S. Mariæ Magdalenæ Epheſi mortem & tumulum. Jacebat illa ſane, inquiunt, in Æde ipſius nomini conſecrata ſupra unum ex montibus Epheſum cingentibus, cui vocabulum *Quileon*; adduntque, eam Græcos Apoſtolis æqualem nuncupare. A *Menæis* didicerunt, Sancti Thimothei ſepulchrum prope illud S. Joannis ſupra montem, *Libatam* appellatum, ſitum eſſe: Geſta S. Gelaſii, ſive Gelaſini ex Hiſtrione Mar-

Tillem. art. de Sancta Magdal. Tomo 2. pag. 32.

Baill. 22. Julii Vita S. Mariæ Magd. pag. 644.

Tillem. ibidem. art. de S. Timotheo pag. 160.

Baill. 24. Jan. pag. 598.

Tillem. Tomo 4. Art. de S. Gelaſio pag. 421.

* *Menologia diverſum plane Opus a Menæis, ut pote in quo ad inſtar Martyrologii Latinorum, Acta, vel Paſſiones Sanctorum qualibet cujuſvis menſis die ſummatim exponuntur; brevis ſaltem eorum commemoratio habetur.* Cave ubi ſupra col. 2.

tyris,

Baill. 27. Februarii pag. 662. Ruinart. Acta Mart. pag. 279. Tillem. Tomo 4. Art. de SS. pag. 414. Baill. 23. Aug. Tab. Crit. de SS.

tyris, aliaque id genus multa, quæ moleſtum eſſet hic coacervare. Unum tantum ſubjiciam, Criticos iſtos, quamvis ſuppetant nobis Acta Proconſularia S.S. Martyrum Claudii, Neonis, & Aſterii, multa tamen ex *Menæis* ad Hiſtorias iſtas ſpectantia, quæque in hujuſmodi Actis deſiderantur, comparaſſe. „ Etſi Græci in ſuis *Menæis* Hiſtoriam vetu„ ſtam adeo ingenuamque minime texant, atque noſtra eſt; nihilominus „ eos non abjiciemus; ut lumen afferamus iis, quæ in Baronii Hiſtoria „ minus enucleata ſunt. „ Alibi profitetur, ſe Hiſtoriæ S.Baſiliſci additurum ea, quæ de S. S. Eutropio & Cleonice Martyribus ſcribunt Græcorum *Menæa*. Demum, ut finem faciam, articulo 28. de D.Petro pag. 170. maximi momenti factum quoddam *Menæorum* autoritati committit.

Tillem. Tomo 5. art. de S. Baſiliſco pag. 378.

Jam vero nactus *Menæorum* occaſionem, & eorum, quæ de recentioribus Græcis pronunciat Tillemontius in Proœmii ſui Textu ſuperius allato; quemadmodum etiam eorum, quæ ſæpius eudit & recudit Bailletus; animadvertam, hos Autores Græcos in univerſum a Criticis noſtris pro ſingularibus fabularum amatoribus, minus accuratis, & judicii ac intelligentiæ expertibus haberi. Tillemontius ſingillatim de S. Joanne Damaſceno ſermonem inſtituens: „ ejus, inquit, ad quaſcunque adoptandas Hiſtorias facilitas, ipſius autoritatem non mediocriter minuit. Paullo ante dixerat, „ Euthimium, & Andream Cretenſem Auto„ res non eſſe ſuadendis Hiſtoriis accommodatos. „ Miſſa faciemus Nicephori, & Synopſis Dorothæi teſtimonia, veluti minoris momenti, quibuſcunque tandem ponderibus examinentur . . . . Quod intereſt „ Evagrii, & nuperorum Græcorum, nimium fabularum ſtudioſi ſunt, „ & plus ſatis avide pios populorum ritus arripiunt: ſolidi ſint nec ne. „ Nihil magis propitius eſt Græcis iſtis Bailletus. Speciem veritatis habet, Tillemontium & Bailletum, acumine ingenii & eruditione tanta Viros, diligentiſſime germana a mendacibus ſecreviſſe in Autoribus iſtis, toties in textum & annotationes prioris, atque in ſanctorum Vitas alterius tranſlatis, ut per ſe ſe, nulloque inſuper adjecto teſtimonio, res Hiſtoricas roborarent. Verum quoniam verendum eſt, ne quilibet docilitate tanta ad credendum non inducatur, ipſis proſpere admodum hanc diſcretionem ceſſiſſe; nonne ipſorum fuiſſet, eas nobis regulas aperire, quarum ductu hujuſmodi negotium tranſegerint? Sic regulas porro iſtas, earumque uſum dijudicare potuiſſemus; perſpectumque habere, Criticos illos non ſine cauſſa Hiſtorica aliquando facta talibus Operibus muniviſſe, quæ neque ipſi ſumma cum dignitate excipienda cenſuerant.

Tillem. annot. 24. in S. Virginem pag. 494. col. 2.

Ibid. pag. 492. col. 2. Tillem. annot. 581. in D. Paulum pag. 615. col. 1. Baillet. in ſerm.

§. II.

§. II.

De Chronico Alexandrino, & Prædeſtinato *P. Sirmondi.*

CHronicon Paſchale, ſive Alexandrinum * nulla autoritate floret, ſi fides eſt Tillemontio & Bailleto. Prior ad Lamyum ſcribens ſuper ejus Tractatu de veteri Judæorum Paſchate. „ Do ultro tibi; atque concedo, inquit, Chronicon Alexandrinum, idemque eum Philoppono de vetuſtate contendere; non tamen judico magnum tibi aliquid concedere: injuriam ſiquidem in te inſerrem, ſi crederem, te velle ridiculas, ut Ducangii verbis utar, res in eo contentas propugnare „ . . . . . Annotatione vero in Nazaræos addit: „ Quod attinet ad Chronicon Alexandrinum, teſtimonium non eſt, cui acquieſcere quis poſſit. . . „ Annotatione item prima in Nicolaitas, „ nullum factum, ſcribit, ratum haberi poſſe Chronologiæ hujus teſtimonio, atque alibi eam ſupinis erroribus conſtare totam „ . Nihilo majori cum dignitate de ea loquitur Bailletus. „ Chronicon Paſchale, alias Alexandrinum, „ *Rhapſodia* Chronologia eſt ** multorum diverſa ingenii facultate Scriptorum. „

Tillem. Tomo 2. pag. 52. col. 1.

Ibid. pag. 519. col. 1. Edit. 2.

Ibidem pag. 525. col. 1.

Baill. Tab. Crit. 15. Julii de 72. Diſcip. Item 15. Julii in 72. Diſcip. Vita.

Nihilominus, quantumvis contemnendum, vitiiſque infectum ſit hujuſmodi Chronicon, non prætermiſerunt tamen ambo iſti Critici ab eodem adjumenta multa comparare. Tillemontius tum cum ipſius ſententiis reſpondet Chronicon iſtud, non contentus plane ſaſſum fuiſſe, in eo quamplura non abjicienda comprehendi, illud, addito elogio, eitat annot. 19. in S. Joannem Baptiſtam. „ Autoritas, inquit, Chronici

Annot. 15. in S. Joannem Evang. pag. 640. col. 1.

Ibidem pag. 525. & alibi.

* Opus hoc, quod *Faſtos Siculos*, *ſive Chronicon Alexandrinum* nuncupant, complectitur mundi tempora per omne ævum uſque ad annum Chriſti 628. Alexandrinum ideo dictum, quod in Frontiſpicio MSS. Codicis Petrus Alexandrinus, nota appoſita, illud commendarat. Chronicon iſtud in vetuſta quadam Siciliæ Bibliotheca primus reperit Hieronymus Surita, & huc illucque ſæpius traductum a Caſaubono demum trecentis prope aureis emptum eſt. Sæpe editum Opus eſt, maximo tamen in pretio habetur Editio Græco-Latina Radeſi Jeſuitæ Monachii 1615. 4.° Aliam deinde adornavit Ducangius typis Luparenſibus in folio. Nonnulli id tribuunt Georgio Piſidio Diacono, Tabularii cuſtode, & *Referendario* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui anno circiter 640. claruit. Alii vero adſcribunt Georgio Alexandrino, qui Cryſoſtomi vitam ſcripſit. Cave Hiſt. Litt. pag. 381. col. 1.

** Doctor Cavius hanc de Chronologia iſta cenſuram edidit. *Autor certe non eſt contemnendus; qui non modo continuam Conſulum ſeriem exhibet; ſed & plures melioris purpuræ pannos operi ſuo intexuit: veneranda antiquitatis monumenta, quæ fruſtra alibi reperlantur.* Cavius Hiſt. Litter. pag. 381. col. 2. Id plane ab ſententia Bailleti diſerepat toto cœlo.

Ale-

Alexandrini animadverſione digna eſt: „ S. Marci Evangeliſtæ Vitam
Baill. 10. Septembris. auget non paucis ab eodem Chronico petitis, pariterque S. Pulcheriæ Virginis Imperatricis Hiſtoriam. Quod vero mirum unicuique videbitur; univerſam S. Domitii Solitarii & Martyris in Syria Vitam exſcripſit
5. Julii Tab. Crit. item in Vita SS. pag. 161. Bailletus ex Opere, quod *Rhapſodiam Chronologicam* appellat: porro mos hic Hiſtoriam ejus de Geſtis Sanctorum in exiſtimationis diſcrimen adducet, cum tot corruptiſſimis ejus judicio monumentis illam coagmentaverit.

Fereur, Autorem, cujus Editionem curavit Sirmondus anno 1643. nomine *Prædeſtinati*, * ad medium ſæculum quintum vixiſſe; qui tamen a Criticis flocci fit. Dupinus de trium primorum Sæculorum Conciliis differens, poſtquam monuit, Autorem a Sirmondo *Prædeſtinati* vocabu-
Dupin. tomo 1. pag. 661. ed. 2. lo emiſſum nonnullorum Conciliorum adverſus priſcos Hæreticos meminiſſe, ſubjungit: „ Verum recens Autor eſt, atque indignus ...... cui credamus.„ Tillemontius quoque talem cenſet, ut nihil ad illum deferendum
Tillem. tomo 2. pag. 51. ſit; atque ita ſentit articulo de Hæreſiarca Menandro: „ ſatis erit, inquit, „ dixiſſe ſemel, nullo nomine Opus eſſe, cum ignotum habeamus, „ a quo, & quando lucubratum ſit, erratiſque multis & imperitia ſum-
Ibidem pag. 323. „ ma notetur. „ Tum etiam alibi: „ Pingues lapſus, in quos incidit „ de rebus, quas cognoſcere facile eſt, nos movent, ut ipſi fidem ad„ jungere non audeamus, ſi pro re aliqua ſolus ſpondeat. „ Tum denique. „ Is non eſt Autor hic, ut ſoli quidpiam narranti credamus; „ atque in Indice prioris Tomi verbo *Prædiſtinatus* legitur: *Prædiſtinatus*
Baill. XI. Junii in Vita S. Barnabæ. *Opus nullius autoritatis*; in Indice vero alterius Voluminis: *Prædeſtinatus P. Sirmondi, ineptus Autor ad faciendam fidem.* Eundem pariter Bailletus vulgari fama Scriptorem pronunciat. Animus non eſt Criticorum iſtorum judicio Sirmondi judicium opponere, qui tam videtur *Prædeſti-*

* Sirmondus Operi huic ſimplici quadam notione *Prædeſtinati* nomeo impoſuit veluti per *Antiphraſin*; propterea quod Autor iſte *Prædeſtinatianos* Hæreticis ſui ſæculi annumeret, neque alio banc Hæreſum Collectionem feciſſe, aut citius Auguſtinum deſcripſiſſe videatur, niſi ut hoc adderet. Baill. io Jud. Sap. Tomo 1. p. 2. c. 13. pag. 521. Nonnulli id Operis Primaſio attribuunt Epiſcopo Adrumentino V. Synodi tempore, autoritate ducti cujuſdam Collectionis hujus MSS. in Germania a Patribus Mabillonio & Germano reperti. Holſtenius quoque Roma ad Sirmondum Epiſtolam dedit, in qua illum facit certiorem, quod in Bibliotheca Barberioa exſtaret Operis hujus MSS. Primaſii nomen præferens. Quamvis hoc litem dirimere videatur, Dupinus tamea perfracte negat id eſſe poſſe, ſi paullispſer attendatur, quod de Primaſii Libro teſtatum reliquit Iſidorus, cujus argumentum longiſſime abeſt ab argumeoto *Prædeſtinati*: præterquamquod *Prædeſtinati* Autor Hæreſis Eutychianæ ortum anteceſſit, Primaſius autem centum aonorum intervallo ſubſecutus eſt. Dup. Biblioth. Tomo 4. p 189. Idem Bibl. 17. Sæculo p. 2. pag. 196. Cave Hiſt. Litter. ad an. 550. pag. 340. col. 1.

na-

natum, pendere, quam iſti deſpiciunt: erat enim eur Sirmondus, Operis, quod in ampliſſimam Litterarum lucem emittebat, dignitati conſuleret; atque eſt eur Critici ſuper hac re ipſius opinioni nihil eoncedant. Animadverſum tamen velim, non apparere, quoſnam alios ad multas Hiſtorias hujus Autoris præſidio munitas Tillemontius ſponſores adhibeat. Sufficiant exempla duo. Primum præbet nobis Articulus tricesſimus quintus de S. Petro his verbis. „ Narrat *Prædeſtinatus*, anno cir- *Tillem. tomo 1, pag. 188.*
„ citer trecenteſimo nonageſimo ſecundo, quendam e Tertullianiſtarum
„ ſecta Presbyterum in poſſeſſionem loci ejus irruiſſe, in quo prope
„ Romam tumulata erant S. S. Fratrum Martyrum Proceſſi & Marti-
„ niani corpora, & quo eos colendi gratia Fideles confluebant; quod
„ nimirum Phryges illos fuiſſe diceret, & propterea eadem, ae Tertul-
„ lianus, religione. Quam citiſſime ejectus inde fuit Hæreticus, & lo-
„ cus Catholicis reſtitutus. „ Eandem Hiſtoriam recitat Bailletus in Vita S. S. Proceſſi & Martiniani, nullo omnino alio, quam *Prædeſtinati* Sirmondiani teſtimonio. *Baill. 2. Julii pag. 57.*

Alterum ſuppetit ex articulo Marcoſienſium, & Areonticorum. „ *Tillem. tomo 2. pag. 323.*
„ Nonnulli putant (in ora vero Libri *Prædeſtinatum* notat) Arconticos
„ initia poſuiſſe in Inſula Cretenſi, ubi confutati atque damnati ſunt
„ a Dioſcoro, ſive Diodoro Gortyniaco Epiſcopo Inſulæ totius Metropo-
„ lita; quem, ſermo eſt, Secundinos quoque Valentinianorum germina
„ anathemate confixiſſe, revocatis in Eeclefiæ ſinum iis, qui veritati,
„ quam prædicabat, ſe dederant, ceteris autem ab Eeclefiæ complexu
„ in perpetuum abſtractis.

Ecce duo facta, de quibus nulla ſponſio, ut videtur, fit, niſi *Prædeſtinati* fide; neque ſive in Textu, ſive in ora Libri, ſive in adnotationibus particulam reperimus, qua in dubium illa verti poſſint. Pluribus aliis Textus ſui locis, in quo nihil niſi amplectendum ſe collocaſſe gloriatur, idem Opus uſurpat Cl. hie Criticus, alibi tamen ipſius memoriam mali & nullius autoritatis ſcriptoris titulis excipit; cujus hæret veſtigiis Bailletus. Porro hæc Judiciorum diſcrepantia majus negotium faceſſere poteſt: Cum laude nanque Autorem nominare nobiſcum ſentientem, eundem vero diſſentientem aut alio nomine in contemtum adducere, ad accuratæ Critices Regulas nullo modo dirigitur. *Tillem. tomo 2. art. de Marc. pag. 319.*

§. III.

De cautione, qua adhibita, putant eruditi Critici noſtri integrum eſſe ſibi monumentis uti ſuſpicioſis, aut veteribus Scriptoribus perperam appoſitis.

Till. Baill. ſerm. de Vit. Sanctorum.

QUantumlibet ſummis & ſplendidiſſimis promiſſis in ſe recipiant Critici noſtri fore, ut nihil Operibus ſuis admiſceant, quod ex iis depromtum non ſit, quæ ſuperſunt nobis in Scriptorum Eccleſiaſticorum, atque in Hiſtoricorum Operibus certa & indubitata; nihilo ſecius cum incorrupti iſti fontes tot perennibus aquis non diſfluant, quot ſingulis factis, atque univerſis Hiſtoriæ capitibus alluendis ſufficerent, Scriptorum plurimi, ne exceptis quidem ſapientibus Criticis, de quibus diſputatio eſt, neceſſitate cogente cœnoſos rivulos, ut inde non pauca haurirent, quamſæpiſſime conſectati ſunt, videlicet ad ſuſpicioſos, undique maculis aſperſos, interpolatos, ſive ſuppoſitos Autores confugerunt.

Id tamen diſcriminis intereſſe cognoſcimus inter vulgares Scriptores, atque hoſce præſtantes Criticos; quod nimirum ii, abſque eo quod falſa hæc, aut incerta Opuſcula expenderent; ipſorum falſitatem perſpectam haberent, aut attingerent ſuſpicione, & Lectorem exiguæ monumentorum iſtorum fidei præmunirent, ea omnia fidenter afferunt, cum in ipſorum fronte magnum aliquod nomen legunt: contra vero iſti id genus Operum nunquam ferme in medium adducunt, quin moderationem aliquam & antidotum adhibeant, quibus planum legenti fiat, ea dubia eſſe, aut ſuppoſititia, adeoque non magnopere pendenda.

Additis hiſce proviſionibus, habent Cl. Critici noſtri perſuaſum, fas eſſe ſibi, libros ſuos monumentis controverſis, mendacibus, adulterinis, erroribus, & fabulis quandoque oppletis refercire. Putant enim ſe Literariæ Reipublicæ feciſſe ſatis, ubi hæc remedia compararunt: *Libri Diſputationum inter Sanctum Petrum & Appionem, Recognitionum & Conſtitutionum Apoſtolicarum, qui S. Clementis Papæ nomen immerito præferunt; Tractatus de divinis nominibus, & de Cæleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia, mendoſe D. Dionyſio Areopagitæ tributi; Autor Synopſis Scripturæ Sanctæ Athanaſio adjudicatæ; Epiſtolæ ad Zenam & Serenum, quas volunt Juſtinum dediſſe; Scriptum de Cibis Judaicis, quod nomine venditant Tertulliani; Revelatio Capitis S. Joannis Baptiſtæ, quæ creditur injuria a S. Cypriano deſcripta; Homiliæ de S. S. Petro & Paulo, de S. Joanne Evangeliſta, de S. Thoma, quæ inter afficta S. Joanni Cryſoſtomo Opuſcula ſedem* ha-

habent; Sermones ad Fratres de Eremo, qui in Auguſtini exſtant Appendice, &c.

Habes emendationes & formulas, quibus utuntur ampliſſimi Critici noſtri, ut de allatis dubiis aut fallacibus opuſculis exprobrationem propulſent. Tillemontius, Bailletus, & Natalis Alexander, quo ſe accuratos atque integerrimos homines ſignificarent, Criticam ex his legem ſanxerunt; rati ipſorum fuiſſe, Lectorem monitum facere, ne deciperetur, quoties in loca ab his excerpta libris incideret. „ Forte ſtudioſiſſimis, „ inquit Tillemontius, veritatis amatoribus placuiſſet, ne quicquam, „ niſi ab exploratiſſimis monumentis acceptum, in hunc cenſum veni- „ ret. Nihilominus non diſſimulem, me his tantummodo finibus haud „ contineri, aliiſque aliquando locum dare, licet non firmæ omnino „ certæque autoritatis. Pias tamen res, Sanctiſque dignas complectun- „ tur, quoddam antiquitatis ſpecimen redolentes; ut arbitrari poſſimus, „ fundamenta ſaltem eorum ab Autographis manaſſe. Ceterum hæc cu- „ ravimus ab illis ſecernere; & ſive in Orationis contextu, ſive in ad- „ notationibus judicium de illis ferendum indicare; ne dum Fidelium „ pietatem fovere ſatagimus, eos in fraudem impelleremus. „ *Tillem. tomo I. Praef. pag. XII.*

Date mihi, quæſo, faciles veniam hanc, ut obiter cogitatum quoddam aperiam ſuper eo, quod profitetur Tillemontius, ſe monumentis aliquando locum dare, *licet non firmæ omnino certæque autoritatis*. Significat ne verbis iſtis, monumenta hæc omnimodis corrupta non eſſe, mediumque veluti tenere locum inter monumenta certæ veritatis, atque alia certæ falſitatis? Verum quamcumque demum ſubjecerit verbis illis ſententiam, nemo ſane inficias ibit, eum crebro contextui & adnotationibus ſuis opera interjeciſſe, de quorum fraude dubitat nemo, fabulis immo fallaciiſque redundantia, nullaque autoritate & fide digna: ut innumeris exemplis oſtendere nobis promtiſſimum eſſet; ſed uno duntaxat hoc loci contenti erimus. Profecto ſi hujuſmodi monumenta ſunt Tillemontio *non omnino firmæ certæque autoritatis*; ipſe fidem ſuam publice datam præſtitit cumulate.

Idem quoque a Bailleto præcautum atque proviſum eſt de minoris autoritatis monumentis, quibus nititur aliquando. „ Non laboro, inquit, in aſſerenda Hiſtoriarum vanitate, niſi ſi perſpicua omnino non „ ſit, aut ex iis vitium aliquod conſequi poſſit. Si in aliis Sanctorum „ Hiſtoriis habitis pro genuinis, quid occurat affectum nota ſuſpicio- „ nis, illud uti anceps exhibeo, quoties commodius viſum non eſt illud „ ſupprimere . . . . . quod vero ad ea ſpectat, quæ novis ponderibus „ examinata, quibus abſtinere neque potui, neque auſus ſum, menda- „ cia apparuerunt, mecum ipſe conſtitui, de his nunquam, niſi dubi- „ tanter, ſermonem inducere. „ *Baill. in admon. pag. VI.*

Alexander quoque reputans, quod redargui non ſemel poſſet de in-certis immo ſuppoſititiis etiam Scriptis ad res probandas aſſumtis, operæ pretium duxit ſuper hoc ab ipſa Præfatione Lectorem antevertere. Fatetur itaque ultro, ſe interdum notæ falſitatis monumenta producere: *Quoniam*, ait, *interdum Opera ſub Autorum laudo nominibus, quibus a Viris pleriſque eruditis tribuuntur*; *licet eorum genuina non eſſe propugno poſtea, cum criticum de illis examen inſtituo*. Addere item potuiſſet doctus hic Dominici filius, ipſum non ſemel in teſtes vocare Scriptores, quorum Opera ipſis manifeſto aſſuta ſunt, quæque non a Viris pleriſque eruditis modo, ſed ab omnibus univerſe exploduntur, quemadmodum exemplis conficere ſuſcipimus.

Alex. Hiſt. ſæc. I. tomo I. in Præf.

Poſt apertam adeo Sapientum Criticorum noſtrorum confeſſionem non equidem exiſtimo, eos jure adverſum nos inſurgere poſſe, & nobiſcum expoſtulare, perinde ac ipſis imponeremus, cum eos dicimus Scriptoribus autoritatis expertibus teſtimonium dare: neque enim de hoc in præſens laboramus, ſed de quodam ſcrupulo ſuper antidotis, quæ adhibent Critici noſtri, ambiguum aliquod ſeu adulterinum opus allaturi. Contendunt ne, cautiones illas alicujus momenti acceſſionem facere teſtimonio, quod ex hujuſmodi Operibus capiunt; aut hæc majorem aliquam mereri fidem, quod in eorum manus inciderint? Ab æquiſſimis, ut revera ſunt, hominibus alienum puto id ſibi arrogare. Nihil itaque, inquies, conſilii habent niſi ut hæc providentes; Lectores aucupari, & circumvenire devitent; cum certarum & evidentium probationum vitio, iis uti coguntur, quæ demumcumque factis dilucidandis præſto ſunt. Non repugnos interim autem hoc ambiguorum aut mendacium operum teſtimonium vim ingerit, auget & cumulat argumenta, & Lector vetuſti Autoris, cujus nomen præfefert, fama hallucinatur. Nonnulla exempla ſubjiciamus.

Hiſt. Eccl. tomo I. ſæc. 2. cap. 4. art. 3. pag. 65.

Probaturus Alexander, Patres ſuſtinuiſſe aſſenſionem ſuam de excitato e mortuis Deiparæ corpore, & Eccleſiam ſuper hac re caute & pedetentim ſe geſſiſſe, primum haurit momentum ex D. Epiphanio Hæreſi 78., quæ revera germanus eſt Patris hujus fœtus, at Alexandri propoſitum non evincit: viſum enim Epiphanio eſt, Deiparæ Virginis obitum in ſuſpenſo relinquere propter ſilentium Scripturarum. „ Nemo non videt, ait Tillemontius, quam levis ſit Sancti hujus ratio; & propterea nobis latet, qui ad eam animum converterit. „ Altero loco recitat Sermonem de Aſſumtione B. Virginis adſcriptum fraudulenter Hieronymo, *licet*, eodem Alexandro judice, *Hieronymi non ſit*; eumque Sapientes uno ore rejiciant. Tertium argumentum ſumit ex S. Ildephonſo Archiepiſcopo Toletano: verum prætterquamquod ſunt qui putent, locum

adnot. 26. in S. Virg. pag. 500 col. 2.

hunc

ſtunc ab Epiſtola S. Hieronymi ad Paulam & Euſtochium, de Aſſumtione Mariæ Virg. huc traductum fuiſſe, (quæ ſane poſt Concilium Chalcedonenſe exarata eſt;) ſextus ſermo, in quo hæc verba ab Alexandro laudata reperias, itemque alii quinque S. Ildephonſi titulo inſcripti, Patri huic ſuppoſiti ſunt, & cuidam Ausberto Abbati Fontanellenſi attribuendi: qua etiam fortaſſe de cauſſa cenſoriam virgam in Archiepiſcopi hujus Opera expediens perdoctus hic Prædicatorum alumnus, Sermonum iſtorum ne verbum quidem facere eſt auſus.

Tillem. annot. 14. in Mar. Virg. pag. 494. col. 1. Dupinus. Caveus.

Locus quidam ex Tractatu *de locis Sanctis* decerptus, qui Bedæ nomine circumfertur, quarto eſt argumento: at ſuperius compertam habuimus Libelli hujus fallaciam, quod convenit etiam per Natalem Alexandrum, ut hoc eodem loco conſtat. Quinto Uſuardi, Sexto Adonis, ſeptimo Notkeri verbis id ratum facit. Sed nemo ignorat Uſuardum, quæcunque tradit, a mendoſa S. Hieronymi Epiſtola mutuaſſe, quod confirmat Baronius ad annum 48. *Ado* autem Alexandri ipſius judicio *Uſuardi verba exſcripſit*. * Poſtremo Notkeri Martyrologium Epitome cenſendum eſt Adoniani, quæque de Virginis Reſurrectione Litteris conſignavit, pluris non fiunt, quam quæ conſignarunt Uſuardus & Ado, qui eundem fontem contaminatum adjerunt, ſpuriam nimirum Hieronymi ad Paulam & Euſtochium Epiſtolam. Atque his omnibus efficere autumat ſtrenuus hic Dominici aſſecla, eos quos *Sanctos Patres, & autores antiquos in Eccleſia ſpectatiſſimos* nuncupat, de revocato ad vitam Virginis corpore dubitaſſe.

Dupinus. Alexander. Caveus.

Eandem quæſtionem in manibus habens Tillemontius, nonnullos quoque ex his adhibet Scriptores: ſcilicet Autorem Tractationis *de Locis Sanctis* Bedam exiſtimatum vulgo; S. Ildephonſum; atque Uſuardi, & Adonis Martyrologia. Non abſimiliter Launojus inſtituens firma & continenti Traditione palam facere, S. Creſcentem Pauli diſcipulum nunquam in Gallias ſe contuliſſe, collocat in fronte hujus Traditionis teſtimonium a ſeptimo Conſtitutionum Apoſtolicarum Libro petitum, ac locum Synopſis Dorothæi, quorum ſimulatio ipſi Launojo perſpecta erat. Neque tandem adduci poſſum, ut credam, multorum Operum, uti Præfationis S. Petro Alexandrino tributæ, aliorumque circumſcriptionem ignoraſſe Lamium, quæ pro ſua de poſtremo Paſchate ſententia pugnare docet.

Laun. Differt. de Sulp. Sev. §. 16. pag. 77.

Cum Critici hujuſmodi ſuppoſititiis Operibus res Hiſtoricas identidem fulciunt; anne perſuaſum habere poſſunt, bonas & conſtantes eſſe probationes iſtas, atque in meliorem naturam evaſiſſe, ex quo eas ipſi, uten-

* Opinio eſt aliquorum, Adonem ante Uſuardum ſcripſiſſe: quod ſi ita ſit, Uſuardus Adonem in compendium redegit.

do,

do, veluti conſecrarunt; his illis ſanationes compararunt; Lectoremque admonuerunt, quod tamen ſemper nequaquam præſtant, multum eas non habere gravitatis, & fucatas omnino eſſe? Quemadmodum non fit ſimile vero, eos id animo verſaſſe; propterea neceſſum erat, ut ex tribus hiſce conſiliis unum caperent; ſive delendi a Commentariis ſuis momenta ab iſtis ſcriptis deducta; aut æqui & boni faciendi, cum ab aliis Autoribus uſurpantur; aut demum regulas aliquas condendi, quibus diſpiceremus, quandonam liberum eſſet, ad ea ſe conferre, quando vero non; & quanto in pretio habenda forent. Ego vero non facile crediderim, eos primum ſuſcepturos: plurima nanque ex eorum Operibus amovere oporteret, & plus ſatis in illis emergeret lacunarum. Quare cum tertium non inierint, illud conſequens videtur eſſe, ut moleſte non ferant, alios quoque Scriptores æquo, atque ipſos, jure agere ſuper hac re. Quid ni autem agerent, ſi eadem, quæ ipſi præcavent, præcaverent?

Atqui eruditi Critici noſtri ſibi poteſtatem faciunt falſa & ſuppoſita monumenta adhibendi, dummodo tritas illas animi proviſiones non prætermittant; & muneris ſui partes expleviſſe arbitrantur, quoties alias haſce correctionis particulas adjungant; *Nihil melioris notæ ſuppetit in idem argumentum*; *hæc monumenta non incommode tueri poſſunt*; *præclaram ſui ſpeciem exhibent*, *peculiares quaſdam præſeferunt notitias*, *alibi fruſtra inveſtigandas*; *viſum non eſt*, *ea penitus abiicere*, *&c.* Cum tamen deprehendunt, eadem ſibi Criticos alios facultatem vendicare, conclamant illico, ea nullius veritatis, nullius ponderis, aut fidei monumenta eſſe. Non poſſum, quin exemplum ſubjiciam; cujus tamen rei ſatis multa congerere liberum eſſet.

Intexuit Florentinius Martyrologio ſuo Hiſtoriam certaminis S.S. Petri & Pauli cum Simone Mago; non ſecus ac interitum cum Simonis, tum Apoſtolorum. Adſcripta eſt hujuſmodi Hiſtoria Marcello cuidam S. Petri diſcipulo, & eorum, quæ narrat, teſtimonio præſenti. Cum Florentinius ſuper hac Hiſtoria anceps hærere videatur, ejus judicium ad alios defert, contentus plane ſe dixiſſe, eam, ut videtur ſibi, vera multa complecti; & firmum ac conſtans habere, repudiandam omnino non eſſe. „ At nulla, inquit Tillemontius, media via eſt: Vir, qui ſe „ Petri diſcipulum jactat, nihilque ſe referre teſtatur, quod oculis non „ uſurpaverit; aut teſtis eſt omni exceptione major, aut falſarius, calu„ mniator, omni prorſus fide indignus. Quamobrem non audens eum „ propugnare Florentinius, oppugnat abſolute. Quicumque amant argu„ menta ſingillatim percipere, quibus illam explodant, ad eam legen„ dam ſe conferant. Meo quidem judicio in numero collocanda eſt Scri„ ptorum S. Lini, & Recognitionum, in quibus ſi quid ineſt veri, di-

Tillem. tomo 1. annot. 49. in S. Petrum pag. 565. & 2.

„ ſpici

„ ſpici nequit ab eo, quod non item; ita ut operam per me ludat, „ quicumque illis legendis atque executiendis diſtinetur. „

S. Timothei Vitam ex Actis a Bollando vulgatis concinnavit Tillemontius: cum autem probe noſſet, non pauca in iis reperiri impedimenta, quæ Hiſtoriæ huic fucum facerent, in hæc verba loquitur: „ „ Tametſi inconcuſſam Acta iſta non afferant autoritatem; abs re putavi, ipſis fidem penitus derogare; quod inepta non ſint pluribus S.S. Joannis, & Timothei geſtorum capitibus elucidandis, ſuper quæ meliora deſunt nobis monumenta. Magnifici, quibus Epheſinam Eccleſiam ornat, tituli indicio ſunt, hunc Eccleſiaſticum ejuſdem Urbis Virum fuiſſe, adeoque Traditionis Eccleſiæ ſuæ quinto aut ſexto ſæculo teſtem . . . . . „ Nunquid non integrum eſſet eadem adverſus Tillemontium uti reſponſione; qua ille adverſus Florentinium uſus eſt? *At nulla prorſus media via eſt. Qui ſe Epiſcopum jactat, atque teſtatur, ſe nihil, niſi quod ab iis, qui Timotheum allocuti ſunt, acceperit, dicturum; aut teſtis eſt omni exceptione maior, aut falſarius & calumniator nulla fide dignus. Quapropter dum Opus hoc propugnare aperte non audet Tillemontius, illud oppugnat manifeſto. Quicumque amant argumenta ſingillatim percipere, quibus illud explodant, ad idem legendum ſe conferant*; atque in eo menda plurima deprehendent. Narrat Tillemontius, Actorum iſtorum Scriptorem Eccleſiaſticum fuiſſe Epheſinæ Eccleſiæ Virum quinto aut ſexto ſæculo natum. Nihilominus ſibi *Polycratis* nomen imponit; † atque Acta hujuſmodi omnibus Presbyteris ſive Epiſcopis Aſiæ & Ponti mittit Collegis ſuis; palamque facit, ſe quiquid de Sancto Timotheo litteris tradit, ab iis, qui cum illo converſati fuerant, didiciſſe. Ita habent Acta: *Martyrium Timothei, diſcipuli quidem S. Pauli Apoſtoli, primi autem Patriarchæ conſtituti, Epheſiorum Metropolis Aſiæ & Phrigiæ, Pamphilii, Ponti, & Galatiæ; atque omnibus in Catholica fide degentibus compresbyteris, ego omnium veſtrum minimus Polycrates, ſicut ipſi, qui viderunt, & nobis tradiderunt, & nos ſtatim ſecuti ſuſcepimus &c.*

tomo 2. annot. 5. in S. Tim. pag. 585. c. a.

† Extitit Victoris Papæ tempore quidam Polycrates Epiſcopus Epheſinus, altero ſæculo ad occaſum vergente. *Apud Boll. tomo 2. Jan. ad diem 24. pag. 566. col. 1.*

Audiſtis, quæ ſatis Tillemontio viſæ ſint emendationes, ſive antidota, ut excogitati hujus *Polycratis* Actis uteretur. Tamen cum Florentinius falſi Marcelli fide Simonis Magi & Sancti Petri concertationes exequitur, eadem quamvis provideat, & paret remedia, ac ſapiens iſte Criticus, inficiabuntur, eum illo in teſtimonio idem compendium facere poſſe, quod in ſuppoſititiis Polycratis Actis fecit Tillemontius.

AR-

ARTICULUS III.

De Teſtimonio a Libris apocryphis, dubiis, ſive ſuſpicioſis, comparato, ex quibus videntur Patres in Opera ſua nonnullas Hiſtoricas narrationes derivaſſe.

MUltiplices, quas adhibent eruditi Critici ad Scriptorum Eccleſiaſticorum autoritatem infirmandam viæ, non eo definiuntur numero, quem adhuc complexi ſumus: ſuperſunt enim nonnullæ aliæ, ad quas animadverſiones noſtras convertamus; quæ licet omnibus Eccleſiæ Patribus communes revera ſint, uſum tamen præcipuum habere ſolent in quinque aut ſex duntaxat, quorum aliquibus Tractationibus ægre admodum fidem deferunt, cauſando, eos, quæ proferunt, facta ex Apocryphis hauſiſſe Libris, dubitanteſque, ne a contaminatis fontibus manaverint, aut ab incertæ & ancipitis veritatis monumentis, aut a mendacibus & vulgaribus Traditionibus deſcenderint. Reliquum itaque nobis eſt, dubitationes aliquas ſuper hæc quoque ſubjicere; cum interſit diſquirere, num hæc conjecturæ ratio integerrimæ & accuratæ Critice queat accommodari.

§. I.

Utrum S. S. Clementis Alexandrini, Gregorii Nyſſeni, Epiphanii, Gregorii Turonenſis, Joannis Damaſceni, aliorumque teſtimonio minori in pretio de quibuſdam argumentis habendo juſtam cauſſam prætexant, qui dicunt, eos, quæ tradunt, ab Apocryphis accepiſſe.

MUlti ſane operis nequaquam eſt, Criticorum noſtrorum conſilium tenere, cum Patrum iſtorum ſuper nonnullis de Jeſu Chriſti, ejuſque Virginis Matris capitibus teſtimonium in ſuſpicionem adducere ſtudent, ſi modo ea reputemus, quæ ab exordio Orationis ſuæ de Geſtis Sanctorum ſcribit Bailletus. Attende qui loquatur. „ Sunt inter „ Veteres Patres ii, quibus e falſis Evangeliis non pauca Servatoris no„ ſtri facta depromere placuit, uti S. Clemens Alexandrinus aliique; Non defuerunt deinceps S. S. Gregorius Nyſſenus, & Epiphanius, qui adulte-

Orat. in Vit. Sanct. p. 8.

„ ri-

„ rinis Genealogiis imbui non dubitaverint ſuper iis, quæ de Mariæ Virginis genere atque infantia poſteris commendarunt, & in ſequentibus ſæculis exorti ſunt Gregorii Turonenſis, & Joannis Damaſceni ſimiles, quibus commentitia de Virginis Tranſitu Hiſtoria adjuncta mortis ejus, quæ nobis obtruſerunt, ſuppeditavit. „

Nihilo majori cum obſervantia eorum meminit Tillemontius. „ Clemens Alexandrinus, inquit, plura a Libris Apocryphis minuſque tutis deſumit. „ Atque ad multas in Deiparam Virginem adnotationes contendit ſuadere nobis, Gregorium Nyſſenum, & Epiphanium a confictis & Apocryphis Judæorum, Hæreticorum videlicet Nazaræorum, Hiſtoriis ea, quæ de Virginis parentibus, ortu, aliiſque Vitæ ipſius circumſtantiis memorant, decerpſiſſe: demum perſuaſum habet, Gregorium Turonenſem a falſo Melitone, ſive ab Apocrypho *de Tranſitu Virginis* ſcripto ejus Reſurrectionis hiſtoriam didiciſſe; & tempus, quo claruit Joannes Damaſcenus, ejuſque ad omne Hiſtoriarum genus imbibendum propenſionem, ejuſdem teſtimonii autoritati nocuiſſe.

Art. 22. de S. Paulo pag. 250.

Annot. 2. 3.6. in Sanctam Virg.

Ibid. annot. 14. & 15.

Si Clementi Alexandrino fides eſſet, quæ feruntur, eum falſa Evangelia, & Apocrypha volumina uſurpaſſe, per ſe ruerent: edicit enim aperte, id unum tantum ſibi ante oculos poſuiſſe inſtitutum; ut ab oblivione vindicaret ea, quæ acceperat a Panthæno aliiſque præceptoribus ſuis, ipſique a S.S. Apoſtolis Petro, Joanne, Jacobo, & Paulo oretenus audierant. *Vera imago, inquit, & adumbratio evidentium & animatarum Orationum, quas dignus habitus ſum, qui audirem . . . . . Eſt enim hæc deſcriptio animæ deſiderantis, beatam ita conſervare traditionem, ut non poſſit effugere.*

Lib. 1. Strom.

Hi ſunt fontes, unde nonnulla de Jeſu Chriſti geſtis capita deduxiſſe fatetur Pater iſte, non autem ab Evangeliis ſuppoſititiis: Quid ni ejus fidei tantum tribuemus, ut ei dicenti acquieſcamus?

Tillemontius & Bailletus hæſitatione nulla id amplectuntur, quod de miris rebus S. Felicis Nolani teſtatur Paulinus; quod de S. Mauritii Martyrio memoriæ prodidit Eucherius Lugdunenſis; quodque de Sancta Magdalena ſcriptum reliquit S. Modeſtus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus; multis licet poſt annis vixerint, quam ii, de quibus ſermonem habent, nullumque ſuper his prædem dederint; ſi Modeſtum excipias, qui una voce *fertur*, quidquid ſexto poſt ſæculo de Magdalenæ Martyrio Libris ſuis conſignavit, fulcire arbitratus eſt. Quæ cum ita ſint, qui negabunt S. Clementi Alexandrino aſſentiri, cum enunciat aperte, ſe ab Apoſtolorum Diſcipulis audiviſſe, quæcumque de Chriſto Jeſu ad poſteros propagavit?

At enim, inquiet aliquis, nunquam ne Evangelium ſecundum Ægy-

ptios, & ſecundum Hebræos laudavit Clemens Alexandrinus? Non repugno citaſſe aliquando, verum bis, aut ter, ut maxime; quodque ſæpius id fecerit, operoſum eſſet oſtendere. Porro ſi tanti hoc eſt, ut in ejus de Chriſto Jeſu teſtimonium inferat ſuſpicionem, quotuſquiſque Autorum Eccleſiaſticorum erit, cui certam aliis in rebus autoritatem adjungamus? Cur non fuiſſet integrum illis eos in medium producere; quando noſtri quoque Critici unaquaque Operum ſuorum pagina alios nihilo his præſtantiores producunt?

Falſæ iſtæ Genealogiæ, e quibus ajunt ea profluxiſſe, quæ Sancti Gregorius Nyſſenus & Epiphanius de Virginis Deiparæ familia atque infantia protulerunt, nihil aliud per Tillemontium dicendæ ſunt, quam nonnullæ Judæorum, ideſt Nazaræorum Hæreticorum Traditiones, quæ in Apocryphis voluminibus, & fabulis undique refertis ſervabantur. Nihilominus quæ de Maria perſequuntur Patres iſti, alter quidem Tractatu *de Chriſti Nativitate*, alter vero Hæreſibus 78. & 79., in Ægyptiorum, & Nazaræorum Evangeliis, atque in S. Jacobi Proto-Evangelio deſiderantur: quantumvis narratiunculis, & fabuloſis de Sanctæ Dei Genetricis ortu, infantia, Vita, & partu, hiſtoriis redundent.

Quamobrem contendere, eos narrationes ſuas ſive ab infantiæ Jeſu Chriſti libro, ſive ab alio de Mariæ genere atque ortu, vitioſe S. Jacobo Hieroſolymitano, vel Cyrillo Alexandrino tributo, a Patribus rejecto, atque ad Apocrypha a Gelaſio Pontifice amandato, traduxiſſe nonne divinare erit; cum monumentorum neutrum iſtorum ad nos uſque pervenerit? Res profecto poſcere videbatur, ut aliquam eorum, quæ narrant, nobis Critici redderent rationem, & monerent, qui ſciant, quibuſque innitantur, cum Patres ad hæc fraudulenta Volumina ſe contuliſſe docent in iis, quæ Virginis Deiparæ fuerunt: neque enim æquum eſt, Magnos Patres iſtos ſuſpicione perſtringere, & temere ac generatim eos ab Apocryphis Libris, & ementitis Judæorum Traditionibus multa exſcripſiſſe pronunciare, nullo, quod rem conficiat, adhibito argumento: præſertim vero ejus ingenii Scriptores, qui ſuſtinere nullo modo poſſunt alios quidpiam referre Autoris alicujus præſidio deſtitutum.

At enim, urgent rurſus, inficiari ne poterit quis, in Patrum iſtorum Operibus deſperatæ defenſionis plura contineri? Eſto: verum omnia hæc neque credenda, neque propugnanda ab Apocryphis, quæ citent, monumentis minime proficiſcuntur: aliunde autem duorum vel trium numerum non excedunt, quorum graviſſimum illud eſt, quod dicitur. Beatam Annam Sancta Sanctorum, ſive *Sanctuarium* ingreſſam fuiſſe, ut a Deo fœcunditatis gratiam exoraret. Atqui nonne hujus generis plura æque minus propugnanda in Hegeſippi de S. Jacobi Minoris Martyrio Hi-

Gregor. Nyſſ. de Chriſti Nativ.

Hiſtoria reperias, quæ tamen a Criticis noſtris exploſa omnino non eſt? Nunquid non in ea legas, Jacobo Sancta Sanctorum introeundi facultatem fuiſſe? Quid ni autem liberum eſſet, expediendis difficultatibus in Gregorio & Epiphanio obviis, Tillemontii reſponſum uſurpare, quod ſuper exigua Hegeſippi narrationis cum vero ſimilitudine dedit. „ Vitium hoc Hegeſippi erit, inquit Tillemontius, nos vero dicamus: „ Vitium hoc Gregorii Nyſſeni erit, quod ſcripſerit, Jacobum, & Annam in Sancta Sanctorum pedes intuliſſe, meo quidem judicio leve atque excuſatione dignum, cum rei ſummum caput non invertat; & propterea ejus momenti non ſit, ut de ceteris aliis ipſius autoritatem exterminet; nemo etenim Autorum eſt conſtantis adeo accurataque veritatis, qui in hujuſmodi lapſus aliquando non incidat. „

Annot. 10. in S. Jac. pag. 629. col. 2., & 638. col. 2. Edit.

Poſtremo, niſi queant in firmis & ratis habere, quæ Gregorius Niſſenus, & Epiphanius de priſcis Hebræorum in Deiparam Traditionibus recitant, quod ſiquidem Autores præſeferant vel ignotos, vel ſatis notos, ut eis facta colligentibus, adjunctis minimum ſaltem probabilibus permixta, fidem præbeamus: quid eſt, quod ſagaces iſti Critici non pauca ex Tractatu *de Chriſti nativitate*, atque ex Hæreſibus 78. & 79. congerunt, quoties ipſorum putant intereſſe? Anne loca ab ipſis memorata non ab iiſdem fontibus hauſta ſunt? aut nequaquam aliis interjecta, quæ vocant illi, neque defendenda, neque probanda?

Tillem. in Vita Deip. atque in Annot. *Baill. 15. Aug. in Feſto Aſſumt.*

Liquet per Gregorium Turonenſem, opinionem de Virginis ad vitam reditu Sæculo VI. in Occidente obtinuiſſe: id tamen videtur, ſubdit Tillemontius, falſi Melitonis autoritate manaſſe. „ Sanctus Gregorius Turonenſis, ait Bailletus quoque, inter primos fuit, qui hanc imbueret, * at non alio argumento, quemadmodum ceteri, niſi fabuloſæ cujuſdam *de Virginis tranſitu* Hiſtoriæ autoritate, ab occulti nominis autore lucubratæ ſub ſpecioſo S. Melitonis vocabulo, deinceps a Gelaſio & Concilio Romano damnatæ. „

Till. annot. 15. in S. Virg. pag. 497. col. 2. *Baill. 15. Aug. in Feſto Aſſumt.*

Item ſentit Criticus iſte, S. Joannem Damaſcenum ab eadem origine, quæ de Matris Dei interitu exaravit, deduxiſſe. Nihiloſecius levis adeo negotii opus non eſſet id oſtendere, quod tamen ipſi haud ſatis gravi momento nixi pronunciant; præſertim ſi animum diligenter ad eam loquendi rationem converteremus, qua utuntur tum Patres iſti, tum fallax

* Habemus a Gregorio Turonenſi, ipſum aliquando Sacri hujus Feſti [Aſſumtionis] pervigilium celebratum iviſſe ad Sacellum Mareiaſenſe in Alvernia, ubi Mariæ Virginis Reliquiæ cuſtodiebantur. *Baill. 15. Auguſt. de Feſto Aſſumt.* Contextus hic allatus a Bailleto ex nono *de Glor. Mart.* capite argumento eſſe poteſt, ſententiam de Mariæ Virginis Reſurrectione ante Gregorium Turonenſem invaluiſſe, illumque non a falſo Melitone, ſed aliunde eam traduxiſſe.

Melito ſuper Deiparæ Reſurrectione: diſſident enim non parum inter ſe. Satius forte eſſet conjicere, S. Joannem Damaſcenum ab Autore de divinis Nominibus, quem revera laudat, ſenſa ſua mutuatum fuiſſe. Quod autem autumant, Bedam dicentem, *Nonnullos novi præfato volumini Melitonis incauta temeritate aſſenſum præbere*, Gregorium Turonenſem indicare voluiſſe, veluti illum, qui nimia facilitate ſuppoſiti Melitonis Libro crediderat; *tacite notatus*: Critica id conjectura profecto eſt aliquanto plus æquo ſubtilius.

Alex. Hiſt. Eccleſ. ſec. 2. tomo 2. pag. 70. Tillem. annot. 25. in Virg. pag. 897. col. 2.

§. II.

In idem argumentum.

Quoties ſapientes Critici noſtri in eo laborant, ut quinque Patrum iſtorum, ſive aliorum autoritatem imminuant, perinde ac ſi falſa volutaverint Evangelia, & plurima ab Apocryphis & adulterinis Libris in ſuum cenſum tranſtulerint; interpretandi ne ſunt, Patrum iſtorum Opera, in quibus hujuſmodi monumenta locum habent ex. gr. Librum de Chriſti Nativitate S. Gregorii Nyſſeni, Hæreſes 78. & 79. S. Epiphanii per eos nullo numero & dignitate eſſe, aut citius ea duntaxat, quæ ab impuris fontibus illis eruperunt, falſa, ſuppoſititia, aut ſuſpicioſa judicanda? vel tandem Patres ipſos, Hiſtorias aliquas in Apocryphorum voluminibus inveſtigantes, ſuſpectos haberi neceſſum fore, ſaltem ea de re, in qua tum verſantur?

Si contendant, Opera ſimilibus teſtimoniis conferta, nullum pondus habere autoritatis, quorſus evadent non pauci Libri Canonici, atque excellentiora antiquitatis monumenta? Oportebit itaque, Epiſtolas S. Pauli ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, nihili faciendas exiſtimare; * idemque judicium ferre de S. Judæ Epiſtola, in qua locus ab Henochi Libro tranſcriptus legitur, & teſtimonium S. Michaelis Archangeli, cum Satana de Moſis corpore diſputantis, in Libro de Moſis Aſſumtione reperitur; quæ omnia ab Eccleſiæ Patribus Opera proſcripta ſunt.

Denique Daillæo concedere ultro opus erit, Epiſtolas Sancti Ignatii fucatas eſſe, quod ab Apocryphis ipſarum Autor petat teſtimonia: ** pri-

* Opinantur Origenes, Syncellus, aliique, hæc Apoſtoli ſenſa: *Nec oculus vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: Circumciſio nihil eſt, &c. Exurge, qui dormis, &c.* originem ducere a Libro inſcripto: *Aſſumtio Apocalypſis, ſive ſecreta Eliæ*; atque ab alio ſcripto mendoſe Hieremiæ tributo; quæ omnia ſuppoſititia ſunt, ut nihil magis.

** S. Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes plura de Jeſu Chriſto tradit, quæ ipſi Evangelium ſecundum Hebræos ſuppeditaverat. *In qua* ait Hieronymus, *& de Evangelio, quod a me nuper translatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium*. De ſcript. Eccleſ.

mam

ſtam S. Clementis Papæ ad Corinthios Epiſtolam, Papiæ & Paſtoris Libros atque univerſa fere præſtantiora vetuſtatis Opera futilia, & fide, atque autoritate laborare; quia videlicet ad falſas Scripturas, Evangelia commentitia, & Apocryphos Libros appellant.

Si vero Criticis iſtis perſuaſum ſit, res a Monumentis corruptis depromtas propter illud unum falſas eſſe, quod e venenatis rivulis illis diffluxerint, quis erit exitus quamplurimorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ factorum; atque adeo Monumentorum Tillemontii, & Hiſtoriæ Sanctorum Bailleti? Delenda confeſtim ab Eccleſiaſticis Faſtis erunt, veluti excogitata figmenta; quæcunque de Septuaginta Verſione poſteritati commendarunt Juſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euſebius, Hilarius, Epiphanius, Joannes Cryſoſtomus, Auguſtinus, aliique nonnulli; nihil etenim hac de re produnt, quod a Philone & Joſepho Judæis non perceperint; quodque iſti ab Ariſtea, & Ariſtobulo, notæ fraudis ſcriptoribus, non protulerint.

Supprimenda erunt, quæ Origenes, Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique bene multi de Zachariæ Patris S. Joannis Baptiſtæ interitu cenſuerunt, qui fuit inter Templum & Altare interemtus; cum Hieronymi judicio quibuſdam Apocryphorum ſomniis compacta ſit, neque humanius accipienda ab Hieronymo eodem ſuper hac re narrata, utpote quæ Apocryphum Nazaræorum Evangelium autorem agnoſcunt. Accedant licet Auguſtinus, Arator, Photius, aliique de die & anno Mortis Apoſtolorum Petri & Pauli differentes; ſiquidem Concilium Romanum ſub Gelaſio ſtatuit, hæc omnia fœtus eſſe a Scriptis partos, Hæreticorum dolo vel confectis, vel depravatis.

Demum, ne exemplis, quæ in immenſum ſuccreſcerent, Lectorem tædio afficiamus, de medio tollere oporteret, quæ ſuperſunt nobis ab Arnobio, Cyrillo Hieroſolymitano, Legatis Liberii Pontificis, Ambroſio, Auguſtino, Iſidoro Peluſiota, Theodoreto, aliiſque multis, quoad SS. Petri & Pauli adverſus Simonem Magum certamen, & illuſtrem victoriam ab ipſis reportatam: cuncta nanque huc attinentia a Patribus memorata Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſive falſi Marcelli S. Petri Diſcipuli Hiſtoria primo docuerunt; de quarum falſitate nemo unus dubitat.

At fieri ne poterit, ut notam aliquam inurere velint eruditi Critici noſtri Autoribus ipſis qui ex cœnoſis iſtis lacunis libaverunt, eorumque teſtimonium fortaſſe in ſuſpicionem vocare? Si ita eſt: cedo, quiſnam Eccleſiæ Patrum, quiſnam veterum & Eccleſiaſticorum Scriptorum aberit a reprehenſione? Immo non video, quomodo Critici noſtri, eruditione tanta licet præſtantes, unum in medium producerent, qui Apocryphos

Li-

Libros non conſulat aliquando; cujuſque iccirco autoritati nomine iſto excidium non impendat. Quamvis etiam non pateret, Veteres hucuſque recitatos facta a mendacibus Libris petita collegiſſe; eſt ne abnuendi locus, Origenem, Euſebium, Athanaſium, Epiphanium, Hieronymum, Autorem in Matthæum S. Joanni Cryſoſtomo adſcriptum, Rufinum, alioſque multos ſæpius *Recognitiones Clementis* in ore habuiſſe, quæ alias *Itinerarium*, ſive *Acta S. Petri* appellantur, atque a Gelaſio Pontifice Apocryphis annumeratæ ſunt?

Quem præterit, Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Athenagoram, Hieronymum, nonnulloſque alios Patres nominaſſe Henochi Librum, apud antiquos percelebrem, etſi citra controverſiam Apocryphum? Tandem nonne compertum eſt, Epiphanium ex Voluminibus nuncupatis: *Generationes*, & *Creatio*, Adamo tributis, atque ex ejuſdem revelatione plura in Opus ſuum recepiſſe? Caſſianum Tractatus cujuſdam de Magia mentionem habere, qui Chami nomine vulgatus erat? Autorem Synopſis Scripturæ, Athanaſii vocabulum jactantem, de quodam Aſſumtionis Abrahami ſcripto locutum fuiſſe? Hermam, ex vetuſtioribus Chriſtianorum Scriptoribus unum, de Prophetiis Adad & Medad ſermonem feciſſe? Ambroſium Jannis & Mambris Magorum Pharaonis meminiſſe: quæ totidem Opera ſunt fabulis redundantia, adulterina, & pro majori parte a Gelaſio infra Apocrypha ablegata? Miſſos facio Gregorium Magnum, Avitum, & Ven. Bedam in eundem lapidem frequenter impingentes. Nam cum plurimi Librorum iſtorum apud antiquos exſtarent, quos partim Judæi, id genus fabularum amatores, partim Hæretici erroribus ſuis venditandis compoſuerant, mirum non eſt, eorum aliquando fragmenta Operibus ſuis Patres inſeruiſſe.

Verum enim vero gloriari ne poſſunt docti Critici, qui ſuperſtitioſam adeo hac de re oſtentant religionem, ſe nunquam in hujuſmodi ſalebras incidiſſe? Anne Tillemontius a Hieronymi ſententia de Zachariæ Patris S. Joannis Baptiſtæ interitu non recedit; neque pronunciat, cum ad Apocrypha animum convertiſſe, & tanti Doctoris momentum non obeſſe ſibi, quominus aliquo cum honore adverſam opinionem S. Petro Alexandrino probatam excipiat? Et tamen quæcumque fatur Petrus Alexandrinus: *ex apocryphis accepta noſcuntur*; monet Baronius.

Annot. 5. in S. Joann. Baptiſtam pag. 509. col. 2.

ad annum 1. §. 53.

Si Dupinum audio, *Confeſſio*, vel *Pœnitentia* S. Cypriani ipſi ſuppoſitum Opus eſt: Gelaſius certe ad Apocrypha rejecit, & Bailletus profitetur, eam pluribus locis fidem omnem ſuperare: nihilominus cum ipſe, tum Tillemontius quaſdam Tractatus iſtius, quantumvis Apocryphi, particulas Vitis S. Cypriani Epiſcopi Antiocheni, & S. Juſtinæ Virginis

Dupin. tomo 1. pag. 531., & 765.
Baill. Tab. Crit. pag. LIV. 26. ſept. & in hujus Sancti Vita.
Tillem. tomo 5. pag. 329 & 720. & 721.

ginis & Martyris Nicomedienſis admiſcuerunt; atque alia plurima Patrum ſenſa & facta, complexi ſunt, quæ a principiis ſimiliter corruptis ortum ducebant, uti ſuperius non paucis exemplis confirmavimus, queis alia multa ſuperſtruemus, cum ad trutinam revocabimus, utrum nec ne iſti Critici aliqua enuncient ex nihilo purioribus fontibus manantia.

Quare cum omnes ferme Eccleſiaſtici Scriptores, & præcipue vetuſtiores, in hoc offenderint, ut Libros Apocryphos interdum citarent; non eſt cur miremur, Clementem Alexandrinum, Gregorium Nyſſenum, Epiphanium, Gregorium Turonenſem, & Joannem Damaſcenum hujuſmodi culpa non vacaſſe. Ceterum antequam inde nonnihil proficiant, tria ſibi noverint præſtanda Critici noſtri. Primum optimis argumentis conficere, hoſce quinque Patres ſuper aliquibus capitibus de Jeſu Chriſti & Mariæ Geſtis falſa & Apocrypha adiiſſe Monumenta; neque enim communibus dicendi formulis, ſed peculiaribus probationibus acquieſcimus: ipſi autem æqui & boni facient, nos ab eis eadem poſtulare, quæ ipſi ab aliis flagitare præcaverunt.

Alterum, poſtquam nos de his fecerint certiores, ipſorum erit, luculenter oſtendere, omnia, quæ in ſeſe continent Apocryphi Libri, Apocrypha eſſe, omneſque Hiſtorias, inde ab his quinque Patribus mutuo acceptas, eſſe fallaces. Porro id eſt, quod eos haud præſtituros putamus; immo nos oppoſitum nullo negotio concludere poſſe confidimus: quia, primo exploratum ſit, ab Apoſtolis Paulo & Juda ex his Libris decerpta, non modo falſa nequaquam eſſe, verum divinæ & canonicæ veritatis: * ſecundo, quia alias id vitium conſequeretur, in fabularum ſcilicet, & confictarum Hiſtoriarum ordine collocanda eſſe, quotquot a Voluminibus iſtis Eccleſiæ Patres compararunt. Denique quia certa & inconcuſſa eſſe poſſunt facta hæc a Patribus recitata, vitioſa licet origine deſcenderint. Præſto ſit exemplum. „ Cave ne, inquit Simonius, addi- *Hiſt. Crit. novi Teſt. c. 7. pag. 87.*
„ tamenta omnia in Hebraicum Nazaræorum Evangelium intruſa pu-
„ ras putas fabulas exiſtimes. Papias etenim illorum unum affert, quod
„ Apoſtolica Traditione propagatum fuerat, uti illud mulieris Adulte-

* Res aliqua duplici nomine canonica eſſe poteſt, ſive *per ſeſe*, ſive ex *accidenti*. Quidquid Prophetæ & Apoſtoli Spiritu Sancti afflatu ediderunt, Canonicum dicimus priori ſignificatione: quidquid autem ſcripſerunt homines, tamquam verum, eoque Prophetæ & Apoſtoli uſi ſunt, id Canonicam induit veritatem altero ſenſu. *Iſta, acceſſione authoritatis Prophetica, fiunt divina & authentica.* Propterea quæ SS. Apoſtoli Paulus & Judas e Libris Apocryphis depromta fecerunt ſua, in Canonica pariter evaſerunt. *Quidquid ſit*, ait P. Morinus, *de Librorum ejuſmodi autoritate, ſententias aut hiſtorias, hinc ab Apoſtolis excerptas & approbatas veritatis eſſe authentica, nemo Chriſtianus, opinor dubitavit*. Morinus Exercit. Bibl. l. 1. Exerc. cap. 12. pag. 296.

„ ræ; quod de aliis quoque non omnino incommode dici poterit ; „ Tametſi ex Apocrypho Libro ad nos hæc Hiſtoria pervenerit, ſentiunt nihilominus eruditorum Interpretum aliqui, eam non inferiori gaudere Canonica dignitate. * Iſtud conſulto exemplum ex fucato Nazaræorum Evangelio petitum ſelegi, quo perſpicuum fiat, tum etiam quando S. Clemens Alexandrinus aliique Patres inde factum aliquod in Opera ſua derivaverint, æquo id non eſſe argumento, ut illa in dubium revocemus.

Jam vero quanquam nobis perſuadere poſſent Critici noſtri, omnia falſa eſſe atque afficta, quæ fontibus iſtis exiliunt, nova ſupereſſet adhuc, quam evaderent, difficultas, & non ſecus ac duæ priores implicata. Incumberet nanque ipſis concluſe demonſtrare, Patres, Hiſtorias hujuſmodi, quæ in Apocryphis Libris occurrunt, excitantes, illas e purioribus fontibus non hauſiſſe, perque alios Canales ad eos non confluxiſſe. Perſpectum etenim reipſa habemus, mulieris adulteræ Hiſtoriam in Hebraico Nazaræorum Evangelio comprehenſam, aliunde Papiæ notam fuiſſe: *ſed quod eam Papias a ſuo Doctore audierit.*

Itaque eſto planum facerent, cuncta de Vita Domini noſtri, ejuſque Matris hiſtorica facta, a Clemente Alexandrino, aliiſque quatuor Patribus narrata in commentitiis voluminibus reperta fuiſſe revera, imme ad hodiernam quoque diem reperiri, cur dicere non liceret, eos alia plane via hæc accepiſſe; quandoquidem id Tillemontius ipſe fatetur [1]

Art. 22. in D. Paulum pag. 250. „ Autor eſt, inquit, S. Clemens Alexandrinus, conſulere conſueviſſe „ Apoſtolum Paulum, ut Paganorum libros, quos inter Sybillinos, atque „ Hyſtaſpis, verſaremus. Ejus ſuper hac re Orationem recitat, ex ali- *Clemens Alex. l. 6. Strom. pag. 636.* „ qua fortaſſe ad populum hortatione deductam, quæ litteris non qui- „ dem tradita, ſed in animis Chriſtianorum vl Traditionis fuerit con- „ ſignata. „

Enim vero communis hæc erat, quam Veteres Patres ſequebantur via; ut multa de Jeſu Chriſti, Mariæ Virginis & Apoſtolorum Geſtis adjuncta cognoſcerent. Id enim apud primorum Sæculorum Chriſti aſſeclas moris erat, ut diligenter de iis inquirerent, de quibus Apoſtolorum diſcipuli a Magiſtris ſuis fuerant inſtituti; ut efficitur exemplo Papiæ, Hermæ, qui Paſtoris Opus lucubravit, Clementis Alexandrini, aliorum antiquorum, præcipue vero Hegeſippi. „ Hoc autem ait Tillemon-

* *Ex quibus patet*, (ait Janſenius Epiſcopus Gandavenſis), *hanc Hiſtoriam non imprimis fuiſſe ab Evangeliſta hoc loco deſcriptam; ſed vel apocrypho illo Evangelio additam, qua tamen autoritatem obtinuerit, non quod in Apocryphis ſcripta fuerit, ſed quod eam Papias a ſuo Doctore audierit, quodque hanc Eccleſia conſenſus, ut Evangelio dignam comprobarit.* Janſenius in Commentariis ad Concord. Evangel, c. 76.

„ tius,

„ tius, ipſius teſtimonii autoritatem amplificat, quod in omnibus Ecclefiis accuratiſſime ſcrutabatur, quænam ad eas traditionis ore delata fuiſſent: quamvis id etiam conveniat, eum propter aliquorum ſimplicitatem nonnihil ultra, quam ſatis eſſet, progreſſum hac de re fuiſſe. „ Quamobrem quoties in priorum ſæculorum Scriptoribus facta legas, quæ item complectantur apocryphi Libri, æquitatem non habet, hinc ſtatim conficere, ea ex impuris his exemplaribus Patres deſcripſiſſe: multo vero minus illos culparum iſtarum inſimulare, quod nimirum Hiſtoriæ hujuſmodi non ſapiant palato noſtro, quin animadvertamus, eaſdem in ſuppoſititiis, quæ exſtant, monumentis ſervari; neque haud ſatis gravi de cauſſa pia hæc latrocinia in ipſos imponere, quamvis aliunde potuerint in Hiſtoriarum iſtarum cognitionem incidere.

Till. tomo I. annot. 10. in S. Jac. Minorem pag. 674. col. 2.

Hæc omnia ſcrupulum nobis injiciunt, utrum nec ne Criticorum iſtorum Leges aliquando ferantur longius, quam par ſit? Quicumque verbotenus eas acciperet, quas pro S. Clemente Alexandrino, aliiſque Patribus, de quibus modo, rogaverunt; magnam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ partem excuteret, nonnihil forte de Canonicorum Librorum dignitate detraheret, Autorum Eccleſiaſticorum teſtimonium in ſuſpicionem adduceret: illud nanque in univerſum dicere ſufficeret, quod de quinque Patribus iſtis proferunt Critici: *Hic ex priſcis eſt Patribus, qui nonnullorum mendacium Evangeliorum, falſarum Genealogiarum, & Librorum Apocryphorum autoritatem ſuſceperunt*; cum etenim nullus ferme ſit Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui in penum ſuum aliquando ſimilium monumentorum fragmenta non intulerit, poſſent quidem hinc Hiſtoriarum, quas ab iis accepimus, exiſtimationem violare, deque illis ſuſpicionem commovere, quod profecto Eccleſiaſticam Hiſtoriam non mediocriter perturbaret. Illud interea Origenis & Hieronymi ſuffragio firmum & conſtans ſit, quod ſi Henochi liber in Judæ Epiſtola memoratus, tum Canonici iſtius voluminis autoritatem non minuit, tum illius Apocryphi momentum non auget: haud abſimiliter Clementis Alexandrini, aliorumque Patrum teſtimonium, nothorum Operum uſu, neque elevatur, neque iis ipſis ſpuriis monumentis ulla propterea ſit acceſſio veritatis.

§. III.

Critici, quo Veterum teſtimonium extenuent, utuntur non ſemel his loquendi modis: metuendum eſt, eſt cur dubitemus, id ex Apocryphis depromtum fuiſſe.

EXquiſita adeo accurationis vi præſtant Critici noſtri, ut nihil in apertum producere aſſueti, quod e puriſſimis antiquitatis fontibus non manaverit; concoquere nullo modo poſſunt, alios pro re hiſtorica a commentitiis & Apocryphis monumentis præſidium adſiſcere. Hæc autem religio eo demum fertur; ut non rejiciant modo, quæ inde certo fluunt; verum una ſuſpicio, an factum quodpiam ex his ortum duxerit, ſatis ſuperque ſit, quæ eos ab id genus Operibus admittendis deterreat. Subjiciunt enim: *Metuendum eſt, eſt cur dubitemus, id origine prava deſcendere*, aut *ex Apocryphis depromtum fuiſſe*. Quam eſt reſponſum hoc ad apertiſſima quæque Scriptorum ſenſa evadenda breve atque expeditum, tam eſt in Criticorum noſtrorum voluminibus frequentiſſimum.

Si Blondelus in ſuo de Sibyllis Opere S. Clementis Alexandrini teſtimonium afferat, quo ait, Paulum de Sibyllis legendis conſilium dediſſe: „ Clemens Alexandrinus, reſpondet Tillemontius, nimium eſt ad Apocryphos libros citandos compoſitus: ut propterea *metuendum ſit*, ne „ non, quod de S. Paulo ſcripſit, hujuſmodi ſit. „ Annotatione pariter 49. In D. Petrum. „ Non putavimus, ſubdit, intereſſe noſtra, „ iis quæ de Sancto Petro litteris tradidit Hegeſippus, in Orationis noſtræ contextu locum dare; quamvis etenim vixiſſet ipſe ſæculo V., *metuendum* tamen *eſt*, ne non dicta ſua ex adulterinorum Librorum aliquo, qui per ea tempora in omnium manibus verſabantur, decerpſerit. „

annot. 26. in D. Paulum pag. 582. col. 2.

Tillem. ib. pag. 567. col. 2.

Nos docent Sancti Eucherius & Nilus, omni diſciplinarum genere, & ingenuarum Litterarum facultate præditum fuiſſe Sanctum Clementem Pontificem. „ At non apparet, inquit Tillemontius, quinam boni Autores Sanctos hoſce duos, alioſque paucos magnam politioris Litteraturæ vim & copiam S. Clementi tribuentes, de illa certiores facere potuerint; & *metuendum eſt*, ne non ſuper his Recognitionum fabulas ſint ſectati. „

Tomo 2. art. 1. de S. Clemente pag. 162.

Articulo denique de Sancto Andrea cum retuliſſet ſingularem de Apoſtoli hujus obitu notitiam aperiri nobis ab Epiſtola quadam Presbyteris & Diaconis Achajæ adjudicata, ſubjungit: „ Non audemus tamen, eo-

Tillem. tomo 1. art. de D. Andrea pag. 338.

„ rum

„ rum quicquam in dictionem noſtram inferre : *cum metuendum ſit*, ne „ non Opuſculum ſit, ex Hiſtoria a Veteribus damnata, atque ab Heterodoxis concinnata deductum. „ Dicendum ſane, hanc Phraſim *metuendum eſt* aptiſſime cadere ingenio Tillemontii : cum eam ter quaterve annotatione ſecunda in S. Andream iteraverit.

Eadem quoque *metuendum eſt* formula utitur ſæpius Bailletus ; ſæpiſſime autem alia huic reſpondente : *eſt maxime cur dubitemus*. In medium nanque productis iis quæ de Sanctæ Dorotheæ Virg. & Martyris Vita S. Aldhelmus ſcriptis mandaverat ſibi non probatis. „ Non videntur, ait, „ Acta iſta, quorum veſtigiis inſtitit Aldhelmus, noviſſime tum conſecta, cum de S. Dorothea Cappadoce loquebatur : immo *eſt maxime* „ *cur dubitemus*, num ætate illa perditiſſima collecta ſint, qua fabularum & prodigiorum ſtudium majorem Hiſtoriæ Martyrum partem vitiaverat. „ Quapropter veritus hic S. hujus Epiſcopi teſtimonium aperte in dubium revocare ſuper D. Dorotheæ geſtis, ejus infirmandi gratia, ſatis eſſe putavit, dixiſſe : *eſt maxime, cur dubitemus* ; non reputans, reſponſum iſtud cuicumque demum quatuor priorum, at præcipue inſequentium ſæculorum Patri accommodari poſſe. Ecce tibi breves facileſque reſponſiones ; ut de quocumque magis libuerit, controverſeris, quantumvis certum ſit, atque exploratum. Super quibus nonnulla animadvertamus.

Baill. XI. Junii in Vita S. Barnaba.

Baill. 9. Februaris in Vita S. Dorothea pag. 172.

Primum erit. Nihil attinet ſcire utrum *metuendum ſit*, ne non Patres nuper memorati eorum quidpiam, quæ narrant, ab Apocryphis libris depromſerint ; verum utrum reapſe id commiſerint, ut depromerent. At enim, inquies, vox hæc *metuendum* nihil ſignat ultra, quam de re nos animi pendere, non autem eam eſſe ratam & firmam. Si ita plane eſt, nihil habeo, quod redarguam. Nihilominus hi loquendi modi Criticis iſtis tantopere familiares nonnihil ſupra, quam ſimplicem dubitationem præſeferunt, ut compertum eſſe poterit exemplis ſuperius allatis, quibus apponitur ingenioſum illud antidotum *metuendum eſt* ; *eſt cur dubitemus*.

Alterum: Apocrypha Scripta in ore hominum prodire cœperunt, Tillemontio teſte, ante quartum ſæculum, qui ait, „ proviſum diligentiſſime ab Euſebio fuiſſe, ne quicquam tot mendacium Librorum, qui „ longe lateque tum diſperſi erant, in rem ſuam verteret. „ Cum itaque nemo ferme unus Scriptorum Eccleſiaſticorum ſex prioribus ſæculis extiterit, qui ad Apocrypha non aliquando confugerit, ne excepto quidem Euſebio, quiquid contra ſenſerit Tillemontius ; quoties propoſitum erit, ipſorum teſtimonium de re aliqua violare, negotium conficient, dicendo : *metuendum eſt*, ne non hiſtoriam iſtam ex Apocryphis,

Tillem. art. de S. Thoma pag. 399.

phis, qui tum pervagati erant, deduxerit, non ſecus ac alia quædam deduxit.

Tertium: Velim conſidères, quod cum fabularum ſtudium, ut Sapientum noſtrorum verbis utar, Hiſtoriam corruperit a Sexto præſertim ſæculo deinceps, nullum erit hiſtoricum inſequentis ævi caput, quod non ſuſpicioſum futurum ſit, ubi dixeris: *At eſt maxime cur dubitemus, utrum Acta hæc, Hiſtoriam dicito, ætate illa perditiſſima collecta ſint, qua fabularum & prodigiorum Studium Hiſtoriam vitiaverat*. Quod revera reſponſum uſurpat creberrime Bailletus, quoties aliqua ipſi narratio non arridet, nullum licet urgeat momentum, nullius etenim meminit, ut ambigat de illa præter ambigendi voluntatem.

Alia quoque præſto eſt animadverſio in hanc Eruditorum noſtrorum Critices rationem excitanda: videlicet paratiſſimam eos nobis viam ſternere, qua Hiſtorias omnes in ipſorum Operibus exaratas habeamus ambiguas, neque una pene ſuperſit, cui aliqua ſaltem de cauſſa integrum nequaquam ſit ſubjicere: *At metuendum eſt*, ſive *eſt maxime*, *cur dubitemus* &c. Cum etenim Autores, quibus adhærent, alia quædam ex Apocryphis hauſerint, atque illo ævo vixerint, quo *fabularum Studium Hiſtoriam vitiaverat*, eodem, quo Critici noſtri, jure reſpondere poterimus: *at metuendum eſt*; *eſt maxime*, *cur dubitemus*.

Demum pro certo habemus, moleſte laturos Criticos noſtros, ſi narrationibus ſuis hoc pacto obviam iremus; neque multum a vero abeſt fore, ut laqueis irretirentur Tillemontius & Bailletus; ſi magnum Scriptorum numerum ipſis congerentibus reponeremus: *at metuendum eſt*; ſive *eſt cur maxime dubitemus*. Concludamus igitur, ambiguas haſce & vagas reſponſiones, ad infirmandum Veterum teſtimonium cogitatas, ab accurata & recta Critice eſſe longe exterminandas.

XR.

ARTICULUS IV.

De Metaphraſtis teſtimonio.

§. I.

Aut nullo aut minimo loco habent Eruditi Græci hujus Scriptoris autoritatem.

METaphraſtes nihilò magis Geſtòrum Sanctorum Collectione, * quam exigua ſcribendi accuratione notus, uſque eo in præſentiarum perditi apud nonnullos nominis autor eſt; ut Hiſtoriam aliquam ipſius fide recitare idem prorſus ſit, atque illam ad fabulas detrudere. Vi quoque & poteſtate nominis ** ipſe ſecum videtur ſuam ferre damnationem, atque in eo ſapientes neſcio quid injucundi deprehendunt, quod non modo eis interdicit, quominus Autoris hujus ſuffragio aliquid muniant; verum tanta illos religione obſtringit, ut ne in operibus ſuis appellent quidem, quin nomen horreant, atque averſentur.

Tillemontius de Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonio diſſerens: „ Non „ credidimus, inquit, eundem gerendum eſſe morem Græcorum Menæis, „ aut Metaphraſtis Actis, ſive aliis autoribus recens exortis; ætate ſcili„ cet, qua Hiſtoriæ veritas popularibus Traditionibus, & haud raro „ figmentis de induſtria compactis turbata erat: non credidimus, inquam „ ullum gerendum eſſe talibus Hiſtoriis morem. „ Annotatione pariter tertia in Papiam, qua de S. Abercii Actis ſermonem habet. „ Opus hoc,

In Admonitione pag. XIII.

Tillem. tomo 2. pag. 663. col. 2.

* Latet in occulto, quo ſignanter tempore claruerit Metaphraſtes. Vulgata opinio fert, eum Litterarum laude florere cœpiſſe ſub exitum Sæculi IX. & ſub initium ſequentis; primis Imperii muneribus functum fuiſſe; omnibus Imperatoris Aulæ & domus Officiis præfectum, ad extremum *Logothetam* ideſt Cancellarium. Anno circiter 912. Imperatoris Porphyrogeniti hortatu, ad operam ſuam Geſtis Sanctorum navandam aggreſſus eſt.

** Bailletus in Oratione de Vit. SS. pag. 58. conjicit, additum ipſi fuiſſe cognomen iſtud, quod nimirum dictionem atque ordinem in Actis Sanctorum immutaverit. Subjungit annotatione in hunc locum: *Methaphraſis* aliquid amplius ſignificat quam *Paraphraſis*, & interpretatio. Vox hæc ambas alias complectitur; ideoque Metaphraſtes eadem notat ſignificatione *Interpretem*, *Gloſſatorem*, *& Interpolatorem* Nihilominus Μετάφρασις juxta hanc ſignificationem nihil aliud eſt, „ niſi *mutatio in aliud genus Orationis*, *interpretatio*, *translatio*. Μεταφράστης, *qui metaphraſi utitur*, *interpres*: neque apparet, unde nomen hoc *Interpolatorem* ſignificet.

„ ins

„ inquit, Metaphraſtis eſſe compertum fuit; nec quicquam apparet, un„ de majori illud in pretio habere cogamur, ac cetera, quæ inde pro„ ficiſcuntur. Suppetunt nobis, inquit alibi doctus iſte Criticus, S. „ Ignatii Acta, quæ in Metaphraſte leguntur: aſt Autor ipſe prodit ma„ nifeſte, quam parum apta ſint ad fidem faciendam.„

Ibid. annot. 3. in S. Ignatium pag. 620. col. 1.

Orat. de Vita SS. pag. 59.

Bailletus nihilo honorificentius Metaphraſtis ſuſcipit teſtimonium. „ Teſtari, inquit, aperte poſſumus, propterea quod nimium exquiſite „ mentiendi artem teneret, Autorem iſtum a nonnullis Hæreticis calu„ mniatoris & falſarii loco habitum fuiſſe, ad monſtra parienda a natu„ ra compoſitum, & licentiorem iis omnibus fabulis, quas pro Diis „ ſuis Græcia gentilis invexit. „ Caſaubonum exinde dicentem inducit, ſe in Metaphraſte vanitatis plurimum, judiciique minimum deprehendere, atque in eo omnes Poetarum & Declamatorum errores animadvertere, hoc uno immoderato fingendi, & veritatem fabulis obruendi ſtudio. * Hinc allata nonnullorum Proteſtantium ſententia, non reticet mentem oſtendere quampłurium Catholicorum, ab ejus adulterationibus & infidelitatibus abhorrentium.

Tenuis adeo atque odioſa videtur eſſe Bailleto Scriptoris hujus autoritas, ut in religionem ipſi venerit, non eum laudare modo, verum in Libris ſuis nominare, de quo operæ pretium duxit Lectorem monitum facere verbis his: „ Abſtinui quoque diligenter Autorum adeo „ perditorum uſu, atque ipſa appellatione, uti ſunt, inter Græcos Me„ taphraſtes & Nicephorus. „ A Metaphraſte demum faſtidio tanto & ſatietate alienantur Bailletus & Tillemontius; ut quoties indicare volunt hiſtoriam aliquam fallacem eſſe, aut fabuloſam, ſufficit ipſis dixiſſe: *Per manus Metaphraſticas traditam eſſe*, aut *Metaphraſti ſtylum olere*.

Adm. pag. XIV.

Quantumvis omnes æquitatis numeros habere videatur hujuſmodi cenſura, nihiloſecius Litteratorum omnium ſuffragio probata non eſt; multique fuerunt ii, quibus maximo in honore eſt habitus Metaphraſtes, qui ipſius laborem, atque officia Eccleſiæ præſtita laudibus honeſtarunt, immo patrocinium ſuſceperunt. ** Cum autem id e re noſtra non ſit,

* Judicium. quod Cavius de Metaphraſte, ejuſque Opere tulit, longe multum ab aliorum Hæreticorum judicio differt. *Vir*, ait, *ad bonas litteras infelici ſæculo promovendas natus, ipſe præſtanti ingenio, omnique politiori litteratura ornatus ..... Iubente Conſtantino Auguſto Vitas Sanctorum ante ſua tempora ſcriptas undique conquiſivit, conquiſitas recenſuit: elegantiores tanquam Lectorum conſpectu dignas calculo ſuo approbavit, neque* ULLA IN RE MUTATAS DIVULGAVIT *...... quaſdam etiam ex ſuperiorum traditione acceptas proprio marte ipſe condidit*. Cavius Hiſt. Litt. pag. 492. col. 1.

** Ea ſunt, quæ de Metaphraſte Græci ediderunt Elogia, ut nihil poſſit eſſe ſupra. Michael Pſellus elegantiſſimam habuit de illius Laudibus Orationem. Apud Surium ad in-

incumbat iis, qui utrinque habitas rationes expendendi munus obire amant, pronunciare, rectæ ne ſint an iniquæ adverſus Metaphraſten jactæ querelæ.

Itaque quod noſtra intereſt, ea, quæ de Metaphraſte perhibent Tillemontius & Bailletus, paulifper diſcutiamus; conſtat enim, nunquam hujus mentionem facere Scriptores iſtos, quin aliquam illius culpam retegant, & cenſoria ferula cædant; neque, demtis quatuor aut quinque locis, uſpiam reperies productum fuiſſe illum; aut facti alicujus con- *Baill. ubi ſupra.*
firmandi, aut Sancti alicujus, qui extra regionem, atque ante ipſius tempora vixerit, Hiſtoriæ enarrandæ gratia.

§. I I.

Eruditi Critici complura a Metaphraſte traduxerunt.

NEMO inficias iverit futurum, ut in Collectione Vitarum S.S. Arnaldi Andilliacenſis, in Actis ſinceris & ſelectis Thierii Ruinartii, in Monumentis Tillemontii, in Vitis Sanctorum Bailleti, atque in aliorum Sapientum Operibus, qui id argumenti tractandum ſuſceperunt, & Metaphraſten adeo flocci faciunt, lacunoſa multa apparerent, ſi delenda ex iis eſſent ea omnia, quæ ab Autore iſto originem ducunt: altius enim repetenti primos multorum Actorum Martyrum, & S.S. Geſtorum fontes perſpicuum fiet, maximum Monumentorum iſtorum numerum a Metaphraſte ſive compoſitum fuiſſe, aut ſaltem emendatum, retractatum, atque Eccleſiæ aſſervatum; quo ſane meritus eſt, aut ego fallor, ut certe ſemel citaretur, & jus ipſi ſuum tribueretur.

Si quis petiſſet ab Arnaldo Andilliacenſi, unde nam complurium S.S. Hiſtorias hauſerit, quæ integræ leguntur in ipſius Libro edito Pariſiis anno 1664. atque in hunc modum inſcripto. *Vitæ Multorum S.S. ex variis ſæculis. Gallice:* ex. gr. Vitam S. Porphyrii Gazæ in Palæſtina *pag. 61.* *pag. 105.*
Epiſcopi; S. Joannis Calybitæ; S. Auxentii Abbatis; S. Theodoſii Mo- *pag. 110.* *pag. 161.*
naſterio in Palæſtina præfecti; S. Sabbæ plurium in Palæſtina Monaſte- *pag. 222.*
riorum inſtitutoris; S. Joannis *Silenciari* nuncupati, Epiſcopi Colonienſis, dein- *pag. 258.*

diem 27. Novembris. Theodorus Balſamonius ejus Vitarum S. S. ſeriem verbis ampliſſimis ornavit in VI. Synodo Conſtantinopolitana, Canone 63. Contendit Leo Allatius, Metaphraſten integerrima fide hominem fuiſſe; atque in eum ideo Hæreticos inſurrexiſſe, quod nimirum veritatem & juſtitiam nimirum ſectaretur. *De Simeonum Scriptis.* Bollandus ex clarioribus præcedentis Sæculi Criticis ejus Apologiam adverſus Bellarminum adornavit, & multis demonſtrare ſtudet, Metaphraſtis crimina tantæ non eſſe, ut ferunt, immanitatis, ejuſque in S. S. Vitis recenſendis rationem tueri. Boll. Tomo 1. in Præf. pag. 18. col. 2.

de

de Abbatis Lauræ Sancti Sabbæ ; S. Eutychii Patriarchæ Conſtantino-
pag. 274. politani ; S. Theodori Abbatis monaſterii , & Epiſcopi Anaſtaſiopoli-
pag. 412. tani in Galatia ; Tractatum de exilio , & Reliquiarum tranſlatione S.
pag. 439. *pag. 415.* Nicephori Patriarchæ Coſtantinopolitani ; S. Nicetæ Abbatis , & for-
taſſe alias: ſi quis inquam a Viro præclariſſimo petiiſſet , unde nam Vi-
tas haſce omnes hauſerit, ipſe quidem ſine controverſia reſpondiſſet, eas
Surium & Bollandum recitare: Porro ſi quis ex Surio & Bollando ſci-
ſcitatus fuiſſet monumentorum iſtorum capita prima , faſſus eſſet uter-
que a Metaphraſte Manaſſe, qui ea vel lucubravit , vel cuſtodivit, *Au-
tore Simeone Metaphraſte*, ſive, *ex Metaphraſte*, inquit Surius.

Quamquam multa ſint ex Thyerii Ruinartii collectione Martyrum A-
Acta ſelecta Mart. pag. 43. cta , quæ intacta reliquit, immo ne agnovit quidem Metaphraſtes; alia
tamen non deſunt, quæ nobis ipſe ſervavit, quæque ipſi debemus. Hinc
pag. 422. accepimus Acta S. Juſtini Philoſophi, teſte Tillemontio; Sanctæ Agapæ,
Sanctæ Chioniæ, & Irenes Sororum , aliarumque ſociarum Martyrum ;
pag. 427. S.S. Didymi, & Theodoræ Virginis , & Martyrum ; Sanctæ Pherbutæ
pag. 639. aut Tarbulæ Virg. & Mart., aliorumque Martyrum Perſarum ſub Sapo-
re; S. Sabbæ Gothi , Martyris ; S. Sadothii Epiſcopi Seleucienſis, & Cte-
pag. 674. *pag. 642.* ſiphontis Perſæ Martyris; & S. Bademi Abbatis in Perſide, & Martyris .
pag. 680. Hæc omnia aliaque plura Acta, a Surio Metaphraſti tributa , in Actis
Selectis Ruinartii ſedem habent. Tillemontius autem omnium Sanctorum
iſtorum , quos Acta ei ſincera Ruinartii , adeoque Metaphraſtes ſuppe-
ditarunt, geſta digeſſit ; neque tamen alia mihi ab eodem rivulo ſcaten-
tia deeſſent, quibus monumenta ſua conſarcinavit.

A propoſito item noſtro longe abeſt perſequi numerando, quot a Me-
taphraſte Bailletus in Opere de Vitis S.S. decerpſerit : longius enim ,
quam par eſt, ſuccreſceret Oratio. Satis itaque erit inſtituto meo , ani-
madvertiſſe , illum omnia ab Arnaldo ſuperius e Metaphraſte depromta
deſcripſiſſe; quibus accedant quæcumque, uti monuimus, inde compa-
ravit Ruinartius. Verum hæ non ſunt ſane omnes Metaphraſticæ Hiſto-
riæ, quas adoptaverit Bailletus: alias habeto plures, quæ prolixe in Scri-
ptore iſto Græco leguntur, niſi ſex & ad ſummum ſeptem excipias, quo-
Baill. Vita Sanct. rum non tenues particulas in epitomen redegit . Hujuſmodi ſunt Vitæ S.
10. Januar. 25. 31. Marciani Conſtantinopolitani ; S. Joannis Eleemoſinarii ; S.S. Cyri &
13. Februarii . 12. Martii. Joannis Martyrum in Ægypto; S. Polieucti Martyris; S. Theophanis co-
13. Aprilis . gnomento *Confeſſoris* ; S. Carpii Epiſcopi Thyatiræ in Aſia, & ſociorum
17. Julii. 19. Julii. ejus; Sanctæ Marinæ Virginis ſolitariæ ; S. Arſenii præceptoris , atque
27. Julii . educatoris Arcadii Imperatoris, deinde Solitarii in Ægypto ; S. Pantaleo-
8. Auguſti. nis Medici Martyris , & ſociorum ejus; Sanctarum Fidei, Spei, & Cha-
ritatis Sororum Virginum Martyrum , & Sophiæ Matris earum ; Sanctæ

Ana-

Anaſtaſiæ Viduæ, Antiſtitæ Timienſis in Græcia; S. Andreæ Tribuni, *14. Auguſti.*
Martyris & ſociorum ejus; S. Cyriaci, aut Quiriaci Anachoretæ in Pa- *19. Auguſti.* *29. Septembris.*
læſtina; S. Aretæ, & ſociorum ejus Martyrum in Arabia; S. Joannici He- *24. Octobris.* *4. Novembris.*
remitæ Abbatis in Bithynia; S. Theodori Amaſeni in Ponto, Martyris; *9. Novembris.*
S. Mennæ Martyris in Phrygia; S. Nicolai Epiſcopi Miræ in Syria; S. *11. Novembris.* *6. Decembris.*
Danielis, Stylitæ nuncupati, ſolitarii; aliorumque multorum, quos mitto, ne longus ſim. *11. Decembris.*

Meminerit tamen unuſquiſque, cum dicimus, Arnaldum, Tillemontium, & Bailletum nonnullas, Metaphraſti adjudicatas, prolixe retuliſſe Sanctorum Vitas, id efferre, eos Hiſtoriæ ſummam ſervaſſe, nihilque ſuccidiſſe, præter quædam mira facta, & prodigia, quibus non ſapiunt, ſive levia quædam adjuncta, quæ viſum eſt ipſis prætermittere. Ceterum, quod eſt Actorum Martyrum, Autore Metaphraſte, quæque in ſuam collectionem Ruinartius recepit, jacent ibi intacta prorſus, atque ejuſmodi ut ea invenit primo in MSS. & impreſſis Codicibus; quamvis etenim Acta iſta per Metaphraſtis alveum defluxerint, nihil inde tamen cœnoſæ fœditatis contraxerunt.

Quibus poſitis, inter nos de duobus, ſiquid mei judicii eſt, convenire oporteret: Primum, ſapientes Criticos noſtros ab hoc Græco S. S. Hiſtorico non pauca mutuatos fuiſſe: licet Tillemontius palam edixerit, *non credidiſſe eundem, atque aliis, ſibi gerendum eſſe morem Metaphraſtis Actis*; & Bailletum fidem publicam dederit: *ſe abſtinuiſſe diligenter autorum adeo perditorum uſu, atque ipſa appellatione, uti eſt Metaphraſtes*. Alterum, perſuaſum eſſe ipſis, hujus Scriptoris nomen nullo numero eſſe ad faciendam de iis fidem, quæ ipſius teſtimonio committunt, atque ad augendam eorum Operum dignitatem. Qua de re cautum eſt illis, ne hunc citent aliquando; immo in iis quoque, quæ ab eo deſcendunt, ſe illius mentionem faciendi lege ſolutos eſſe, putant: & revera ſufficit ipſis adnotaſſe, Hiſtoriam illam apud Lipomanum, Nombricium, Surium, Baronium, Bollandum reperiri, quin Metaphraſtis verbum ullum interſerant. At conſule, ſi lubet Hiſtoricos iſtos: eos tantummodo exſcriptores eſſe cognoſces, & ſua omnia Metaphraſti vendicare: *Autore Simeone Metaphraſte*, ſive, *ex Metaphraſte*, ut centies profitentur Surius, Bollandus, aliique.

Me latet, utrum ſatis accurata viſa ſit eruditis Criticis iſtis hæc citandi ratio; ſatis tamen veri ſpeciem habet, eos non probaturos, ſiquis Gallice converſa Martyrum Lugdunenſium Hiſtoria, in ejus fronte Surium collocaret, atque a Surio enarratam fuiſſe tantum moneret. *Surius tom. 3. 2. Junii.* Quamvis etenim verum ſit, doctum hunc Chartuſianorum alumnum in Collectione ſua Epiſtolis Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis de Marty-

ribus earum dediſſe locum; cum autem ipſius confeſſione liqueat, Monumentum hoc Euſebii induſtria, ſubductum injuriis temporum fuiſſe; communis tamen citandi ordo poſtulare videtur, ut vertentes Epiſtolam hanc in ora libri annotationis inſtar ſeponerent: *apud Euſebium*, non vero, *apud Surium*, quod reipſa præſtant Critici noſtri. Quid ni autem eodem jure agendum erit cum Metaphraſte?

§. III.

Inveſtigatio rationum, quibus integrum eſſe ſibi putant Critici, Metaphraſten ne in iis laudare quidem, quæ ex ipſius penu in medium proferunt.

Allat. Orat. pag. 1.

QUamquam magnus ſuppetat nobis, inquient fortaſſe Critici noſtri, Vitarum Sanctorum, Metaphraſtis nomen præferentium, numerus: habito tamen a Leone Allatio earum delectu, quæ ad hunc Scriptorem ſpectant, atque earum, quæ ab ipſo remotæ ſunt, centum viginti duas ab eo conſcriptas, quingentas vero triginta novem cum Vitas, tum laudationes, Orationeſve Hiſtoricas ipſi affictas agnovit. Nonne profecto S. Porphirii Gazæ Epiſcopi Vita exarata fuit a Marco ipſius diſcipulo; S. Auxentii ab Autore contemporaneo; S. Sabæ multis in Palæſtina Monaſteriis præfecti, & S. Joannis *Silentiarii* a Cyrillo Viro Religioſo ex S. ejuſdem Sabæ-familia? Cui non eſt compertum Euſthatium Presbyterum S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani Geſta mandaſſe litteris; Georgium Eleuſum S. Theodori Abbatis; Ignatium Epiſcopum Nicenum S. Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani; Theophanen Presbyterum Tractationem de exilio, & Reliquiarum tranſlatione S. Nicephori; Theoſterictum denique S. Nicetæ Abbatis ſui? Nemo item ambigit, ſubjungent iidem Critici, Vitas omnes, quæ ſuperſunt, Sanctorum Græce ſcriptas alienas eſſe a Metaphraſte, cujus claſſis ſunt Hiſtoria S.S. Joannis Calybitæ, & Elemoſinarii, nec non Sanctæ Xenæ, ſive Euſebiæ, quorum ſolemnes dies recolit Eccleſia decimo octavo, decimo, & nono Kalendas Februarias, aliaſque non paucas, quas huc afferre ſupervacaneum eſſet.

Ad hæc reſponderent inſuper ſapientes iſti: etiamſi aliquos haberemus dictionis Metaphraſticæ Sanctorum Vitas, plures vero ipſius manibus ad nos deveniſſent; nomen ipſi duntaxat concedendum eſſet Gloſſatoris, aut *Interpolatoris*, ſi autem malit illud *Autoris*, eſto, at ineptiſſimi Autoris, cujus collectio eodem mercatur excipi cum onore, quo a duobus ampliſſimis Cardinalibus excepta eſt *Legenda aurea*. * Prior ſit Car-

* Jacobus a Voragine ex Religioſa S. Dominici familia hujus Operis autor, prodiit in lucem Urbecula Littoris Ligurienſis inter Genuam & di-

dinalis Bellarminius, qui ejus ſcriptorem tanti non fecit, ut vel ſemel illius memoriam uſurparet; Baronius autem, qui ſecundo loco eſt, veritus, ne ſuarum in Martyrologium Romanum adnotationum pretium jaceret, ſi modo in iis nomen appareret, quod monſtroſæ *Legendæ aureæ* fictiones dehoneſtaverant, maluit alium minus notum apellare, qui novam ejus Editionem curavit. * Male adeo audivit Metaphraſtes intemperantia, fraudibus, & mendaciis ſuis; ut omne, quam ipſi promeriti fuiſſent labores ejus, exiſtimationem eo uſque amiſerit, ut ad eum in Operibus ſuis memorandum teneri nulla ſe Lege credant, ne illorum pretium imminuant, & Lectori ſtomachum moveant, ubi in nomen incurrerit, *quod monſtroſæ Legendæ aureæ fictiones dehoneſtaverant*. Quocirca Surium, Baronium Bollandum producere malunt, nonnullarum ex his S. S. Hiſtoriis compoſitores, licet ab eodem corrupto fonte manaverint. Baill. Orat. de Vitis S. S. pag. 71.

Si quis Metaphraſtis rebus & famæ conſultum vellet, nonne Criticorum iſtorum argumentationibus reponere poſſet; Cur in iis ſaltem, quæ ipſius juris ſunt, interpellarent, eum reticere? Cur Lectorem minime certiorem facere, has vel illas ejus ſtudio compactas aut lucubratas fuiſſe? ** uti S. Marciani Conſtantinopolitani, S. Polieucti Martyris S. Joannis Eleemoſynarii, S. Theodoſii Cænobiarchæ, S. S. Joannis & Cyri Martyrum Ægyptiorum, a Surio huic Hiſtorico tributas: *Autore Simeone Metaphraſte*? Quare eas non indicare, quas ipſe plurimas caſtigavit, & retractavit: Ex. cauſſa Vitas S. Simeonis Stylitæ, S. Auxentii Abbatis, S. Sabæ, S. Joannis *Silentiarii*, S. Taraſii, S. Nicephori, Patriarchæ Byzanthini, S. Nicetæ, cunctaſque fere, quæ in ejus manus inciderunt? Nemo etenim repugnabit, haſce illum circumloquendo recitaſſe & pluribus amplificaſſe. Quare demum non monere de his, quas ſervavit nobis inviolatas, & primæva integritate conſtantes? Hujuſmodi ſunt Acta Martyrii S. Juſtini, non ſecus atque S. Agapes, Sanctæ Chioniæ, atque Irænes Sororum Martyrum, S. Sabæ, Natione Gothi, Martyris; S. Didymi, & S. Theodoræ Virginis Martyrum; Sanctæ Pherbutæ Virginis & Martyris, aliaque nonnulla, quæ caſtiſſime ad nos traduxit; quæque au- Bollandus Tom. 1. Januar. in Præf. pag. 18. col. 1.

Savonam. Vives inquit, auream Legendam ſcribi non potuiſſe, niſi ab homine ferrei oris, & plumbei cordis. Depanſius Legendam vocat *mendaciorum ferro immixtam*. Contra Bollandus ejus patrocinium adverſus † Wicelium & Vives ſuſcepit. Januenſes autem, & Dominicani *Beatum* appellant Jacobum a Voragine.

* Claudius a Rota Dominicanus Lugdunenſis, qui Legendam auream refecit, auxitque, claruit Ludovico XII., & Franciſco I. Gallorum Regibus.

** Tripartitæ ſunt Sanctorum Vitæ a Metaphraſte vulgatæ. Alias namque compoſuit, alias emendavit, alias ſervavit tantum. † Baillet. in Orat. pag. 69.

toritate tanta pollere exiſtimavit Ruinartius, ut inter Acta Selecta loco & ſede donaverit?

Porro mirari ſubit, Bailletum, ne dicam Arnaldum Andyliaceenſem; Tillemontium, & Thierrium, cum monumentis his, aliiſque pluribus ad tria iſta genera ſpectantibus Opus ſuum retulerit, nunquam tamen verſaſſe animo, ut Metaphraſti ullam rependeret gratiam; quamquam etenim libentes daremus ipſis, non mediocres ab illo ſumſiſſe partes, aut S.S. Vitas enarraſſe ab eodem per ſeſe cuſas; apparet tamen non exiguam eum Eccleſiæ navaſſe operam, tot ipſi vetuſta monumenta a temporum viciſſitudinibus vindicando, quibus citra ejus induſtriam careret; ut propterea mereretur, ne ipſi gloriam tanto labori æquiſſime debitam ſubtraherent.

Nunquam Euſebium Cæſareenſem laudare obliviſcuntur, cum Hiſtoriam perſequuntur S. Jacobi primi Hieroſolymorum Epiſcopi; S. Simeonis, S. Ptolemei, S. Luciani, S.S. Leonidis, Plutarchi, & ſociorum; S. Potamienæ Virginis Alexandrinæ, cujus meminit Dionyſius ejuſdem Urbis Epiſcopus in Epiſtola ad Fabianum; S. Marini Militis, aliorumque multorum: licet Actorum iſtorum Autor nequaquam ſit, ſed quarundam eorum ſummarum recitator, & Eccleſiæ uſui conſervator: neque putarent ſefas & æquum Euſebio feciſſe, ſi Martyrum iſtorum mentionem habentes, Muſculum tantummodo, Rufinum, Chriſtophorſenem, aut Valeſium citarent, illius Hiſtorici Interpretes, ſive qui in Opera ſua quædam Scriptorum ejus fragmemta contulerunt. Non ſecus idem urget, aut me fallit animus, argumentum, iniquum eſſe, narrantem alicujus Sancti Hiſtoriam ex iis præſertim, quæ pro certis & ratis cenſeri poſſunt, quaſque nobis ſervavit Metaphraſtes; Lipomanum, Surium, Baronium, Bollandum Latinos Interpretes afferre, penitus omiſſo, quo illi profecerunt, Metaphraſte.

Tandem, quo illi laborant in Metaphraſtis fallaciis retegendis, eundemque *ha bendo calumniatoris & falſarii loco, ad monſtra parienda a natura compoſitum, & iis omnibus licentiorem fabulis, quas pro Diis ſuis Græcia Gentilis invenit*; eo Litteratos omnes admiratione afficiunt, qui fieri potuerit, ut Clariſſimi Autores, quique fidem ſuam publice obligaverant, ſe nihil producturos, quod e puriſſimis antiquitatis fontibus non manaverit, tot a Scriptore perditiſſimi nominis Acta, & Vitas Sanctorum, eorundem non contemnendas Epitomas acciperent, maximumque factorum numerum exiguæ adeo autoritatis teſtimonio concrederent. Quantumvis enim artibus omnibus contendant, nonnullorum origines, atque aliquorum canales eorum nominibus obſtruere, qui Metaphraſtis Collectiones confecerunt; verum nihilominus ſemper erit, & ſolidum.
quam-

quamplurima ipſum Acta Martyrum, nec pauciores Sanctorum Vitas temporum oblivioni ſuſtuliſſe, quorum ne veſtigium quidem apparet alibi, neque editum aut MSS. volumen reperire erit, quod iſtorum ante Metaphraſten verbum ullum fecerit. Quamobrem quicunque deinceps conſecuti ſunt, per hunc veluti Actorum ductum illa omnia derivarunt.

§. IV.

Contendunt Critici, Metaphraſtis adulterationes & Paraphraſes eum in contemtum adduxiſſe.

QUonam itaque pacto, inſurgunt rurſus eruditi Critici noſtri, Metaphraſtis nomen opere in aliquo producere, cujus vitia tot ſapientiſſimis Viris perſpecta ſunt? Quem fugit, Baronium ejus adulterationes improbaſſe, & fabulas averſatum quam maxime fuiſſe; Aubertum Miræum illius infidelitates indicaſſe; Jacobum Loppinum ipſius priſcis Sanctorum Vitis additiones, & novarum cudendarum libertatem reprehendiſſe; fateri Theodoricum Ruinartium, futurum fuiſſe melius, ſi veteres ea, qua in autographo conſcriptæ erant, ratione reliquiſſet; & Tillemontium, nihili ducenda eſſe, quæ in ipſo laudibus celebrari uſuvenit, exiſtimaſſe? Bailletus demum his effert verbis Bellarmini Cardinalis de Metaphraſte judicium: „ *Illud autem eſt obſervandum*, ab eo *ſcriptas fuiſſe Hiſtorias de Vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphraſtes multa colloquia, ſive Dialogos Martyrum cum perſecutoribus, aliquas etiam converſiones Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima & maxima in everſione Templorum & Idolorum, & in occiſione perſecutorum, quorum nulla mentio apud veteres Hiſtoricos eſt.*

Baillet. in Orat. pag. 60.

Bellarm. ad annum 850. de Script. Eccleſ.

His omnibus liquido fit, eadem ratione abhorrendum ipſis fuiſſe ab omnibus iis, quæ peperit Metaphraſtes, atque ab nomine ipſius abhorruerunt. Nihilo ſecius quem alium, quæſo, Lipomani Surii & Bollandi nominibus niſi Metaphraſten citant, niſi Metaphraſten adoptant? Recte ne & ordine faceret Autor ille, qui declamatus vehementer adverſus Prochorum, cujus vocabulo S. Joannis Vitam legimus; adverſus Sycophantam illum, qui abdidit ſe Sancti Lini nomine, ut duos de S.S. Petri & Pauli *paſſione* Libros venditaret; adverſus falſum Abdiam, qui de Geſtis Apoſtolorum Librum in os hominum protulit; qui deſpicatui, inquam, ſe ducere teſtatus magnopere haſce omnes fabulis & narratiunculis redundantes Hiſtorias, in cogitationem tamen deſcenderet, hinc facta nonnulla promendi & earum abſolutas Epitomas conficiendi; plane ratus, ſe feciſſe ſatis, ubi ſublatis Autorum iſtorum nominibus, in eorum lo-

locum Orthodoxographorum & Bibliothecæ Patrum nomina ſubſtituiſſet?

Culpæ omnes, quas in Metaphraſte Sapientes deprehendunt, ad additiones tandem, & Autographorum Paraphraſes referuntur. Verum enim
Boll. tomo 1. Jan. pag. 18. col. 2. vero unde nam conſtat, inquit Bollandus, hunc Sanctorum Hiſtoricum priſcis Monumentis mordicus non adhæſiſſe, & pro arbitratu ſuo Martyres & Tyrannos abloquentes induxiſſe? Intereſſet ſane Archetypa præſto habere, ut cum exemplis, quæ apud Metaphraſten exſtant, conferri poſſent. Porro major illorum pars ad nos uſque perducta non fuit, quod in cauſſa eſt, cur hoc judicium committi nequeat. Præterquamquod unde nam didicerunt Critici, cunctas Hiſtorias iſtas, novo verborum circuitu redditas, a Metaphraſte proficiſci? Nonne compertum eſt omnibus, quingentas triginta novem ex his, in quarum fronte Scriptoris hujus titulus apparet, fraudulenter Metaphraſti adjudicari? *

Fieri itaque potuit, ut vel ejus non eſſent; vel illis ſcribarum, quorum opera utebatur, ** aut poſteriorum Scriptorum manibus traductis, adeoque interpolatis, id vitium Metaphraſti crimini daretur, cujus ipſe integer & purus erat. Hoc eſt quidquid effici rite poteſt, quoad nonnullas Sanctorum Vitas, quarum MSS. Græco iſto Scriptore vetuſtius eſt, aut aliunde provenientes ab illo in Collectione ſua auctæ & cumulatæ ſunt.

Exploratius, quod ſuppetat, & magnificaverint Critici, atque ad probandas Metaphraſtis adulterationes adhibuerint, exemplum, petitur a Vita Sancti Eupli Diaconi & Martyris in Sicilia, cujus Feſtus dies pridie
Boll. Tomo 2. Febr. pag 598. & ſeq. Idus Auguſti celebratur. Bollandus collationem inſtituit germanorum San-

* *Vitarum, quas conſcripſit Metaphraſtes, numerus in immenſum cumulum poſteriorum negligentia auctus eſt; obſcuriori cujuſvis Anonymi autoris narratiuncula Simeoni Metaphraſto mox adſcripta.* Guill. Cavius Hiſt. Litter. pag 492. col. 2.

** Perdoctus quidam e Societate Jeſu Scriptor his verbis Metaphraſtis erroribus excuſationem afferre laborat: *Serio putem; quod nunc primum occurrit; (dum illas Metaphraſti laudes a Pſello compoſitas attentius lego) quædam, quæ minus ſubſiſtant, Vitis Sanctorum inſperſa fuiſſe, per illam ingentem Scribarum Simeonis multitudinem, vel voluntate, vel caſu. Tradit enim Pſellus, ternas Amanuenſium Claſſes a Simeone adhibitas fuiſſe, & primum quidem Scribarum ordinem Litterarum notis excepiſſe dictata: Scribas vero ſecundos ex annotatis litterarum nova tranſcripſiſſe exemplaria: ac denique tertios Scribas Cenſorum perſonas induiſſe; atque omnia, quæ correctione digna viderentur, mutaſſe: ad hæc, tantam harum Simeonis lucubrationum multitudinem extitiſſe, ut eas ipſe ſtudioſius paulo recolere non potuerit. Unde jam nihil mirandum, quod in Vitas a Metaphraſte conſcriptas quædam minus apta irrepſiſſe videantur: non enim omnia ſphalmata autor tam occupatus advertere potuit, a Librariorum vel ruditate, vel caſu profecta.* Wangnevekius in Proleg. ad Librum, quem *Pietatem Marianam Græcorum* inſcripſit Num. 28.

cti

ctl hujus Actorum cum Metaphraſticis, ut minus æquam hujus fidem oſtenderet. Conſule, ſi lubet in *Monumentis Eccleſiæ*, quæ Cotelerius edidit, Opuſculum iſtud; cujus exemplar Ruinartius quoque, Bollandi teſtimonio, attulit inter adnotationes in Vitam S. Eupli. Bailletus autem, qui omnem ad reprehendendum Metaphraſten anſam arripit, hanc pariter non prætermiſit. „ Quæcumque, ait, ſuperſunt legitimorum S. Eupli Actorum Græcæ & Latinæ Editiones, optimæ ſunt; ſi modo iis a Metaphraſte recenſitam Paraphraſin non annumeres, qua eas ex arbitrio corrupit, atque ad ingenium ſuum accommodavit. Tillemontius item eo eſt animo, ut ſentiat, Acta hæc Metaphraſti tributa teſtatiſſimo eſſe ad probandum argumento, quorſum ipſe fidem & ſimplicitatem populorum feſellerit. „ atque huic duntaxat, inquit, uſui ſecundum Bollandum eſſe poſſunt.

Act. Select. pag. 457.

Baill. Tab. Crit. 12. Aug. pag. 22.

Tomo 5. annot. 1 in S. Euplum p. 695. col. 1.

Et vero ſi quis genuina Sancti Eupli Acta cum iis comparet, in quibus verſata eſt Metaphraſtis opera; ſententiam utique pro iis dicet Criticis, qui Scriptorem illum redarguunt; quod vetuſta monumenta vitiaverit; quod fabulis addictus fuerit, & additamentis interſerendis, atque ad nova facta excogitanda mirifice liber, quod indole præditus narrandi res non ita, ut contigerunt, ſed ut eas contigiſſe probabile videbatur: animadvertet denique Conciones, quas in ore Martyrum ponit, Dialogos & Diſputationes inter Sanctos & Judices Tyrannoſque confictas; ante omnia vero quamplurimas & miras Paganorum ad bonam frugem converſiones, atque inuſitata inauditaque tormenta. *Conferat nunc qui volet*, colligit Bollandus, ſummatim allatis nonnullis Actorum S. Eupli germanorum locis; *eadem ex Metaphraſte edita a Lipomano & Surio Acta*; *& perſpiciet, quam ea lacinioſa, immo inepte coagmentata, additis non ſolum tormentorum variis generibus, ſed etiam plurimis miraculis.*

Boll. ubi ſupra pag. 199. col. 1.

Quam Sapientiſſimi Jeſuitæ opinionem imbiberunt, exinde eruditi omnes.

Ceterum ſi poſtremi iſti Bollandi verba attentius exploraſſent, futurum fortaſſe fuiſſet, ut aliquem ſuper his Metaphraſti morem gererent. Audiamus quomodo doctus Pater hic, antequam Actorum S. Eupli Synopſin exhibeat, loquatur. *Dandum eſt*, inquit, *exemplar ſic interpolatorum ſive ab ipſo Metaphraſte, ſive ab ejus Amanuenſibus, legitimorum Actorum &c.* & ſequenti columna differens de Sanctæ Agathæ Actis: *An non idem*, ait, *in Sanctæ Agathæ Geſtis ſuſpicari poſſumus factum ab eodem Metaphraſte, ejuſve Amanuenſibus?* Ex quo facile eſt cognoſcere, Bollandum Actorum S. Eupli depravationem non omnimode Metaphraſti dediſſe vitio, qui profitetur ab alio quopiam induci potuiſſe. Verumetiamſi in

Boll. ibidem pag. 598. col. 2.

ſi in Metaphraſten unum regereret eo loci Bollandus omnes Actorum S. Eupli immutationes, conſtans tamen eſt, eruditos Patres illos, qui eidem Operi poſt Bollandum inſtiterunt, collata rurſus S. Martyris hujus Hiſtoria, deprehendiſſe, a Metaphraſte abhorrere longe Actorum S. Eupli, quam in Lipomano & Surio legimus, Editionem; & Tillemontium, cui perſpectus fuerat locus hic, ſiquidem citat, non auſum fuiſſe illa Metaphraſti accenſere, ſed dixiſſe tantum: *quicumque demum eorum ſit autor &c.* Quæ ſi probe animadvertiſſent Scriptores ceteri, ſit veroſimile, hoc eos exemplum non fuiſſe ſumturos, ut adulterationes, quas in Metaphraſten jactant, exaggerarent. Equidem nimis multa verba ſuper his feciſſe videor: at operæ pretium duxi planum facere, quam facile poſſit eſſe, Scriptorem hunc in eorum crimen vocare, a quibus, eſt remotiſſimus.

Tomo I. Maii pag. 37. col. 2.

Tomo 5. annot. I. in S. Euplum pag. 695. col. I.

§. V.

Metaphraſtis conſilium tanta non eſt reprehenſione dignum; ut nobis perſuaſum vellent.

UT de fraudibus atque adulterationibus Metaphraſtis conſtaret nobis, neceſſum foret, ſolidis principiis pendere conjecturas; antiqua, quæ in hodiernam diem ſuperſunt, monumenta, accurate diſpicere, & eum iis, quæ ab ipſo ſunt, & enucleata ſunt, exemplis conferre: quibus præhabitis, pro rato habere poſſemus, graviſſimas eſſe Metaphraſtis Paraphraſes; quandoquidem aliena manu confectæ non fuerint. Quæ omnia expendere nullo negotio poſſumus in S. Simeonis Stylitæ Vita, quæ in Theodoreti Hiſtoria reperitur, *Philotea, ſive de Vita Monaſtica*, nuncupata; in Vita S. Nicephori Martyris, a Bollando recitata, in alia Sanctæ Euphroſinæ Virginis, cujus Latina interpretatio alteri, a Metaphraſte compoſitæ, ætate antecellit, nec non in nonnullis, quæ exſtant, aliis. Perſpicuum etenim fiet, exaggeratas adeo Paraphraſes complecti demum nonnulla duntaxat verba, ſive ad nectendas Periodos, ſive ad Lectoris attentionem conciliandam appoſita, *adjunctis temporibus & locis*. At certe illud omnem extra controverſiam eſt, Acta Martyrum a Ruinartio in Collectione ſua collocata, atque a Metaphraſte depromta per iſtius manus, ne verbo quidem adjecto tranſiviſſe.

Febr. Tomo 2. pag. 253. & 537.

Boll. ibidem.

Quid quod, ſi propugnare utique placeret, Hiſtoricum hunc muneris ſui fines prætergreſſum fuiſſe, & verba quædam a ſe coagmentata Judicibus & Sanctis accommodaſſe; vel ut ſuaviorem, utilioremque narrationem efficeret, ſive ut eximium Martyrum Magnanimitatis, Ty-

rannorum crudelitatis, aliorumque Sanctorum virtutis & pietatis ſpecimen præberet: ſi de his omnibus, inquam, conveniret, propterea ne crimen illico in Scriptorem iſtum conflandum eſſet?

Paullo diligentius evolvantur Sermones Sancti Gregorii Nyſſeni de Sancto Theodoro Amaſeno Martyre; S. Baſilii de Sancto Barlaamo Martyre, de Sanctis item Gordiano Martyre, & Julita; S. Joannis Cryſoſtomi de Sancto Luciano Presbytero Antiocheno, & de S. Pelagia Martyre; & S. Ambroſii de Sancta Agnete: intendamus aciem in Homilias & Panegyricos ab aliis Patribus Sanctos colendi gratia conſcriptos; & comperiemus, nihil aliud frequenter præſtitiſſe Metaphraſten, quam Patrum iſtorum ſcribendi rationem pluribus imitari, qui omnia eloquentiæ ornamenta congeſſerunt, ut argumento ſuo ſplendorem adderent, & dignitatem. Quibus Orationis anfractibus non utuntur ipſi, quo gratiorem rebus ſpeciem effingant, Lectoris animum ad ſe convertant, pietatem excitent, atque in ampliſſimo lumine Martyrum conſtantiam vere Chriſtianam, & perſequentium immanitatem collocarent? Neglexerunt ne Sermones ſuos deſcriptionibus admirabilibus, diſertiſſimis concionibus illuſtrare, & ſublimia cogitata, quæ nunquam, ut apprime videtur, elocuti ſunt, Sanctis Martyribus apponere?

Greg. Nyſſ. Orat. de S. Theodoro. Baſilius Tomo 1. Hom. 18., & 19. Ibidem Orat. 5. Cryſ. Tomo 1. Hom. 46. item Hom. 90. Ambr. l. 1. de Virg. cap. 2.

In promtu eſt exemplum ab egregia illa Legionis Thebanæ Oratione petitum, quam coram Maximino tum habuerunt, eum, interemto ſecundo decimo quoque eorum Viro, Diis litare conſtanter negarunt. *Milites ſumus, Imperator*, ajebant, *tui, ſed tamen ſervi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam; a te ſtipendium laboris accepimus, ab illo Vitæ exordium ſumſimus. Sequi te Imperatorem in hoc nequaquam poſſumus, ut autorem negemus Deum, utique autorem noſtrum Dominum, autorem, velis nolis, & tuum. Si non ad tam funeſta compellimur, ut hunc offendamus, tibi ut fecimus hactenus, adbuc parebimus: ſin aliter, illi parebimus potius quam tibi..... Pugnavimus pro fide quam quo pacto conſervabimus tibi, ſi hanc Deo noſtro non exhibemus? Juravimus primum in Sacramenta Divina, deinde in Sacramenta Regia: nihil nobis de ſecundis credas neceſſe eſt, ſi prima perrumpimus. Chriſtianos ad pœnas per nos requiri jubes: Jam tibi ex hoc alii requirendi non ſunt: habes hic nos confitentes Deum Patrem autorem omnium, & filium ejus Jeſum Chriſtum Deum credimus. Vidimus laborum, periculorumque noſtrorum Socios, nobis quoque eorum ſanguine aſperſis, trucidari ferro: & tamen Sanctiſſimorum Commilitonum mortes, & fratrum funera non flevimus, non doluimus, ſed potius laudavimus, & gaudio perfecuti ſumus, quia digni habiti eſſent pati pro Domino Deo eorum. Et nunc non nos vel hæc ultima vitæ neceſſitas in rebellionem coegit: non nos adverſum te, Imperator, armavit ipſa ſalrem,*

Ruinart Acta Selecta p. 292. ex S. Euch.

quæ fortiſſima eſt in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma, & non reſiſtimus, quia mori quam occidere ſatis malumus, & innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra ſtatueris, ſi quid juſſeris, ſi quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum ſubire parati ſumus. Chriſtianos nos fatemur, perſequi Chriſtianos non poſſumus.

Aliquanto prolixius perſecutus ſum Orationem hanc magnanimam, ſapientiſſimam, & vere dignam, quæ a Martyribus emitteretur; ut palam fiat, ægre admodum credi poſſe, S. Eucherium Lugdunenſem illius Autorem, nihil ex ingenio ſuo in eam contuliſſe, & Paraphraſis more non vertiſſe. Si quid ſimile occurreret in Metaphraſte, clamarent illico: *id figmentum ipſius eſſe, & Sanctos pro inſtituto ſuo loquentes inducere.* Interim non putaverim extitiſſe quempiam, qui de Sancto Eucherio redarguendo cogitaret, propterea quod ea verba & cogitata inclytis illis Militibus accommodaverit: quamquam etenim liqueret, eos revera ſenſa illa tum, medio Gentilium Exercitu, protuliſſe; multi tamen eſſet Operis conſtituere, a quo nam ſingulæ voces illæ colligi potuerint, & ducentorum circiter annorum intervallo in memoria hominum inſidere, unde eas comparavit Eucherius; uti nos docet Tillemontius, qui hiſtoriam hujuſmodi magnificis effert laudibus, & magno Eucherio Lugdunenſi dignam exiſtimat. Quantumvis igitur perſuaſum fuerit omnibus, Patris hujus fuiſſe Opus concionem iſtam; id tamen nihil obſuit, quominus eam in Selectorum Actorum numero recenſeret Ruinartius, non ſecus atque alias plures, in quibus apparet manifeſto, Autores iſtos haud raro Martyres & Tyrannos rogantes invicem & reſpondentes exhibere.

At enim, inquient, notum eſt, Patres in Homiliis & Panegyricis, Sanctorum celebrandorum cauſſa habitis, Oratorum more peroraſſe: Metaphraſtes autem his non ſe finibus continuit; quod nanque in eo ulterius deteſtantur, eſt, multa Hiſtoriis addidiſſe de ſuo, reſque non ita enarraſſe, uti contigerunt, ſed uti contingere poterant; quod vere Tillemontius pati nullo modo poteſt, tum etiam quando profitetur, ſe totidem verbis reddere Autores ſuos, illos interpolare, & pro libidine differentes proponere.

Graviſſima quidem exprobratio: at univerſorum ſit pronunciare; num Sacer Hiſtoricus, qui Archetypo ſuo nonnulla adjunxit, quibus acceptius atque utilius efficeretur, majori ſit reprehenſione dignus, quam ille, qui plurima detraxerit, ad augendum Meritorum Sanctorum & divinæ Gratiæ ſplendorem pertinentia; præſertim cum ſinceræ ſunt, firmæ autoritatis, & autographæ Sanctorum Hiſtoriæ; tunc etenim nihil præſeferunt, quod pium non ſit, aut prætermittendum. Porro fortaſſe

con-

contendere quis poſſet, ſi Metaphraſtes in vitium illud impegit, in hoc Arnaldum Andyliacenſem, Tillemontium, & Bailletum incurriſſe. Reponunt tamen, id inter Autores iſtos & Metaphraſten diſcriminis intereſſe; quod hic inſtituit verba e verbis Archetypi deſcribere, illi autem iiſdem terminis Opus ſuum non circumſcripſerunt. „ Diligenter proſpexi, ait Andyliacenſis, ne quidpiam adderem Vitis iſtis; nonnulla tamen loca compendio dedi, quorum longitudo cum vana fuiſſet, tum faſtidio Lectores affeciſſet; aliaque ſuſtuli omnino otioſa, cujuſmodi ſunt mira & portenta multa. „ Ita plane ſe geſſerunt Tillemontius & Bailletus, jure ſane optimo, quippe qui fidem ab ipſis datam caſtiſſime ſolverunt, interea dum præſtitutum ſibi modum prætergreſſus eſt Metaphraſtes. Hoc autem eſt, de quo purgari nequit, ubi in fraudem compulſus fuit. Nihilo ſecius illud non habet dubitationem, plura in Theodorici Collectione archetypa Acta reperiri, in quibus perſpicitur, Metaphraſten fidem in ſe receptam præſtitiſſe.

In Vitis Mult. Sanct. Admonitione.

Verum, quantum demumcumque velis, dignus ſit Metaphraſtes, qui reprehendatur; nihil ne erit, quod ipſi faciles indulgeamus? Si nanque liberum eſt eruditis Criticis, diverſa Hiſtoriarum, quas afferunt, loca in ſummam redigere, ne vanitate ſimul & ſatietate repudientur; numquid non largiri quoque Metaphraſti poſſent libertatis, ut religioſe ſervatis omnibus rei capitibus, minuta quædam adjuncta, commodioris aut jucundioris narrationis gratia, ſuperſtrueret, quod item ipſi pro re nata committere non negligunt? Quandoquidem illuſtres Critici noſtri, ut Sæculi hujus ingenio obſequantur, cenſuerunt *tollenda eſſe aliqua facta omnino otioſa, cujuſmodi ſunt mira & portenta multa*; cur diem dicemus Metaphraſti, quod ævi ſui ingenio obſecutus ſit, in quo ſupervacanea non arbitrabantur homines miracula, ſed non contemnenda Hiſtoriæ Sanctorum ornamenta; quodque univerſa recitaverit, quæ in Monumentis ſuis exſtabant? Quamquam etenim ſumma præſtent vi & copia eruditionis Critici noſtri, difficillimum forte ipſis erit, oſtendere, Metaphraſten in Vitarum Sanctorum collectione nova Miracula commentum fuiſſe.

§. VI.

Exemplum Paraphraſium Bailleti, nihilo Metaphraſtis Paraphraſibus minorum.

ESto autem Græco huic Hiſtorico nonnihil concedere velimus, atque aliquam ipſi pravo ſæculi judicio, & Nationis ingenio excuſationem parare, fateri tamen neceſſe eſt, eum ſibi nimium arrogaſſe,

Digitized by Google

ejus adulterationes & infidelitates nulla purgari ratione poſſe, quæque
ipſi vitia a Sapientibus objiciuntur, jure ac merito objici; præcipue quæ
In Orat. pag. 60. a Tillemontio, „ cui, teſte Bailleto, inſederat animo, nihil ducenda
„ eſſe, quæ in ipſo laudibus celebrari uſuvenit, cum peſſime adeo ve-
„ ritatis partes in reliquis expleverit; ipſumque concoquere ante om-
„ nia nequire, quod Metaphraſtes profiteretur, ſe totidem verbis red
„ dere autores ſuos, tum quando eos interpolat, & pro libidine diſſe-
„ rentes proponit. „ In ora Libri notat Bailletus paginam 528. prioris
Tomi Monumentorum Tillemontii. Eo autem loci, annotatione nimi-
rum 20. in S. Joannem Baptiſtam inſcripta: *Additamenta* Metaphraſtis,
doctus iſte Criticus inſigne doloſarum Autoris hujus Paraphraſum exem-
vol. 1. plum ante oculos ponit: „ Nos monet Hiſtoria trium Translationum
„ Capitis S. Joannis Baptiſtæ, ab Allatio Metaphraſti adjudicata, San-
„ ctum illud Caput ſuavem odorem efflaſſe, & miro emicuiſſe ſplendo-
„ re, tum cum Hieroſolymis inventum eſt, tum etiam cum illud tranſ-
„ laturus, cereis adhibitis, Uranius acceſſit. Ecce Metaphraſtis in-
„ genium, qui non aliter res eveniſſe tradit, atque ipſe cogitatione com-
„ prehendit. Nullum etenim horum veſtigium apparet, neque in vetu-
„ ſta primæ inventionis Hiſtoria, neque in altera Marcelli, quam plu-
„ ribus invertit locis Metaphraſtes, etſi eam ipſius nomine producat, &
„ faſſus ſit, ſe illius verba e verbis efferre. πρὸς λέξιν. „ Secundum
hæc pronunciare ne quis poterit, injuriam eum Metaphraſti inferre, qui
Baill. ibidem. *teſtatus fuerit, propterea quod nimium exquiſite mentiendi artem teneret,*
Autorem iſtum a nonnullis Hæreticis calumniatoris & falſarii loco habitum
fuiſſe, ad monſtra parienda a natura compoſitum, & licentiorem iis omni-
bus fabulis, quas pro Diis ſuis Græcia gentilis invexit? qui ejus figmen-
ta & Paraphraſes averſetur: Sapienteſque modum excedere, qui eum
abjecto adeo numero habent; ut ne ipſius quidem nomen chartis ſuis
promere patiantur?

Quorſum vero, urgebit neſcio quis, tot tantæque adverſus Metaphra-
ſtis in hac Hiſtoria additiones querelæ? Præterquamquod enim culpa li-
berari utique poſſent, nonne quandoque his ſimiles occurrunt in Eru-
ditorum Criticorum noſtrorum Operibus, qui longe & multum Meta-
phraſti accuratione, polito judicio, & eruditione antecellunt?

Litteratorum ſit, ſententiam dicere, num Bailletus in texenda Vita
Cyrilli pueri Martyris Cæſareæ in Cappadocia, Decio, aut Valeriano
Eccleſiam infeſtantibus; Metaphraſticum morem ſervaverit necne? Quo
autem rectius id cognoſcatur, univerſam huc traduco Sancti illius pue-
ri Hiſtoriam, ita plane, ut legitur apud Bailletum, addito Autographo,
cui ſe adhæſiſſe fatetur. Signabo igitur in Contextu Bailleti italicis ca-
racte-

Digitized by Google

raćteribus quæcunque addidit Autor ille: in Latino vero exemplo Romanæ formæ ea indicabunt, quæ detraxit peritus iſte Criticus, ideſt, loca, quæ interpretatus non eſt.

BAILLETUS.

29. Maii, pag. 911. *& ſequentibus.*

Poſt pauca, quæ exigui Procœmii vicem gerunt, in hæc verba loquitur de Sancto Cyrillo. In ore ſemper Jeſum Chriſtum habebat, & propter ipſum ſe omnibus cum faciendis, tum ſuſtinendis paratum eſſe profitebatur. Quo factum eſt, ut non modo minas, *aliis quibuſquam perterrendis aptiſſimas*, verum tormenta quoque, *quorum vi homines aliquando ſuccubuerant robuſtiores*, mira conſtantia pertulerit.

Martyrium Cyrilli Pueri, ex Tomo 7. Maii Bollandi apud Ruynart, in Actis Selectis pag. 253.

Omitto Præfatiunculam, quæ Acta iſta anteire ſolet, atque exordium duco ab iis, quibus Bailletus Latinæ verſioni reſpondet.

Etenim omni tempore Chriſtum nominans erat Cyrillus, *& ſemetipſum inde eſſe motum fatebatur: & plagis confixus, & verbis territus, neque verborum ruinam, neque afflictionis injuriam computavit, ſed ſuſtinuit hæc quidem libentiſſime: promte autem & aliud aliquid majus malum expectabat.* Cum autem creſcerent animi, qui ſunt erga bonam fidem, & æmulatores haberet multos, qui ſimiles erant ejus ætati.

Fidei ſuæ hoſtem & inſectatorem Patrem ipſum habebat, qui cum ad exitum perducere non poſſet; ut filius voluntatem ſuam divinæ, cui famulabatur, anteferret, ei nuntium remiſit, oſtium occluſit domus, & vitæ neceſſaria quælibet ipſi denegavit.

Abdicat quidem eum Pater, domum ei claudens, & quæ in ea erant prorſus abnegabat ei.

Non poterat fieri, quin inaudita adeo Patris ſævitia reprehenderetur. Cyrillus autem in divinis laudibus totus erat, quem ſibi verum magis fore Patrem exiſtimabat, quam eum, quem acceperat a natura, & a quo dure adeo deſerebatur. Abſque eo quod reverentiam Patri debitam excuteret, æquo animo omnium, quibus illum ſpoliabat, commodorum amiſſionem ferebat, propoſitis ſibi ante oculos a Fide æternis bonis.

Quidam autem in his laudabant Patrem, & valde mirabantur. (ipſe vero quaſi nihilum reputabat abdicari a Patre): & quod parva auferens ei, majora & utiliora ei provideret fides, quæ in Domino erat, dicebat.

Homo

toritate tanta pollere exiſtimavit Ruinartius, ut inter Acta Selecta loco & ſede donaverit?

Porro mirari ſubit, Bailletum, ne dicam Arnaldum Andyliacenſem, Tillemontium, & Thierrium, cum monumentis his, aliiſque pluribus ad tria iſta genera ſpectantibus Opus ſuum referſerit, nunquam tamen verſaſſe animo, ut Metaphraſti ullam rependeret gratiam; quamquam etenim libentes daremus ipſis, non mediocres ab illo ſumſiſſe partes, aut S.S. Vitas enarraſſe ab eodem per ſeſe cuſas; apparet tamen non exiguam eum Eccleſiæ navaſſe operam, tot ipſi vetuſta monumenta a temporum viciſſitudinibus vindicando, quibus citra ejus induſtriam careret; ut propterea mereretur, ne ipſi gloriam tanto labori æquiſſime debitam ſubtraherent.

Nunquam Euſebium Cæſareenſem laudare obliviſcuntur, cum Hiſtoriam perſequuntur S. Jacobi primi Hieroſolymorum Epiſcopi; S. Simeonis, S. Ptolemei, S. Luciani, S.S. Leonidis, Plutarchi, & ſociorum; S. Potamienæ Virginis Alexandrinæ, cujus meminit Dionyſius ejuſdem Urbis Epiſcopus in Epiſtola ad Fabianum; S. Marini Militis, aliorumque multorum: licet Actorum iſtorum Autor nequaquam ſit, ſed quarundam eorum ſummarum recitator, & Eccleſiæ uſui conſervator: neque putarent ſeſas & æquum Euſebio feciſſe, ſi Martyrum iſtorum mentionem habentes, Muſculum tantummodo, Rufinum, Chriſtophorſenem, aut Valeſium citarent, illius Hiſtorici Interpretes, ſive qui in Opera ſua quædam Scriptorum ejus fragmemta contulerunt. Non ſecus idem urget, aut me fallit animus, argumentum, iniquum eſſe, narrantem alicujus Sancti Hiſtoriam ex iis præſertim, quæ pro certis & ratis cenſeri poſſunt, quaſque nobis ſervavit Metaphraſtes; Lipomanum, Surium, Baronium, Bollandum Latinos Interpretes afferre, penitus omiſſo, quo illi profecerunt, Metaphraſte.

Tandem, quo illi laborant in Metaphraſtis fallaciis retegendis, eundemque *ha bendo calunmiatoris & falſarii loco, ad monſtra parienda a natura compoſitum, & iis omnibus licentiorem fabulis, quas pro Diis ſuis Græcia Gentilis invenit*; eo Litteratos omnes admiratione afficiunt, qui fieri potuerit, ut Clariſſimi Autores, quique fidem ſuam publice obligaverant, ſe nihil producturos, quod e puriſſimis antiquitatis fontibus non manaverit, tot a Scriptore perditiſſimi nominis Acta, & Vitas Sanctorum, eorundem non contemnendas Epitomas acciperent, maximumque factorum numerum exiguæ adeo autoritatis teſtimonio concrederent. Quantumvis enim artibus omnibus contendant, nonnullorum origines, atque aliquorum canales eorum nominibus obſtruere, qui Metaphraſtis Collectiones confecerunt; verum nihilominus ſemper erit, & ſolidum, quam-

quamplurima ipſum Acta Martyrum, nec pauciores Sanctorum Vitas temporum oblivioni ſuſtuliſſe, quorum ne veſtigium quidem apparet alibi, neque editum aut MSS. volumen reperire erit, quod iſtorum ante Metaphraſten verbum ullum fecerit. Quamobrem quicunque deinceps conſecuti ſunt, per hunc veluti Actorum ductum illa omnia derivarunt.

§. IV.

Contendunt Critici, Metaphraſtis adulterationes & Paraphraſes eum in contemtum adduxiſſe.

QUonam itaque pacto, inſurgunt rurſus eruditi Critici noſtri, Metaphraſtis nomen opere in aliquo producere, cujus vitia tot ſapientiſſimis Viris perſpecta ſunt? Quem fugit, Baronium ejus adulterationes improbaſſe, & fabulas averſatum quam maxime fuiſſe; Aubertum Miræum illius infidelitates indicaſſe; Jacobum Loppinum ipſius priſcis Sanctorum Vitis additiones, & novarum cudendarum libertatem reprehendiſſe; fateri Theodoricum Ruinartium, futurum fuiſſe melius, ſi veteres ea, qua in autographo conſcriptæ erant, ratione reliquiſſet; & Tillemontium, nihili ducenda eſſe, quæ in ipſo laudibus celebrari ſuevenit, exiſtimaſſe? Bailletus demum his effert verbis Bellarmini Cardinalis de Metaphraſte judicium: „ *Illud autem eſt obſervandum*, ab eo *ſcriptas fuiſſe Hiſtorias de Vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphraſtes multa colloquia, ſive Dialogos Martyrum cum perſecutoribus, aliquas etiam converſiones Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima & maxima in everſione Templorum & Idolorum, & in occiſione perſecutorum, quorum nulla mentio apud veteres Hiſtoricos eſt.*

Baillet. in Orat. pag. 60.

Bellarm. ad annum 850. de Script. Eccleſ.

His omnibus liquido fit, eadem ratione abhorrendum ipſis fuiſſe ab omnibus iis, quæ peperit Metaphraſtes, atque ab nomine ipſius abhorruerunt. Nihilo ſecius quem alium, quæſo, Lipomani Surii & Bollandi nominibus niſi Metaphraſten citant, niſi Metaphraſten adoptant? Recte ne & ordine faceret Autor ille, qui declamatus vehementer adverſus Prochorum, cujus vocabulo S. Joannis Vitam legimus; adverſus Sycophantam illum, qui abdidit ſe Sancti Lini nomine, ut duos de S.S. Petri & Pauli *paſſione* Libros venditaret; adverſus falſum Abdiam, qui de Geſtis Apoſtolorum Librum in os hominum protulit; qui deſpicatui, inquam, ſe ducere teſtatus magnopere haſce omnes fabulis & narratiunculis redundantes Hiſtorias, in cogitationem tamen deſcenderet, hinc facta nonnulla promendi & earum abſolutas Epitomas conficiendi; plane ratus, ſe feciſſe ſatis, ubi ſublatis Autorum iſtorum nominibus, in eorum lo-

locum Orthodoxographorum & Bibliothecæ Patrum nomina ſubſtituiſſet?

Culpæ omnes, quas in Metaphraſte Sapientes deprehendunt, ad additiones tandem, & Autographorum Paraphraſes referuntur. Verum enim vero unde nam conſtat, inquit Bollandus, hunc Sanctorum Hiſtoricum priſcis Monumentis mordicus non adhæſiſſe, & pro arbitratu ſuo Martyres & Tyrannos abloquentes induxiſſe? Intereſſet ſane Archetypa præſto habere, ut cum exemplis, quæ apud Metaphraſten exſtant, conferri poſſent. Porro major illorum pars ad nos uſque perducta non fuit, quod in cauſſa eſt, cur hoc judicium committi nequeat. Præterquamquod unde nam didicerunt Critici, cunctas Hiſtorias iſtas, novo verborum circuitu redditas, a Metaphraſte proficiſci? Nonne compertum eſt omnibus, quingentas triginta novem ex his, in quarum fronte Scriptoris hujus titulus apparet, fraudulenter Metaphraſti adjudicari? *

Boll. tomo 1. Jan. pag. 18. col. 2.

Fieri itaque potuit, ut vel ejus non eſſent; vel illis ſcribarum, quorum opera utebatur, ** aut poſteriorum Scriptorum manibus traductis, adeoque interpolatis, id vitium Metaphraſti crimini daretur, cujus ipſe integer & purus erat. Hoc eſt quidquid effici rite poteſt, quoad nonnullas Sanctorum Vitas, quarum MSS. Græco iſto Scriptore vetuſtius eſt, aut aliunde provenientes ab illo in Collectione ſua auctæ & cumulatæ ſunt.

Exploratius, quod ſuppetat, & magnificaverint Critici, atque ad probandas Metaphraſtis adulterationes adhibuerint, exemplum, petitur a Vita Sancti Eupli Diaconi & Martyris in Sicilia, cujus Feſtus dies pridie Idus Auguſti celebratur. Bollandus collationem inſtituit germanorum San-

Boll. Tomo 2. Febr. pag. 598. & ſeq.

* *Vitarum, quas conſcripſit Metaphraſtes, numerus in immenſum cumulum poſteriorum negligentia auctus eſt; obſcuriori cuiuſvis Anonymi autoris narratiuncula Simeoni Metaphraſto mox adſcripta.* Guill. Cavius Hiſt. Litter. pag 492. col. 2.

** Perdoctus quidam e Societate Jeſu Scriptor his verbis Metaphraſtis erroribus excuſationem afferre laborat: *Serio putem; quod nunc primum occurrit; (dum illas Metaphraſti laudes a Pſello compoſitas attentius lego) quædam, quæ minus ſubſiſtant, Vitis Sanctorum inſperſa fuiſſe, per illam ingentem Scribarum Simeonis multitudinem, vel voluntate, vel caſu. Tradit enim Pſellus, ternas Amanuenſium Claſſes a Simeone adhibitas fuiſſe, & primum quidem Scribarum orbem Litterarum notis excepiſſe dictata: Scribas vero ſecundos ex annotatis priorum nova transcripſiſſe exemplaria: ac denique tertios Scribas Cenſorum perſonas induiſſe; atque omnia, quæ correctione digna viderentur, mutaſſe: ad hæc, tantam harum Simeonis lucubrationum multitudinem extitiſſe, ut eas ipſe ſtudioſius paulo recolere non potuerit. Unde jam nihil mirandum, quod in Vitas a Metaphraſte conſcriptas quædam minus apta irrepſiſſe videantur: non enim omnia ſphalmata autor tam occupatus advertere potuit, a Librariorum vel ruditate, vel caſu profecta.* Wangnevekius in Proleg. ad Librum, quem *Pietatem Marianam Græcorum* inſcripſit Num. 28.

ctí

ctî hujus Actorum cum Metaphraſticis, ut minus æquam hujus fidem oſtenderet. Conſule, ſi lubet in *Monumentis Eccleſiæ*, quæ Cotelerius edidit, Opuſculum iſtud; cujus exemplar Ruinartius quoque, Bollandi teſtimonio, attulit inter adnotationes in Vitam S. Eupli. Bailletus autem, qui omnem ad reprehendendum Metaphraſten anſam arripit, hanc pariter non prætermiſit. „ Quæcumque, ait, ſuperſunt legitimorum S. Eupli Actorum Græcæ & Latinæ Editiones, optimæ ſunt; ſi modo iis a Metaphraſte recenſitam Paraphraſin non annumeres, qua eas ex arbitrio corrupit, atque ad ingenium ſuum accommodavit. Tillemontius item eo eſt animo, ut ſentiat, Acta hæc Metaphraſti tributa teſtatiſſimo eſſe ad probandum argumento, quorſum ipſe fidem & ſimplicitatem populorum feſellerit. „ atque huic duntaxat, inquit, uſui ſecundum Bollandum eſſe poſſunt.

Act. Select. pag. 457.

Baill. Tab. Crit. 12. Aug. pag. 22.

Tomo 5. annot. 1 in S. Euplum p. 695. col. 1.

Et vero ſi quis genuina Sancti Eupli Acta cum iis comparet, in quibus verſata eſt Metaphraſtis opera; ſententiam utique pro iis dicet Criticis, qui Scriptorem illum redarguunt; quod vetuſta monumenta vitiaverit; quod fabulis addictus fuerit, & additamentis interſerendis, atque ad nova facta excogitanda mirifice liber, quod indole præditus narrandi res non ita, ut contigerunt, ſed ut eas contigiſſe probabile videbatur: animadvertet denique Conciones, quas in ore Martyrum ponit, Dialogos & Diſputationes inter Sanctos & Judices Tyrannoſque confictas; ante omnia vero quamplurimas & miras Paganorum ad bonam frugem converſiones, atque inuſitata inauditaque tormenta. *Conferat nunc qui volet*, colligit Bollandus, ſummatim allatis nonnullis Actorum S. Eupli germanorum locis; *eadem ex Metaphraſte edita a Lipomano & Surio Acta*; *& perſpiciet, quam ea lacinioſa, immo inepte coagmentata, additis non ſolum tormentorum variis generibus, ſed etiam plurimis miraculis*.

Boll. ubi ſupra pag. 199. col. 1.

Quam Sapientiſſimi Jeſuitæ opinionem imbiberunt, exinde eruditi omnes.

Ceterum ſi poſtremi iſti Bollandi verba attentius exploraſſent, futurum fortaſſe fuiſſet, ut aliquem ſuper his Metaphraſti morem gererent. Audiamus quomodo doctus Pater hic, antequam Actorum S. Eupli Synopſin exhibeat, loquatur. *Dandum eſt*, inquit, *exemplar ſic interpolatorum ſive ab ipſo Metaphraſte, ſive ab ejus Amanuenſibus, legitimorum Actorum &c.* & ſequenti columna differens de Sanctæ Agathæ Actis: *An non idem*, ait, *in Sanctæ Agathæ Geſtis ſuſpicari poſſumus factum ab eodem Metaphraſte, ejuſve Amanuenſibus?* Ex quo facile eſt cognoſcere, Bollandum Actorum S. Eupli depravationem non omnimode Metaphraſti dediſſe vitio, qui profitetur ab alio quopiam induci potuiſſe. Verum etiamſi in

Boll. ibidem pag. 398. col. 2.

ſi in Metaphraſten unum regereret eo loci Bollandus omnes Actorum S. Eupli immutationes, conſtans tamen eſt, eruditos Patres illos, qui eidem Operi poſt Bollandum inſtiterunt, collata rurſus S. Martyris hujus Hiſtoria, deprehendiſſe, a Metaphraſte abhorrere longe Actorum S. Eupli, quam in Lipomano & Surio legimus, Editionem; & Tillemontium, cui perſpectus fuerat locus hic, ſiquidem citat, non auſum fuiſſe illa Metaphraſti accenſere, ſed dixiſſe tantum: *quicumque demum eorum ſit autor, &c.* Quæ ſi probe animadvertiſſent Scriptores ceteri, fit veroſimile, hoc eos exemplum non fuiſſe ſumturos, ut adulterationes, quas in Metaphraſten jactant, exaggerarent. Equidem nimis multa verba ſuper his feciſſe videor: at operæ pretium duxi planum facere, quam facile poſſit eſſe, Scriptorem hunc in eorum crimen vocare, a quibus, eſt remotiſſimus.

Tomo 1. Maii. pag. 37. col. 2.

Tomo 5. annot. 1. in S. Euplum pag. 695. col. 2.

§. V.

Metaphraſtis conſilium tanta non eſt reprehenſione dignum; ut nobis perſuaſum vellent.

UT de fraudibus atque adulterationibus Metaphraſtis conſtaret nobis, neceſſum foret, ſolidis principiis pendere conjecturas; antiqua, quæ in hodiernam diem ſuperſunt, monumenta, accurate diſpicere, & cum iis, quæ ab ipſo ſunt, & enucleata ſunt, exemplis conferre: quibus præhabitis, pro rato habere poſſemus, graviſſimas eſſe Metaphraſtis Paraphraſes; quandoquidem aliena manu confectæ non fuerint. Quæ omnia expendere nullo negotio poſſumus in S. Simeonis Stylitæ Vita, quæ in Theodoreti Hiſtoria reperitur, *Philotea, ſive de Vita Monaſtica*, nuncupata; in Vita S. Nicephori Martyris, a Bollando recitata, in alia Sanctæ Euphroſinæ Virginis, cujus Latina interpretatio alteri, a Metaphraſte compoſitæ, ætate antecellit, nec non in nonnullis, quæ exſtant, aliis. Perſpicuum etenim fiet, exaggeratas adeo Paraphraſes complecti demum nonnulla duntaxat verba, ſive ad nectendas Periodos, ſive ad Lectoris attentionem conciliandam appoſita, *adiunctis temporibus & locis*. At certe illud omnem extra controverſiam eſt, Acta Martyrum a Ruinartio in Collectione ſua collocata, atque a Metaphraſte depromta per iſtius manus, ne verbo quidem adjecto tranſiviſſe.

Febr. Tomo 2. pag. 253. & 537.

Boll. ibidem.

Quid quod, ſi propugnare utique placeret, Hiſtoricum hunc muneris ſui fines prætergreſſum fuiſſe, & verba quædam a ſe coagmentata Judicibus & Sanctis accommodaſſe; vel ut ſuaviorem, utilioremque narrationem efficeret, ſive ut eximium Martyrum Magnanimitatis, Tyran-

rannorum crudelitatis, aliorumque Sanctorum virtutis & pietatis ſpecimen præberet: ſi de his omnibus, inquam, conveniret, propterea ne crimen illico in Scriptorem iſtum conflandum eſſet?

Paullo diligentius evolvantur Sermones Sancti Gregorii Nyſſeni de Sancto Theodoro Amaſeno Martyre; S. Baſilii de Sancto Barlaamo Martyre, de Sanctis item Gordiano Martyre, & Julita; S. Joannis Cryſoſtomi de Sancto Luciano Presbytero Antiocheno, & de S. Pelagia Martyre; & S. Ambroſii de Sancta Agnete: intendamus aciem in Homilias & Panegyricos ab aliis Patribus Sanctos colendi gratia conſcriptos; & comperiemus, nihil aliud frequenter præſtitiſſe Metaphraſten, quam Patrum iſtorum ſcribendi rationem pluribus imitari, qui omnia eloquentiæ ornamenta congeſſerunt, ut argumento ſuo ſplendorem adderent, & dignitatem. Quibus Orationis anfractibus non utuntur ipſi, quo gratiorem rebus ſpeciem effingant, Lectoris animum ad ſe convertant, pietatem excitent, atque in ampliſſimo lumine Martyrum conſtantiam vere Chriſtianam, & perſequentium immanitatem collocarent? Neglexerunt ne Sermones ſuos deſcriptionibus admirabilibus, diſertiſſimis concionibus illuſtrare, & ſublimia cogitata, quæ nunquam, ut apprime videtur, elocuti ſunt, Sanctis Martyribus apponere?

Greg. Nyſſ. Orat. de S. Theodoro. Baſilius Tomo 1. Hom. 18., & 19. Ibidem Orat. 5. Cryſ. Tomo 1. Hom. 46. item Hom. 40. Ambr. l. 1. de Virg. cap. 2.

In promtu eſt exemplum ab egregia illa Legionis Thebanæ Oratione petitum, quam coram Maximino tum habuerunt, cum, interemto ſecundo decimo quoque eorum Viro, Diis litare conſtanter negarunt. *Milites ſumus, Imperator*, ajebant, *tui, ſed tamen ſervi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam; a te ſtipendium laboris accepimus, ab illo Vitæ oxordium ſumſimus. Sequi te Imperatorem in hoc nequaquam poſſumus, ut autorem negemus Deum, utique autorem noſtrum Dominum, autorem, velis nolis, & tuum. Si non ad tam funeſta compellimur, ut hunc offendamus, tibi ut fecimus hactenus, adhuc parebimus: ſin aliter, illi parebimus potius quam tibi ..... Pugnavimus pro fide quam quo pacto conſervabimus tibi, ſi hanc Deo noſtro non exhibemus? Juravimus primum in Sacramenta Divina, deinde in Sacramenta Regia: nihil nobis de ſecundis credas neceſſe eſt, ſi prima perrumpimus. Chriſtianos ad pœnas per nos requiri jubes: Jam tibi ex hoc alii requirendi non ſunt: habes hic nos confitentes Deum Patrem autorem omnium, & filium ejus Jeſum Chriſtum Deum credimus. Vidimus laborum, periculorumque noſtrorum Socios, nobis quoque eorum ſanguine aſperſis, trucidari ferro: & tamen Sanctiſſimorum Commilitonum mortes, & fratrum funera non flevimus, non doluimus, ſed potius laudavimus, & gaudio perſecuti ſumus, quia digni habiti eſſent pati pro Domino Deo eorum. Et nunc non nos vel hæc ultima vitæ neceſſitas in rebellionem coegit: non nos adverſum te, Imperator, armavit ipſa ſalrem,*

Ruinart Acta Selecta p. 292. ex S. Euch.

qua fortiſſima eſt in periculis, deſperatio. Tenemus ecce arma, & non reſiſtimus, quia mori quam occidere ſatis malumus, & innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus. Si quid in nos ultra ſtatueris, ſi quid juſſeris, ſi quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum ſubire parati ſumus. Chriſtianos nos fatemur, perſequi Chriſtianos non poſſumus.

Aliquanto prolixius perſecutus ſum Orationem hanc magnanimam, ſapientiſſimam, & vere dignam, quæ a Martyribus emitteretur; ut palam fiat, ægre admodum credi poſſe, S. Eucherium Lugdunenſem illius Autorem, nihil ex ingenio ſuo in eam contuliſſe, & Paraphraſis more non vertiſſe. Si quid ſimile occurreret in Metaphraſte, clamarent illico: *id figmentum ipſius eſſe, & Sanctos pro inſtituto ſuo loquentes inducere*. Interim non putaverim extitiſſe quempiam, qui de Sancto Eucherio redarguendo cogitaret, propterea quod ea verba & cogitata inclytis illis Militibus accommodaverit: quamquam etenim liqueret, eos revera ſenſa illa tum, medio Gentilium Exercitu, protuliſſe; multi tamen eſſet Operis conſtituere, a quo nam ſingulæ voces illæ colligi potuerint, & ducentorum circiter annorum intervallo in memoria hominum inſidere, unde eas comparavit Eucherius; uti nos docet Tillemontius, qui hiſtoriam hujuſmodi magnificis effert laudibus, & magno Eucherio Lugdunenſi dignam exiſtimat. Quantumvis igitur perſuaſum fuerit omnibus, Patris hujus fuiſſe Opus concionem iſtam; id tamen nihil obfuit, quominus eam in Selectorum Actorum numero recenſeret Ruinartius, non ſecus atque alias plures, in quibus apparet manifeſto, Autores iſtos haud raro Martyres & Tyrannos rogantes invicem & reſpondentes exhibere.

At enim, inquient, notum eſt, Patres in Homiliis & Panegyricis, Sanctorum celebrandorum cauſſa habitis, Oratorum more peroraſſe: Metaphraſtes autem his non ſe finibus continuit; quod nanque in eo ulterius deteſtantur, eſt, multa Hiſtoriis addidiſſe de ſuo, reſque non ita enarraſſe, uti contigerunt, ſed uti contingere poterant; quod vere Tillemontius pati nullo modo poteſt, tum etiam quando profitetur, ſe totidem verbis reddere Autores ſuos, illos interpolare, & pro libidine differentes proponere.

Graviſſima quidem exprobratio: at univerſorum ſit pronunciare; num Sacer Hiſtoricus, qui Archetypo ſuo nonnulla adjunxit, quibus acceptius atque utilius efficeretur, majori ſit reprehenſione dignus, quam ille, qui plurima detraxerit, ad augendum Meritorum Sanctorum & divinæ Gratiæ ſplendorem pertinentia; præſertim cum ſinceræ ſunt, firmæ autoritatis, & autographæ Sanctorum Hiſtoriæ; tunc etenim nihil præſeferunt, quod pium non ſit, aut prætermittendum. Porro fortaſſe con-

contendere quis poſſet, ſi Metaphraſtes in vitium illud impegit, in hoc Arnaldum Andyliacenſem, Tillemontium, & Bailletum incurriſſe. Reponunt tamen, id inter Autores iſtos & Metaphraſten diſcriminis intereſſe; quod hic inſtituit verba e verbis Archetypi deſcribere, illi autem iiſdem terminis Opus ſuum non circumſcripſerunt. „ Diligenter proſpexi, ait Andyliacenſis, ne quidpiam adderem Vitis iſtis; nonnulla tamen loca compendio dedi, quorum longitudo eum vana fuiſſet, tum faſtidio Lectores affeciſſet; aliaque ſuſtuli omnino otioſa, cujuſmodi ſunt mira & portenta multa. „ Ita plane ſe geſſerunt Tillemontius & Bailletus, jure ſane optimo, quippe qui fidem ab ipſis datam caſtiſſime ſolverunt, interea dum præſtitutum ſibi modum prætergreſſus eſt Metaphraſtes. Hoc autem eſt, de quo purgari nequit, ubi in fraudem compulſus fuit. Nihilo ſecius illud non habet dubitationem, plura in Theodorici Collectione archetypa Acta reperiri, in quibus perſpicitur, Metaphraſten fidem in ſe receptam præſtitiſſe.

In Vitis Mult. Sanct. Admonitione.

Verum, quantum demumcumque velis, dignus ſit Metaphraſtes, qui reprehendatur; nihil ne erit, quod ipſi faciles indulgeamus? Si nanque liberum eſt eruditis Criticis, diverſa Hiſtoriarum, quas afferunt, loca in ſummam redigere, ne vanitate ſimul & ſatietate repudientur; numquid non largiri quoque Metaphraſti poſſent libertatis, ut religioſe ſervatis omnibus rei capitibus, minuta quædam adjuncta, commodioris aut jucundioris narrationis gratia, ſuperſtrueret, quod item ipſi pro re nata committere non negligunt? Quandoquidem Illuſtres Critici noſtri, ut Sæculi hujus ingenio obſequantur, cenſuerunt *tollenda eſſe aliqua facta omnino otioſa, cujuſmodi ſunt mira & portenta multa*; cur diem dicemus Metaphraſti, quod ævi ſui ingenio obſecutus ſit, in quo ſupervacanea non arbitrabantur homines miracula, ſed non contemnenda Hiſtoriæ Sanctorum ornamenta; quodque univerſa recitaverit, quæ in Monumentis ſuis exſtabant? Quamquam etenim ſumma præſtent vi & copia eruditionis Critici noſtri, difficillimum ſorte ipſis erit, oſtendere, Metaphraſten in Vitarum Sanctorum collectione nova Miracula commentum fuiſſe.

§. VI.

Exemplum Paraphraſium Bailleti, nihilo Metaphraſtis Paraphraſibus minorum.

Esto autem Græco huic Hiſtorico nonnihil concedere velimus, atque aliquam ipſi pravo ſæculi judicio, & Nationis ingenio excuſationem parare, fateri tamen neceſſe eſt, eum ſibi nimium arrogaſſe

 ejus

ejus adulterationes & infidelitates nulla purgari ratione poſſe, quæque ipſi vitia a Sapientibus objiciuntur, jure ac merito objici; præcipue quæ a Tillemontio, „ cui, teſte Bailleto, inſederat animo, nihil ducenda „ eſſe, quæ in ipſo laudibus celebrari uſuvenit, cum peſſime adeo ve„ ritatis partes in reliquis expleverit; ipſumque concoquere ante om„ nia nequire, quod Metaphraſtes profiteretur, ſe totidem verbis red„ dere autores ſuos, tum quando eos interpolat, & pro libidine diſſe„ rentes proponit. „ In ora Libri notat Bailletus paginam 528. prioris Tomi Monumentorum Tillemontii. Eo autem loci, annotatione nimirum 20. in S. Joannem Baptiſtam inſcripta: *Additamenta* Metaphraſtis, doctus iſte Criticus inſigne doloſarum Autoris hujus Paraphraſum exemplum ante oculos ponit: „ Nos monet Hiſtoria trium Translationum „ Capitis S. Joannis Baptiſtæ, ab Allatio Metaphraſti adjudicata, San„ ctum illud Caput ſuavem odorem efflaſſe, & miro emicuiſſe ſplendo„ re, tum cum Hieroſolymis inventum eſt, tum etiam cum illud tranſ„ laturus, cereis adhibitis, Uranius acceſſit. Ecce Metaphraſtis in„ genium, qui non aliter res eveniſſe tradit, atque ipſe cogitatione com„ prehendit. Nullum etenim horum veſtigium apparet, neque in vetu„ ſta primæ inventionis Hiſtoria, neque in altera Marcelli, quam plu„ ribus invertit locis Metaphraſtes, etſi eam ipſius nomine producat, & „ faſſus ſit, ſe illius verba e verbis efferre. πρὸς λέξιν. „ Secundum hæc pronunciare ne quis poterit, injuriam eum Metaphraſti inferre, qui *teſtatus fuerit, propterea quod nimium exquiſite mentiendi artem teneret, Autorem iſtum a nonnullis Hæreticis calumniatoris & falſarii loco habitum fuiſſe, ad monſtra parienda a natura compoſitum, & licentiorem iis omnibus fabulis, quas pro Diis ſuis Græcia gentilis invexit*? qui ejus figmenta & Paraphraſes averſetur: Sapienteſque modum excedere, qui eum abjecto adeo numero habent; ut ne ipſius quidem nomen chartis ſuis promere patiantur?

In Orat. pag. 60. — vol. 1. — Baill. ibidem.

Quorſum vero, urgebit neſcio quis, tot tantæque adverſus Metaphraſtis in hac Hiſtoria additiones querelæ? Præterquamquod enim culpa liberari utique poſſent, nonne quandoque his ſimiles occurrunt in Eruditorum Criticorum noſtrorum Operibus, qui longe & multum Metaphraſti accuratione, polito judicio, & eruditione antecellunt?

Litteratorum ſit, ſententiam dicere, num Bailletus in texenda Vita Cyrilli pueri Martyris Cæſareæ in Cappadocia, Decio, aut Valeriano Eccleſiam infeſtantibus; Metaphraſticum morem ſervaverit necne? Quo autem rectius id cognoſcatur, univerſam huc traduco Sancti illius pueri Hiſtoriam, ita plane, ut legitur apud Bailletum, addito Autographo, cui ſe adhæſiſſe fatetur. Signabo igitur in Contextu Bailleti italicis caracte-

racteribus quæcunque addidit Autor ille: in Latino vero exemplo Romanæ formæ ea indicabunt, quæ detraxit peritus iſte Criticus, ideſt, loca, quæ interpretatus non eſt.

BAILLETUS.

29. Maii, pag. 911. *& ſequentibus.*

Poſt pauca, quæ exigui Proœmii vicem gerunt, in hæc verba loquitur de Sancto Cyrillo. In ore ſemper Jeſum Chriſtum habebat, & propter ipſum ſe omnibus cum faciendis, tum ſuſtinendis paratum eſſe profitebatur. Quo factum eſt, ut non modo minas, *aliis quibuſquam perterrendis aptiſſimas*, verum tormenta quoque, *quorum vi homines aliquando ſuccubuerant robuſtiores*, mira conſtantia pertulerit.

Martyrium Cyrilli Pueri, ex Tomo 7. Maii Bollandi apud Ruynart, in Actis Selectis pag. 253.

Omitto Præfatiunculam, quæ Acta iſta anteire ſolet, atque exordium duco ab iis, quibus Bailletus Latinæ verſioni reſpondet.

Etenim omni tempore Chriſtum nominans erat Cyrillus, *& ſemetipſum inde eſſe motum fatebatur: & plagis confixus, & verbis territus, neque verborum ruinam, neque afflictionis injuriam computavit, ſed ſuſtinuit hæc quidem libentiſſime: promte autem & aliud aliquid majus malum expectabat.* Cum autem creſcerent animi, qui ſunt erga bonam fidem, & æmulatores haberet multos, qui ſimiles erant ejus ætati.

Fidei ſuæ hoſtem & inſectatorem Patrem ipſum habebat, qui cum ad exitum perducere non poſſet; ut filius voluntatem ſuam divinæ, cui famulabatur, anteferret, ei nuntium remiſit, oſtium occluſit domus, & vitæ neceſſaria quælibet ipſi denegavit.

Abdicat quidem eum Pater, domum ei claudens, & quæ in ea erant prorſus abnegabat ei.

Non poterat fieri, quin inaudita adeo Patris ſævitia reprehenderetur. Cyrillus autem in divinis laudibus totus erat, quem ſibi verum magis fore Patrem exiſtimabat, quam eum, quem acceperat a natura, & a quo dure adeo deſerebatur. Abſque eo quod reverentiam Patri debitam excuteret, æquo animo omnium, quibus illum ſpoliabat, commodorum amiſſionem ferebat, propoſitis ſibi ante oculos a Fide æternis bonis.

Quidam autem in his laudabant Patrem, & valde mirabantur. (ipſe vero quaſi nihilum reputabat abdicari a Patre): & quod parva auferens ei, majora & utiliora ei provideret fides, quæ in Domino erat, dicebat.

Homo

Homo hic, qui in ſe comprobavit Jeſu Chriſti vaticinium, quo dixerat; futurum, ut parentes filios proderent, & Judicibus traderent propter nomen ſuum, apud Magiſtratus de filio ſuo conqueſtus eſt, a Patre & Diis defectore.

Magiſtratus ad comprehendendum Cyrillum milites miſit, *quo coram ſe conſtituto, operam dedit, ut illum in Patris voluntatem reduceret*, & propterea minas in eum graviſſimas, quibus terreret, jactavit. Videns autem Cyrillum nihil moveri, *rationem dicendi mutavit*, aitque, veniam ſe illi de præteritis daturum, ſi modo recte ſaperet, Patremque *contumaciam ejus* oblivione deleturum, & quæcunque ipſi moleſtiæ dederat argumenta; in domum rurſus eum ſuſcepturum; *quidquid amiſerat redditurum*;

Hæc agens in iram provocabat Cæſareæ Judicem, & vocans eum per miniſtrationem militum, & terrens ſimul de Judiciis; videbat quidem in principio eum non terreri, (ſed) omni momento ab omni trepidatione ſecurum (adſtare), *modica omnia contra Fidem computantem*. En indulgeo tibi, inquit Judex, o puer, delicta: Dimittit tibi & Pater offenſam, in domum ſuſcipit te. Licet tibi frui bona Patris, ſi ſobrius fias, ſi tibimetipſi des cogitatum.

atque in hæreditatis partem, *qua deturbatus fuerat*, revocaturum.

Reſpondit Cyrillus, ſe gaudere, *non lætis, quibus ipſi blandiebantur, promiſſis*, ſed increpationibus & minis, quibus vexabatur: ſe geſtire lætitia, quod Patris domo expulſus eſſet, ſpe niſus, ſe in divinam receptum iri; ultro ſe pauperem eſſe, ut divitiis æternis in cœlo exultaret; ceterum ſe nihil penitus mortem formidare; quod

Beatiſſimus vero Cyrillus, gaudeo, dixit, cum pro his mihi increpatur. *Ego enim apud Deum optime (recipiar.)* Delector domo mea privatus, habitabo enim *majorem & meliorem*. Sponte fio pauper, ut fruar divitiis (æternis); *bonam* mortem non metuo, (quia) vitam provideo mihi meliorem.

vitam deinceps præſtolaretur ea feliciorem, *quam ipſi adimere tentabant*.

Magnanimo hoc reſponſo in admirationem traductus Judex, eum vinciri præcepit, atque ad ſupplicii locum, veluti eo afficiendum, pertrahi: *jubens ſimul clam Tortoribus*, ut omnia in eum periclitarentur, *citra mortis ictum*: cum extremum hoc adhibere remedium formidinis ſtatuiſſet, ut

Hæc dicens cum quadam Deifica virtute, præcipitur ligari ſolemniter, quaſi ad mortem deducendus. Uſque terrorem tamen & juſſionem illud publicos (Miniſtros) facere (Judex) præcipit, probationem accipiens pueri.

ipſius conſtantiam frangeret, *atque ad parendum Patris voluntati obſtringeret*.

Quibus porro mandaverat Judex, ut ad ſe deferrent, quonam Tormentorum aſpectu ſe gereret modo, ii retulerunt,

Quando autem neque lacrymatus puer nunciabatur, neque ignem metuens, in quem injicere hunc

ne

ne lacrymulam quidem exciri ipſi potuiſſe; dumque in ignem eum projicere ſimulabant, non retuliſſe pedem, minabantur, ſed patientiſſime ad mortem pergentem:

non clamaſſe, non palluiſſe; & enſem, quo obtruncaretur, diſtringentibus fortiter adeo cervicem dediſſe, ut eſſet plane, cur ipſe carnifex contremiſceret.

Judex ſtupore atque admiratione correptus, ſiſti rurſus ante ſe Cyrillum juſſit, & indulgentiam in eum ſuam magnificans, hortatus eſt, ut ſe revocaret, & gratia, qua exceptus fuerat, non abuteretur.

Reſpondit puer: tantum abeſt, ut me flammis & gladiis ſubducens, mihi gratificatus ſis, ut potius injuriam feceris. *Non eſt ſane, quam in me exercuiſti, indulgentia ſed ſævitia.* Aliam domum & divitias præſtolor, *quam paternas*. Sperabam quidem me illuc quantocius iturum, *tu vero mihi hanc voluptatem diſtuliſti*: Ne itaque tantam mihi felicitatem diutius invideas.

Eorum, qui aderant *plurimi* adoleſcentis hujus æque ſermonem atque conſtantiam admirantes, temperare a lacrymis nequiverunt. Porro Cyryllus eos de his redarguere *non dubitavit*. Ridendum vobis eſſet, ajebat, atque gaudendum, ubi huc me traductum videtis.

Poſtquam autem mortis ſententiam in eum Judex pronunciavit, aliorum fletus invaluit. At Cyrillus ea voce, qua amplum ejus & excelſum animum ſolidamque lætitiam indicaret, dixit illis: Si perciperetis, quam Deo fidam, quove pergam; profecto hortaremini citius me pati *fortiter*, *quam ſuper his conqueri & lugere. Ceterum hominum ſtimulis non indigebat; qui ejus, pro quo certabat, & a quo corona donandus erat, auxilio confirmabatur.*

Iterum vocat hunc Judex, docere animatus, & verbo ſuadere ſecundum ſolitum ſibi morem. *Vidiſti o puer, (inquit,) ignem, vidiſti o juvenis gladium?* ſobrius eſto, *ut iterum habeas patris domum & fortunam.*

Qui reſpondit: nocuiſti o Tyranne, me revocans, nocuiſti, & peſſime geſſiſti: fruſtra ſuccendiſti ignem, ſine cauſſa gladium acuiſti. Multo major (eſt) domus, quam habitare feſtino, multo divitiæ præſtantiores. Has accipere a Domino accelero; celerius me conſumma, ut celerius fruar,

Et hæc audientes adſtantes lacrymabantur: puer autem lacrymas eorum inculpabat: & debetis, inquit, ridere, debetis delectari, debetis (me) producere gaudentes ad patiendum. Neſcitis quam civitatem habitabo: neſcitis quam fiduciam habeo. Concedite ſic expendere vitam. *Hæc dicens ibat mori.*

Splendidus autem & ſpectabilis erat non ſolum ei, qui recipit ejus animam, *ſed & aliis, qui Cæſareæ habitabant*, ipſum adjuvante, qui regnat in Sæcula Sæculornm. Amen.

In

In aperto eſt ex his, quæ recitavimus, judicare, multa Bailletum Autographo addidiſſe, præteriiſſe multa, ut quædam loca mittam a germana exemplaris interpretatione diſtorta. Non me quidem latet, ipſum Archetypum videri minus accuratum, & aliquanto mendoſum, ſive id ſit Interpretis, ſive Amanuenſis negligentiæ probo dandum, item contractiori Actorum Latinorum ſtylo adactum fuiſſe, circuitu aliquando uti, & nonnulla ſupplere, ut ad Gallicæ Linguæ ingenium revocaret. Quod ſi hæc omnia Interpretationem Bailletianam a vitiis non ſatis vindicarent, nolumus eum propterea inſimulari, quod Autographo addiderit, ut eorum, quæ acciderant, intelligentiam explanaret: cum apud Sanctos Patres & Hiſtoricos paſſim emicent Eloquentiæ lumina, & intacta rei ſumma, Oratoria ornamenta aucupentur. Illud autem hoc exemplo efficitur, non fuiſſe ſemper Bailleto, cur ad Patrum autoritatem infirmandam, cauſſaretur: eos in editis S.S. Vitis Oratorum potius, quam Hiſtoricorum more locutos fuiſſe; neque ſatis æquos eſſe Metaphraſti illos, qui acriter adeo in ejus Paraphraſes invehuntur; Quare etenim iis uti huic erit criminis loco, Criticis vero laudis argumento?

Tomo 1. pag. 283.

Acta Selecta, pag. 245.

Baill. IX. Februarii pag. XV.

Tomo 4. annot. 8. in Perſecutionem Valeriani pag. 590. col. 2.

Inter celebriora Metaphraſticarum Paraphraſum, quibus offendit, exempla illud eſt, quod a Sancti Nicephori Martyris Antiocheni vita deſumitur. Exſtat hæc apud Bollandum quinto Idus Februarii, qui a Metaphraſte *interpolata*, ut vocat, loca italicis Litteris deſignat. Theodoricus vero Ruinartius a Bollando vulgatam fuiſſe tradit, *adjunctis altero charactere Metaphraſtis additionibus*. „ Bailletus demum eam, uti a Ruinartio producta fuit, integerrimam cenſet, atque illis *Gloſſis* & amplificationibus immunem, quas in Acta vetuſta Metaphraſtes, aliique nonnulli Latini intulerant. „ Nihilominus conferenti additiones, a Metaphraſte in S. Nicephori Vitam illatas, cum iis, quæ in S. Cyrilli Hiſtoria a Bailleto exarata leguntur, facile erit conſtituere, Criticum iſtum magis, quam Metaphraſtes, Paraphraſibus indulſiſſe, minuſque Archetypi veſtigiis inſtitiſſe. Acta nanque Nicephori, a Metaphraſte enarrata, per Tillemontium quoque, diſſident ab exemplari paucis duntaxat, iiſque non multæ frugis vocibus, cum ex adverſo graviſſimæ notæ adjuncta, quæque in Archetypo deſiderantur, appoſuerit Bailletus, totidemque detraxerit: quamquam ter Acta S. Nicephori brevitate ſuperent, quæ a Metaphraſte interpolata contendunt. Quo vero commodius hæc dignoſcantur, in fine hujus Paragraphi integram S. Nicephori Vitam collocabo, Metaphraſtis mutationibus, diſtinctionis gratia, italico charactere excuſis.

Hiſtoria pariter trium Capitis S. Joannis Baptiſtæ Tranſlationum, quæ in Metaphraſtis infidelitatis exemplum afferri ſolet, minori reddita eſt cir-

circumlocutionum & additionum numero, quam S. Pueri Cyrilli Martyrium. Neque conſequens inde eſt, factam ei duorum Miraculorum acceſſionem fuiſſe, quorum meminit Metaphraſtes; quia illorum tum in priſca, tum etiam in Marcelli Relatione ſilentium ſit. Nunquid non alia de his Metaphraſten monumenta docere potuerunt? An iccirco aliquid rei adjunctum falſum eſt, quod qui univerſam mandarunt Litteris Hiſtoriam, nullam illius fecerint mentionem? Si ita res ſe habeat, pauciſſimæ ſupererunt ingenuæ & germanæ narrationes.

Quid ſi duo hæc mira facta, nihil aliunde, quod incredibile ſit, continentia adjunxerit Metaphraſtes, immo ex ingenio ſuo, quæcunque de Uranio dixit, ad transferendum Caput Sanctum cum Cereis accedente, depromſerit? his tandem ad tria aſcenderet in prolixa ad modum narratione additamenta: verum quot in Bailletiana licet breviſſima enumerantur?

At inſiſtunt in eo potiſſimum: Tillemontio ceteriſque Sapientibus diſplicuit Metaphraſtes, quod cum *etiam quando profitetur ſe totidem verbis reddere Autores ſuos, illos interpolare, & pro libidine differentes proponere* non deſinat; *multa Hiſtoriis de ſuo addat*; *reſque non ita enarret, uti contigerunt, ſed ut contingere poterant*. In his ſane querelis omnibus ad Metaphraſtis condemnationem momenta ſunt maxima: ſed nonne, reſponderet quis, videntur demum cunctæ in Bailletum ipſum recidere? An non fidem obligavit ſuam Criticus hic ab Actorum S. Cyrilli Autographo non recedendi, quemadmodum illud Bollandus quarto Kalendas Junias, & Theodoricus Ruinartius, ab ipſo cum in Tabula Critica, tum in S. hujus pueri Vita citati retulerunt?

Eſto tamen legitimis amborum iſtorum Scriptorum Autographis non ſe obſtrinxerit Bailletus, nonne ipſum intererat monere, unde nam tot additiones decerpſerit?

Quamobrem cum fontes alios non indicaverit, immo nequiverit indicare, æquum eſt inde colligere, eum S. Cyrilli Vitam Paraphraſis ritu convertiſſe, *hujus Hiſtoriæ Scriptorem pro libidine differentem propoſuiſſe*; *multa de ſuo addidiſſe*, & pro libito detraxiſſe; immo adjuncta quædam non ſatis congrua ratione interpretatum fuiſſe; Sanctis hujus Pueri Martyrium *enarraſſe non uti contigit, ſed uti contingere potuit*; pluribus denique rem comitantibus, quæ deſunt in Archetypo, monumentum illud illuſtraſſe. Non eſt autem hæc ſola, quam Bailletus addendo & demendo reddiderit, narratio: aliæ plures nullo negotio præſto eſſent non minori animadverſione dignæ, in quibus æque ſibi, atque in Cyrilli Geſtis, indulſit Bailletus: hanc vero præ aliis ipſius inſigni brevitate ducti ſelegimus.

Digitized by Google

Hinc manifeſtum eſt, artem interpretandi latius non fuiſſe adeo Metaphraſti peculiarem, ut uſus plurimos non attulerit etiam Autoribus illis, qui apta rerum conſenſione, & diligentia eminere putarunt: tametſi adverſus Græci hujus Scriptoris intemperantiam quam ſæpiſſime vehementius ferantur, & illius teſtimonium nullius eſſe ad factum aliquod ſtatuendum ponderis eſſe velint, nomenque penitus expungant, ipſius quamvis labore proficiant.

Licet duo, ut ita dicam, additionum genera in germanas Sanctorum Hiſtorias receperit Tillemontius, non crediderim tamen eas accurationis vitio laborare. Cum aliquid fit ipſi obviam, quod extraneum rei ſuæ, aut ſplendorem ipſi afferat aut claritatem, tum, ſi Autor aptus eſt ad faciendam fidem, non dubitat ea, quæ depromſit, narrationi ſuæ, etſi autographæ, interferere; tamen adhibita cautione, ut a genuino Orationis contextu, quod aſcititium eſt, ſecernat, & in ora libri Scriptoris, quo utitur, nomen ſeponat. Haud raro etiam nonnulla ingenio ſuo compacta Hiſtoriis attexit doctus iſte Criticus: verum cum id interjectione claudat, animadvertit Lector ea ad monumenti illius partes non pertinere: qua de re interpolationes revera vocari nequeunt.

Non defuerunt præſtantes Critici, qui crederent, majorem Metaphraſticarum additionum partem hujuſmodi eſſe *; ſique eadem, ac Tillemontius providiſſet, ambigo, utrum audacter adeo adverſus ipſius Paraphraſes conclamaſſent. Illud eſt ſane conſtans, additamenta multa, quæ Hiſtorico huic crimini dantur, uti quæ ad S. Nicephori Vitam, & Capitis S. Joannis Baptiſtæ translationem ſpectant, non eſſe graviora iis, a quibus aliquando non abhorruit Tillemontius: neque enim præter hæc duo, alia nobis Critici objiciunt in hoc Græco Autore infidelitatis exempla.

VITA S. NICEPHORI MARTYRIS,
e MSS. Regiæ Bibliothecæ depromta, & cum ea, quam edidit Metaphraſtes, collata.

Additiones a Metaphraſte interpoſitæ Italicis notis deſcribuntur.

Apud Boll. tomo 2. Febr. die IX. Habetur etiam apud Ruinart in Actis Selectis Græc. & Lat. pag. 244. &c.

IN *illo tempore* erat quidam Presbyter *in magna Antiochia Syriæ*, nomine Sapricius. Erat autem quidam quoque alius, qui appellabatur quidem Nicephorus, erat vero ordine Laicus, & admodum germanus ami-

* *Pauculis ad attentionem conciliandam, aptiuſve connectendas periodos, interjectis*. Boll. Tomo 1, Jan. Præf. pag. 18. col. 1.

amicus ejuſdem Presbyteri: ſeque ambo ſic mutuo diligebant, ut exiſtimarentur eſſe fratres germani, nati ex uno utero; adeo ut eſſet excellens amor eorum mutuus. Cum autem longo tempore vixiſſent in hac affectione, bono & honeſto infeſtus & ſceleratiſſimus humani generis inimicus, eis invidens, talem inter eos peperit diſſenſionem; ut nec in platea vellent ſibi invicem occurrere, ex dæmoniaco odio, quod inter ſe invicem conceperant.

Cum ſatis vero longo tempore ita fuiſſent affecti, ad ſe rediens Nicephorus, & cognoſcens odium eſſe diabolicum; rogavit amicos quoſdam, ut irent ad Presbyterum Sapricium, & rogarent eum pro Nicephoro, ut ei culpam condonaret, & eum pœnitentia ductum acciperet *propter Dominum*. Ille autem noluit ei condonare. Is vero rurſus miſit alios amicos, ut ei reconciliaretur. Presbyter autem Sapricius nec eos quidem rogantes audire ſuſtinuit. Rurſus vero Nicephorus rogavit alios quoſdam amicos, & miſit ad ipſum, ut ei dignaretur ſui delicti veniam concedere: ut *convenienter divino eloquio* in ore duorum vel trium teſtium ſtaret omne verbum.

Ille autem cum eſſet duro corde atque implacabilis, & oblitus eſſet Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicit: Remittite & remittetur vobis, *& rurſus*; *Si offeras munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quod habes aliquid adverſus fratrem tuum, dimitte id, & vadens reconciliare fratri tuo*, & rurſus; niſi remiſeritis hominibus delicta eorum, nec pater veſter cœleſtis remittet vobis delicta veſtra; omnibus eum rogantibus & petentibus, non condonavit *fratri & amico ſuo*. *Non enim habebat in ſe Charitatem, & miſericordiam; quamobrem jure fuit privatus regno cœlorum*.

In primis autem pius & fidelis Nicephorus, eum vidit Sapricium deſpexiſſe communes amicos, qui pro eo petentes veniam non acceperunt, ipſe currens ad ædes Saprícii, ſe projicit ad pedes ejus, dicens: condona mihi Pater propter Dominum: Ille vero noluit ei reconciliari, ut amico, & maxime cum rogaretur: *& maxime* cum deberet, etiamſi non fuiſſet rogatus, a prima excuſatione eum accipere, ut Chriſtianus & Presbyter, & qui profeſſus erat ſervire Deo.

Cum autem hæc ſic fierent, repente exiſtit perſecutio & magna afflictio in Antiochia Civitate, ubi ambo habitabant, & apprehenditur Sapricius, *ut Chriſtianus*, & traditur Præſidi: & ſtetit ante ipſum, & dixit ei Præſes: Quod eſt nomen tuum? Ille autem dixit: Vocor Sapricius. Dicit Præſes: Cujuſdam es generis? Dixit Sapricius: ſum Chriſtianus. Præſes dixit: Es Clericus? Dixit Sapricius: locum teneo Presbyteri. Dicit Præſes: Auguſti noſtri & Domini hujus regionis, & finium Roma-

Digitized by Google

† Gallienus. norum, Valerianus & Gallus † juſſerunt, ut qui ſe dicunt eſſe Chriſtianos, ſacrificent Diis immortalibus. Si quis vero deſpiciens, reſpuit hoc Edictum, ſciat ſe diverſis tormentis & ſupplieiis plectendum, & ſic graviſſima morte eſſe condemnandum. Sapricius autem adſtans dixit Præſidi: Nos Chriſtiani, *o Præſes*, Chriſtum Deum habemus Regem; quoniam ipſe eſt ſolus verus Deus, & creator cœli & terræ & maris, & omnium, quæ ſunt in eis. Omnes vero Dii Gentium, Dæmonia; & pereant a facie univerſæ terræ, qui non poſſunt alicui opem ferre, aut aliquem lædere, aut impedire, cum ſint opera manuum hominum.

Tunc iratus Præſes, juſſit eum projici in Cochleam, jubens eum vehementer vexari. Cum is ergo adeo acerbe & inhumane torqueretur, dixit Sapricius Præſidi: carnis meæ habes poteſtatem; animæ autem meæ poteſtatem non habes, ſed Dominus Jeſu Chriſtus, qui eam creavit. Longo vero tempore tortus ſuſtinuit tormenta. Cum vidiſſet autem *improbus & malitioſus* Judex eum non perſuaderi, tulit in eum ſententiam, dicens; Sapricium Presbyterum, qui Edicta contemnit Imperatorum, & non paruit, nec Diis immortalibus voluit ſacrificare, ut qui a ſpe Chriſtianorum noluerit excidere; jubemus tradi ſupplicio capitis.

Cum ergo ipſe eſſet egreſſus, accepta Martyrii ſententia, & feſtinaret ad cœleſtem coronam; audiviſſet autem S. Nicephorus, currens proceſſit ei obviam, & ſe projicit ad pedes ejus, dicens: Martyr Chriſti ignoſce mihi, quoniam peccavi in te. Ille autem nihil ei reſpondit: *excæcatum enim fuerat cor ejus a malo Dæmone*. S. Nicephorus eum rurſus prævenit per aliam viam, & ei occurrit, priuſquam egrederetur e Civitate, & rogavit eum dicens: Martyr Chriſti condona mihi ea, quæ peccavi in te, ut homo. Ecce enim, data eſt tibi Corona a Chriſto, quem non negaſti ſed confeſſus es nomen ejus ſanctum coram multis teſtibus. Ille autem *durus & implacabilis*, odio cor habens excæcatum, neque ei dedit veniam, neque ei verbum voluit reſpondere; adeo ut ipſi Lictores dicerent S. Nicephoro: tam ſtultum hominem nunquam vidimus: Vadit ad ſupplicium capitis, & quomodo petis veniam ab eo, qui jam eſt moriturus? Dicit eis Sanctus Nicephorus: Neſcitis quid petam a Confeſſore Chriſti: Deus autem ſcit.

Et cum veniſſet ad locum, in quo erat interimendus Sapricius, rurſus ei dixit Nicephorus: *Rogo te Martyr Chriſti, ignoſce mihi, ſiquid peccavi, ut homo*: Scriptum eſt *enim*; petite & dabitur vobis. Sed eo hæc dicente, & quæ ſunt his ſimilia, non audivit ſævus & durus amicus, nec flexus eſt ſodalis aſperrimus, *nec fuit mollitus totus inflexibilis. Non enim audivit illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum. Sed* clauſit aures *cordis ſui & corporis*, ut aſpis

fur-

ſurda & clauda, quæ non exaudivit vocem incantantium. Propterea *qui perſonam non reſpicit*, & verax eſt Dominus qui dixit : ſi non remiſeritis hominibus delicta eorum, *neque Pater veſter cæleſtis remittet vobis delicta veſtra: & in qua menſura metieris fratri tuo, in ea remetietur tibi.*

Dominus cum vidiſſet eum nulla tangi proximi miſericordia, jure eum privavit Regno ſuo cœleſti : immo vero ille ſeipſum alienavit a gratia cœleſti, & ab æternis Dei bonis, propter injuriæ a fratre acceptæ recordationem : & maxime quod in germanum & veteremamicum fuiſſet animo crudeli immani & irreconciliabili. Tunc dicunt Lictores Sapricio : Flecte genua tua, ut caput tibi amputetur. Dicit autem eis Sapricius; Quare ? Dicunt ei Lictores : Quoniam noluiſti Diis ſacrificare, ſed contemſiſti Edictum Imperatorum propter hominem, qui dicitur Chriſtus. Hæc cum audiſſet miſer Sapricius, reſpondit Lictoribus *hanc miſeram & triſtem vocem* dicens: nolite me ferire: facio enim quæ juſſerunt Imperatores, & Diis ſacrifico. Sic eum excæcavit odium, & ab eo abduxit Dei gratiam. Qui enim per ejuſmodi tormenta non negavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cum veniſſet ad finem mortis, & eſſet accepturus præmium & coronam gloriæ *& ſpei*, negavit vitam æternam, & fuit apoſtata.

Hæc cum audiſſet S. Nicephorus, rogavit Sapricium *cum lacrymis* dicens : Noli, o frater, noli tranſgredi, & negare Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum : Noli omnino, rogo te, ab eo deficere, & perdere cœleſtem coronam, quam per multa acquiſiſti tormenta & afflictiones. Ille autem noluit eum omnino audire, ſed contendit abire ad interitum *& ad tenebras ultimæ mortis & ad ignem, qui non poteſt extingui.* Qui tanti pretii gloriam in momento unius horæ ictus gladii perdidit, revera fuit miſer, excæcatus ab odio.

Non enim audivit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, dicentem in Sancto Evangelio, ſi offeras munus tuum ad altare, & recorderis, quod frater tuus habet aliquid adverſus te; dimitte munus tuum ante altare, & vade primum, & reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Et rurſus Petro Principi Apoſtolorum, cum rogaſſet Dominum, Quoties, ſi peccaverit in me frater meus, dimittam ei ? Septies ? Reſpondit Dominus : Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Ille autem miſer ne ſemel quidem voluit condonare fratri ſuo, & maxime petenti veniam & roganti. Et Dominus quidem noſter & Deus juſſit ex animo condonare unicuique, & dimiſſo munere, quod Deo eſt offerendum, currere ad reconciliationem. Ille vero ne ſummis quidem labris condonavit ei, quem pœnitebat, nec in animum induxit, ut ei roganti remitteret, ſed clauſit viſcera ſua a fratre ſuo; propterea receſſit ab eo gratia divi-

divini & vivifici Spiritus, & perdidit *magnam pretioſam*, & glorioſam Coronam Martyrii. Quamobrem, o dilecti, nos quoque diligenter caveamus ab hac diabolica operatione odii, inquam, & injuriæ acceptæ recordatione; ut noſtrorum quoque peccatorum detur nobis remiſſio a Domino Jeſu Chriſto, convenienter ei quod dicitur: Dimitte nobis debita noſtra, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, fidelis eſt enim, qui promiſit.

Beatus autem Nicephorus, poſtquam vidit, tranſgreſſum eſſe Sapricium, *magna voce* dicit Lictoribus: Ego ſum Chriſtianus, & credo in Nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem iſte negavit. Me ergo jam pro ipſo ferite. Lictores vero non ſunt auſi eum ferire abſque juſſu Præſidis: mirati ſunt autem omnes, quod ſe ita ad mortem tradiderit. Libere enim dicebat: ſum Chriſtianus, & Diis veſtris non ſacrifico. Unus autem ex Lictoribus currens renunciavit Præſidi, dicens: Sapricius quidem pollicetur ſe Diis ſacrificaturum; eſt vero illic quidam alius, qui vult mori propter eum, qui dicitur Chriſtus, clamans & dicens libere: Chriſtianus ſum, & Diis veſtris non ſacrifico, nec obedio Edictis Imperatorum.

Poſtquam audivit Præſes, in eum tulit ſententiam, dicens: Si non ſacrificat Diis immortalibus, prout juſſerunt Imperatores, jubeo eum mori gladio: *Sapricium vero ſinite abire*. Tunc accipientes Sanctum Nicephorum, eum capite truncarunt, ut Præſes juſſerat *nono Menſis Februarii*, & ſic conſummatus fuit *in Chriſto* Sanctus Martyr Chriſti Nicephorus, & aſcendit in cœlos coronatus per fidem in Chriſtum, charitatemque, & humilitatem. Quoniam enim propenſus fuit ad charitatem & humilitatem, ideo fuit redimitus Corona Martyrii, & dignatus eſt referri in numerum Martyrum, ad laudem & gloriam magni Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria & potentia nunc & ſemper, & in Sæcula Sæculorum. Amen.

Habes Vitam S. Nicephori Martyris a Metaphraſte amplificatam, ex qua tuum erit, Lector, judicare, num tanti ſint ponderis additiones illæ, ut eruditos Criticos ad vehementer adeo exaggerandas Græci hujus Hiſtorici adulterationes cogere poſſent: cum tamen nullum hac S. Nicephori Hiſtoria aptius, quo illas magnificarent, exemplum repererint; immo difficillimum eſſet, eos aliud reperire, ut querelas ſuas aliqua adumbrarent ſpecie veritatis. Præterquamquod conferat, qui velit, Metaphraſticas Actorum iſtorum additiones, cum ea, quam accepimus a Bailleto hujus Sancti Vita; & plane cognoſcet, Criticum hunc, quamquam inſtitutum ſuſceperit Actorum Autographum incorrupte exſcribendi, adjuncta tamen ab eo aliena, neque Metaphraſticis leviora ipſi appoſuiſſe; ne plura ea recenſeam, quæ prætermiſit, aut ſede mutavit. Quæ cum dico, nolim

lim iccirco Bailleti in hac Hiſtoria conſilium reprehendi, ſive in aliis, in quibus idem præſtitit: cum ita ſe gerant, ut plurimum, quicumque his operam navant, & Patres ipſi non abſimiliter ſe geſſerint. Illud certe confici poteſt inde, hanc Metaphraſtis libertatem ſatis non eſſe, ut deſpicatui ducatur Autor hic, fide concidat apud omnes, in ore Litteratorum, ut calumniator & falſarius verſetur, *ad monſtra parienda a natura compoſitus, & iis omnibus fabulis licentior, quas pro Diis ſuis Græcia gentilis invexit*, cum in hanc quoque diem illuſtres Autores exiſtant, qui eadem ſibi licere arbitrantur.

ARTICULUS V.

De argumento, quod nanciſcimur ab Autoribus, qui Sanctis, quorum Hiſtoriam inſtruunt, ſæculo plus ſunt recentiores.

CUM Eccleſiaſtica Hiſtoria pene tota in Autorum teſtimonio ſit conſtituta; quo Scriptores de rebus teſtantur, aut parum aut longe ab illorum ætate remotis, eo majoris aut minoris momenti probationem ſuppeditant. Teſtis oculatus, vel contemporaneus audiendus ſane præ alio eſt; qui aliquibus duntaxat poſt factum, quod perſequitur, ſæculis floruit. Quo præjacto veluti fundamento, hanc ſuperſtruxerunt egregiam regulam Critici, noſtri quam Tillemontius edixit in Epiſtola ad Lamyum. „ Iis omnibus, quæ de temporum ſuorum moribus perhibent cum Græci cum Romani, fidem adjungimus: ſi vero ea nullis rationibus confirmata, prodant litteris, quæ non dixerim mille, ſed ducentis aut trecentis ante ipſos annis eveniſſe compertum eſt, fidem ipſis derogamus, præſertim Græcis, non ſecus ac Judæi, ad excogitandas & hauriendas fabulas mirifice factis. *Tome 2. art. 30. pag. 40. col. 1.* Hæc eadem ſenſa habet Bailletus. „ Elapſo, inquit, ſæculo ab alicujus Sancti Viri interitu, quod ad tertiam aut ad ſummum quartam progeniem protrahitur, conſuevi perſæpe, nullum quod attinet ad Vitæ Hiſtoriam, Scriptorem in medium producere, niſi ſi deſint alii propioris temporis & firmioris autoritatis. *Baill. in admon. pag. XIV.* „ Conſulamus ſuper his Sapientiſſimum Mabillonium. „ Cum neque Autores coævi, nec alii his unius aut duorum Sæculorum intervallo ſuccedentes, de re aliqua reticuerunt, de qua recentior nulla ductus autoritate teſtimonium dicit, nihil ipſi deferendum eſt: alias quibuſcunque errorum & mendaciorum generibus pateret aditus. *De Stud. Monaſt. p. 2. c. 8. pag. 233.* „ Launojus, qui ad

hane

hanc regulam veluti ad unum ex præcipuis Criticæ ſuæ fundamentis creberrime appellat, hujuſmodi tempus ad duo circiter ſæcula protendit, *Ducentorum plus minuſve annorum æſtimari poteſt*. Quam conjecturam tum Doctor hic, cum alii Critici hoc Cardinalis Baronii principio fulcivere. *Quod a recentiori autore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris autoritate profertur, contemnitur.*

Launojus de autor. negant. argum.

Hujus itaque pronunciati vi Tillemontius Macrobio non acquieſcit teſtanti, Herodis quoque filium in eorum numero fuiſſe, qui Regis illius imperio paullo poſt Jeſu Chriſti ortum trucidati ſunt. „ Scriptor inquit „ quinto ab eo eventu ſæculo florens, tantam non habet, ut rem adeo „ incredibilem perſuadeat, autoritatem. „ Eodem uſu effati Baronium carpit, quod monachum Alexandrum Sæculi V. Autorem in Vita S. Barnabæ laudaverit. „ Si quidem verum ſit, ait Tillemontius, Zenoniſtem„ poribus æqualem fuiſſe Monachum Alexandrum, leviſſimum profecto „ eſſet ipſius teſtimonium ad res ætatis Apoſtolicæ confirmandas. „ Alibi etiam, ubi de Maria Epheſi occumbente quæſtionem movet: „ Andreas „ Cretenſis, habet, Deiparam ſumma confectam ſenectute fuiſſe cenſet; „ verum VII. aut VIII. ſæculi Scriptor eſt, propterea rei adeo vetuſtæ „ probandæ minus ob ætatem idoneus. „ Sunt, qui Aponio credant aſſerenti, S. Juſtinum veneno ſublatum fuiſſe. Tillemontius, qui eum capite obtruncatum tradit, ab hac lege præſidium petit, ut Scriptoris illius autoritati fucum faciat. „ Ut Paucis rem tranſigam, inquit, Apo„ nius ſæculo ſeptimo labente clarus, is non eſt, qui nobis factum in„ gerat nullibi memoratum. „ Objicientibus Dupino, Autorem Quæſtionum, S. Juſtini nomen præferentium, ad Quæſtionem 74. reſpondentem, animadvertiſſe, S. Clementem Epiſtola ad Corinthios falſum eſſe, non in Prophetarum & Apoſtolorum duntaxat, verum in Sibyllarum etiam ſcriptis de mundi exitu, ſummoque Judicio fieri mentionem: reponit Doctor hic; illarum Quæſtionum Autorem, utpote Sæculi V., rerum, ut hæ ſunt, vetuſtiſſimarum teſtem non eſſe fide dignum. Eandem præſcriptionem frequenter adhibet Bailletus, cum placet ipſi factum aliquod reſpuere; totque locis ex ea agunt Launojus & Alexander, ut non vacet ſingula recenſere.

annot. 13. in Jeſ. Chriſt. pag. 456. col. 1.

annot. 3. in S. Barn. pag. 686. col. 2.

annot. 13. in S. Virg. pag. 491. col. 2.

Tomo 2. annot. 13. in S. Juſt. pag 701. col. 1.

Dupin. Reſp. ad Animadv. pag. 206. Gallice.

Baill. Tab. Crit. in Vita S. Nazarii pag. XLV.

Si itaque ſervanda eſt præſcriptio hæc Sapientum noſtrorum, quiſnam erit exitus magno Hiſtoriarum, & Geſtorum Sanctorum numero, quæ Scriptorum teſtimonio pendent pluribus poſterioribus ſæculis viventium quam quæ Litteris commendarunt; nec minus certa ſunt, aut magis credibilia, quam quæ retulimus ſuperius, nec tandem aliis Autoribus innituntur? Repudiandus itaque confeſtim erit, aut certe in dubium revocandus S. Zachæi Publicani Epiſcopatus, de quo aſſentiri S. Petro Cry-

annot. 25. in Jeſ. Chriſtum pag. 461. col. 1.

Cryſologo æquum duxit Tillemontius; licet rei hujus nullum ante ipſum veſtigium appareat, niſi ſi in Monumentis Apocryphis appareret. Ergo a Tillemontii Memoriis, & Bailleti Sanctorum Vitis delendum eſt, quidquid ex Actis Bollandi de S. Marco Evangeliſta nos docent; conſcripta nanque ſunt ab ignoti nominis Autore IV. aut V. ſæculi. Opus ipſum erratis, rebuſque fidem omnem, eodem Tillemontio teſte, ſuperantibus ſcatet; viſis & miraculis uberius, quam piis ad exemplum narrationibus redundat; atque de eo ambigitur, utrum facile perſuaſum erit omnibus, Chriſtum ſalutem Marco dicentem, eum *Evangeliſtam ſuum* nuncupaſſe. Exemplar item Latinum fert, Marcum, ubi in Alexandrinæ Urbis ingreſſu calceos ſuos confractos eſſe deprehendit; dixiſſe: *vere nunc iter meum expeditum eſt*. Hæc omnia ſatis fabulam olent: veruntamen ab egregio Opere iſto multa Critici, ad S. Marei Vitam ſpectantia, depromſerunt.

Tillem. tomo 2. pag. 97.
Baill. 25. April. pag. 648.
Tillem. tomo I annot. 1. in S. Marc. pag. 545 col. 1.

Intercrit etiam ab Eruditorum Operibus, qui partim ſuſtinent inter Epiſcopos Dionyſios cum Athenienſem tum Pariſienſem diſtinctionem, ea detrahere, quæ recitant de poſtremi hujus Geſtis; cum plurima illorum originem ducant a S. Dionyſii Vita per Boſquetium vulgata, quinto Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ libro, cujus Autor VII. aut VIII. Sæculi, eam, ut fatetur Tillemontius, citius publicis rumoribus tum de S. Dionyſio percrebeſcentibus, quam vetuſto aliquo exſtante Monumento, concinnavit: ſive ut loquitur Bailletus: Acta iſta vulgi tantum Traditionibus & fama compacta ſunt. Quorſum evadent, quæ colligunt Tillemontius & Bailletus de S. Timotheo, ejuſque præſertim interitu, pro quibus unus ſpondet obſcurus VI. Sæculi Scriptor? Ea denique, quotquot litteris conſignarunt S. Mariæ Magdalenæ iter Epheſum, & S. Mauricii & ſociorum Martyrium attingentia, eodem plane recidunt; nemo etenim præter S. Modeſtum VII. ſæculi Scriptorem, ſingularem aliquam Mariæ Magdalenæ notitiam nobis aperuit: Monachus vero, qui quadringentis ab illius obitu annis S. Mauricii Vitam texuit, in hominum ignoratione, æque ac ſponſores ejus, verſatur.

Tillem. tomo 4. art. 2. in S. Dionyſ. pag. 444.
Baill. Tab. Crit. 9. Octobr. pag. XX.
Tillem. Tomo 2. Art. de S. Timotheo pag 160.
Baill. 24. Ian. pag. 591.
Tillem. Tomo 2. art. de S Maria Magd. pag 31.
Baill. 22. Iulii pag. 643.
Tillem Tomo 4. art de S. Mauricio pag 421.
Baill 22. Sept. pag. 545.

Nonne autem, inquiet aliquis, Sapientes ſuper his ſatis dilucide conſilium ſuum enunciant: ſe illa uti legitimæ autoritatis, aut certæ veritatis monumenta minime habere, immo fateri, omnem ipſis non eſſe adjungendam fidem, ſed probabiles tantum, & alicujus cum vero ſimilitudinis Hiſtorias exiſtimandas: demum Autores illos, quamquam longo adeo temporum intervallo diſtent ab Hiſtoriis ſine ullo vade recitatis; potuiſſe tamen, ut videtur, eadem ex antiquis quibuſdam monumentis, quæ ceteros Scriptores laterent, mutuari?

De his omnibus nullo negotio conveniet, dummodo inter Criticos no-

ſtros conveniat id etiam, quod æquiſſimum eſt; eos ſcilicet, qui ex Macrobio, Monacho Alexandro, Andrea Cretenſi, & Apónio a nobis paullo ante commemorata indicarunt, non illa ut inconcuſſa, & exploratæ veritatis, ſed ut ſimilia vero, & probabilia prodidiſſe. Cur etenim minime licebit eodem, quo Critici noſtri, momento, aſſerere, non videri, Autores iſtos hujuſmodi facta cudiſſe, ſed ea a priſcis Monumentis, quæ in eorum manus inciderant, accepiſſe?

Perſpectum ſane eſt, præclaram hanc regulam Lydium veluti lapidem eſſe, quo diſcrimen fiat inter germanas Hiſtorias, multaſque Sanctorum Vitas, atque eas, quæ ſine ulla controverſia falſæ ſunt & ſuppoſititiæ, quæque citra teſtimonium a Sanctorum Hiſtoricis invehuntur fiducia tanta, perinde ac ſi ab oculatis & contemporaneis teſtibus ea didiciſſent, cum revera multis poſt ſæculis vixerint. Hic eſt omnium ferme, quas hujuſmodi Hiſtorici venditant, fabularum fons & origo. Sanctorum non paucis ante ſæculis defunctorum Vitam non quidem certis & antiquis monumentis, ſed confuſa populorum traditione deſcribunt, quæ cum infinitis ſemper narratiunculis permixta ſit, inde comparata nihil niſi puram *rapſodiam* conficiunt, in qua nullo pacto verum a mendaci poteris internoſcere. Quare hac lege non intercedente, omne fabularum genus aut perſuaderent nobis, aut animoſe ſaltem obtruderent.

Fatemur ultro, Hiſtoriæ alicujus veritatem ſatis incorrupte ad tertiam uſque vel quartam progeniem propagari poſſe: at deinceps ſive reipſa, ſive rei adjunctis facta ſubeunt mutationem; ut quodcumque non eodem, quo contigit, ævo ſcriptis mandatum erit ab ingenioſo & accurato viro, nonniſi ſumma animi proviſione amplectendum ſit, quantumvis fide præſtet Scriptor ille; dummodo optimos eorum, quæ narrat, vades non producat.

Hujus moniti doctrina Tillemontius & Bailletus ad dubia, vel falſa & Apocrypha amandarunt plura S.S. Acta, utpote communibus veritatis notis minime affecta, quæque alioqui ſponſores non habent, quorum fide indubitate admitti poſſint, ſive Scriptorum autoritatis vitio: ſive diuturniori, quod ab Hiſtoria illa effluxit, temporis ſpatio. Nunquam igitur, ut par eſt laudibus Sapientum Criticorum iſtorum intelligentiam celebrabimus, qua infras res minus audiendas ablegarunt, quæ feruntur de Sanctis Gervaſio & Protaſio, Celſo, Nazario, & Perpetua hujus Matre; de Sancto Auxibio in Inſula Cypro Soli Epiſcopo; de S.S. Apollinari, & Marco Atinate Epiſcopo in Campania felici; de S. Victorino fratre S. Severini Epiſcopi Neapolitani; de S. S. Syro, Pompejo, & Juvencio Epiſcopis Papienſibus; de S.S. Hyacintho, Eudoeia, Romulo, Sophia, Eleutherio, aliiſque Sanctis innumeris; tum quod mendis infectæ ſint

Hi-

Hiſtoriæ iſtæ, tum etiam quia ab Autoribus deſcendant, multis ab iſtorum Martyrum obitu ſæculis viventibus, neque monentibus, unde nam hauſerint ea, quæ in vulgus emittunt.

Non eſt porro mirum, hos Sanctorum nimium credulos, minuſque accuratos Hiſtoricos Opera ſua Sanctorum Vitis tanto poſt eorum interitum exaratis referſiſſe; illud profecto mirari ſubit; Bailletum, cum nimirum, qui Rempublicam Litterariam in ſpem induxerat fore, ut *elapſo ab alicujus Sancti interitu ſæculo, quod ad tertiam, aut ad ſummum quartam progeniem protrahitur, nullum plerumque quod attinet ad Vita Hiſtoriam Scriptorem in medium produceret*: hunc inquam maximum Vitarum Sanctorum numerum exhibere, quæ tribus, quatuor, pariterque quinque aut ſex poſt eorum mortem Sæculis collectæ ſunt. Vitas S.S. Cyri, & Joannis Martyrum a S. Sophronio deſumſit, qui eas trecentis, poſtquam affecti Martyrio ſunt, annis coegit: S. Antonini Abbatis, S. Mederici; S. Genebaldi Epiſcopi Laudunenſis; & S. Barontii Hæremitæ Geſta tribus item ſæculis, ac Sancti iſti, recentiora ſunt; alia Sanctæ Gudulæ trecentis quinquaginta annis. Acta Sancti Fridolini Abbatis quadringentos ab illius ſuprema die annos numerant, non ſecus atque Sancti Pauli Epiſcopi Legionis; Humberti; Maricolenſis, S. Amatoris; S. Theodartii; S. Maugilii Solitarii in Picardia; S. Adelmi Epiſcopi Schireburgenſis in Anglia, S. Bernoni Epiſcopi Miſnienſis in Saxonia; S. Juventii Epiſcopi Papienſis, & S. Deſibodii Abbatis. Acta Sanctæ *Lindrà* Virginis quingentis annis; S. *Diè* Epiſcopi Noviodunenſis ſexcentis; & S. Amabilis * Presbyteri Ricomagenſis octingentis annis poſteriora ſunt; ut plurima alia prætercam, quorum moleſta eſſet enumeratio. Qui omnes Scriptores plerumque neminem in teſtem appellant, unde ad nos ea derivaverint; atque Bailletus ipſe non diſſimulat, Vitæ S. Humberti Maricolenſis Autorem nullum, quo eam in tuto ponat, titulum producere; quamvis minorem trecentis annis ætatem ferat; æque ac Monachum, qui S. Maugilii Geſta coagmentavit, ea nonniſi ex Monaſterii ſui & vicinorum populorum traditione compoſuiſſe. Verum quidem eſt, hanc Legem contraxiſſe Bailletum, cum dixit: *plerumque ſe*

* Abbas Faydit ſecunda ad Turgotium Arverniæ Præfectum Epiſtola anno 1709. data, non vero edita, mordicus tuetur, Bailletum S. Amabilis Vitam die prima Novembris a MSS. decerpſiſſe, cujus autographum extat in Sacrario veteris Eccleſiæ Ricomagenſis. Hiſtoria hæc ab Autore 12, aut 13. Sæculi lucubrata fabulis undique corrupta eſt; ut cum narrat, radium Solis ipſius chirothecas; & pallium ſuffulſiſſe, quo veluti umbella, dum Romam pergeret, ad arcendum calorem utebatur; quo cum perveniſſet, ab Angelo unius Sanctarum Reliquiarum arculæ munere donatus eſt.

non productorum Autores elapſo ab interitu Sanctorum ſæculo; *niſi ſi deſint alii propioris temporis, & firmioris autoritatis*. Verum neque inter vulgares Sanctorum Hiſtoricos crediderim, multos repertum iri, qui, cum ſuppeterent ipſis ejuſdem temporis & firmiſſimæ autoritatis Scriptores, ad alios multo inferioris ævi confugerent.

Arnaldus Andilyacenſis, Boſquetius, Fleurius Commanvilleus, Choiſyus, Tilementius, Bailletus, P. ..... P. Mabillonius, &c.

Illud etiam tenemus, Autores de Vitis Sanctorum non prius hujuſmodi monumentis in collectionibus ſuis dediſſe locum, quam ex iis ea detraherent, quæ negotium faceſſere poterant: Mira præſertim & prodigia; † de iis ancipiti quadam ratione locutos fuiſſe, & non ſemel illorum falſitatem & minimam probabilitatem animadvertendo: proindeque cum tot per eos cauta & proviſa fuerint, putaſſe licere ſibi Opera ſua Hiſtoriis hujuſmodi amplificare.

† Id vocant Critici Vitas Sanctorum emendatiores præbere.

Aſt monumenta hæc plus ne gravitatis & ponderis conſecuta ſunt, ex quo ab iis detractum eſt, quod ſcrupulum aliquem; & ſervatum, quod pietatis ſenſum injicere poterat? ſi ita eſt, non videretur reprehendendus ille Sanctorum Hiſtoricus, qui emendationibus iiſdem adhibitis, quibus uſi ſunt Critici noſtri, Vitarum Sanctorum Collectionem a Metaphraſte & *Legenda Aurea* depromtam inſtitueret. Quot ne præſto ſunt apud Metaphraſten & Jacobum de Voragine Sanctorum Vitæ, quarum ſumma capita eadem & nonnunquam majori autoritate munita ſunt, ac illarum plurimæ, quas uſurpavimus ſuperius, atque in ſuis Operibus Critici collocarunt? Quamobrem ablatis ab Hiſtoricis Sanctorum iis, quibus non ſapit Criticorum noſtrorum palatus, evaderet inde Sanctorum Vita æque ferenda ac plures ab illis publici juris factæ; quamquam faſtidii delicatiſſimi videantur eſſe ſuper multis, quibus innituntur vulgares Hiſtorici, monumentis, eaque ſine ulla hæſitatione rejicianr. Quidquod plura ſuperſunt adhuc, quæ nobis hac de re ingerunt dubitationem?

Nunquid non metuendum eſt, ne Legi huic mordicus adhærentes; cogantur ab Autorum Eccleſiaſticorum Operibus delere, atque ad fabuloſa & Apocrypha relegare magnum factorum Hiſtoricorum numerum, quæ de Jeſu Chriſto, Sancta Virgine Maria, Beato Joſepho, aliiſque Viris Apoſtolicis Patres IV. aut V. Sæculi tradiderunt, de quibus cum in ſacris Litteris, tum apud alios II. & III. Sæculi Patres altiſſimum ſilentium eſt? Quod idem argumentum pro rata parte Scriptoribus VI. VII., & inſequentium ſæculorum quoad facta ducentis circiter annis vetuſtiora accommodari poteſt? Nuperi etenim Autores iſti, cum per ſemetipſos ea nequiverint, quæ duobus ante ſæculis contigerant, facta callere, neque ab antiquioribus Autoribus cognoverint; conſequens eſt, illa confinxiſſe, adeoque fallacia, aut ſaltem incerta fore.

Ce-

Ceterum quamvis Launojus, Tillemontius, Bailletus, Mabillonius, aliique eos omnes poſſent ſcopulos declinare, in quos ferri videtur ipſorum inſtitutum; eſſet adhuc, quam vinceret, difficultas: nimirum, ut conſilium ſuum aliorum Sapientum ſententiis conciliarent. Melchior Canus, & Dupinus Critices præcepta ad trutinam exigentes; quæ ex prudentiæ documento accuratiſſime tenenda ſunt, ut germanas Hiſtorias a narrationibus de induſtria compactis ſecernamus, præ aliis conſtituunt: aſpernandum eſſe, quidquid profert junior aliquis; quin priſci Scriptoris, aut rei æqualis, aut proximi teſtimonio roboretur. „ Thierius vero, Hadrianum Valeſium ſecutus, propugnat, veterum omnium Scriptorum ſilentium non poſſe in eventum aliquod ſuſpicionem conferre; ſi modo adverſus præcedentium Sæculorum ſilentium urgeat Autoris gravis, docti, accurati atque ingenioſi, quantumvis noviſſimi, teſtimonium. *Quando ipſius concluſioni vel unius gravis, docti, accurati & ingenioſi Scriptoris, quantumvis novitii, quantumvis neoterici, adverſabitur autoritas.*

Melch Canus de Locis l. 11. Dup. Tract. de Doctrina Criſtiana cap. 20. pag. 639. & 641.
Valeſius Diſcept. de Baſil. cap. 6.
Thierius Exercit. adv. Diſſert. Launoii de aut. negantis argumenti. c. 17. §. 1.

Poſtremum tandem objectum noſtrum eſt, nullam viam & rationem apparere nobis, qua claros hoſce Criticos non aliis modo, verum ne ſibi ipſis quidem conſtare faciamus. Si nanque oculos in Dupini Opera conjicias, quod aliis etiam commune eſſe poteſt, eidem Legi obtemperantibus, quot eorum facta obverſabuntur, quæ veritatis exploratæ hic Autor eſſe cenſet; tametſi eorum memoriam proſequantur ejuſmodi duntaxat Scriptores, ſub quorum profecto aſpectum non ceciderunt, neque edocti ab aliis ſunt, qui ab ipſis non longe admodum, immo ne ducentis quidem poſt annis vixiſſent? Nihilominus a vero non abhorret futurum, ut Critici noſtri præſtent hæc omnia; inter conſecutiones iſtas & præceptionis ſuæ uſum ineant ſocietatem; eam nullis adhibitis præcautionibus tueantur, neque ullam ſe propterea metuant Eccleſiæ maculam inurere: aut contra ad multas, quas populares nuncupant, Traditiones amplectendas compellantur. Niſi hæc clarius efferant, æqui & prudentes Viri in animum ſatis inducent, ut credant, egregiæ hujus regulæ uſum Rempublicam hactenus litterariam a pluribus vetuſtis Traditionibus eo uſque non vindicaſſe; ut omnis ſublatus ſit ad jus rurſus provocandi locus.

AR-

ARTICULUS VI.

Regula Criticæ de argumento, ab Autorum teſtimonio, quoad eorum intimas conditiones comparato.

UT de facto quopiam ex Autoris alicujus liqueat teſtimonio, non eſt ſatis Opus eſſe eitra omnem controverſiam genuinum, nec illi ſuppoſitum; immo neque narrantem Scriptorem eodem, ac Hiſtoria contigit, vel ſaltem viciniori tempore floruiſſe: illud etiam neceſſe eſt, ut quibuſdam emineat propriis virtutibus, quarum fulgore dignoſcamus, prudentis & limati judicii eſſe, ad ejus verba animum mentemque convertere. Cum vero & plurimæ ſint & invicem diſſimiles hujuſmodi conditiones, cum quod ad Scriptores, tum quod ad eventus allatos pertinet, operoſum eſſet maxime, unamquamque ſingillatim certis ponderibus examinare. Eapropter ſcita nonnulla & mandata Critica condiderunt Eruditi, quibus integerrimum Hiſtoricorum illorum, quos audire præſtat, ab iis, quos rejicere, diſcrimen inſtitueremus.

Melch. Canus. de Locis Theol. l. 11. c. 6. Dupin Tract. de Doctrin. Chriſtiana. c. 20.

Prima lex ex hominum probitate integritateque ſumetur. Quæ omnino res locum habet, cum quæ narrant Hiſtorici; ea vel ipſi ſe vidiſſe teſtantur, vel ab his, qui viderunt, accepiſſe. Quemadmodum etenim ſagaciſſime animadvertit Dupinus; ſi fabulis conflandis Autor ſit aſſuetus; atque in dubiis aut mendacibus narrationibus colligendis ſibi placet, cave ne fidem adjicias niſi iis, quæ alterius Scriptoris autoritate confirmat: *Mendaci etenim vera dicenti non creditur.* Quare moniti hujus præſcripto Sapientes poſtremorum Sæculorum Critici conſtanter explodunt, aut certe circumſpecto admodum judicio quamplurima Hiſtorica Geſta recipiunt, de quibus non alii, præterquam nonnulli, vel labentis Imperii, Autores Græci, aut quidam etiam Hiſtorici Latini aſſeverant.

Quo alteram regulam in ampliſſimo lumine ſtatuamus, duo factorum genera diſtinguenda ſunt; alia publica, atque omnibus perſpecta; alia peculiaria, & paucis, interdum etiam uni dutaxat nota. In priorum ſummis capitibus nequit fieri ut Autor aliquis offenderit, licet adjunctorum errore capi potuerit: & ſatis explorata eſſe videntur, cum ab Hiſtoricis aliis, qui ea perſpexerunt & cognoverunt, æqualibus recitantur. Secundi generis facta ab ingenua vel eorum qui tradunt, vel eorum, qui dedicerunt, fide pendent.

Tertiæ admonitionis loco ſit, oportere eum, qui fidem promereatur Hi-

Hiſtoricum ab omni cupiditatis & partium ſtudio remotum eſſe. Cui nanque amor, aut odium, affectiones, aut commodum ſenſa in ore ponunt, is ad res exaggerandas, & ſive in bonam ſive in malam partem, ut animus tulerit, vertendas propendet. Æſtus etiam diſputationis eum non ſemel abripit extra rem.

Præcipiunt quarto: illud factum omnes veritatis notas habere, quod memorant tanquam certum plures ejuſdem ætatis Scriptores; non item illud, quod probant aliqui, improbant alii. Expedit tum alterutrum ſeligere, vel Teſtium conditione, atque in illius ſententiam concedere, qui fertur paſſim rerum illarum inſtructiſſimus, vel Temporum illorum Hiſtoria, cujus ratio factum illud vero magis minuſve ſimile demonſtrat.

Lex vero (poſtrema) *in Hiſtoriæ judicio ſanciatur; ut eos Hiſtoricos* (nimium credulis, & audita omnia ſine delectu colligentibus) *anteferamus, qui ingenii ſeveritati quandam prudentiam adjunxerunt ad eligendum & ad judicandum.* *Meloch. Canus ibidem.*

Ad probum Hiſtoricum informandum tria poſtulat Bailletus: ſinceritatem, diligentiam, & cujuſcunque utilitatis oblivionem. At trium iſtarum virtutum nexus, quas animi affectiones appellat Criticus hic, non eſt æque Hiſtoricis omnibus communis, atque eſt neceſſarius. „ Autores, inquit, rerum calentiſſimi, non ſemper fuerunt item integerrimi. Argumento ſunt in Actorum S. S. Collectionibus non paucæ illorum Vitæ ab amicis, parentibus, diſcipulis, Magiſtris, inſtitutoribus, immo a Sacris Confeſſionibus, aliiſque ipſis contemporaneis exaratæ: qui univerſi luculentius quidem quam extranei ipſorum Geſtis imbuti ſunt, at omnes, ſi id vel animo verſare licet, propter eaſdem, quæ illos Sanctis copulabant, veritatemque propius aperiebant, narrationes, ſuſpicione aliqua laborantes. Aliunde, pergit dicere, Scriptores integerrimi non ſemper ſunt rerum calentiſſimi, aut accuratiſſimi, aut prudentiſſimi, aut perſpicaciſſimi. Omnia quandoque videntur ad eos decipiendos conſentire, vel ipſa ad cavendas hallucinationes inſtrumenta parata, & aptiores miniſtri. Teſtes, tempora, iidem ipſi oculi primi aliquando ſunt, quibus in errorem inducantur, deceptores. „ Hiſtorici demum, qui integritate & accuratione pollent, non ſemper ſunt ab ſtudio partium ſatis alieni ob diverſas relationes, ſtatum, regiones, aliaſque cauſſas, quæ maximo ſolent eſſe veritati Hiſtoricæ impedimento. *Baill. Orat. de Hiſt. Vit. Sanct. art. LXIX.*

Si porro Hiſtorici nonnulli inſcitia, aut errore, aut prava animi affectione in deteriorem uſum, Sanctarum veritatis Legum detrimento, ea commoda converterunt, quæ ipſis comparabant parentum, amicorum

rum, diſcipulorum, æqualium, aliæque ſimiles conditiones; piaculum eſt nunquam ſatis vituperandum, adeoque nulla ratione imitandum.

ARTICULUS VII.

De Teſtimonio a Codicibus MSS. petito.

Opera Typis edita haud raro facta præſeferunt, MSS. Codicibus non admodum reſpondentia; ſive quod iis, qui ea in publicam lucem emiſerunt, incorrupta exemplaria deeſſent, ſive quod eadem ipſa per ſeſe corrumperent. Propterea ad Autographa ſæpius ſe conferunt Critici, ut impreſſa volumina redintegrent, rebuſque plurimis afferant claritatem. * Qua de re gratum ipſis animum profitemur, neque infeiari volumus, eos excellenti labore iſto multa Veterum Scriptorum loca ad priſtinam integritatem revocaſſe. Porro ſi exquiſitiſſimas hauriunt cognitiones, qui ad rerum fontes aſcendunt, & conſulunt MSS., non negamus etiam, frequentiorem eſſe & juſtiorem, quam adhibeant, Critici noſtri reſponſionem; cum aliquis ipſis Antiquorum locus objicitur, aut cujuſdam Operis veritas controvertitur, rem ad MSS. deferre. Quod multifariam efficiunt.

Primo: cum integer Tractatus, vel unicus illius contextus abeſt a MSS. & ſolum in editis codicibus legitur; putant Critici juris eſſe, Tractatum aut locum illum, veluti adulterinum expungere. Hinc Dupinus *Dupin. Tomo 1, pag. 519.* Opuſculorum falſo tributorum S. Cypriano accenſet numero Tractationem *adverſus ſpectacula*, & Librum *de Pudicitia*; quoniam hæc monu-

* Sapientes Viri paullatim in eam opinionem deſcendebant, quæ *Quæſtiones in Vetus & Novum Teſtamentum* tribuit Hilario Diacono temporibus Papæ Damaſi viventi, origine Sardo, & Secta Luciferiano. *Dupin. Biblioth. Tomo 3. pag. 609. Cave Hiſt. Litt. ad annum 354. pag. 136. col. 2.* Cum autem Quæſtiones 44., & 115., quæ huic ſententiæ fundamenta ponunt, conjecturaſque de Scriptoris ætate & Patria ſuppeditant, non reperiantur niſi in quibuſdam MSS. quæ 127. Quæſtiones duntaxat complectuntur, in aliis vero deſint, quæ 151. continent, relictus eſt conjiciendi locus, hanc Quæſtionum collectionem non ab eodem Autore proficiſci, ſed acervum quendam anonymorum Opuſculorum eſſe, quæ ſub Auguſtini nomine venditata ſunt. Tomo 3. nov. Edit. S. Aug. Præf. 1 part. Ephem. Sap. 26. Aug. 1680. Adjumento etiam quinque aut ſex bonorum MSS., & ſuffragantibus firmiſſimis conjecturis perſpectum habuerunt Eruditi, hunc S. Leonis de Jejunio Quadrageſimæ ſenſum: *Secunda igitur, & quarta, & Sexta feria jejunemus; ſabbatho autem apud B. Petrum Apoſtolum Vigilias celebremus*, hunc inquam ſenſum Sancti hujus Pontificis non eſſe, ut animadverſum eſt a P. Queſnello in ejus Editione 1676.

men-

menta ſufficiunt Typis vulgata exemplaria, manu vero deſcripta non exhibent.

Præſidium quoque comparat ſibi a MSS. Tillemontius, ubi intendit animo conficere Polycratis ab Euſebio relati teſtimonio S. Philippum Apoſtolum filias habuiſſe; eorumque opinionem refutare, qui eas S. Philippo Diacono adjudicant. Hac ratione ductus animadvertit, aperte Valeſium edicere, nullo in MSS. legi aliter, quam *Unum ex duodecim Apoſtolis*. *annot. 4. in S. Philipp. pag. 646. col. 2.*

Etſi id certum exploratumque ſit, Opus aliquod non eſſe illius Autoris fœtum, in cujus MSS. omnino non recipitur; idem tamen non eſt conſequens de quadam contextus ſejuncta particula, quæ libri alicujus partem efficere poteſt, quin in omnibus univerſe MSS. veteribus exſtet. In quibuſvis Græcorum noſtri Temporis Lectionaris, Α'ποςόλος * dictis, atque in Latinis Exemplaribus habentur hæc verba: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*. *Joannis c.5.v.7*

„ Sancti Patres, qui graves adeo concertationes cum Arrianis injecerunt, nunquam, ait Simonius, loci hujus ** autoritate ſunt uſi, qui „ tamen erat ad eos coarguendos accommodatiſſimus: immo difficillimum „ eſt, addit, apud Græcos MSS. exemplaria indicare, in quibus depre„ hendatur. *** Quantumvis, ſubdit, Bibliothecas Regiam & Col„ bertianam diligentiſſime ſcrutatus ſim, quæ quidem optimis Codici„ bus manu exaratis conſpicuæ ſunt, nunquam in exemplum aliquod in„ curri, in quo locus hic comprehenderetur. In Regis Bibliotheca Se„ ptem eorum volutavi, quorum aliqua Scholiis aucta ſunt: nullus ta„ men Scholiaſtes de illo verbum fecit. Quinque pariter Colbertianæ Bi- *Hiſt. Crit. N. Teſt. c. 18. pag. 203.*

* Hoc ſortitus eſt nomen liber hic, quod nimirum ipſius Lectiones ab Epiſtolis Canonicis Apoſtolorum, præſertim D. Pauli, hauriantur. Cum initiatur Sacris Lectorem aliquem, in ejus manibus Epiſcopus deponit τὸν Α'ποςόλον.

** Verſiculi hujus meminit S. Cyprianus. Eundem in quadam Fidei Profeſſione citant quadringenti Epiſcopi, Catholici V. Sæculi, qui eam adverſus Arrianos ediderunt, & recitatur a Victore de Vite in Libro de Perſecutione Vandalica: Uſurpat S. Fulgentius tribus diverſis Operibus in Arrianos confectis; Vigilius Tapſenſis; Autor Præfationis in Epiſtolas Canonicas S. Hieronymo tributæ; Falſæ Decretales, & quidam 8. Sæculi Autor. *Scriptor Ed. 1. N. Teſt. cum adnot. Hiſt. & Crit. 2. Vol. 24. 1703.*

*** Idem hic Editionis novi Teſtamenti Autor obſervat eodem loco, non pauca Græca exemplaria his Sancti Joannis verbis non carere. 1. MS. Anglicum vetuſtiſſimum, quod adhibuit Eraſmus: 2. cuncta, quæ Cardinalis Ximenius ad Polyglottam edendam in deliberationem vocavit: 3. novem ex ſexdecim, quibus uſus eſt Robertus Stephanus: 4. illud etiam quod uſus attulit Grotio. Non negandum tamen, in Syriaca & Arabica Verſione deficere.

„ bliothecæ inveſtigavi eodem exitu : itemque alia plura . „ Illi ipſi, qui Urbano VIII. Pontifice Novum Teſtamentum Græcum inſtaurarunt, ſe nullibi profitentur ſenſa illa conſpexiſſe: * nihilominus ſolidis ductos momentis ea in S. Joannis contextu ſervare operæ pretium exiſtimaſſe.

Omnibus probatum & acceptum eſt , quoties unum vel duo exemplaria MSS. caput aliquod efferunt diſſimiliter a multis aliis inter ſe conſentientibus , eam Lectionem , ut plurimum , anteferendam eſſe , quam plura MSS. confirmant, aliamque unico fultam MSS. deferendam. Hinc fit , ut celeberrimum Novi Teſtamenti Græco-Latinum exemplum , quod Cantabrigiæ aſſervatur , & *Bezæ exemplar* ** vulgo dicitur , innumeras pene Lectiones continet , quæ a Sapientibus Viris Criticis repudiantur : v. gr., quæ de Jeſu Chriſti perhibet Genealogia , cum non eodem , atque in aliis MSS. , ordine digeſta ſit . *** Quanta demumcunque veritate munita ſit hujuſmodi lex , non video, utrum , ei parentes Docti Critici noſtri, S. Saturnini Epiſcopi Toloſani Acta ſarta tecta defenderent , quæ ipſi invictiſſimum argumentum ſufficiunt, ut adventum Septem Epiſcoporum in Gallias ad Decium uſque retrahant , *quod* per Tillemontium *unum eſt ex graviſſimis Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ capitibus*.

Intereſt itaque ſcire , horum ne Actorum Scriptor ea quinquaginta poſt S. Saturnini Martyrium annis confecerit: ſi nanque medio circiter V. Sæ-

* Critici , qui Operi huic inſudarunt, eruditiſſimi , evolutis octo Græcis ſcriptis Codicibus , in illis verba iſta non invenerunt : Verumtamen in rem eſſe arbitrati ſunt , ea non omittere ; quod crediderint , S. Cyprianum ante Arianiſmi ſemina prima , & S. Athanaſium , hac Hæreſi dominante , eadem , qua illa deſcribunt vulgata , & pleræque Editiones , ratione legiſſe . *Iccirco* , ajunt , *verſus integer in textu Græco relictus eſt , juxta veritatem Vulgatæ Editionis , & impreſſos etiam Codices Græcos* . Simonins ibidem .

** Vetuſtum hoc MSS. , quod Evangelia & Apoſtolorum Acta comprehendit, prior eſt alterius Codicis pars, qui cunctas S. Pauli Epiſtolas continet , atque habetur in Regia Bibliotheca . Ambo æquales ſunt cum voluminis forma , tum altitudine & latitudine paginarum , tum denique caracterum conformatione . Idem Cantabrigienſe MS. a Latino quopiam ad vetuſtioris exemplum exaratum eſt , atque in eo majoris perfectionis obtentu addita multa non levia ſunt . Simon. Epiſt. Crit. Tomo 2. Ep. 26. Inventum fuit in quodam Monaſterio Lugdunenſi *Quatuor Evangeliorum , & Actorum Apoſtolicorum Græco-Latinum exemplar ex S. Irenæi Cænobio Lugdunenſi ante aliquot annos nactus &c.* Beza Epiſtola ad Acad. Cantabrig.

*** Apud S. Lucam cap. 3. Domini noſtri Genealogia eodem texitur ordine , quo in aliis Græcis & Latinis exemplaribus ; videlicet aſcendendo. Verum in MS. Cantabrigienſi iidem, qui apud Matthæum deſcendunt a Davide uſque ad Joſephum , apud Lucam aſcendunt a Joſepho uſque ds Davidem . Aliud magis peculiare præſtitit hujus MSS. Autor: nimirum , cum Matthæus tres Reges Ochoſiam , Joas, & Amaſiam prætererit , hos a Regum Libris decerptos , aliis in S. Luca interpoſuit , aſcendentium ſerie ; pluraque alia mutavit . Arn. Diſſert. Crit de MSS. Græcis, & de Bezæ exemplari. Simonius Hiſt. Crit. Novi Teſt. c. 30.

culo

culo tantum collecta ſunt, aut fortaſſe ſerius, id eorum autoritati non mediocriter noceret. Theodoricus Ruinartius octo diverſa S. Saturnini MSS. in medium profert, quorum unum monet, Autorem quinquaginta ab obitu S. Saturnini annis vixiſſe; *ante annos L. ſicut Actis publicis &c.*, reliqua vero ſeptem habent *ante annos ſatis plurimos*, vel, ante annos plures; quod apertiſſimo indicio eſt, Bailleto quoque & Tillemontio teſtibus, hæc nimirum Acta pluſquam quinquaginta annorum ætatem tuliſſe. Quare ſecundum legem proxime rogatam, Septem MSS. Actorum tempus ultra annos quinquaginta producentia majoris longe momenti ſunt, quam unicum, Autoris hujus Epocham quinquageſimo Mortis S. illius Martyris anno deſignans. *Acta ſelecta pag. 10.*

Non abſimiliter argumentari poſſumus de Translatione S. Saturnini, quæ in S. Exuperii Epiſcopi Toloſani tempora incidit; afferentes, ab eodem Actorum Scriptore lucubratam fuiſſe. Sex etenim MSS., nullo interjecto ſpatio, Translationis Hiſtoriam Actis adnectunt; unicum vero quandam apponit concluſionis formulam hoc pacto; *Gratias Deo omnipotenti &c.* quæ tamen non ſignificat, cetera perfecto Operi acceſſiſſe, neque poſſe continentem Orationem efficere. * Aliud tandem ſolum, poſtquam de Sancti Viri Sepultura Sermo habitus eſt, præfigit tituli loco: *De ejus Translatione*, adnotandi gratia, quæ conſequuntur deinceps, Actorum eſſe additamentum. Prudentis Lectoris ſit judicium ferre, anne Septem MSS., in quibus Actis ſtatim connectitur Translatio, tanti non ſint, ut nobis fidem faciant, Acta & Translationis Hiſtoriam ab eodem proficiſci? quod ſane nihil affert commodi legitimæ Actorum iſtorum veritati; ſi nanque Autor quinquaginta poſt S. Saturninum claruit annis, qui Translationem ejus litteris mandare potuit; cum ducentis circiter annis poſterior ſit?

Tertia quod attinet ad teſtimonium a MSS. petitum Critices regula videtur eſſe Doctoribus iſtis Litteratiſſimis: ſi tria vel quatuor ſuppetant MSS., quæ Tractatus aut loci alicujus meminerint, de quibus in pluribus aliis Operum illius Auctoris Codicibus deſcriptis veſtigium nullum apparet; Tractatum vel locum illum ſuppoſititium aut ſuſpicioſiſſimum eſſe judicandum. Hoc conſtituto principio, Tillemontius ab Euſebii mente recedit, qui in Cronico Antiochenum S. Petri Epiſcopatum anno Jeſu Chri- *adnot. 15. in S. Petrum pag. 545. col. 1.*

* Pluribus id Epiſtolarum S. Pauli exemplis roboratur: uti cap. 15. Epiſtolæ ad Romanos, in quo quædam abſolvendi ſermonis nota eſt: capite item 3. ad Epheſios his verbis: *Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſæculi Sæculorum. Amen.* Tum alia conſpicitur in exitu primæ partis Epiſtolæ S. Polycarpi. Porro extra omnem diſceptationem eſt, cetera, quæ has concludendi rationes deinceps ſequuntur, ad ea, quæ antecedunt, pertinere, eorumque continuationem eſſe.

ſti 37. Tiberii poſtremo, collocat: cauſſatus, quamplurima MSS. facti hujus nullum verbum facere: licet nonnulla illius memoriam Tiberii Mortis anno proſequantur,

Enim vero hac condita Lege, quid pronunciandum de Epiſtola 67. Sancti Cypriani in Marcianum Arelatenſem? Tillemontius, Dupinus, Alexander, aliique magnifice quidem jactabant eam ſine ulla controverſia ab hoc Sancto Epiſcopo partam fuiſſe, quod ipſius dictionem & cogitandi modum redoleat, quandiu autem MSS. argumentum excutietur, Lexque, de qua in præſens, præ oculis habebitur, quamquam Epiſtolam hanc non reſpuant tria vetuſta exemplaria, quod poſt Rigaltium obſervavit Dupinus, tandiu tamen vitioſi monumenti famam obtinebit; cum Launojo aſſerente, fruſtra in antiquis & excellentiſſimis MSS. requiratur; quemadmodum in Vaticano, in Regiæ Bibliothecæ codice, & ſecundum Anglicam Editionem in amplius viginti.

Ad hæc, ex Regulæ iſtius præſcripto ſubducendi ab Evangelio Marci, tanquam adulterini, eſſent duodecim poſtremi verſiculi, quibus carent multa exemplaria Græca MSS.* Hieronymus certe, apud quem magnus horum numerus exſtabat, aſſeverat, pauciſſima ætate ſua in promtu fuiſſe exemplaria Græca, in quibus hi locum haberent, omnia ferme vero eos abjeciſſe: *Hoc Marci teſtimonium in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris pene hoc Capitulum non habentibus.*

Hieron. Ep. ad Hedib. q. 3.

Idem dicendum eſſet de aliis duodecim verſiculis, quorum ambitu mulieris adulteræ Hiſtoria continetur, & incipiunt ſub finem Capitis 7. verſ. 53., definuntque in verſ. 11. inſequentis capitis Evangelii S. Joannis. Declarat nanque Maldonatus. ** qui horum Voluminum deſcriptorum multos Græcos viderat Codices, in uno duntaxat eam deprehendiſſe. *Conſului veteres Græcorum codices multos, nullus ex Manuſcriptis habebat, præter unum.* ***

Comment. in 8. Joannis.

Monitum quartum eſſe poſſet: quoties locus cujuſdam Autoris aliquis

* Tametſi caput hoc in Græcis Codicibus deeſſet, illud nihilominus exemplaria Latina, Arabica Syriaca, & D. Iræneus complexi ſunt.

** *Non habebat antiquiſſimus ille Vaticani codex, quem ſæpe nominavimus, non Græca Catena, in qua cum tres & viginti Autores ſint, nemo ejus meminit. Habemus Græcos impreſſos multos, Origenem, Clementem Alexandrinum, Chryſoſtomum, Nonnum, Theophylactum; nemo eorum legit, cum Chryſoſtomus & Theophylactus ſcripſerint in totum Joannem.* Addit Maldonatus idem inter omnes, qui S. Joannem commentationibus ſuis illuſtrarunt, unum fuiſſe Euthymium, qui hanc mulieris adulteræ Hiſtoriam explanaverit. Fatetur demum emendatiora eam MSS. non ſuſcipere.

*** Eſto Hiſtoria hæc in Verſione Syriaca, atque in pluribus Græcis & Latinis exemplaribus deſideretur; nihil ſecius eam admittit Eccleſia, citant Ammonius & Tatianus Origene vetuſtiores; atque in antiqua latina Editione, uti ab Hieronymo monemur, ſedem ſuam habebat.

abeſt

abeſt a decem MSS., atque ab aliis totidem ad candem omnino amuſſim redactis recipitur, utramque ſententiam, cum eorum, qui decem exhibentium MSS. fide ab eo ſtant, tum eorum, qui decem aliorum expungentium teſtimonio adverſus illum pugnant, eoſdem probabilitatis numeros habere, atque utrinque tueri poſſe. Quapropter dum ejus judicium ad MSS. delatum erit, interea neuter factum eo loco recitatum certi aut incerti, veri aut falſi cenſura inurere poterit; cum utriuſque partis exempla ſatis eam probabilem efficiant. Hoc pronunciato intercedente, quod ineluctabile videtur futurum Sapientum etiam ſuffragio, conſtat Reſurrectionem Corporis Sanctiſſimæ Virginis eandem veritatis ſpeciem habere, quam refragantem opinionem; ſi modo ad Euſebii MSS. attendamus. Baronius ajentem partem ſuſtinet hoc Euſebii dicto: *Ad Filium in Cælum aſſumitur*, quibus verbis videtur Euſebius, Tillemontii ipſius confeſſione, Virginem e mortuis excitatam indicare voluiſſe. Idem non diſſimulat, ſenſum illum in veteribus Euſebii Editionibus reperiri, quamvis recentes eum non præſeferant; atque in plurimis MSS. exaratum eſſe: ita ut pari MSS. numero huic Euſebii contextui tum favente tum nocente, qui voluerit hoc momentorum genus in rem iſtam adhibere, iiſdem ponderibus probabiles inveniat ambas de Virginis Reſurrectione ſententias. *annot. 13. in S. Virg. pag. 49. col. 2.*

Non abſimiliter de S. Creſcentis in Gallias itinere diſputato. S. Paulus, data anno 65. altera ad Thimotheum Epiſtola, cum inter cetera certiorem facit: S. Creſcentium iviſſe εἰς Γαλατίαν. Qui propugnant S. Creſcentem Gallias petiiſſe, exponunt, Euſebii mentem eſſe S. Paulum eo loci ſignificare intendiſſe, ſe in Gallias Creſcentem ablegaſſe εἰς τὰς Γαλλίας, non autem εἰς Γαλατίαν. Qui vero contra ſentiunt, numquam Pauli juſſu illuc migraſſe S. Creſcentem, communi fidunt reſponſo: videlicet multa legi MSS., quæ Galatiam Aſiæ minoris Provinciam, non Gallias oſtendunt: at alia non deſunt, quæ Gallias ſcripſerint non Galatiam. Quamobrem MSS. autoritatem æqua lance ſuſpendentibus utraque opinio æque probabilis erit: quidquid demum plerique Critici urgeant, qui facto huic, non ſecus atque antecedenti, nolunt aſſentiri.

Commodum etiam erit definire quinto: eo eſſe firmius MSS. teſtimonium, quo illa ſunt vetuſtiora. Scitum hoc Theodorico Ruinartio perſuaſit, ut decerneret, Autorem Actorum S. Saturnini quinquageſimum ab Epiſcopi hujus interitu annum non exceſſiſſe, fidem habens cuidam MSS., quod *Codicem Foſſat* nuncupavit, & nongentorum annorum fere ætatem; adeoque ſeptem aliis aliquanto minus antiquis anteferendum. Atqui non admodum tuta videtur eſſe regula iſta; propterea quod MSS. Cantabrigienſe, quod ante S. Hieronymi tempora creditur fuiſſe confectum; & MS. Verſionis Græcæ Bibliorum, quod in Vaticano ſervatur, immo

immo etiam Alexandrinum *, quæ Cantabrigienſe, ceteriſque, quæ ſuperſunt Scripturarum Manuſcriptis Vetuſtiora cenſentur: tria, inquam, hæc exemplaria mendis & additionibus redundant, & multo minus, quam alia recentiora ſunt emendata. Quibus inductus eſt Simonius, ut diceret, non ideo accuratiora exiſtimanda eſſe Vulgatæ MSS., quia vetuſtiora. Nihilominus hæc eadem regula nobis genuina proponit Acta S. Eudociæ Samaritanæ (quam perhibent a perdito & profligato vivendi genere ad aſperrimum & pœnitens traductam ſanguinem tandem pro Chriſto fudiſſe Trajano Imperatore Heliopolis in Phœnicia.) quantumvis ea, veluti corruptum monumentum, rejiciat Tilllemontius; quandoquidem, Bollando Autore, deſcendit Hiſtoria iſta ex Vaticano MSS. mille amplius annorum antiquiſſimo.

Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 1. cap. 19. pag. 111. col. 2.

Tomo 1. annot. 9. in Trajanum pag. 615. col. 2.

Poſtremam pono ad MSS. diſciplinam inſtitutionem; cavere, ne ſemper conſtantiſſimum facti alicujus veritatis argumentum habeamus, illud in multis, immo in omnibus MSS. Codicibus reperiri. Aliquando etenim uſque eo poſſumus aſſequi conjecturis, ut illis MSS. ipſa de autoritate concedant. Propterea contendit Dupinus, Privilegium quoddam, quod autumant latum de Xenodochio Auguſtodunenſis Eccleſiæ, extructo ſumptibus Reginæ Brunechildis, & Siagrii ejuſdem Urbis Epiſcopi, mendax & ſuppoſiticium eſſe: licet in S. Gregorii Epiſtolarum libro undecimo numerum venerit, & in nullo MSS. omnium deficiat: id autem, inquit peritus Criticus, quia graviſſimæ ſuppetunt rationes, cur Privilegium hujuſmodi non audiamus.

Dupinus Tomo 1. pag. 300.

Tametſi Critici ſapientes ſibi blandiantur, præſtare ſe magnopere Autoribus illis, qui hoc Litteraturæ genus minimæ excoluerunt; noſque creberrime ad veterum MSS. fidem provocent, cum ut id, quod in medium adducunt, tueantur; cum ut illud, quod objectum ipſis eſt, de medio tollant: non poſſumus tamen, quin dolore ſimul & admiratione quadam animadvertamus quot tam demum efferant modis diſſimilibus opiniones ſuas, eum MSS. Codicum premuntur teſtimonio.

Hæc mira varietas prodit primum annotatione quadam in D. Andream, ubi Tillemontius nititur oſtendere Actorum Sancti hujus Apoſtoli ſalſita-

Tomo 1. annot. 2. in D. Andream pag. 622. col. 2.

* MSS. Alexandrinum elaboratum fuit ad tempus prioris Concilii Nicæni a fœmina Ægyptia Thecla nomine. Cyrillus Lucarius ex Alexandrino Conſtantinopolitanus Patriarcha illud Alexandria detulit. Anglico Nuncio venditum eſt, qui Regi ſuo Carolo I. dono dedit. Sunt qui conjiciant, MSS. hoc non tam eſſe vetuſtum, quam vulgo fertur. Lelongus Oratorii Presbyter Biblioth. ſacra p. 1. c. 3. Teſtis eſt Dupinus, [Diſſert. Prælim. in Bibl. Tomo 1. cap. 6. pag. 633. Gall.] illud nihilo eſſe duobus aliis emendatius. Quamquam autem plurimi fiat priſcus hic Codex, longe eſt tamen Vaticano inferior, qui ſimplicior cum ſit, diligentius vetera exemplaria Græca Verſionis Septuaginta refert. Sim. Bibl. Crit. Tomo 1. c. 19. pag. 280.

tem;

tem; quod ſcilicet formula Græca ibidem ſonans. *Spiritum Sanctum procedere a Patre, & manere in Filio*; primis Eccleſiæ temporibus conſentanea non ſit. Baronius Actorum iſtorum propugnator animadvertit, ea verba in veteribus exemplaribus non apparere; a qua reſponſione habeto qui ſeſe expediat Tillemontius. „ Si commodum fuit Græcis illa „ Autographo adjungere, percommodum fuit etiam Latinis eadem detra„ here. „ Non diſſimili utitur reſponſo Dupinus. „ Novi, ait, eos eſ„ ſe, qui putent, voces illas a MSS. quibuſdam abeſſe; at poſitum eſt „ in ancipiti, utrum citius ab aliquibus deletæ ſint, an vero aliis additæ. „ *Tomo 1. pag. 52.*

Alia incedit via P. Alexander, quo MSS. teſtimonium eludat. In eo laboravit Eruditus hic Dominici alumnus, ut autoritate Epiſtolæ 67. S. Cypriani ad Stephanum Pontificem miſſæ conficeret, Fidem Chriſtianam in Gallias ante Sæculum tertium prædicatam fuiſſe. Reſpondet Launojus Cypriano mendoſe aſcribi Epiſtolam hanc, quæ in optimis Epiſtolarum Patris hujus MSS. non recenſetur. Cui Alexander *Certe ſi alicuius ponderis eſt hæc præſcribendi ratio, ſequitur, multas alias ejuſdem Patris Epiſtolas, de quibus nulla controverſia eſt, illius non eſſe; quia pauci ſunt Codices MSS., in quibus omnes exaratæ ſint.* *Hiſt. Eccl. Sæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 15. p. 4.*

Novum excogitavit conſilium Dupinus, ut MSS. autoritati fucum faceret. Cum etenim Huetius antiquus Epiſcopus Abrincenſis adnotaſſet Origenem, Theodoretum, & Photium multa conſpexiſſe MSS. in quibus celeber & magnificus de Jeſu Chriſti laudibus Joſephi locus Judæorum opera deletus erat: „ Hoc reponſum, inquit Dupinus, loci hujus au„ toritatem rurſus imminuit; ſi nanque non defuerunt vetuſti Codices, „ in quibus non legebatur, id majorem ad dubitandum de illo anſam „ dabit. „ Martianæus ſapientiſſime MSS. momentis, præſertim quatuor octingentorum circiter annorum ætatem attingentibus convincit, veritatis Hebraicæ Canonem fuiſſe revera S. Hieronymi Archetypum. Ad probationem hanc elevandam neceſſum eſſet, aut Verſionem his MSS. comprehenſam, atque ab erudito hoc Benedictino in vulgus emiſſam ab alia S. Hieronymi curis lucubrata diſſimilem firmis rationibus oſtendere; aut MSS. iſtorum antiquitatem oppugnare. Neutrum præſtat Simonius, cui placet in adverſam partem opinari; & ſatis eſſe putat dixiſſe, vitiata eſſe ea MSS., nec tantum facinus alio confirmat argumento præter iſtud, quod videlicet *per impuras Monachorum manus* tranſierint. Si germanæ Critices inſtituto congruit probatio hæc; cui nam MSS. repudiando eandem cauſſam prætexere non poterimus? *Libro 1. Antiq. c. 4.* *Dup. Tomo 1. pag. 75.*

Pro certo habemus, ſi per Criticos liceret Scriptoribus aliis, paribus in eos urgere reſponſis, futurum, ut argumentum a vetuſtis Codicibus petitum, quod tutiſſimum Hiſtoricorum argumentorum eſt, leviſſimi pon-

ponderis fieret, ne dicam ulterius. Vix etenim priſcum ullum monumentum reperire erit, cujus exempla manu exarata ſatis multa viciſſim non diſcrepent, ſive quod eadem facta diverſa unumquodque ratione producat, ſive quod nonnulla adjuncta perſequatur hæc, quæ aliud ſilentio prætcrivit, ut ii nos imbuunt, qui huic Litteraturæ generi ſe dedunt. Tum itaque, cum alicujus MSS. vi nos in anguſtias compellent, ſufficiet reſpondere: *At ſi commodum fuit his, id Autographo adjungere, percommodum fuit etiam aliis eadem detrahere*: aut in aliarum reſponſionum fidem ſe recipere.

Simon. Diſſert. Crit. in MSS. Novi Teſtam. p. 77.

Diſputationi huic finem imponat ſolertiſſima, ut videtur, Simonii conſideratio. „ In rem eſt obſervare, ait doctus Criticus, in MSS. negotio „ cautius non eſſe ſemper, majori fidere eorum numero, quia unum duntaxat reſectum & caſtigatum, ſive potius interpolatum, facile & brevi „ per univerſam aliquam Provinciam exemplorum multorum beneficio propagatum erit. Unus Monachus dictabat pluribus; ſicque multa ejuſ„ dem libri exemplaria omnino ſimilia, niſi forte Ortographia non re„ ſponderet, habebantur. „ Hac animadverſione planum fit, non ſemper probationem, a MSS. pro Veterum Operibus depromtam, ipſorum firmiori autoritati favere; quoties Sapientes Critici diverſos ejuſdem Autoris conſulunt Codices, aut Theodoricus Ruinartius corundem Actorum Martyrum, quæ inſeruit Collectioni ſuæ, plura exempla commemorat. Fieri etiam ex adverſo poteſt, hos Tractatus, Acta iſta eo minus rata & legitima habenda eſſe, quo magis reſpondent invicem, & cum rei ſumma, tum rem comitantibus conſentiunt.. Argumentari inde poterit quis, hæc MSS. eodem hauſta fonte fuiſſe; adeoque, quotquot demum ſint, unius autoritatem non excedere. Idem de corruptis Codicibus dicito.

Optime quidem de Litteraria Republica mererentur Critici noſtri, ſi id oneris in ſe ſuſciperent, ut ad rite adhibendam MSS. autoritatem certas nobis traderent præceptiones; cum ſtuduerimus demonſtrare, non ſatis eſſe ſolidas, quæ hactenus tradiderunt. Oporteret profecto eos aperire, ut res patitur, tempus & loca, in quibus lucubrata ſunt; & caracterum, atque ortographiæ ſpecimen aliquod præbere. Res denique flagitaret, ut nos inſtituerent, quandonam ſive uno, ſive pluribus MSS. primas deferre præſtet, potius quam majori aliorum Exemplorum *

* Quamquam Erudiciſſimus Mabillonius ſciverit Leges aliquas Criticas de Manuſcriptis, non videntur tamen eas ſatis, quæ ſuper hac re excitari ſolent, difficultates illuſtrare; neque ſatis diſtinguere, quatenus progredi poſſit a MSS. ducta perſuaſio. En celebris hujus Benedictini, quæ huc attinent, regulæ. 1. Antiquiora MSS. plerumque item

nu-

numerò. Quandiu etenim MSS. laudabunt, quin Monumentorum illorum explicent qualitates; tandiu nullius pene frugis erunt inde comparata argumenta, quibus explodendis operæ pretium faciet, qui ad Tillemontii, Simonii, Dupini, Alexandri, quæ modo retulimus, reſponſa confugiet.

meliora ſunt. 2. MSS. antiquitas a caracterum, & MSS. ejuſdem forma diſpicitur. Non omnia vetuſta quadrata utuntur figura: exſtant enim Tabellæ Conſulares oblongæ; ſed plæraque veterum MSS. quadrata ſunt. 3. Vetuſtas ſola MSS. alicujus non ſemper de quodam Scriptoris contextu ſuſpicioſo dirimit quæſtionem. Non deſunt etenim ex vetuſtis MSS. vitioſiſſima. 4. Etſi unius MSS. autoritas poſſit aliquando loco alicujus Autoris corrigendo ſufficere; tutius tamen eſt plura conſulere. 5. MSS. Autoris alicujus, quæ in ejuſdem Provinciæ Abbatiis ſervantur; ſæpe ſunt ſimillima; eoque magis, quo eodem fortaſſe tempore, atque ab eodem pluribus Librariis dictata ſunt Lectore; vel aliud ex alio deſcriptum, tunc pro unico duntaxat habenda ſunt. 6. Conjecturas illas, quæ nullo MSS. innituntur, ſumma moderatione & animi circumſpectione adhibere ſtudeamus; neque iis utamur, niſi quando perſpicuæ ſint adeo, ut de illis non liceat jure dubitare. 7. Quod primum mente eos tenere oportet, qui MSS. cum editis Exemplis conſerunt, ſit, diverſas Veterum Ortographias, elementorum mutationes, & varios verba & ſyllabas contrahendi modos internoſcere. His omnibus accedunt quatuor aliæ Leges, propter eos, qui comparandis invicem exaratis & impreſſis voluminibus dant operam, ab egregio iſto Monacho conſtitutæ. De Stud. Mon. 2. parte c. 12. pag. 285. &c.

DISSERTATIO III.

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS CRITICES,
AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM,
& Veterum Opera ſpectantes ; a Conjecturis depromtas.

VETERUM autoritati, quæ primum eſt Criticæ diſciplinæ fundamentum, accedant neceſſe eſt Conjecturæ, quæ vices gerunt alterius. Veterum teſtimonio nonnullæ emanant conjecturæ, quæ deinceps ad Veterum eorundem autoritatem confirmandam regrediuntur: geminæ veluti facis inſtar, quarum alterutra alteri lumen ſuum impartit, cujus claritate judicandi tribuat facultatem: utrum caput aliquod Hiſtoricum, aut Scriptoris alicujus opus amplectendum ſit, an vero repudiandum. Propoſitis itaque nonnullis dubitationibus in argumenta a Veterum teſtimonio, a ſuppoſititiis, ſive ſuſpicioſis Libris, atque a MSS. petita; inſtat Regulas expendere a conjecturis depromtas; cum prius in anteceſſum eaſdem regulas ſuper his traditas paucis complexi erimus.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

De pluribus Critices præceptis, rem conjecturarum attingentibus.

HUjuſmodi præcepta, quæ plurima ſunt, vel ad Scriptores attinent, vel ad Hiſtorias; itemque alia eorum generalia feruntur, alia peculiaria. De ſingulis perſpicuitatis gratia ſeorſim diſputabimus.

Cum Sixtus Senenſis fontes indicaverit, unde tot ſcriptoribus ſuppoſita Opera profluxerunt; tres ſanxit Leges, quibus ea, quæ legitima ſunt, ab iis, quæ non item, ſecernere quiſque poſſit. *Inſcriptiones veras a falſis, germanas a fictitiis tria præ ceteris diſtinguunt; tempus, dogmata, ſtylus.* Abrahamus Scultetus in Aphoriſmis *de fructuoſa Patrum lectione*, tres quoque jubet, quæ eodem recidunt: *ſtylus, materia ſubjecta, & tempus.* Quamvis Legum iſtarum numerus Criticorum induſtria non modice creverit, omnes pene haſce tres referunt, nimirum tempus, dogmata, ſtylum. *Sixt. Sen. Bibl. Sancta libro 4.*

Quatuor, inquit Mabillonius, viæ ſunt, ut operis alicujus falſitatem dignoſcamus: 1. Manuſcripta: 2. Dictionis conſenſio, aut diſcrepantia: 3. Teſtimonium Autorum, qui de illo Opere meminerunt: 4. Facta in eodem allata. GuillelmusCave ſeptem condidit. 1. *In quocumque Opere rerum, perſonarumve, ſcriptoris, cuius nomen præſefert liber, ætate recentiorum occurrit mentio, certitiſſimum eſt falſitatis indicium. 2. Vocabula nova, vel novatæ ſignificationis, & quæ manifeſto ſunt ſequioris ætatis, Libri, quo reperiuntur νοθείαν liquido oſtendunt. 3. Fabulæ vanæ nugæque ineptiſſimæ, ab ævi Apoſtolici vel ſcriptoris alicujus antiqui ingenio & gravitate abhorrentes, librum, quo continentur, cujuſcumque tandem nomen ferat, ſuppoſitum eſſe clamant; ſaltem juſtam de eo dubitandi rationem exhibent. 4. Stylus, totiuſque Orationis contextus longe diverſus ab eo dicendi caractere, quo in genuinis ſuis uſus eſt autor, manifeſtum præbet ſuppoſitionis argumentum. 5. Merito ὡς νόθος damnatur liber, quo reperiuntur dogmata, iis plane contraria, quæ in genuinis & indubitatis Operibus Autor tradidit. 6. Si in aliquo Opere Autorem Græcum ſibi vendicante, occurrat Latinorum vocabulorum cenſura & explicatio, meritiſſimam falſitatis vel fraudis ſuſpicionem injicit. 7. Quæcumque Opuſcula pro ſpuriis damnarunt Veteres, ægre admodum, nec niſi clariſſimis ac validiſſimis argu-*

Mabillon. de Stud. Monaſt. p. 2. c. 13 pag. 298.

Cave ſect. 4. Proleg. Hiſt. Litter.

mentis admitti debent: præſertim ſi accedant eorum ſuffragia, quorum intereſt, ut pro genuinis haberentur.

Andreas Rivetius in Tractatu de Patrum autoritate cap. 14. undecim ſigna apponit judicaturis de Scripti alicujus adulteratione, quæ ab Andrea Hyperio ſe accepiſſe fatetur. Illæ autem regulæ, quas congeſſit Dupinus altera parte Proœmii ad ſuam Autorum Eccleſiaſticorum Bibliothecam, &c. 20. Tractatus de Doctrina Chriſtiana non alia tradunt monita præter ea, quæ undecim ab his duobus Scriptoribus conſtitutæ complectuntur. Porro cum ingenioſiſſimæ videantur; atque omnia ferme præſeferant, quæ hac de re Critici hactenus docuerunt; viſum eſt, futurum Lectoribus acceptum conſilium noſtrum, eas huc in compendium redactas traducendi. Qui eas copioſiſſime expenſas maluerit, adeat Tractationes Hyperii, Rivetii, & Dupini; ſive ad Clerici Artem Criticam ſe conferat, qui haſce omnes decimo numero finitas uberrime explicavit. Sunt autem.

Joann. Cler. de Arte Crit. tom. 2. p. 3. Sect. 2. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. pag. 431. &c.

I. *Suppoſititii Libri indicium eſt, ſi in Veteribus Codicibus alii tribuatur; cum nulla ratio eſt, cur ejus habeatur, cujus nomen in Editionibus præfert; interpolati vero, ſi ſit in Veteribus Codicibus ſine additamento.*

II. *Si quæ a Veteribus ex Libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in Libro, eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur, aut alius eſt, aut mutilus. Si aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet: ſi omnia inveniantur ſine mutatione, genuinus eſt; niſi aliæ ſint ſuſpicandi rationes.*

III. *Scripta, quorum nulla mentio in priſcis Catalogis, quæ nec memorata ſunt ab ullo Scriptore ſequentium proxime ſæculorum, ut plurimum aut ficta judicanda ſunt, aut minimum ſuſpecta habenda.*

IV. *Quæ diſerte ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab antiquioribus, ea vix propter recentiorum autoritatem admitti queunt.*

V. *Liber, in quo Dogmata leguntur iis contraria, quæ Scriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe; ſi præſertim Dogmata ſint alicujus momenti: aut interpolatus eſt.*

VI. *Liber, in quo memorantur res aut perſonæ Scriptore cujus nomen præfert, recentiores, aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus.*

VII. *Liber indoctus, aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte, aut ſaltem totus Viro docto tribui; nec fabulis ſcatens Viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe, affingi: quamvis in Vetuſtis Cod. Eorum nomina præferat.*

VIII. *Libro, in quo tractantur aut rejiciuntur Controverſiæ natæ poſt tempora Scriptoris cui tribuitur, aut in quo deprehenditur Scriptoris illo recentioris imitatio, ejus non eſt, cujus nomen præfert, aut eſt interpolatus.*

IX. *Si ſtylus ſit diverſus a noto aut Sæculi aut Scriptoris ſtylo, ejus non eſt;*

Digitized by Google

eſt ; *quamvis nomen ejus præferat* : *ſi ſit idem ac ſtylus alius Scriptoris , hujus liber cenſeri debet , ſi modo nihil obſtet .*

X. *Vocabula ſequioris Ævi indicant Scriptorem recentiorem : in translatione vero , ſi quid ſit , quod non conveniat Linguæ, qua ſcripſiſſe conſtat Autorem , cui liber tribuitur ; aut non eſt translata , aut eſt interpolata .*

Præter iſtas in univerſum latas regulas , quas uſuvenit Criticis adhibere , ut cujuſvis generis Operum veritatem aut falſitatem æquis ponderibus examinent , aliæ præſto ſunt peculiares , quæ aliquibus certis Operibus accommodatæ ſunt , neque facile ad alia transferri poſſunt . Ea propter quidam Scriptor, Tractatuum S. Dionyſio tributorum fraudem demonſtraturus , generalibus illis Legibus , quibus utitur in rem ſuam , quinque novas adjunxit, ad Opera illa ſingillatim excutienda, & fallaciæ inſimulanda aptiſſimas . Ecce illas .

Problema Sapientibus propoſitum anno 1708. de Autore Operum, quæ S. Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur. Sect. 3. c. 1. pag. 169. Gallice.

I. Quoties Liber aliquis cuidam Autori monumentorum incertorum , aut aperte mendacium fide tribuitur, id eſt pene invictum ipſius ſuppoſitionis argumentum . II. Niſi poſſis Librum illum Autori, de quo ambigitur ,accenſere ; quin magna vitia conſequantur ; hanc puta probabilem eſſe falſitatis notam , certam autem morali ratione , ſi in unum vitia hæc univerſa cogantur . III. Cum inter Libri alicujus *Apologiſtas* non convenit, & invicem tum ſummis capititibus , tum aliis adjunctis de Libro & Autore adverſantur, diſſidium hoc aliud exhibet adulterini Operis indicium . IV. Si nulla prodierit in publicum Apologia , quæ ſeorſim accepta , & collata cum aliis , mediocri pro Libro , quem propugnat , probabilitate animos noſtros percutiat , malum quoque ſpecimen inde capiemus . V. Si ex quacunque Apologia , propugnatorum ipſorum omnium delectu, excerptis iis , quæ ipſis ad unam tantummodo componendam magis appoſita videbuntur , non elicient niſi viam quandam & rationem Librum aliquem defendendi , quæ Autoris Chronologiæ congruere nequeat , manifeſto id erit certioris ſuppoſitionis documento .

Qui Autorum Eccleſiaſticorum Operibus nuper in lucem edendis ſtudium ſuum contulerunt, obliti non ſunt in Proœmiis, Admonitionibus, Adnotationibus &c. quædam ob oculos ponere, ſingularia veluti Autorum ſuorum inſignia, quæque ad ſecernenda germana & fucata ipſorum Opera totidem peculiares Criticæ facultatis leges cenſenda ſint .

Quamvis autem ex iſtis plures , præſertim quæ attinent ad tempora & Dogmata , eaſdem, quas ad Operum , ad retegendam quoque Hiſtoriæ fallaciam, habeant opportunitates: nihilo ſecius Sapientibus cordi fuit, ſigna aliqua præſtituere, quibus explorare licitum eſſet , num factum aliquod confictum fuerit ; aut revera contigerit. Ajunt itaque primo, flocci faciendum eſſe eventum illud, quod a nupero Scriptore memoratum, vete-

veteris alicujus, qui eodem, aut propiori vixerit ævo, autoritate non confirmetur: Id vero perſecuti ſumus articulo V. anteeedentis Diſſertationis.

Docent altero loco, eam Hiſtoriam falſitate, aut certe falſitatis ſuſpicione laborare, quæ veluti a fonte primo, a ſuppoſitis vel Apocryphis Libris deſcendit: perſuaſum etenim omnibus eſſe debet, abſurdum fore, eas pro legitimis Hiſtorias recognoſcere, quæ lutulenta & corrupta origine manarunt. Propterea fabulam ſapit Eruditis Conſtantini Baptiſmus Romæ celebratus; quod nimirum Acta S. Sylveſtri, Pontificis Liberii, & Concilium Romanum ab eodem Sylveſtro anno 324. coactum, quibus Baronius aliique fulciunt hiſtoriam hanc, monumenta ſint nullius apud Criticos gravitatis.

Tertia conjectura, Viris doctiſſimis ad Hiſtoriam aliquam vanitatis redarguendam familiariſſima, ſita eſt in fabuloſis rebus, quibus illa conferta eſſe deprehenditur. Innumera pene ſunt hujus generis exempla apud Tillemontium in Monumentis, Bailletum in Tabulis Criticis, Dupinum, Alexandrum, Cavium, qui regulam inde Criticam promulgarunt, tam factis Hiſtoricis, quam Autorum Operibus conſentaneam.

Quartum ſuppoſitionis inſigne in eo tum eſſe Hiſtorico capite exiſtimant, cum repugnat Chronologiæ, rebuſque conſtat, temporibus, locis, hominibus, de quibus mentio fit, aliiſque certiſſimis factis non congruentibus. Fieri quidem nonnunquam poteſt, ut adjunctis tantum quibuſdam claudicet Hiſtoria; quin ſumma rei veritatis ſplendorem amittat: ſi tamen præcipuum, quod in ea eſt, tueri nequeas, illam explodere neceſſe eſt: alioquin riſum moveret quicunque hujuſmodi facta obfirmato animo propugnaret.

Jam vero minimam non dixerim falſitatis Hiſtoriæ conjecturam; ſi digladientur inter ſe, & factum idem aliter exponant ipſius narratores. Quo ſpectant præſertim Heterodoxi, ut planum faciant, nunquam S. Petrum Romanum Epiſcopum fuiſſe: Autores, inquiunt, qui de Apoſtoli hujus Romam adventu verba faciunt, de anno varias habent, & inter ſe diſſidentes opiniones. *

Secundum hæc Critica de rebus Hiſtoricis monita, alia quoque tradi ſolent, factis tantum peculiaribus utilia, parumque ad aliorum normam compoſita. Huj[illegible]modi ſunt, quæ propoſuit Arnaldus; ut Hiſtoriam Martyrii S. Jacobi ab Hegeſippo deſcriptam mendacii redargueret. Quæ proin-

Arn. Diſſert. de Hegeſippo apud Tillem. Tomo 2. Edit. 2. Gallice.

* Affirmat Oroſius Romam adventaſſe Petrum jam ab initio Claudii Imperatoris: Hieronymus altero ipſius Imperii anno id contigiſſe fert, quarto non pauci, alii ſeptimo, quidam 13., nonnulli demum Imperium ineunte Nerone.

de

de licet multum firmamenti & roboris habere videantur, ubi adverſus Tillemontii, Hiſtoriæ hujus Patroni, principia & reſponſa virtutem ſuam experiuntur, deficerent tamen fortaſſe viribus, ubi ad alias narrationes Hiſtoricas admoverentur. Exemplar itaque præbere poterunt, ad cujus ſpeciem alia ſimilia efficiantur; cum res tulerit, ſingulare quoddam eventum oppugnandi, & infra ſpuria rationum vi detrudendi. Ita habent Arnaldi leges.

I. Quoties integrum non eſt de facto aliquo dubitare, ſive quid in Sacris Litteris recenſeatur, ſive uſque eo firmis teſtimoniis munitum ſit, ut non leve ſufficiant ejus veritatis argumentum; tunc fas eſt non admodum moveri objectis adverſariorum, & in reſponſionibus probabilibus & poſſibilibus ſiſtere; quin ſolliciti ſimus oſtendere ea, quæ referunt reſponſa noſtra, ita ſe habere.

II. Hoc tamen non valet, cum locus non eſt exiſtimandi, certum & firmum eſſe factum illud: Tunc etenim intereſt appoſite his, quæ in contrariam partem allata ſunt, reſpondere, ut in aperto ſit eorum futilitas. Neque audiendus eſſet is, qui hujuſmodi rei aſſerendæ gratia proferret in medium: plura eſſe non controverſæ veritatis, quæ petuntur momentis difficillimi explicatus.

III. Cautum ſit, ne Juris præjudicia cum veritate confundamus. Illa tum mihi favent, cum id enuncio, quod majorem exhibet ſpeciem veritatis, quam oppoſitum. Non tamen ea ſatis ſunt, ut veritatem a me ſtare demonſtrent. Id unum commodi ex eis comparo, ut adverſarius teneatur, quæ in adverſum protulit, confirmare.

IV. Quando idem factum memorant Autor contemporaneus, ſive alius centum duntaxat annis a re diſtans, præſumptio æquali Scriptori ſuffragatur: graviſſimaſque neceſſum foret rationes præſto eſſe ei, qui alteri citius fidem adjungeret.

V. *Solis Scripturarum Libris, qui Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum Autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt.* *Aug. Ep. 1. 2. ad Hier.*

VI. Cum ſententia aliqua nova eſt, extraordinaria, minus credibilis, atque ab unico Autore pronunciata eo loco, quo labitur manifeſte, ad eos ſpectat, qui aſſerunt, non vero qui negant, optimis illam momentis roborare.

VII. Fidem omnem tranſgreditur, homines propriis commodis officere, atque adverſus præcipuam affectionem ſuam agere iniqua adeo ratione, qua nemo, quempiam, niſi totius rationis expertem egiſſe, exemplis confirmabit. Itaque ſi factum aliquod hac nota affectum cognoſces,

vim

vim ſane maximam menti tuæ inferre oportebit, ne illud fabuloſum ſuſpiceris.

Launojus etiam quorundam factorum veritatem Critica lance ſuſpendens, aliquas ſibi leges imponere non prætermiſit, quarum juſſu eventa in quæſtione poſita definiret. Hujus veſtigia ſecuti ſunt Critici bene multi; ipſeque P. Alexander idem iter ingreſſus eſt ea in diſceptatione, utrum Trajanus ab inferorum cruciatibus fuerit liberatus, quod Diſſertatione ſexta fuſius proſequemur.

Habes generales Criticæ Artis regulas, quæ attinent ad Conjecturas; quarum præſcripto poteris cum rerum Hiſtoricarum, tum Veterum Operum veritatem deprehendere: Cum autem infinitum aliquid conaretur, quicumque de illis ſingillatim in judicium vocandis cogitaret; dubitationes meas præcipuis tantummodo circumſcribam.

Animadvertas tamen velim, Conjecturas haſce plerumque, immò fere ſemper illud ſuppeditare argumentorum genus, quod probabilis aut ſimilis vero fines non excedat. Nihilo ſecius nullo negotio alia tradi documenta poſſunt, quæ de facto quopiam hiſtorico, ſi jungantur una, ita nos certos & confirmatos efficere queant, ut nullus reliquus ſit de illis dubitandi locus. Accipe.

I. Neceſſe eſt, facta iſta comperta eſſe, ſenſibus patere, & de quibus aures atque oculi ipſi judicium ferre poſſint. II. Publica item ſint, quæque in Orbis totius conſpectum venerint. III. Exſtent eorum monumenta publica, & cæremoniæ ad poſteritatis memoriam inſtitutæ ſint. * IV.

* Eorum monumentorum, quæ Hiſtoriæ uſui eſſe poſſunt, prima ſunt Feſtorum inſtitutiones. Ut enim in hominum memoria perpetuo inſideret mundi creatio, Deus Iſraelitis diem Sabbathi feſtum celebrandum præcepit. Paſcha item atque alia Judæorum Feſta iccirco decreta ſunt, ut beneficia, divina liberalitate ipſis collata, animo recolerent. Gentiles quoque in rerum memorabilium monumentum Feſta & Ludos celebrare conſueverunt. Feſta denique Chriſtianorum univerſa Religione coli cœpta ſunt ob memoriam Myſteriorum Jeſu Chriſti, aut mortis, geſtorum, & virtutum Martyrum, aliorumque Sanctorum. Alter modus memoriam de præclaris factis retinendi eſt monumentorum ſolidorum uſus. Vetuſtiſſima ſunt columnæ, quas ab initio nulla inſcriptione ornatas ponebant, deinceps vero imaginibus, litteris, inſcriptionibus exſculptis loquentes veluti effectæ ſunt. Ædificia publica, uti Urbes, Templa, Altaria nomina & memoriam cuſtodiunt Fundatorum eorum, quibus nuncupata ſunt; quique illa ritu ſolemni dedicarunt. Sepulchra, Tumuli, Mauſolæa monumenta familiæ ſunt; Trophæa Victoriarum; & Simulacra Heroum & Ducum facinora deſignant. Anuli & ſigilla impreſſa Hiſtoriæ emolumenta inepta non erunt: multo vero magis apta Numiſmata. Rerum pariter præteritarum Hiſtoria vivæ vocis Traditione poſteritati commendari poteſt: quæ tamen, ſi humana tantummodo ſit, patet non paucis viciſſitudinibus. Certiſſimus omnium modus eſſet divinus afflatus, ſi Deus hominibus res præteritas revelaret. Aliquid denique hominum menti conſignari poteſt Canticorum exercita-

Opor-

Oportet denique hæc monumenta atque has cæremonias tum inde, cum res accidit, exordium duxiſſe.

Quamvis ad demonſtrandam miraculorum, de quibus Scriptura meminit, veritatem, quatuor iſtas regulas ediderit Carolus Leshius; * nihil tamen obeſt, quominus eas ad quorundam factorum hiſtoricorum naturam examinandam traducamus. Neque etenim controverſia eſſe poteſt, factum aliquod quatuor hiſce notis affectum citra omnem fraudis ſuſpicionem æquo homini futurum. Oſtendunt duæ priores, non poſſe quemquam tum hominibus imponere, ipſiſque confictas Hiſtorias obtrudere, cum eas accidiſſe pro certo ponimus; atque operoſiſſimum eſſe uſque eo ſenſibus illudere. Igitur liquet, propriores duas nos a qualibet calumnia pro eo tempore vindicare, in quod res incidiſſe traditur. Poſteriores vero pro illis ſpondere poſſunt, qui a rebus plus ſæculo remoti ſunt, ne eorum ſcilicet dolo in errorem inducantur, qui fabuloſas narrationes venditant pro germanis. Perſpicienti nanque erecta monumenta, & cæremonias conſtanter jam tum ſervatas ſubibit cogitare, hujuſmodi factum illuſioni & deceptioni obnoxium non eſſe. Exemplum ſit.

Anno 174. Marcus Aurelius, aciem adverſus Quados & Marcomannos *Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 5.* inſtruens, eas in anguſtias quodam die a Barbaris compulſus eſt; ut ſummum immineret exitium exercitui, quod ingenti ſiti opprimebatur, & æſtu ardentiſſimo fervebat. Hac neceſſitate preſſi Gentiles incaſſum fallacia numina deprecati ſunt. † At Chriſtiani Legionem integram componentes, ** fuſi in preces, a Deo rem admirabilem impetrarunt, qua ex graviſſimo periculo cum Imperator, tum milites erepti ſunt. Si quis tamen mirum hoc factum ad fabulas ablegare vellet, hic, accommodatis inſtituto noſtro quatuor Legibus, de quibus in præſens, convincendus eſſet.

† Paganorum quidam eventum hoc Mercurio alii Marci Aurelii precibus tribuerunt.

1. Factum hoc ſenſibus obvium & exploratum fuit; auribus oculiſque percipi poterat. Viſum enim eſt unicuique, lenem pluviam in Caſtra Romanorum decidere, quæ milites recreavit, contra vero in hoſtes fulgura & fulmina deſcendere, quibus effuſi ſunt, & in fugam converſi, 2. Por-

tione, Monumentis, Actiſque publicis, Titulis, & Scriptis. Monumentorum veterum fide tranſactas res coagmentando; præſentes autem, quæ ob oculos noſtros verſatæ ſunt, vel fidis teſtibus confirmatæ, ſcribendo.

* Angli hujus eruditi Opus, in quo optimos uſus habent Leges iſtæ, inſcribitur: *Brevis & expedita ratio, qua ex miraculis in Sacris Voluminibus recitatis aſſeritur Chriſtiana Religio.* Londini 1697. in 8. Gall.

** Legio, quæ tale miraculum impetravit, cum prius *Melitine* diceretur, exinde *Fulminea* nomen conſecuta eſt, quod cum vocabulo XII. Legionis Auguſti congruit. Porro Valeſius ibidem, & Theodoricus Ruinartius Act. Selectis Præf. pag. 41. & 42. contendunt ſuper hujus nomine Legionis Euſebium captum fuiſſe.

tentum hoc nocte aut clam non accidit: ſed clariſſima luce, & coram utroque Exercitu ampliſſimo. 3. Inter monumenta hujus Prodigii publica collocari poteſt illud, quo cautum eſt Marci Aurelii Decreto, quod antea fecerat Trajanus, ne inpoſterum Chriſtiani accuſarentur; incuſſo accuſatoribus ſeveriſſimo extremoque ſupplicio. Tertullianus, Euſebio teſte, cujuſdam Epiſtolæ meminit, * a Marco Aurelio ad Senatum datæ, qua Victoriam illam vendicat Chriſtianis. Illuſtrius tamen facti hujus miri monumentum eſt magnifica columna a M. Aurelio Jovi *Imbricitori* conſecrata, in qua Hiſtoria hæc inciſa conſpicitur. Supra columnam iſtam, quæ jam nunc exſtat, & ſingulare Romanæ Urbis ornamentum eſt, S. Pauli imaginem locari juſſit Sixtus V. Hæc tandem monumenta omnia nihilo ſunt eo prodigio recentiora, cujus gratia relicta ſunt.

Tert. Apolog. c. 5. apud Euſeb. ibidem.

Si quatuor iſtæ regulæ invicem connexæ firmiſſimam moralem demonſtrationem efficiunt, qua emineat veritas factorum illorum, quibus accommodari poſſunt: nolim tamen tibi perſuadeas, ceteras, quæ inſignibus iſtis non decorantur, propterea eſſe fallaces. Nemo eſt qui dubitet, fuiſſe olim hominem vocabulo Cæſarem, in Pugna Pharſalica victorem, & coram Senatu interremptum &c. Pauca ſiquidem in Hiſtoricorum Libris facta reperias, ad quæ præcepta illa referri queant; uti ſuperiori exemplo perſpicuum fit.

ARTICULUS II.

De argumento ex Antiquorum Silentio petito; ſive de eo, quod Argumentum negans appellant.

Utinam momentum a Veterum Silentio mutuatum, quo breve & expeditum, eo ſolidum eſſet & inconcuſſum. Illud adhibent Critici frequentiſſime. Præſtat ne Operis alicujus ſuppoſitionem extra aleam ponere? parata reſponſio eſt: toti Antiquitati ignotum fuit. Incumbit ne factum aliquod rejicere, aut in ſuſpicionem vocare? Ita ſane: Nullam de eo Veteres mentionem habuerunt. Urget ne adverſus nos Patrum aliquorum teſtimonium? In hunc modum evadimus. Apud Euſebium, Hieronymum, Autores ejuſdem Ævi, ejuſdem regionis nullum Hiſtoriæ, Viri, facti illius veſtigium ſupereſt.

** Autor eſt Oroſius plura ætate ſua extitiſſe Reſcripti hujus exemplaria, quod univerſum recitat Godavius primo Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Volumine, Lib. 2, pag. 301. ad an, 176.

Non

Non diſſimulo, Veteres quoque interdum * hoc argumenti genus haud neglexiſſe, illudque nonnunquam commodum aliquod afferre poſſe. Uſus certe iſtius non ſemel neceſſitatem habet; ante omnia ut fabulas & narratiunculas, deceptorum arbitratu ad nos fallendos excogitatas, funditus evertamus. Quo autem pravis rationis hujus uſibus in anteceſſum conſultum ſit, animadvertendum eſt duo reperiri Argumentorum negantium genera. Primum negans undequaque eſt: alterum partim negans, partim affirmans. Ille argumentando ſolum negabit, qui dixerit: Vox, *Extrema Unctio*, in nullo Autorum ante XII. Sæculum legitur. Itaque locus Prudentii Tricaſſini Epiſcopi ** in Vita S. Mauri, qui hanc vocem uſurpat, ſine ulla controverſia corruptus eſt.

Mabillon. de Stud. Monaſt. 2. parte c. 13. pag. 295.

In promtu eſt argumentum partim affirmans, partim negans. Nullus Autor ante Martinum Polonum de Joanna *Papiſſa* *** verbum facit, omneſque Autores contemporanei, & ceteri ad Martinum uſque poſt Leonem IV. Benedictum Tertium, non autem Joannam collocant. Hæc igitur *Papiſſa* Martini commentum eſt. Pars negans hujus argumenti oſtendit, neminem *Papiſſæ* iſtius Martino vetuſtiorem meminiſſe: pars vero affirmans monet, apud omnes Autores in Pontificum ſerie Benedictum III., illius fœminæ loco, Leoni IV. ſuccedere.

* Launojus Diſſertatione ſua, pro tali argumento conſcripta, quamplurimorum Patrum loca congerit, qui ab hac probatione non abhorruerunt. Qua intercedente, plurimos libros Autoribus ſuis ſuppoſitos eſſe cenſuit Euſebius; *quia apud veteres nulla omnino ſit mentio*. Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 3. 25. & 37. Conſulendus Photius, Cod. 1.

** Galindonus, ſive Prudentius cognomento *junior* Hiſpanus in Galliis domicilium habuit. Interſuit Concilio Pariſienſi anno 846. Fatis conceſſit, ut fertur anno 861. vel 864.

*** Chauvinus Autor novæ Ephemeridis Sapientum, Rotherodami confectæ anno 1694., art. 1. Menſis Julii & Auguſti, Joannæ Papiſſæ Hiſtoriam deſcripſit, quam Latina Spanemii, in Univerſitate Lugduni Batavorum Profeſſoris, Diſſertatione depromſit. Hanc hiſtoriam, quam medio circiter IX. Sæculo contigiſſe volunt, Mariano Scoto, & Sigeberto Gemblacenſi aſcribit, quorum alter ad medium, alter vero ſub Undecimi Sæculi finem claruit. Martinum deinde Polonum in medium affert, qui fabulam iſtam ævo tertiodecimo propagavit. Quatuor Sæculorum intervallo Viri eruditiſſimi quamplurimi Martini aliorumque duorum teſtimonio fabuloſam hanc narrationem haurire non dubitarunt; donec Aubertus Miræus, collatis Mariani Scoti & Sigeberti Codicibus MSS. deprehendit ea, quæ in editis Voluminibus legebantur, ab exaratis Monumentis abeſſe, quod David Blondelus, Hæreticus licet, ingenue faſſus eſt. Quamobrem Aubertus Miræus fabulam iſtam a nova, quam adornabat, Chronici Sigiberti Editione delevit. Hinc plane fit, Martinum Polonum hanc fabulam confuiſſe, cujus fraudem Leo Allatius in *Diatribæ de Simeon.*, aliique Sapientes non pauci aperuerunt.

§. I.

Regulæ Criticæ Dupini de Veterum ſilentio.

VEterum Scriptorum ſilentium per Abbatem Dupinum inter eas Criticæ facultatis Leges ſedem habet, quas *vocat exteriores*, quæque Operum ſimulationi aperiendæ conducunt. „ Argumentum hoc, inquit, „ negans dictum, multum identidem gravitatis habet & autoritatis. „ Cum etenim ex. gr. integrum Opus aliquod, Veteri Scriptori tributum, tota antiquitas ignoravit; cum omnes, quotquot de Autoris illius Operibus meminerunt, & indicem texuerunt, cujuſdam Operis „ nullam memoriam habuiſſe patet; cum Opus Catholicis commodum ab „ ipſis laudatum non eſt, qui illud, occaſione oblata, citare poterant, „ & debebant: id probabile admodum ſuppeditat argumentum, Opus „ hoc aſcitum fuiſſe autori ſuo. Conſtat etiam, ſatis opus aliquod efficere ſuſpicioſum, quod ipſum Veteres non citaverint; & legitimis ſane antiquitatis notis afficiatur neceſſe eſt; ut nemine repugnante admitti poſſit: contra vero quantumvis minimæ accedant priſcorum Silentio in adverſam partem conjecturæ, non eſt cur de illius ſuppoſitione „ dubitemus. „

Tomo I. in Præf. pag. 39. 40.

Hoc loci de tribus nos inſtituit quoad Veterum ſilentium Dupinus. Primum, ut diſpiciamus, anne Operis illius ſit probabilis adulteratio: alterum ut judicium feramus de iis, quæ monumentum aliquod in ſuſpicionem adducere poſſunt: tertium denique, ut appareat, quid Operi alicui omnem veritatis ſpeciem detrahat.

Quantumvis juſte & rite per ſeſe conditæ videantur hujuſmodi leges; ſi tamen illas ad quædam Autoris non controverſi Opera referamus, verendum ne eſt, hæc omnia, Legum iſtarum præſcripto, de veritatis exploratæ loco dejectum iri? Si quis, verbi gratia, in animum induceret, ut probaret, duas illas Orationes, quæ Operibus S. Juſtini præpoſitæ ſunt, & in quibus Gentiles ad Religionem Chriſtianam amplectendam hortatur, mendoſe ad Patrem iſtum pertinere, aut vero quam proxime accedere ipſarum falſitatem; hic feciſſet inſtituto ſuo ſatis, ubi ab his Dupini regulis non deflectens cauſſaretur; I. Utraſque Orationes iſtas totam retro antiquitatem latuiſſe: Etſi etenim duas commemoret Euſebius S. Juſtini adverſus Paganos Orationes, quarum alteri *Elenchi*, alteri vero nullum certum nomen imponit; etſi eadem duo Monumenta uſurpaverint Hieronymus & Photius; nihilo ſecius exiſtimat Dupinus, duas Orationes illas nihil habere cum aliis ab Antiquis Scriptoribus recenſitis commune; neque fieri poſſe credimus, cum quempiam priorum Sæculo-

Dupin. Tomo I. 173. 174.

rum

rum Autorem recitaturum, quibus illæ fuerint perſpectæ. II. Nemo eorum, qui Operum S. Juſtini Indicem reliquerunt, ullam de Orationibus iſtis mentionem fecit. III. Opera iſta ſummæ erant Catholicis utilitati; quippe quæ Ethnicæ Religionis novitatem, & noſtræ veritatem, antiquitatemque confirmabant. IV. Non paucis Scriptoribus integrum erat, earum memoriam recolere iiſdemque cauſſa non ſemel fuit, quare id facerent. V. Orationum iſtarum ſtylus nonnihil a Juſtini ſtylo diſcrepare videtur; & Tillemontio dilucidior & facilior apparet, quam reliquorum Operum dictio. VI. Sunt quædam hortationis hujus loca, in quibus videtur Autor ſe a Gentilibus origine quoque diſtinguere, quamquam certum ſit, Juſtinum non Judæum, ſed Ethnicum genere fuiſſe. *Tomo 2. annot. 6. in S. Juſt. pag. 686. col. 2.*

Ecce multa ſuppoſitionis, ejuſdemque abſolutiſſimæ argumenta, ſiquidem Dupini Regulis aures præbeamus: nihilominus germana hæc eſſe Sancti Juſtini Scripta non repugnat. „ Duæ hæ Orationes, inquit, re- *Dupinus ibid.*
„ vera antiquitatem redolent; & quamvis ab Euſebio prætermiſſæ ſint,
„ & dictione parum Juſtino abludente utantur, ipſi tamen citra injuriam
„ adjudicari poſſunt. „ Reliqui Critici Juſtini fœtus eſſe cenſent, quod
„ uſque eo Tillemontii inſederat animo, ut dixerit: „ Nos profecto fu- *Tillem. ibidem.*
„ git, hominem fuiſſe, qui de illis dubitaverit. „

Eædem pariter præceptiones ea tradunt, quibus cogeremur Martyrii S. Juſtini Acta, quæ omnibus, quotquot fieri poſſunt, autoritatis & veritatis notis inſignita ſunt, ut placet Tillemontio, in Monumentorum mendacium numero ponere. Præter ſilentium etenim Irenæi, Euſebii, Hieronymi, aliorumque antiquorum, a quibus nihil de Actis iſtis dictum eſt, multæ nos movent conjecturæ, quas inferius dabimus, ut Opuſculum illud ſuſpicione attingamus. *Tillem. Tomo 2. art. 1. de S. Juſt. pag. 379.*

Quinam etiam exitus non pauca Ruynartianæ Collectionis Acta ſincera & ſelecta conſequetur; ubi Dupini veſtigiis inſiſtendum ſit? Ecquis Veterum de S. Ignatii Epiſcopi Antiocheni; S.S. Symphoroſæ, & filiorum; S. Symphoriani Martyris; S.S. Petri, Andreæ, Pauli, Dionyſii &c. Martyrum Actis locutus eſt, quæ tamen a Ruynartio in ſuum cenſum tranſlata ſunt? Cui Antiquorum de monumentis iſtis ſilentio accedunt menda nonnulla, quæ de illorum vetuſtate aliquam injicere poſſunt dubitationem. Etſi autem perſuaſum nobis ſit, ea genuina eſſe & vetuſta, erroreſque, quibus reſperſa ſunt, nihil ipſorum veritati fraudi eſſe; nihilo ſecius ita fert Dupini regula, ut in unum congruentibus Veterum ſilentio, & erratis iſtis, non poſſint Acta iſta aut falſitatis aut ſuſpicionis accuſationem evadere.

At enim Dupini regula, inquiunt, opera tantummodo gravia & non exi-

exiguæ magnitudinis complectitur; quamobrem ea abuteretur, quicumque ad breviſſima Opuſcula accommodaret, uti ſunt nonnullorum Martyrum pluriumque SS. Acta. Eſto. Age vero, Epiſtolæ S. Martialis, atque Acta S. Andreæ ſunt ne Opuſcula graviora, quam aliorum Martyrum, & quorundam S.S. Acta? Porro ex Alexandri rationibus, ut priores rejiciat, & Dupini, ut poſteriora ſibi ſuſpecta ſint, una eſt ſeptem aut octo primorum Sæculorum ſilentium. Paſſioni, ſubdit Dupinus, Beati „ Timothei fides adjungenda non eſt, de qua nihil litteris Veteres prodi„ derunt. „ Quot demum breviſſima Opuſcula, atque Epiſtolas hoc uno ductus momento Dupinus expungit? Acta Sanctæ Bibinæ, & S. Philippi Apoſtoli exigua pariter admodum ſunt: diſplicent tamen ob Veterum Silentium Tillemontio: „ Satis ſit, (de ſecundis ita pronunciat,) ea nulla Veterum teſtimonio fulciri. „ Quæ cum dico, non eſt animus, alia quoque ſuppoſitionis indicia in illis Operibus non agnoſcere: ſed animadverſio noſtra eo tendit, ut legem a Veterum ſilentio petitam labefactet, quæ quidem ex exemplis modo recitatis vim eandem habere debet in Opera brevia, quam in prolixa & abſoluta, quandoquidem eam adhibent eruditi Critici, tum etiam, cum Scripta magnitudine ſua non multum exiſtimanda ad facultatis ſuæ normam exigunt.

Dupin. Tomo I. pag. 232.

annot. in S. Philipp. pag. 646. col. I.

§. II.

Sapientibus Criticis familiare eſt e Veterum ſilentio decerptum argumentum; cum tamen ab aliis objicitur ipſis, momenta non ſatis ſolida ad illud elevandum identidem aſſumunt.

VEterum ſilentio opportunitates plurimas Criticis eruditis afferente, non eſſet, unde miraremur, hoc argumentum in illorum diſſertationes undique pene ſubire, ſi eandem non adimerent ceteris Scriptoribus poteſtatem; neque ſtudioſe curarent illud vanum reddere ejuſmodi reſponſis, quæ in aliis improbarent, ubi factum aliquod Veterum ſilentio confirmaturi, iis uterentur.

Bailletus, ſit exemplum, contendit, factum de Heraclio Imperatore, Crucem humeris ſuis geſtante *purum putum mentis figmentum eſſe*. Id vero evincit, quod Theophanes modum perſequens, quo Perſide in locum priſtinum reſtituta eſt S. S. Crux, nihil attingit eorum, quæ Heraclio, eam ferenti, contigerunt. Prudentius Poeta, Autor Homiliarum, quæ Euſebii Emiſſeni nomine circumferuntur, aliique Veterum non pauci perhibent, puerum, *Baralum* nuncupatum, cum S. Romano morte affectum pro Chriſto fuiſſe: „ at Euſebius Cæſareenſis, inquit Bailletus, „ & S. Joannes Cryſoſtomus † nullam hujus pueri mentionem habent; „ quod

Baill. 14. Sept. 18. Novembris in Vita S. Romani Mart.

† in Homilia ab ipſo aliena.

quod ſatis ſuperque eſt, ut ſuſpicioſam de Hiſtoria hac ſententiam proferamus. Habes facta duo ſolo Veterum ſilentio repudiata. Quid tum? Narrat idem, Philoſtorgio duce, S. Lucianum paullo antequam extremum ageret ſpiritum ſupra pectus ſuum, veluti ſuper altari quodam collocari juſſiſſe ſpecies conſecrandas, atque ita compoſitum rem ſacram peregiſſe. Cum autem id factum Euſebius & Joannes Chryſoſtomus, licet ampliſſimam Luciani memoriam uſurpent, præterierint, eorumque ſilentium certæ Hiſtoriæ hujus veritati nocere poſſit, ita argumentum occupat Bailletus. „ Quod eſt Joannis Chryſoſtomi id reticentis, „ cogi inde tantum poteſt, S. hunc laudatorem, ut omnia diceret, non „ ſuſcepiſſe. „ Sed vero ſi talis reſponſio firma ſatis & ſolida viſa ipſi eſt, cur non licebit, eam ambobus factis ab ipſo ob Veterum ſilentium ad Apocrypha amandatis accommodare ſimilibus verbis: Theophanes, Euſebius, & Autor Homiliarum ſub Chryſoſtomi nomine latens, *ut omnia dicerent, non ſuſceperant*?

7. Ianuarii in Vita S. Luciani pag. 178.

Ex Tillemontio vero, licet Silentium Veterum ipſi plura rejiciendi facta anſam præbeat, duo tantum aut tria ſeligere ſatis ducam. Primum Beatæ Virginis tumulum attingit. „ Certum eſt, inquit, neque Epiphanium, neque Hieronymum, neque alium ævi illius Scriptorem quidpiam de eo in Palæſtina poſito percepiſſe.„ Et aliquanto inferius: „ S. „ Leo anno 454. ad Juvenalem ſcribens, omnia exequitur memorando „ germana monumenta Corporis Jeſu Chriſti, quæ intra Epiſcopi hujus „ ditionem continebantur; uti Sepulchrum, Loca Sancta, Crux, &c. „ Hic illuſtris illi ad memoriam de Virginis Sepulchro patebat aditus, „ quod non poterat non fama eſſe celeberrimum..... Verumtamen „ ne ſomniavit quidem Leo vel unum hac de re verbum interſere„ re. „

annot. 13. in B. Virg. pag. 495. col. 1.

Poterat, aut ego fallor, neſcio quis abs Tillemontio flagitare, ut planius ſuper hoc capite mentem ſuam aperiret: aut enim putavit, horum Patrum ſilentium momentum aliquod in eos allaturum, qui Mariam Virginem Hieroſolymis humatam arbitrabantur, aut nullum. Si nullum: quare, cædo, in medium produxit? Si vero aliquid adverſæ partis propugnatoribus profuturum credidit, quod jure & merito credidit, conveniat id quoque neceſſe eſt, peræque fore probabile, Deiparam Epheſi non occubuiſſe; propterea quod Polycrates, Tillemontii confeſſione, magnificis Epheſinam Eccleſiam titulis ornat, omniaque recenſet, quæcumque ad ipſius dignitatem pertinere poſſunt; nec tamen tradit, Virginem Epheſum incoluiſſe; aut ullo modo de Morte, aut illius ſepulchro verba facit; quanquam poſt Concilium Generale, eadem in Urbe celebratum, hæc futura fuiſſent in ore omnium pervagata, eoque magis, quo animadver-

annot. 5. in S. Timoth pag. 585. col. 2.

vertit Tillemontius, Polycratem hunc aliquem certe fuiſſe Eccleſiaſticum Epheſinæ Civitatis Virum, & Traditionis Eccleſiæ ſuæ V. aut VI. ſæculo teſtem. Non poſſet etiam doctus iſte Criticus inficiari, nullum ſive ante, ſive poſt Synodum Scriptorem de Virginis Mariæ ſepulchro quidpiam dixiſſe, quod tamen ille Epheſi reperiri contendit. Ecce itaque idem argumentum, antiquorum ſilentio comparatum, Tillemontio pariter & adverſariis ejus ſuppetias ferre.

Idem Criticus eorum objectas diluens rationes, qui cenſent, Reſcriptum ad omnes Aſiæ Provincias pro Chriſtianis non ab Antonino, ſed a Marco Aurelio profectum fuiſſe; quod S. Melito, multas Antonini e Chriſtianis Epiſtolas recitans, illud omiſerit. „ Tametſi Melito, inquit, eo, „ qui ab Euſebio deſcribitur, loco, illud non memoret, hoc non prohibet, quominus alibi non retulerit. „

Tomo 2. pag. 693. col. 2.

Secundum hæc, eum decreverit, Stephanum Pontificem Martyrio confectum fuiſſe: „ videtur, ait, „ dubium alicui eſſe poſſe, utrum vitam „ pro Chriſto ſuderit Stephanus, nec ne? Auguſtinus nanque frequens „ in illius memoria, id tacitus præteriit; & Vincentius Lirinenſis eximius „ S. Stephani laudator, quique eum Beatæ Memoriæ Pontificem appellat, hac de re ſiluit. „ Ratum itaque poterit eſſe, Auguſtinum & Vincentium Lirinenſem in Martyrii S. Stephani ignoratione verſatos fuiſſe; & aperto adeo ſuadente teſtimonio, licet de I. hujus Pontificis Martyrio ambigere. Verum Tillemontius argumento occurrit hoc pacto. Nihil iſtorum nos movet, ut credamus, rite probari, id iccirco non fuiſſe, quia Patres illos latuerit. „

Tomo 4. annot. in S. Stephanum Pontif. pag. 594. col. 2.

Inter graviora, quæ affert argumenta Natalis Alexander, ut Primorum Pontificum Decretales ad Siricium uſque parvipendat, illud eſt omnium octo priorum Sæculorum Patrum ſilentium. „ *Non meminit*, ait, *Hieronymus in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Siricius, Innocentius, Leo, aliique ſummi Pontifices, octo priorum Sæculorum Concilia, Photius ipſe: ergo ſunt ſuppoſititiæ*. Firmiſſima pariter ejuſdem Autoris ratio, quamobrem Marcio, a Patre extra Eccleſiam pulſus, ad Pontificem non appellaverit, inde traducta eſt: *Incredibile eſt*, inquit, *quod res tanti momenti tanto fuiſſet obruta ſilentio*.

Tomo 2. Differt. 20. prop. 2. pag. 218.

Hiſt. Tomo 1. ſæc. 2. Differt. 4. art. 13. pag. 163.

Promtum eſſet, magnum huc id generis argumentorum, quæ a Veterum ſilentio ſumit, obire numerum; at ipſius P. Alexandri conſulto non videmus, quodnam inde naneiſci quiſque poſſit emolumentum. Launojo etenim, ut Lazarum Maſſilienſem Epiſcopum fuiſſe, inficias ire poſſet; Sanctaſque Sorores Mariam Magdalenam & Martham in Provinciam minime adventaſſe, Veterum ſilentium in auxilium vocante, atque ajente, nullum ejus rei veſtigium eſſe apud Salvianum, Caſſianum,

rium; Victorem Maſſilienſem, S. Eucherium Lugdunenſem, Cæſarium Arelatenſem, neque apud alios illarum Eccleſiarum Scriptores; id reticere prorſus Uſuardi & Adoni Martyrologia; additque, S. Gregorium Pontificem, S. Odonem, Venerabilem Petrum, S. Petrum Damianum, Sanctum Bernardum in Sermonibus de S. Maria Magdalena habitis nihil itineris hujus meminiſſe. P. Alexander hæc omnia pauciſſimis de medio tollit momenta, & nugarum inſtar habet, quod nimirum in uno Veterum ſilentio conſiſtant. *Reſpondeo, hæc argumenta futilia eſſe, quia negantia ſunt*: atque alibi arguentibus ipſum de S. Lucæ, quoad iter Petri Romam, ſilentio: *Argumenta*, reſpondet, *ab autoritate negativa nullius eſſe ponderis*.

Alex. Hiſt. Eccl. Sæc. 1. tomo 2. Diſſert. 15. Concl. 1. ad 1. pag. 77. Idem Sæc. 3. Tomo 1. Diſſert. 12. Concl. 3. pagina 538.

Si Blondellus & Dallæus Ignatianas Epiſtolas non admittant, Patrum Euſebio vetuſtiorum, ut Juſtini, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Epiphanii, & Joannis Cryſoſtomi ſilentium cauſſati, reponit Alexander, ex quo aliquibus Patribus exploratæ non fuerint, perperam inferri ceteris ignotas fuiſſe Epiſtolas iſtas; neque quicquam adverſus illarum veritatem eorum ſilentium poſſe conficere. Audiamus Alexandrum: *Unde id probabunt adverſarii? Num ex eo, quod nuſquam illarum meminerint? At id non ſequitur. Licet enim in eorum Operibus, quæ nunc exſtant, mentio harum Epiſtolarum nulla facta ſit, fieri tamen poteſt, ut in his quæ perierunt, qualia fuiſſe quamplurima notum eſt, commemoratæ fuerint. Sed etſi nullibi earum meminiſſent, non ſequitur, quod eas penitus ignoraverint: ſiquidem neceſſe non fuit, ut omnes Scriptores Eccleſiaſticos nominarent, quos noverant, aut eorum Opera citarent*. Subjungit: *ad ea, quæ de Tertulliano urgentur, reſpondeo, ineptam eſſe conſecutionem, qua colligitur, ignotas Tertulliano fuiſſe Ignatii Epiſtolas, quia ab illis diſſenſit*.

Alex. Hiſt. Eccl. Sæc. 1. Tomo 2. Diſſert. 22 pag. 318.

Quam multa conflat hic Alexander, ut a Veterum ſilentio petitum argumentum irritum reddat! Quid vero ſi ejuſdem ipſiſſima verba in eum retorqueremus, cum hujuſmodi probationem magnificat, atque hac una permotus Pontificum Decretales, Conſtitutiones Apoſtolicas, aliaque Hiſtorica capita flocci facit? Eandem de Priſcorum ignoratione tundit incundem Dupinus prioribus quatuor dubitandi rationibus, num Apoſtoli ad edendum ſymbolum convenerint; neque id animo ipſi excidit, ubi in diſputationem incidit de primorum Pontificum Decretalibus. Attamen quoties S. Ignatii Epiſtolæ hoc impetuntur momento; & propterea Launojus de ſexageſima ſexta S. Cypriani Epiſtola quæſtionem movet: „ non eſt mirum, inquit, peculiaria facta nonnulla Veterum ſcien- „ tiam fugiſſe, adeoque inde comparatum argumentum ita rem efficit, „ ut nihil minus. „ Itaque ſi hoc rationum genus averſantur adeo, ubicunque ipſorum inſtituto minime favet, quare ad illud ſe conferunt, ubi-

Dupin. tomo 1. pag. 29.

Ibidem pag. 662. Ibidem pag. 128.

Ibidem pag. 544. col. 2.

ubicunque favet? Si nullius frugis eſſe putant, quid eſt cauſſæ, cur adhibeant? ſi alicujus, cur explodant? Quippe vim habentibus ullam reſponſis ad illud proſternendum excogitatis, undenam liberum ipſis fuit Operis aut facti alicujus falſitatem per idem conſtituere? Anne jure, & eorundem confeſſione fas non erit, eam probationem levem, cuique animus attendendus non ſit, appellare? Alioquin ad veritatem accedet, & pondus conſequetur, quoties in eos etiam urgebit.

§. III.

Critici viciſſim exprobrant ſibi, quod a Veterum ſilentio argumenta ducant illius exiguæ firmitatis exempla: præcepta pro recto uſu.

NEmo eſt qui neſciat, Launojum Doctorem Sorbonnicum in pleriſque Libris ſuis, publicæ utilitati commiſſis, certi atque conſtantis principii loco poſuiſſe: ad fabulas amandanda eſſe omnia, communem rerum ordinem ſuperantia, & eventa quælibet, quæ ab Autoribus, vel ipſis ætate proximis non memorantur. Verum cum animadverterit Doctor hic, inter omnes de hoc initio non convenire, Tractationem * quandam, qua illius autoritatem ſartam tectam defenderet, inſtituit. Thierius autem aliam, qua illud oppugnaret, lucubravit anno 1662. Exiſtimat hic, negans argumentum, quantumvis generali Autorum omnium ſilentio confectum, nullam adhibere perſuadendi neceſſitatem; ſi modo alterius docti &.ingenioſi Scriptoris, *quantumvis novitii, quantumvis neoterici* autoritate frangatur. Nihilominus ei ſatis erit oculos in Thierii Libros conjicere, qui certior fieri velit, illum ſilentio Veterum ut plurimum argumentari. Qua de re merito expoſtulat cum Thierio Mabillonius, quod Lacrymæ Sanctæ Vindiconenſis fidem labefactet, quia ante duodecimi Sæculi finem nulli fuiſſet aut Concilio, aut Pontifici perſpecta; cumque Epiſtola eadem ſcriptum reliquerit, non latuiſſe Viros Religioſos Vindiconenſes, nihil ejus rei vel in ſacris Voluminibus tradi, vel a primorum ſæculorum Autoribus commendari: at eos non latuiſſe quoque, omnia minime a Veteribus conſignata Litteris eſſe: Thierius contra, Epiſtolam illam refellens, Mabillonium de Veterum ſilentio carpit

Thier. Exercit. adv. Laun. pag. 182.

Epiſtola ad Epiſcopum Bleſenſem data pro Lacryma Vindiconenſi anno 1700. Gall. pag 9.
Ibid. pag. 43.
Thierius in reſp. ad Epiſt. Mabillonii art. 2. pag. 17. Gall.

* Ita inſcribitur: *Diſſertatio in qua probatur, negativum argumentum in quæſtionibus ex facto uſu & traditione pendentibus, multum habere roboris.* Innititur Launojus centum quinquaginta Scriptorum dictis, quibus argumentum negans uſus attulit. At Launoji facto plerique eorum, quos citat. Patrum id probationis aliis locis refutant, quemadmodum Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique. Idem ſentiunt Theologi: *Eſt levis admodum, atque nullius plane ponderis argumentatio.* Habet Baronius Tomo 1. pag. 270. Edit. Antuerp.

pit his verbis. „ Si in hunc modum ratiocinari liceret, nulla eſſet fabu-
„ la, quæ in conſtantis veritatis locum ſubire nequiret, favente quatuor
„ Evangeliſtarum ſilentio. „

Pater item Fronto in Apologia, qua Libellum *de Imitatione Chriſti* Thomæ a Kempis vindicat, graviſſime conqueritur cum Launojo de uſurpata frequenter negantis argumenti autoritate. Launojus tamen ſub exitum Diſſertationis, in Frontonem conſcriptæ, addit multa ſuperius dictis ab hoc momentorum genere; & planum facit, eundem etiam Patrem in illius fidem ſe aliquando recipere, adeoque eodem, quod in aliis deteſtatur, vitio laborare.

Non abſimiliter Simonius ſæpe hanc probationem adoptat, & Dupino atque Arnaldo ſuccenſet adoptantibus. Sermonem nanque de Bezæ Manuſcripto habens Criticus iſte. „ Operæ, inquit, ſane pretium erat, ut in „ hac quæſtione diligentius verſatus eſſet Arnaldus. Solas etenim in facti „ quæſtione congerit conjecturas; & ajentibus rationibus nihil niſi ne„ gantia objicit argumenta. „ Arnaldus e regione de eodem uſu Tillemontium redarguit in Diſſertatione de iis, quæ ſuper Jacobi Martyrio teſtatus eſt Hegeſippus. Tillemontius ipſe, cui familiare eſt reſponſum hoc, non definit tamen de illo Valeſium, Rigaldum, Pearſonium, alioſque criminari, quoties utuntur, tum ad ſua confirmanda, tum ad ejus adverſaria dogmata evertenda. Porro hi omnes eundem morem aliis Scriptoribus gerunt. Natalis Alexander, poſtquam magnum factorum numerum veterum ſilentio, quaſi invicto fundamento, conſtituit, male de Launojo audit, quod in Tractatu de Simonia dubitaverit, utrum D. Thomas Summam Theologicam, quæ ipſi adſcribi ſolet, revera confecerit, nec ne; anſam ei præbente id ſuſpicandi Clemente VI., qui habita de Sancti hujus Viri laudibus Oratione, ejuſque doctrinam Operum ejus numero & dignitate celebrare geſtiens, Theologicam Summam in ceterorum Indice non recenſuerit. Univerſæ demum de re Critica Controverſiæ nihil perſonant frequentius, quam mutuas ſapientum de argumenti negantis uſu querimonias.

Simon. Diſſert. Crit. de MSS. Novi Teſt. pag. 15. Gall.

In Summa S. Thomæ vindicata.

Verum enim vero argumentum hoc acrius, quam par eſt, perſequitur Dupinus, ubi quinque Græcas Epiſtolas ſub Ignatii nomine vulgatas falſitatis arguere curat. „ Nemini dubium eſſe poteſt, inquit eruditus „ iſte Criticus, Ignatio ſuppoſitas eſſe quinque Epiſtolas Græcas, quæ ab „ Euſebio & Hieronymo non referuntur: ſi nanque Autorum iſtorum „ temporibus extitiſſent, fieri nullo modo potuiſſet, ut eas vel non vi„ diſſent, vel de iis fari non audiviſſent. „ Conſequens itaque inde erit, Athenagoræ Apologiam, ad Marcum Aurelium Imperatorem oblatam; Hypotypoſes Theognoſti Alexandrini; Opera S. Jacobi Niſibicenſis, Hy-

Dupinus tomo I. pag. 122.

menæi, Narciſi, aliorumque multorum adulterina eſſe; propterea quod neque Euſebius neque Hieronymus eorum meminerint: *ſi namque Autorum iſtorum temporibus extitiſſent, fieri nullo modo potuiſſet, ut ea non vidiſſent*. Ad Apocrypha inſuper rejiciemus alteram *Inſtructionem Paſtoralem* Boſſueti Epiſcopi Meldenſis *de promiſſis Jeſu Chriſti Eccleſiæ*, ſive, *Reſponſa objectis Miniſtri cujuſdam in priorem Inſtructionem*. Pariſiis Typis Aniſſonii in 12. 1701. Gallice: quandoquidem neque doctiſſimi Præſulis hujus Cuſtos a Bibliotheca, neque Pariſienſium Ephemeridum Scriptores, neque Monumentorum Trevoltienſium Autores, neque Dupinus in Autorum Eccleſiaſticorum Catalogo verbum ullum hujus Operis fecerunt: tametſi fuiſſent ſinguli omnium celeberrimi hujus Epiſcopi Scriptorum callentiſſimi. Exemplum hoc, aut me fallit animus, cautiores efficere Criticos deberet in ferenda de Antiquorum germanis operibus, in Indicibus temporum illorum omiſſis, ſententia.

Fabulam deinceps ſaperent facta nonnulla in Eccleſiæ Faſtis ſemper celebrata, quorum eſſent S.S. Laurentii & Sebaſtiani Martyrium: non enim in Euſebiana Hiſtoria Eccleſiaſtica ſedem habent, in qua tamen colligenda ſuſcepit omnia, quæ geſta in Eccleſia ſunt majori animadverſione digna. En quæ ab his Criticorum noſtrorum initiis ducuntur conſecutiones; ut plane videatur nullam eſſe mediam inter utrumque viam, aut illas componere, aut neganti argumento nuncium remittere. Ceterum eum ſimile vero ſit, neutrum iſtorum perfectum iri, poſtulabat res, ut aperirent nobis ad quoſnam uſus rite atque ordine adjungi poſſit momentum hoc, & quatenus conjecturæ alicui aut fulciendæ aut roborandæ poſſit adhiberi, quin in ſcopulos paulo ante memoratos incidamus.

Autor Diſſertationis de S. Dionyſio Areopagita Pariſiis impreſſæ anno 1702. nonnullas exequitur conditiones, ex ejus mente, ut argumentum
cap. 4. art. 3. pag. 130. & 131. negans firmam ſufficere poſſit probationem, neceſſarias. „ Sit prima inquit; omnia Autorum illorum exſtare Opera, quorum proficimus ſilentio. Altera, factum illud eos non ignoraſſe. Tertia, non modo eis „ fuiſſe de illo loquendi facultatem, ſed officium. Quarta, cum id poterant & debebant, eis animo non excidiſſe. Poſtrema, eum id mente comprehenderent, nihil obſuiſſe, quominus muneris ſui partes explerent. „ Quoties hæc quinque Autorum ſilentium comitantur, ratum omnibus eſſe poteſt illud efficere firmiter, id, de quo diſceptatur, factum non contigiſſe. At ex iſtarum præſcripto non magno erit argumentum hoc Criticis uſui, neque præſidium ex eo ullum adveniet, niſi raro admodum, ne dixerim, fortaſſe nunquam.

Oportet, Launoji ſenſa recito, negantis argumenti vim totam exhaurire

vire, de qua agitur, materiem, ut nonnihil valeat. Quapropter id ſanxit in rem hujuſmodi: *In his, quæ ex conditione facti, & uſu, & traditione pendent, ſi abnutiva ratio quadret in omnem penitus ſubjectam materiam, firmiſſima judicari debet; ſi non quadret, quia poteſt majus, aut minus quadrare, aliquando probabilitatis habet aliquid, aliquando nihil; idque ſæpius.* *Epiſtola nuncu. pat. ad Differt. de argumento negat.*

Ne quis error in argumenti ſolummodo negantis uſu ſubrepat, de quo Launojus hic loquitur, neceſſum eſt ex Mabillonio, non omnes tantum, quos de re ſiluiſſe perhibemus, Autores legiſſe; verum pro certo habere, nullum Scriptorum per ea tempora viventium opus periiſſe: immo aliqua ſaltem ratione exploratum habere non incongrue, eorum nihil, quæ eadunt in diſceptationem, Autorum, qui ejus ætatis ſuperſunt, diligentiam fugiſſe. *Mabill. de Stud. Monaſt. 2. p. c. 13. pag. 296.*

Baſnagius vero ea eſt opinione, ut credat, non expedire, ad ſilentium veterum rem devolvere, niſi affirmantes probationes, ut ſit aliquando, deficiant; tunc autem alicujus eſſe ponderis, cum generale ſilentium eſt, aut ab ullo in adverſam partem momento non infringitur. Accedunt exempla duo ex ejus penu depromta, quibus hæc regula facile admodum accommodatur. Primus eorum, qui Dionyſii Areopagitæ in Gallias ingreſſum poſteritati propagarunt, fuit Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis. Sexcenti igitur anni, antequam cognoſceretur, elapſi erant; at qui res adeo memoranda altiſſimo eſt obruta ſilentio? Unde nam eam effodit Fortunatus in communi totius Orbis oblivione? neque etenim aut momenta aut monumenta producit: non eſt itaque majori fide dignus, atque Iſidorus Hiſpalenſis, cum S. Philippum Apoſtolum in Gallias profectum fuiſſe narrat. Si quando autem, ſubdit eruditus Criticus, valere poteſt negans argumentum, tum certe eſt, tum in alicujus rei negotium venit integer hominum ordo; cum ſilentium generale eſt; & ſexcentorum annorum ſpacium interceſſit. Quo emenſo, Autori de re ſine ſponſore perhibenti credendum non eſt; & quamplurimi licet eum deinceps ſecuti ſint, hæc Scriptorum fabulæ adſtipulatorum turba nullam ipſi veritatis acceſſionem facit. Quamobrem futurum puto, ut ab argumento negante aſſumta probatio cum firmior, ac plerumque, & conſtantior eſſet, tum parcius in eorum ſcriptis appareret; ſi præceptis iſtis incorrupte operam Critici navarent. *Baſnagius Hiſt. Eccleſ. p. XI.* *Baſnag. 16. lib. 5. c. 2. p. 220.*

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De argumento a rerum convenientia, ab iis, quæ fieri potuerunt, quæque ſimilia vero ſunt, collecto.

QUamquam id habeant perſuaſum Critici Sapientes; non eſſe in re Hiſtorica de rerum eum veritate ſimilitudine, de conjecturis, de factorum convenientia magnopere laborandum, ubi paratum eſt eam rationibus abſolutis conſtituere: nihilo ſecius conſtat aperte, pleraque, quibus utuntur, momenta conjecturis inniti & ſpecie veritatis. Obvia paſſim ſunt in illorum Operibus ejus rei exempla; immo non deeſt locus, in quo ut futilibus leviſſimiſque conjecturis aſſentirentur, plana & concepta Scriptorum teſtimonia deſeruerunt.

Tomo 1. p. 634. col. 1. Tillemontius v. gr. quinta in S. Joannem Evangeliſtam annotatione, efficit S. Irenæi, aliorumque multorum Patrum autoritate, nec non graviſſimis argumentis, Apoſtolum hunc non conceſſiſſe Epheſum, ut ea in Urbe domicilium collocaret ante annum 66. Cum autem id non congruat cum eo, quod probat, Deiparam Virginem eodem ſecum iviſſe: ætatem ſiquidem octoginta quinque annorum egiſſet, itineribus conficiendis incommodam; a manifeſto Patrum multorum teſtimonio expedit ſeſe conjecturarum uſu. „ Dicendum igitur, ait Tillemontius, S. Joannem ſexa„ geſimo duntaxat anno Epheſum ſe contuliſſe, ut ſedem inibi poneret, „ aut diu moraretur: potuiſſe tamen fieri, ut illuc ante pergeret ali„ quando, inde regreſſurus, & quin Virginem ſecum duceret. Sanctus *annot. 13. in Deip. Virg. p. 492. col. 1.* „ Joannes, inquit alibi, fortaſſe hoc pacto iter Epheſum contendit an„ no 37., quo extra Hieruſalem, ut vero ſimile fit, verſabatur; aut „ aliquibus poſt annis, cum Petrus prædicationis gratia in Aſiam venit. „ Vides, Criticum hunc adverſus diſertum Irenæi aliorumque Patrum teſtimonium Hiſtoriam hujuſmodi propugnare, adhibitis formulis *fieri potuit*, *fortaſſe*, *veroſimile fit*. Species eſt, non inique laturum fuiſſe Tillemontium, ſi quis pro reſponſo in eum intorſiſſet verba illa, quæ habet eadem annotatione: *At hæc nihil niſi poſſibilia quædam ſunt*, *gratis excogitata*; neque magnopere facienda, ubi expreſſis ſenſis, ſolidiſſimiſque rationibus adverſantur.

Nemo eſt Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui S. Modeſto Hieroſolymitano Patriarcha VII. ineunte Sæculo florenti, in S. Mariæ Magdalenæ Epheſino itinere commemorando præceſſerit. En verba, quæ ad nos uſque

uſque detulit Photius : *Poſt dormitionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ, profecta eſt Magdalena Epheſum ad dilectum diſcipulum, ubi curſum Apoſtolicum per Martyrium unguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum uſque ſpiritum a Joanne Evangeliſta & Virgine ſeparari*. Dilucide teſtatur Sanctus hic Patriarcha, Magdalenam Epheſum ab obitu tantum Virginis petiiſſe; *poſt dormitionem*. Verum pugnante hoc cum Tillemontio, qui cenſet Deiparæ Epheſum proficiſcenti Magdalenam ſeſe comitem adjunxiſſe, ad conjecturam appellat, ut plano teſtimonio fucum faciat : „ Dicamus, ita loquitur preclarus Criticus, Magdalenam Epheſum iter feciſſe, (quo Mariam Virginem, ut videtur, ſequi poſſet); qua e vivis ſublata, apud Sanctum Joannem Evangeliſtam perpetuo manſit, quin ab Apoſtolo Virgine, dum ſpritum hauſit, ſevocari unquam pateretur. „ S. Modeſtus, a quo hiſtoriam illam accepimus *poſt Deiparæ dormitionem* iter hoc contigiſſe tradit : at Tillemontius contendit, eam, *ut videtur*, Virginem Mariam comitatam fuiſſe.

Photius cod. 275.

Tomo 2. art. de S. Mar. Magd. pag. 37. Item annot. 4. pag. 519. col. 2.

„ Bailletus, qui raro admodum a Tillemontio recedit, non dubitat aſſerere, opinionem fuiſſe in Oriente atque Occidente olim longe lateque pervagatam; poſt Sancti Spiritus deſcenſum, atque Apoſtolorum huc illucque diſperſionem, Mariam Magdalenam Hieruſalem, & regionem ſuam deſeruiſſe, ut Epheſum in Aſia minori ſe conferret, ibique cum Maria Virgine, quæ illuc Joannem Evangeliſtam, ut fertur, ſectata fuerat, commoraretur. „ At qui fieri poteſt, *eam eſſe opinionem in Oriente atque Occidente olim longe lateque pervagatam*, de qua ne unus quidem ante VII. Sæculum mentionem habet? Unde cognovit Mariam Magdalenam *poſt S. Spiritus deſcenſum*, & *Apoſtolorum huc illucque diſperſionem* Epheſum migraſſe, cum S. Modeſtus, unus hiſtoriæ hujus narrator, diſtincte fatetur, id eveniſſe *poſt dormitionem Deiparæ*, quæ in annum circiter 66. longe ab Apoſtolorum diſperſione incidit? Equis in medium adducitur, qui nobis pro narratione ſua ſpondeat? Tillemontium tantummodo ſignat, quem proxime hac de re conjicientem audivimus: Ceterum cum præſenſerit Bailletus, poſſe aliquem ipſi locum objicere S. Modeſti, qui ſane enucleatus eſt, in ora Libri annotationis inſtar appoſuit : „ Videtur in eam ſententiam concedere, (*Sanctus Modeſtus*), ut credat, Magdalenam nonniſi poſt Deiparæ interitum Epheſum acceſſiſſe. „ Quare autem non dixit potius, illum aperte in hanc ſententiam concedere, quam id *videri*? & quoniam ait Modeſtus explicate *poſt dormitionem Deiparæ*, quare alibi ſcriptum reliquit Bailletus : quam proxime ad verum accedere, Beatam Virginem in Aſiam ſe cum Joanne tranſtuliſſe, & cum Magdalena Epheſum incoluiſſe? „

Baill. 22 Julii in Vita S. Mariæ Magd. pag. 643.

15. Aug. in Feſto Aſſumt.

Hac

Hac itaque ratione præſtantes Critici puris conjecturis facta nonnulla ſuperſtruunt adverſus Autorum certum teſtimonium, harum vocum uſu; *ut videtur* ...... *ut fertur* ..... *ut probabile eſt* .....

Dupinus Tomo 2. pag. 7°. Dupinus quoque nihil habet, quod Tertulliano, Euſebio, Hegeſippo de Epiſtola, a Pilato ad Tiberium oblata ſuper Jeſu Chriſto e mortuis revocato, opponat, præter inanes conjecturas, & imagines veritatis.

Ad hæc: Critici longe adeo procedunt conjecturis ſuis, ut ſemel hoc argumentorum genere conſtituto alicujus Hiſtoriæ capite, illud certum atque exploratum eſſe velint. Simonius exemplo ſit, qui opinionem ſuam de publicis Scribis confirmaturus, exorditur a quadam poſitione, urget ſpecie veri; atque aſſumptis duobus iſtis momentis, concludit firmiſſime: *Simonius Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 1. c. 1.* extitiſſe revera in Judæorum-Republica tales Amanuenſes. Ratiocinatur in hunc modum. „ Si modo in Hebræorum Republica a Moſe „ deinceps fuerunt Librarii publici, nullo negotio conſultum erit incom„ modis omnibus, quibus oſtendi ſolet, Moſen partibus omnibus Pen„ tateucum non conſcripſiſſe. Poſitis Scribis iſtis ...... Hoc itaque ha„ bito pro re conſtanti, cogimur, aut ego fallor, ad publicos Scriptores *Ibidem cap. 2.* „ confugere. „ Alio vero loco addit: „ Non admodum a vero diſtat, „ Moſen jam inde ab initio Reipublicæ hujuſmodi Librarios deſignaſſe „ ...... Quare ſimillimum vero eſt, eos ætate Moſis extitiſſe. Quo „ conſtituto ...... „ Autor Animadverſionum in Hiſtoriam Criticam *Differt. præl. pag. 70. col. 2.* Simonii, hoc loci obſervat: *Ea nihilo ſecius omnia probabilitatis fines non egredi*. „ Ita ut, ſubdit Dupinus, rem decernens Simonius ſummæ pro „ Religionis negotio gravitatis, qualis eſt Autoritas Pentateuci, qua„ dam poſitione & ſimplici Hypotheſi; ei ſatis nutans fundamentum „ ſubſtruxit. „

Quapropter non poſſum quin aliud hujuſmodi afferam exemplum; cum ſatis ſuperque arrideat Criticis noſtris probatio iſta, & nimium etiam in ipſorum voluminibus reperiatur. Criticorum plerique in eo conſentiunt, *Baill. Tab. Crit. 22. Sept.* Hiſtoriam S. S. Mauritii & ſociorum, a S. Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi exaratam, atque a Patre Chiffletio in *Paulino illuſtrato* publici juris factam, omnes autoritatis numeros habere. * Cum autem Tillemontius & Bailletus exiſtimaverint, eandem Hiſtoriam, quam luce do-

* Joannes a Burgo Dei, Miniſter Montis Perſullani addendum curavit anno 1705. Libellum hoc titulo: *Diſſertatio Hiſtorica & Critica de Martyrio Legionis Thebanæ*, quo liquido oſtendere nititur, cum narrationem Martyrii iſtorum Militum Thebæorum, quæ in Surio legitur, tum aliam Eucherio adſcriptam commentitias eſſe. Movetur his. 1. quod elegantiſſima ſit Eucherii ad Valerianum Epiſtola; pedeſter vero hujus Hiſtoriæ ſtylus: 2. quod Mauritium appellet Eucherius pro *Legionis Præfecto*, *Legionis Primicerium*: 3. viſum & ſermonem *S. S.* iſtorum ad Ethnicum quendam complectatur; indigna planæ, quæ Eucherio vendicemus.

navit

tiavit Surius, deſcripſit vero Autor VII. Sæculi, ad Sanctorum iſtorum Hiſtoriam abſolvendam pertinere poſſe, integrum quoque eſſe ſibi cenſuerunt, eam in cenſum ſuum traducere. Porro intererat propterea viam quandam inveſtigare, qua pondus aliquod autoritatis acquireret monumentum nullius ex eorum doctrina exiſtimationis. Criticen igitur excutiunt ſuam, quæ ipſis ſemper adjumenta comparavit, unde ſibi faventia ſtatuerent, & jacentia erigerent. Non alia ſane de cauſſa eruditiſſimus Tillemontius hoc in diſcrimine ad communem ſuam de rebus vero ſimilibus regulam convertit animum, præhabitiſque citra rationem ullam tribus aut quatuor capitibus, id ſatis eſſe ſibi perſuaſit, ut ſingularem acciperet exiſtimationem Hiſtoria Mauricii Suriana, ipſiuſque inſtituto, ut magis libuerit, apta eſſet. Attende quo id præſtiterit modo.

In ſpeciem eſt, inquit, Monachum quendam S. Mauricii; ſive, ut Bailleti verba recitemus, *fertur*, Monachum Agaunenſem, vel S. Mauricii in regione Valeſia ad annum 650. hanc Hiſtoriam a Surio traditam deſcripſiſſe: *in ſpeciem* item eſt, eam ex Monaſterii ſui Traditionibus concinnaſſe: *videtur* demum a vetuſtiori Scriptore rem didiciſſe. Quibus jactis conficit: „ Quamobrem viſum eſt nobis, abs re non eſſe, ea nonnunquam uti. „ *Tillem. Tom. 4. art. 4. de S. Maur. pag. 422.*

Perſpexiſtis quid demum autoritatis attulerint Actis iſtis Critici noſtri; autoritas, quæ ſimplicibus duntaxat veri ſimilitudinibus fulcitur, quave graviſſima facta roborantur, præſertim ſummum Martyrii S. Mauritii & Sociorum ejus caput, de quo S. Eucherium *ſeſe implicaſſe* contendunt, & falſum hunc Autorem certiorem Eucherio cognitionem habuiſſe.

Nihilominus in ſpeciem eſt, inquiet aliquis, omnes haſce veri ſpecies nullam reipſa veri ſpeciem in ſeſe continere. Eccur etenim Hiſtoriæ hujus Autorem Monachum deſignare, & quæ de S. Mauritio tradidit litteris ab alio eum Scriptore accepiſſe profiteri, eum, Bailleto teſte, *æque ipſe atque ejus ſponſores ignoti ſunt*? Quæ veri ſpecies, Monachum iſtum ex Monaſterii ſui Traditionibus narrationem illam collegiſſe; eum * Monaſterium illud tertio duntaxat a Mauricii & Sociorum ejus obitu ſæculo, aut per alios anno circiter 515. conſtructum ſit, ** ut Traditiones *Baill. Tab. Crit. 22. Sept. in Vita S. Mauricii.*

* Sigiſmundus Burgundionum Rex, poſtquam *S.* Aviti Viennenſis opera Jeſu Chriſto nomen dedit, Sanctis Martyribus iſtis addictiſſimus fuit: ædificari Agauni præcepit celebre Monaſterium, Mauricii deinceps nomine inſignitum, cui redditus multos elargitus eſt, ibique ſe humari juſſit, conſtituto *quotidiano Pſalterio*, ut ajt S. Gregorius Turon. l. 2. *de Gloria Mart.* cap. 75., aut *Laude perenni*; ut placet aliis.

** Sentiunt ita Mabillonius Tomo 1. Act. Ord. S. Bened. pag. 568., & Theodoricus Ruinartius Act. Select. pag. 288. contendentes ante annum 515. extructum fuiſſe Monaſterium Agaunenſe, ducti titulo Fragmenti

inde deſcendentes ſexto ſolummodo ævo cœperint propagari? Moneant porro, quo hæc profluxerint rivulo duobus aut tribus Sæculis, & a quo id didicerint priores Monaſterii illius Monachi, ut ad illum derivarent, qui VII. labente, ea poſteris commendavit. *Quæ ſpecies* inſuper, Autorem hunc, inſtituto vitæ, ætate, & propugnatoribus ſuis prorſus obſcurum de S. Mauritii Martyrio certiorem effectum fuiſſe, quam Eucherium, qui centum quinquaginta poſt annis eam Hiſtoriam lucubravit? *Quæ tandem ſpecies*, Traditionem Mauritiani Monaſterii, tribus circiter Sæculis recentioris, atque a Monacho traductam VII. Sæculi, *aliquid probabilius afferre, quam ab Eucherio deductam*, qui per ipſum Tillemontium a Viris fide dignis S.S. iſtorum Geſtis imbutus fuerit, ad quos ea Traditione ingenua manaverint? * Nullum monumentum erit, quantumvis depravatum, quod ſimilium rerum iſtarum uſu in aliquam non veniat exiſtimationem, atque audacter nequeat adhiberi.

Tom. 4. annot. 2. in S. Maur. pag. 696. col. 2. Ibidem art. de S. Maur. pag. 432.

ARTICULUS IV.

De conjectura ducta ab iis Scriptis, quæ fabulis reſperſa ſunt, rebuſque minus probabilibus & a veritatis ſpecie remotis.

NUllum certius eſt iis, qui Criticis noſtris animum præbere velint, mendacis Operis indicium, quam ſi fabulæ in eo, & facta aut probabili aut recto judicio adverſantia deprehendantur. Inter ceteras, quas Dupinus ad monumenti alicujus veritatem explorandam, rogavit leges, ea eſt: *utrum Hiſtorias plane fabuloſas præſeferat*; quicum conſentit Alexander; Tillemontius vero, Bailletus, aliique ad eam non raro ſe recipiunt, ut plurima Martyrum Acta, Sanctorum Vitas, facta, atque Opera peſſundent, cum extraordinarias res, & fide difficili, & fabulas olentes complectuntur.

Dupin. in Præf. p. 38. Alex. Sæc. 1. cap. XI. art. 6. Cave. Rivet. Clericus.

Homiliæ S. Aviti ferente: *Dicta in Baſilica Sanctorum Agaunenſium in innovatione Monaſterii ipſius vel paſſione Martyrum*. Quo fit, ut potuerit quidem Sigiſmundus aliquanto junior Monaſterium augere divitiis, & inſtaurare; non vero a fundamentis excitare.

* Teſtabantur Viri, e quibus S. Mauritii Geſta hauſit Eucherius, ſe illa ab Iſaaco Genevenſi Epiſcopo accepiſſe; hunc autem a Theodoro ejus loci Epiſcopo, in quo paſſus fuerat Mauritius, quique illa ab ipſis rei teſtibus percipere poterat. Paul. illuſtr. pag. 91. & 92.

Hu-

Hujus regulæ monito operibus certo ſuppoſitis accenſent Dupinus & Alexander Proto-Evangelium S. Jacobi a Neandro editum; Evangelium Nicodemi; Vitam S. Joannis, cuidam nomine Prochoro ex ſeptem prioribus Diaconis uno tributam; Libros de S. S. Petri & Pauli Paſſione, qui S. Lini titulo circumferuntur; Abdiæ Librum, Apoſtolorum geſta narrantem, aliaque id genus monumenta plura; quod totidem ſint narratiunculis & fabellis ſcatentia monumenta.

Eodem docente pronunciato, nullam vero propinquitatem agnoſcunt Tillemontius & Bailletus in Vita Sanctæ Theclæ, aſcito Baſilii Seleucienſis vocabulo conſcripta, in Vita S. Mariæ, Tertulli cujuſdam famulæ; in Actis S. Sabinæ, S. Abercii, S. Gliceriæ; aliiſque ſimilibus monumentis, quæ per iſtos incredibilibus, abſurdis, omninoque a veritate abhorrentibus rebus plena ſunt.

At ſi confictum illud ſcriptum eſt, quod fabuloſis inficitur narrationibus, non teneo, qua ratione Barnabæ Epiſtolam Dupinus & Cavius, Hegeſippum S. Jacobi mortem referentem mordicus tuentur; Tillemontius, Bailletus, & Ruinartius atque ut paucis rem tranſigam, qua ad infinitum abirem, quomodo P. Alexander, ceterique unanimi conſenſu cum Eccleſiæ Patres, tum Doctores ſuffragium ferant pro Paſtoris Libro, & prima S. Clementis ad Corinthios Epiſtola; egregio illo antiquitatis Chriſtianæ monumento Priſcis omnibus celeberrimo. Ægre etenim alia reperias, quæ fabulis accedant propius, minuſque fidem mereantur, quam Hyenæ ſexum mutantis Hiſtoria; (quod naturam inveſtigantibus refragari P. Alexander exiſtimat) Phoenix e cineribus ſuis reſurgens, plures ultra Oceanum Orbes, quæ omnia Epiſtola ſua perſequitur Clemens. Ubinam occurrent ad fabularum ingenium magis compoſita, quam quæ tradit Hermas de Angelo *Hegrino*, Brutis imperante; de Baptiſmo Patriarchis *Lib. 1. cap. 4.* Apoſtolorum opera poſt illorum interitum collato; de duobus Geniis, bono altero, altero malo hominibus deſignatis? Queis addas per me licet veterum nonnullorum opinionem, qui dixerunt, S. Joannem Baptiſtam nunciatum iviſſe Jeſum Chriſtum Juſtis iis, qui ante ipſum occubuerant, quod Apoſtolis quoque commune faciunt Clemens Alexandrinus & Origenes; Millenariorum fabulam, aliaque ſimilia his, quæ nihil minus communem rerum ordinem & fidem ſuperant.

Magnopere etiam laborabis in Criticorum legibus cum propriis illorum initiis conciliandis. Cum etenim affirmaverit Dupinus, Hiſtoriam Phœnicis, a Clemente in Epiſtola ad Corinthios commemoratam, in fabulas proniorem eſſe iis, quæ de quorundam Animalium facultatibus in Epiſtola ſua tradit Barnabas, in hoc magnum effatum ab Alexandro *Dupinus Tomo 9. pag. 19.* ſimiliter uſurpatum erumpit: „ Quorſum autem certis adeo perſpicuiſ- *Alex. Tomo 1. Sec. 1. cap. XI. art. 10.*

N n 2 que

„ quæ rebus confirmandis immorari; cum omnibus compertum ſit, pri„ morum Chriſtianorum Libros fabulis iſtis redundare? „

Si primorum Chriſtianorum Libri fabulis iſtis redundant; cedo, quare monumenta ſuppoſititia proclamare Prochori, Lini, & Abdiæ Volumina, aliaque, de quibus dictum eſt; quia fabulis & narratiunculis referta ſunt, & in quibus non apparent facta magis incredibilia, quam quæ in Virorum iſtorum Apoſtolicorum Epiſtolis leguntur? Alibi quoque hæc ſub ſtylum venient; quamobrem iis modo ſuperſedemus.

ARTICULUS V.

De conjectura capta a Titulis, Inſcriptionibus, & tempore Litteris mendoſe adſcripto, quod a factis & monumentis, de quibus agitur, diſcrepat.

Quoddam eſt Tillemontii argumentum, quo Acta Sancti Hyacinthi oſtendat vitium ſubiiſſe, Formula a Præfecto uſurpata: *Domini noſtri Imperatores juſſerunt*. „ Id non congruit, inquit Criticus, „ niſi temporibus illis, quibus plures regnabant Imperatores, neque crediderim id ante Marcum Aurelium reperiri. Qua de re aut falſa ſunt „ Acta, aut Hyacinthus non oppetiit mortem Trajani ætate; quod pro„ batum fuit Baronio. „

Tillem. Tomo 2. annot. 5. in perſec. Trajani pag. 625. col. 1.

In Vita S. Mariæ famulæ mentio cujuſdam in Chriſtianos Edicti ſit, quod inſcribitur: *Maximianus, Adrianus, Antoninus, Pii, Felices, Auguſti*. Aſſeverat Tillemontius, hunc titulum perſpicue Actorum iſtorum falſitatem indicare. „ Antoninus quidem, ait, cum Adriano imperium geſſit; at Cæſaris non Auguſti nomine decoratus. Solus ille, „ Adriano jam extincto, *Pii*, non autem *Felicis* nomenclaturam ſorti„ tus eſt; neutram Adrianus. „

Tomo 2. annot. 5. in perſecutionem Adriani pag. 629. col. 2.

Quarta eodem Critico de Sanctæ Sabinæ Actis dubitandi ratio eſt, quod ſæpius Imperatorum & Auguſtorum verba interſerant. „ Non novi, ait, hunc loquendi morem Adriani temporibus invaluiſſe, quibus „ hæc contigiſſe autumant; cum ante M. Aurelium nemo in dignitatis „ illius ſupremæ ſocium ſibi quemquam aſciverit. „ Dupinus poſtremo tempus vitioſe Epiſtolis appoſitum in ſignorum numero collocat; unde monumenti alicujus fraudem aperiamus.

Ibidem annot. 1. in S. Sab. pag. 640. col. 2.

Dupinus in Præf. pag. 36. Item Tomo 1. pag. 4. & 71.

Admiſſis itaque illuſtrium Criticorum noſtrorum pronunciatis iſtis, liceret fortaſſe alicui S. Ignatii Acta adulterina judicare. Habent enim, Sanctum

ctum hunc quarto Trajani Imperatoris anno, quod illius præceptis non paruerit, igni traditum: *Trajano enim poſt quartum annum Imperii ſui, elato de Victoria*. Nihilo ſecius Tillemontius aliique eum anno Chriſti 107. Trajani Imperantis decimo vitam profudiſſe teſtantur. Suſpicio item ſuboriri poterit de Reſcripto, vulgo, Antonini ad Aſiæ Provincias pro Chriſtianis dato, quod huic Principi tribuit Tillemontius annot. XI. in S. Juſtinum, utrum ad M. Aurelium citius ſpectet; quoniam hujus Epiſtolæ titulus, ut ab Euſebio, & Chronico Alexandrino recitatur, Marcum Aurelium aperte ſignat: Μάρκος Αὐρήλιος Ἀρμένιος &c. Rufinus haud aliter legit Euſebium.

Ruinart. Act. Sel. pag. 11. num. 2.

Euſeb. l. 4. c. 13

Erit tum, cur dubitemus, anne Juſtinus 150. * anno præclariſſimam ſuam Apologiam obtulerit, an vero decem aut duodecim ante annis. In titulo nanque hujus Apologiæ Marcum Aurelium Cæſarem non appellat, quo tamen honore anno 139. donatus fuerat. Inſuper fas erit Euſebio, Hieronymo, a quibus non diſſentit Tillemontius, inficias ire dicentibus, parvam S. Juſtini Apologiam ** Marco Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus confectam eſſe: Juſtinus etenim de illa fœmina Chriſtiana ſermonem habens, quæ a Viro diſſociata eſt, eam perhibet Apologiam non *Imperatoribus*, ſed *Imperatori* exhibuiſſe, qui alius eſſe non poterat ab Antonino. Licebit negare Juſtinum Marco Aurelio & Lucio Vero Romanis Principibus ex Tillemontii Chronologia mortem haud obiiſſe. Narrant enim ipſius Acta, Præfectum ſententiam in eum tuliſſe his verbis: Obtruncabuntur Martyres; *qui Diis ſacrificare, ac Imperatoris Edicto parere noluerunt*. Nonne interpellare Tillemontium quis poſſet: cur unius Imperatoris meminit, duobus imperantibus? Jam ab initio Actorum S. Juſtini unus duntaxat Imperator commemoratur. Rufticus inquit Juſtino: *Eſto Diis ipſis obediens, & Imperatoris Edictis*. Hæc omnia argumento eſſe poſſent monumenta iſta fucata eſſe; ſi nobiliſſimorum Criticorum ponderibus eſſent examimanda.

Ruinart. Act. Sel. pag. 45. num. 5.

Ibidem pag. 45. num. 2.

* Tertia hæc eſt, quæ apud Imperatores Chriſtianorum cauſſam oraret. Juſtinus eam Romæ anno circiter 150., & Imperatoris Antonini, 13. lucubravit. Obtulit deinde eidem Tito-Antonino, & duobus illius adoptione filiis, Veriſſimo, qui Marcus Aurelius; tum Cæſari, & Lucio Vero; quibus duobus Philoſophorum nomen Juſtinus imponit. Hæc Apologia non Principibus iſtis tantum; ſed Senatui, populoque Romano univerſo inſcripta fuit.

** Parva S. Juſtini, quam M. Aurelio miſit, Apologia temporis ordine ſecunda eſt, quamvis in editis exemplaribus priorem locum obtineat. Valeſius *in Notis ad cap. 17. l. 4. Hiſt. Euſ.* Euſebio, Hieronymo, & majori Sapientum numero adverſatur, atque hanc Apologiam Tito-Antonino, non Marco Aurelio oblatam docet. Contra Tillemontius Tomo 2. annot. 12. in S. Juſt. pag. 695., & Theodoricus Ruinartius in Act. Sel. pag. 35. Valeſii momenta recitant, & concluſe diſſolvunt.

D. Ju-

Till. tomo 2. annot. 4. in S. Ignat. p. 621. col. 1.
Ibidem annot. XI. in S. Juſtinum p. 592. col. 2.
Ibidem annot. 2. in Marcion pag. 649. col. 2.
Ibidem pag. 695. col. 2. & p. 696. col. 1.

Diluuntur hæc omnia : 1. quia Exſcriptorum vitio dandum eſt, falſo appoſitum eſſe tempus in Epiſtolis Ignatii : quartum etenim pro Nono Trajani imperii anno adnotarunt. 2. Titulum in Epiſtola e Chriſtianis ad Aſiæ Provincias data, & M. Aurelii nomen ferente, apud Euſebium interpolatum ſine ulla dubitatione fuiſſe : quantumcunque vetuſta ſit iſta corruptio. 3. Cæſaris verbum prætermiſſum in Apologiæ S. Juſtini titulo, ſive Sancti iſtius imprudentia, ſive Librarii errore. 4. Fœmina illa a S. Juſtino in parva ſua Apologia memorata, quamvis uno, non pluribus Imperatoribus ſupplicem libellum obtulerit, id non officere, quominus illum ſub Marci Aurelii & Lucii Veri dederit Imperio. Quod ſi unius duntaxat Principis eo loci mentio ſit, id contigiſſe, quia ambobus exhibita non fuerit ſupplex tabella, ſive id moris eſſet, ſive, ut ſit veroſimilius, tum Lucius Verus in Syria Parthico bello diſtineretur. Quod attinet ad Sancti Juſtini ſententiam, reſpondet, unius tantum Imperatoris, cum duo eſſent, nomen in ea apparere; quoniam Decretum hoc, utpote peculiaris in ſpeciem Epiſtola, uni duntaxat merito adſcribi potuit, non habita Collegæ ratione, cui nihil rei erat in illo negotio, & fortaſſe per id temporis millibus leucis Roma aberat.

Ibid. annot. 13 p. 702. col. 2.

Quocunque demum ingenioſas haſce Tillemontii conjecturas honore proſequamur, dubitationes tamen noſtras nequaquam tollunt, quo fit, ut nonnulla animadvertere cogamur. Primum ſit, non conſtare nobis, quamobrem cautum eſſe debeat Sanctorum Hiſtoricis, ne ab iiſdem conjecturis præſidium petant, quo S. Hyacinthi, S. Mariæ famulæ, Sanctæ Sabinæ, aliorumque Martyrum Acta vindicent a calumniæ ſuſpicione, qua laborant ob mendaces titulos, atque adjuncta aliorum, Martyrii Epochæ minime reſpondentia. Hoc autem iccirco, quod 1. non urget major ratio, cur Exſcriptorum ſocordiæ vitio vertamus errata in Actorum iſtorum titulis deprehenſa, potius quam ea, quæ in alios irrepſerunt, Tillemontio, eaſdem licet maculas contraxerint, probatos. Aut certe ipſius eſt definire, quænam ſint in Operibus rejiciendis ſuppoſitionis notæ, quibus legitima non afficiantur. 2. peræque nos arbitrari poſſe, in Actis Martyrum, de quibus ſuperius, titulos depravatos fuiſſe; ac veritatis imaginem refert, Antonini Reſcriptum in Euſebio ab integritate primæva deſciviſſe. 3. exploratius non eſſe in Hiſtoria fallaciæ ſpecimen ejus titulum de duobus Imperatoribus monere cum unus fuerit, quam de uno, cum fuerint duo. Denique quare non erit Sanctorum Hiſtoricis libitum, iiſdem uti reſponſis; quæ adhibet plerumque Tillemontius, quoties ſuper hujuſmodi erroribus in anguſtias compellitur? Annotatione in Marcionitas altera, ut culpa vacare oſtendat, quod in magnæ S. Juſtini Apologiæ titulo Marcus Aurelius Cæſar non appelletur:

Till. Tomo 3. annot. 16. in Decium pag. 710. col. 1.

Digitized by Google

tur : „ Æquum fortaſſe non eſt, inquit, ſummam adeo in Juſtino diligentiam hac de re flagitare, quippe qui cum Martyrem loquentem induxiſſet in ſecunda Apologia conſcripta Marco Aurelio, & Lucio Vero, utriſque Auguſtis, priori Imperatoris titulum accommodat, Collegæ ne Cæſaris quidem. „ Prima quoque in S. Nazarium annotatione, de eo Paulinum, aut Sancti illius Actorum Scriptorem purgaturus, quod in Hiſtoria Sanctorum Nazarii & Celſi tempus, quo data eſt, non appoſuerit : „ Neminem latet, ait Tillemontius, complures Chronologia nec leviter tinctos ad Hiſtorias concinnandas accedere. „

Tome 2. Annot. 2. in Marcion. pag. 649. col. 2.

Tome 2. pag. 543 col. 2.

Quod ſi æquum non eſt ſummam adeo diligentiam flagitare in tantæ celebritatis Patre, ut erat Juſtinus, atque in graviſſimo Libello per ſe ſe Imperatoribus delato; mirum non videbitur, nonnulla accurationis vitia in multorum Martyrum Actis reperiri, quorum Autores intelligentia tanta, quanta Philoſophus ille, minime pollebant : mandabant etenim litteris ſæpe, quæ fando audierant; & Hiſtoriam texentes, favendæ pietati Fidelium magis incumbebant, quam adamuſſim ſervandis Chronologiæ univerſæ Dogmatibus. Quapropter labes in monumentis iſtis deprehenſæ nihilo magis iis nocere debent, quam quæ in legitimis minus accuratis reperiuntur.

Sit altera animadverſio, me non poſſe animo exhaurire, quo Sapientis hujus Critici reſponſa modo cum propriis ipſius principiis ſocietatem inire queant. Quadrageſima nanque in Sanctum Juſtinum annotatione planum facere nititur, Reſcriptum pro Aſiæ Chriſtianis ad Antoninum, non Marcum Aurelium pertinere : ſi etenim poſtremi hujus eſſet, mentio Lucii Veri Collegæ ſui aliqua interceſſiſſet : e quibus hoc elicit effatum : „ Lucius Verus Marco Aurelio ſocius erat Imperii anno 161. Auguſti titulo, ſecumque Romæ degebat. Quid eſt igitur, quod ipſius nomen in titulo deſideratur, quod Epiſtola ſingularem perpetuo perſonam uſurpat ? Notum eſt, impoſterum multis Imperii ſummam ſimul gerentibus, ab uno geſta, altero abſente, immo non ſemel repugnante, utrorumque nomine facta fuiſſe, tum etiam cum unuſquiſque eorum partem Imperii ſuam adminiſtrabat : idque moris obtinuiſſe putem ſub ipſis Marco Aurelio & Lucio Vero, qui conjunctim nulla partitione Provinciarum imperabant. „ Nos monet hujuſmodi regula, ſi Juſtinus Marco Aurelio & Lucio Vero Principibus caput dediſſet, futurum fuiſſe, ut Sententiæ verba efferrentur a Præfecto in hunc modum : eum capite cum Sociis plectendum, quod Imperatorum, non *Imperatoris Edicto parere noluerit*; quandoquidem, teſte Tillemontio, *multis Imperii ſummam ſimul gerentibus, ab uno geſta,*

Tillem. Tome 2 pag. 693 col. 1.

ſta , altero abſente , immo non ſemel repugnante, utrorumque nomine fiebant.

Ceterum videtur inſuper, etiamſi M. Aurelii Decretum , de quo in Actis Juſtini, *Imperatoris Edicto*, peculiaris quædam Epiſtola fuiſſet, nihilque ſolemne & publicum , ardua ſane dictu res , prætuliſſet ; non tamen ipſi ſoli tribuendum, *nulla College habita ratione : etſi is Roma tum millibus Leucis abeſſet*. In hanc per ſeſe ſententiam ampliſſimus Criticus deſcendit, priori in Martyres Lugdunenſes annotatione. Opinatur Doduvelus, Marcum Aurelium anno 167. ad Galliarum Præfectum ſuper Martyribus Lugdunenſibus reſcripſiſſe ; & quamquam eo tempore Lucius Verus in Imperatoriæ poteſtatis ſocietatem veniſſet , unius duntaxat nomine ſignatum fuiſſe Reſcriptum ; quia nondum ab Oriente red-

Tome 3. p. 597. col. 2. ierat Lucius Verus . „ Hoc tamen ſatis non eſt, reponit Tillemontius; „ Imperatorum ſiquidem abſentia non obſtabat , quominus in Reſcri-„ ptis & Libellis ſupplicibus eorum nomina ſcriberentur. „

Accedat iſtis tertia animadverſio. Non erit multi operis monumentis omni exceptione majoribus conſtituere , aliquando , duobus regnantibus, unicum Imperatorem ſignificari, aut unius Imperio duos; atque in Actis ſummæ autoritatis ſingulari & plurali numero promiſcue Imperatores nominari .

Offert ſe ſe primo loco diſputationi noſtræ exemplum a S. Felicitatis ejuſque filiorum Hiſtoria ſumtum , qui mortem pro Chriſto ſub Tito

Ruinart. Act. Sel. p. 21. Antonino exceperunt. In ea legere eſt verba hæc: *Dominus noſter Imperator Antoninus juſſit*, nonnulliſque lineis interjectis: *Auguſtorum inſtituta contemnitis?* Cum plures ſignantur nomine Imperatores, reſpondet Tillemon-

Tome 2. art. de S. Felic. p. 355. tius, id commode ad M. Aurelii & Lucii Veri tempora refertur; eumque Marcum Aurelium tantummodo appellant, in cauſſa fuit, quod tum Lucius Verus Bellum adverſus Parthos gerebat . At non facile eſt, ut credamus, Autoris Actorum iſtorum animo obverſatum fuiſſe unum duntaxat Imperatorem cum dicebat : *Dominus noſter Imperator Antoninus juſſit* ; & quinque aut ſex poſt verſiculis de duobus loqui decreviſſe: videlicet, cum Antoninum nuncupat, M. Aurelium intelligere, non ſpectato Lucio Vero; cum vero plures indicat, tum ei in memoriam rediiſſe deperditam Lucii Veri ſpeciem. Paratum ne ullum erudito Critico conſilium fuiſſet, quo inter hoc reſponſum, & exempla ſequentia conveniret? Certum apud omnes eſt, S. Acocii Martyris Acta eſſe integerrima, quippe a tabulis publicis depromta : nihilominus Imperatores utroque efferunt numero ſine diſcrimine. Marcianus Judex Sanctum Martyrem monet: *de-*

Ruinart. Act. Sel. p. 139. *bes amare Principes noſtros*. Cui Acacius. *Et cui magis cordi eſt , vel a quo ſic diligitur Imperator , quemadmodum ab omnibus Chriſtianis ?* Erat au-

autem Decius, qui ſolus imperavit. Habent etiam Acta Sancti Maximi Martyris, quæ genuina profecto ſunt, & ſenſum pietatis ingerunt, Optimum Proconſulem dixiſſe Sanctis: *Decius Imperator Decreta conſtituit*, & paullo poſt: *Non cognoviſti Decreta inviċtiſſimorum Principum*, & deinceps modo unius, modo plurium Principum meminit. *Ibidem p.144.*

Martyrum Lampſacenſium Acta, ex pulcherrimis, quæ exſtant, Eccleſiæ monumentis, hæc verba producunt a Judice cuidam ex his Martyri, Petro nuncupato, dicta: *Habes ante oculos Decreta inviċtiſſimorum Principum*. Nemo tamen in dubium revocat, Sanctos iſtos, Decio Chriſtianos inſectante, e vivis ſublatos fuiſſe. Idem obſervare licet in Actis Sanctorum Luciani & Marciani ſub eodem Imperatore interfectorum: *inviċtiſſimos Principes*. *Ibidem p.147.* *Ibidem pag.158.*

Nemo unus ignorat, Sanctorum Claudii, Neonis, & Aſterii Acta e Tabulario ad nos perveniſſe: adeoque ſummam ſibi autoritatem vendicare: verumtamen Claudio Lyſias Proconſul indixit: *Sacrifica Diis ſecundum præceptum Domini noſtri Auguſti*. Cumque ad thus adolendum Sanctum adigere vellet, ſubjunxit: *Domini noſtri Imperatores juſſerunt, Chriſtianos vos ſacrificare Diis*. Baronii exemplar reddit, *Domini noſtri Imperatores, ... & Auguſti noſtri juſſerunt*. Subſcriptione vero Actorum iſtorum colligitur manifeſto, eos anno 285., Diocletiano Romanam ditionem ſine Collega tenente, Martyrio abſumtos fuiſſe. Identidem pariter videmus, de duobus Imperatoribus ſermonem haberi, unus licet uſurpetur: ſiquidem cum ſciſcitaretur ex Carnifice Sapricius; cur illum jugularet, reſponſum accepit: *Quoniam noluiſti Diis ſacrificare, ſed contempſiſti Ediċtum Imperatoris*. Porro extra aleam eſt, S. Nicephorum morte mulctatum ſub Valeriano & Gallieno. *Ruinart. Act. ſel. pag. 248.*

Legimus poſtremo in Tractatu Euſebiano de Martyribus Palæſtinæ, Præfectum juſſiſſe Procopio primo in illa perſecutione Martyri, ut quatuor Imperatoribus rem divinam offerret: *cum vero quatuor Imperatoribus libari juberetur*. Si in hæc verba incidiſſent Critici noſtri, Actis inſerta, quibus non ſapit palatus eorum, fidenter admodum monumentum illud falſitatis inſimularent; quod ſcilicet nunquam quatuor Imperatores una dignitate illa fuerint honeſtati. * Viſum eſt copioſius aliquanto in re hac verſari; ut monumentis, per Tillemontium ipſum genuinis, conficeretur, haud raro mentionem unius factam fuiſſe Imperatoris, cum duo eſſent, duorum, cum unus tantum; proindeque non eſſe iſtam in Actis, quæ hoc pacto loquuntur, germanam ſuppoſitionis notam. *Euſeb. de Mart. Paleſt. c. 1.*

* Per id temporis duo renunciati fuerant Imperatores Diocletianus, & Maximianus-Hercules; duo itidem Cæſares Conſtantius-Chlorus, & Galienus-Maximianus.

Quæ cum ita ſint, erit ne jus Criticis nuperis ad monumenta adulterine, quæ Sanctorum Hiſtorici proferunt in medium, dignoſcenda, ſancire Leges, atque ab ipſis continuo diſcedere? Licebit ipſis, exceptionem rebus dare; ut errata, quæ in rejiciendis operibus deprehendunt, erratorum ſpeciem amittant in iis, quæ amplectuntur? Fas erit de arbitrio culparum illarum patrocinium ſuſcipere, quæ in aliis nulla purgari excuſatione poſſunt? Tantam ne penes ſe arbitrantur poteſtatem eſſe, ut noſ temere ad aſſentiendum inducant reſponſis iis, quæ propria ipſorum principia ſubvertunt; eumque, intercluſa ad quamlibet appellationem via, Hiſtorici alicujus Sanctorum narrationem damnant, ubi in ejuſdem æquales, aut fortaſſe minores labes incurrunt?

ARTICULUS VI.

De conjectura temporis, quo lucubrata ſunt Opera, aut facta contigerunt: deque additionibus, quæ in Veteribus Monumentis conſpiciuntur.

SI quando ea complectitur Liber aut Hiſtoria, quæ Scriptoris tempori non congruunt, ſive interſerit adjuncta factis, de quorum veritate laboramus, minus accommodata; id ſane conſtanter admodum declarat, ſuppoſititium librum eſſe, Hiſtoriamque mendacem. Fraudulentis „ hominibus uſuvenit, inquit Dupinus, in ſermonem delabi de Viris lon„ go poſt tempore, quam ii, quibus aſcribunt opera, florentibus; & „ Hiſtorias recitare, quæ illis jamdiu extinctis contigerunt; Urbium po„ pulorumque meminiſſe, tempore, quo Autores illi ſcribebant, in ho„ minum ignoratione verſantium; Autores laudare iis, quos loquentes „ inducunt, recentiores; inſtitutorum denique & cæremoniarum memo„ riam uſurpare, de quibus tum altum ſilentium erat. „

Dup. Bibl. in Præf. 1. part. pag. 37.

Cujus regulæ exercitatione Criticus hic primam & quintam S. Clementis ad Jacobum fratrem Domini Epiſtolas arguit falſitatis. „ Harum inquit Epi„ ſtolarum prima indicat, S. Clementem eam poſt S. Petri interitum exaraſſe; „ aliaque ad S. Jacobum Clementis Epiſcopi Romani S. Petri ſucceſſoris „ nomine miſſa eſt. „ Porro ſtat firmum & conſtans, Jacobum, cui utræque Litteræ, ante S. Petrum deceſſiſſe.

Tom. 1. p. 665.

Eadem favente lege Dupinus, Alexander, aliique Critici Apocryphis annumerant Liturgiam S. Petri, quæ S. Marci titulum habet; quæ S. Matthæi, & aliam S. Jacobo tributam; Libros Mercurii Triſmegiſti; qui

S. Dio-

S. Dionyſii Areopagitæ vocabulo noti ſunt ; aliaque opera non pauca , in quibus ſe produnt Cæremoniæ, mores, facta, Hiſtoriæ , quæ ea minus vetuſta pronunciant, & Autoribus , quibus tribui ſolent , poſteriora, atque ipſorum ſæculo minime conſentanea . Ad cujus inſuper normam , ſpecimen ſuppoſitionis in Epiſtolis S. Martialis, & primorum Pontificum ad Siricium uſque eſſe putant , quod plura in iis proferantur Sacrorum Bibliorum loca ſecundum Verſionem vulgatam, longo poſt Scriptores illos tempore confectam. Tillemontius denique & Bailletus multa Sanctorum Acta & Vitas abjiciunt ob id unum, quia eventis compacta ſunt , cum Martyrum & Sanctorum illorum ætate non cohærentibus.

Videtur itaque ex moniti hujus inſtitutione, abjudicandum Cypriano eſſe primum Teſtimoniorum Librum ad Quirinum: refertus enim eſt multis ex vulgata Interpretatione locis , ut non inficiatur idem Dupinus . Acta *Bibl. Tomo 1. p. 547.* quoque S.S. Lucii & Montani , qui anno circiter 260. cæſi ſunt , quorumque geſta inter pretioſa Antiquitatis Chriſtianæ Monumenta collocantur , fraudis notam ſubire poterunt ; legimus etenim in illis, & priori præſertim parte, Sanctorum illorum manuſcripta, non pauca Scripturarum loca Interprete Hieronymo . Idem exitus erit Hiſtoriæ S. Saturnini Afri *Apud Ruin. Act. ſel. p. 233.* ejuſque ſociorum, Actorum cum Juſtini, tum Cypriani ; atque, ut compIura alia vetuſta monumenta præteream , Moſes ipſe e Pentateuchi deturbari poterit poſſeſſione : cum in his operibus omnibus innumera pene reperiantur, quæ Autorum ſuorum ætati minime reſpondent.

Quoties ad refellendas S. Ignatii Epiſtolas cauſſantur Critici Proteſtantes , Valentinianorum in illis eorumque Dogmatum orationem admiſceri , cum dicitur, *Verbum e ſilentio non prodiiſſe* ; atque Ignatio compertos eſſe non potuiſſe Hæreticos iſtos, qui eo defuncto in arenam proſilierunt . „ Niſi ulla præſto eſſet, reponit Dupinus, his argumentis reſponſio, mal- *Bibl. tomo 1. pag. 129.* „ lem dicere additum ab aliquo locum illum . „ Egregium deinde hoc pronunciatum expromit , „ Multa ſunt opera , in quæ additamenta non- „ nulla irrepſerunt, ipſorum vetuſtatis decus in ſpeciem minuentia. Hu- „ juſmodi apparent plurima in Sanctis Bibliis, in Homero, in Herodoto, „ cunctiſque ferme Scriptoribus tum Eccleſiaſticis, tum profanis. „ Autor Epiſtolæ, vulgo Simonio tributæ , de Sacrorum Librorum afflatu Gall. fatetur neminem hanc Dupini legem perfringere poſſe , quantulumcunque MSS. ejuſdem Libri codicum volutaverit. *Ibid. p. 32.*

Eandem rurſus jubet legem Simonius in Hiſtoria Critica Novi Teſtamenti. „ Haud expedit , inquit , univerſum Actum aliquod reſpuere , pro- *c. 7. p. 97.* „ pterea quod conſecutis inde temporibus nonnihil aſcititium in illud il- „ lapſum ſit. Tum vero magis, cum Additiones iſtæ ſuſpicioſorum ho- „ minum opera minime fiunt, qui dolo malo Actum illud vitiare inten-

„ derent. Alias majorem Librorum partem explodere oporteret, cum pauciſſimi ſint qui alienam manum aliquando non paſſi fuerint. Nullum „ pariter ad hanc diem exſtaret Novi Teſtamenti exemplum, ſive Græcum „ ſive Latinum, ſive Syriacum, ſive Arabicum, quod legitimum jure cen- „ ſeri poſſet; cum nullum afferri poſſit, quocumque demum Idiomate „ exaratum, ab his additionibus omnino innoxium. In eadem ſententia „ ſunt Tillemontius & Bailletus, quæ adduntur hujuſmodi, nullo eſſe „ Actorum illorum veritati detrimento. Ruinartius ipſe animadvertit, in Acta exploratioris ſinceritatis ſub initium præcipue & ſub finem explicationes & facta quædam ab Autoribus illata fuiſſe; *ſed hinc*, ait, *nullatenus Actorum ipſorum autoritas minuitur*.

Ruinart. Act. ol. præf. p. 8.

Ecce duas regulas, ut videtur, toto cœlo diverſas. Si prior nanque in Opere aliquo fallaciæ ſpecimen præbet, altera excuſationem, neque macula vel minima inuri librum patitur. Quapropter ubi Critici Sapientes commemorata ſuperius opera, aliaque illis ſimilia de loco dejiciunt ob certa temporis poſterioris indicia; num interdictum eſſet in eos Dupiniana ſenſa jactare? *in hæc Opera additamenta nonnulla irrepſiſſe, ipſorum vetuſtatis decus in ſpeciem minuentia. Hujuſmodi apparere plurima in Sanctis Bibliis, atque in cunctis ferme Scriptoribus tum Eccleſiaſticis, tum profanis*: aut alia Tillemontii, Bailleti, & Ruinartii: *Hinc nullatenus Actorum iſtorum autoritas minuitur*: ſive Simonii: *Haud expedit univerſum Actum aliquod reſpuere propterea quod conſecutis inde temporibus nonnihil aſcititium in illud illaſpum ſit. Tum vero magis, cum additiones iſtæ ſuſpicioſorum hominum opera minime fiunt, qui dolo malo Actum illud vitiare intenderent*. Hoc autem plerumque in Tractationibus, de quibus modo, locum habere, quæ interpolatæ auctæque ſunt conſilio non iniquo.

Tillem. Tomo 5. pag. 231. Baill. Tab. Crit. XI. Febr. Till. Tomo 2. annot. 13. in S. S. Juſt. pag. 699. col. 1.

Quod ſi diſplicet Criticis noſtris præclariſſimis reſponſum hoc, quare illud uſurpant? Nonne uſurpant Tillemontius & Bailletus, ut S. Saturnini Afri, & ſociorum Acta a ſuſpicione liberent; & S. S. Juſtini & Cypriani tueantur, cum dicunt, plura iis adjunxiſſe Donatiſtas; iſtis vero addita multa & mutata fuiſſe, nulla autoritatis jactura? Nonne uſurpat Ruinartius, quo Selectorum Actorum ſuorum, quibus plura, re perfecta, acceſſerunt, veritatem ſartam tectamque defendat? Eandem adhibet ſolutionem Dupinus, non modo cauſſam agens tertii de Teſtimoniis ad Quirinum Libri, Cyprianum Autorem præferentis, multaque divinorum eloquiorum loca ex vulgata Interpretatione ſumentis; verum ſatis etiam plerisque objectis faciens, quæ Moſi Pentateuchum ſubtrahere conantur; nihilque ferme aliud reſpondere didicit, niſi poſt Moſen appoſita fuiſſe multa, multaque inverſa. Eodem demum recidunt Critici præſtantes, ut partes non exiguas 46. & 46. capitis Epiſtolæ primæ S. Clemen-

Dup. Bibl. Tomo 3. pag. 547. col. 2.

Dup. Differt. præl. pag. 78. 79. &c.

Clericus Art. Crit. Tomo 2. pag. 495.

tis

tis ad Corinthios, quæ adſcitæ videntur, monumento illi non nocere demonſtrent.

His poſitis, mihi videor videre, non eſſe, cur Critici eruditi eandem aliis ſuper hac re adimant facultatem: aut ſaltem intereſſe rei, ut certas condant leges, quibus diſcrimen fiat: quandonam additamenta, aut res, Scriptorum ætati non congruentes, de Operis falſitate convincant; quando autem excuſatione digna ſint; quod ſane hactenus eos præſtitiſſe me fugit, niſi tribus regulis contenti ſimus, quas edidit Dupinus e re nata Simonii contendentis: aut ineptam eſſe illius de Additionibus legem, aut dicendum Moſis nequaquam eſſe Pentateuchum. Duo priora Dupini pro Additionum regula effata, & pro vindicando Moſi Pentateucho, * egregie quidem propoſitum conficiunt. Quamvis autem iſtarum trium legum prima ad internoſcenda legitima & ſpuria volumina utiliſſima ſit: nihilo ſecius alteri vix ſolis Moſis Libris accommodari poſſet. De tertia etenim, quam *Principem* Dupinus appellat, eſtque revera aliarum, & æquiſſimæ Critices fundamentum, quæſtionem movebimus ſub iſtius Diſſertationis finem. *Dupin. Differt. prælim. pag 98. 99.*

ARTICULUS VII.

De conjectura, quam affert Scriptoris ſtilus.

HÆc graviſſimarum Criticæ diſciplinæ præceptionum una eſt, quibus Autoribus ſuppoſitorum & germanorum Operum delectum habeamus. „ Dictio, Dupinus ait, Lydius veluti lapis eſt, veritatem Librorum indicans & falſitatem; cum fieri nullo modo poſſit; ut eo ſucceſſu Scriptoris alicujus ratio dicendi exprimatur, quin nulla interdum varietas emergat. „ Eadem in cauſſa non levi eſt, quare *Indiculus Hæreſum*, qui in fine Præſcriptionum ſitus eſt; *Epiſtola de cibis Judæorum*; *de Trinitate* Liber, aliaque Opera a Tertulliano removere velint nonnulli, quod ſtilum ejus omnino non referant. Convenit pariter inter omnes, *Homiliam adverſus eos, qui aleis ludunt*, æque ac *Tractatum in Spectacula*, Librum *de Pudicitia*, & *Homiliam contra Novatianum* ob Orationis diſ- *Præf. 2. part. p. p. 38.* *Dup. Tomo I. pag. 181. 182.* *Ibidem pag. 528.*

* Prima Lex ita habet. „ Cum „ de Libri vetuſtate oon ſuppetunt „ argumeota; aliunde de illo conje„ ctura haud una in dubitationem „ adducimur, de illius falſitate pro„ nunciandum eſt. „ Altera vero ſic: „ Cum de Operis alicujus Au„ tore cooſtat, & innumeræ per„ ſpicuæque in rem hanc non de„ ſunt probationes, neceſſario fit, „ addita fuiſſe verba & nomina illa. „ Dupin. Differt. Prælim. pag. 99.

ſimi-

ſimilitudinem ad S. Cyprianum non pertinere: nec non ex eodem præſcripto Librum de *Singularitate Clericorum* neque Cypriani, neque Origenis, neque Hieronymi, neque Auguſtini fœtum dici poſſe, ipſo dicendi genere ab unoquoque iſtorum Patrum longe abhorrente.

Ibidem pag. 539.

Eſt ſane cur credamus, Criticos Ævi noſtri doctiſſimos Regulam iſtam a S. Dionyſio Alexandrino, Euſebio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Veteribus depromſiſſe, qui illius ſæpe comminiſcuntur. Per eam Hieronymus anceps eſſe videtur, num vetuſtiſſimum, quod ſuperſit, in quatuor Evangelia Commentarium, cujus ætatem evaſit ſola Interpretatio Latina in Patrum Bibliothecis, non ſecus ac aliud in Salomonis Proverbia Commentarium Theophilo Antiocheno Epiſcopo adſcribi poſſit: *Legi*, inquit, *ſub nomine ejus*, Theophili, *in Evangelium, & in Proverbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum ſuperiorum Voluminum elegantia & Phraſi non videntur congruere*. Item Pater de Minutio Felice diſſerens, animadvertit, extitiſſe Librum *de Fato*, celebri cuidam Patrono Romano tributum, qui quamquam ab Oratore eloquente profectus fuiſſet, differebat tamen genere loquendi a Dialogo pro Religionis defenſione, *Octavius*, inſcripto, quæ ejuſdem Autoris eſſe ferebatur. *Sed & alius ſub nomine ejus fertur de Fato, vel contra Mathematicos, qui, cum ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris Libri ſtilo convenire*.

Hier. in Cat.

Sanctus Auguſtinus hanc regulam ſecutus eſt, ut eorum refelleret opinionem, qui S. Cypriani de Hæreticorum Baptiſmate Epiſtolas commentitias eſſe exiſtimabant. *Non deſunt, qui hoc ſenſiſſe Cyprianum prorſus non concedant, ſed ſub ejus nomine fuiſſe confictum*. Duobus itaque capitibus eas ad Cyprianum ſpectare docet Auguſtinus, quorum præcipuum & primum ab ſtili ejuſdem cum ceteris Operibus ſimilitudine deducit. *Nos tamen duas ob res non negamus, illud ſenſiſſe Cyprianum; quod & ſtilus ejus habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci*.

Epiſt. 48. ad Vinc.

Tametſi nullum ferme ſit documentum Criticum, aut iſto tutius, aut ſapientius excogitatum: affirmare tamen audemus, illud falli nonnunquam poſſe. Si nanque parendum ipſi foret, ſubreperet dubitare, utrum altera S. Petri, & S. Pauli ad Hebræos Epiſtolæ revera Apoſtolorum iſtorum eſſent nec ne: quamvis nefas ſit ambigere de his. Accepimus a Hieronymo: *Simon Petrus duas ſcripſit Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum ſecunda a pleriſque negatur propter ſtili cum priore diſſonantiam*. Quæ pene eadem conſiderat ſuper Epiſtola ad Hebræos. Origenes autem illi opinionis hujus facem prætulerat.

In catalogo.

Orig. Hom. in Epiſt. ad Hebræos.

Pendebat animi S. Dionyſius Alexandrinus, num autor Apocalypſeos idem eſſet, atque Autor Evangelii S. Joannis, & prioris ejuſdem Apoſtoli

ſtoli nomine inſignitæ Epiſtolæ; & præſertim ſtili diſcrimine movebatur. Conſulat Lector in Euſebio egregias multas Criticcs regulas a viro iſto Sancto ſuper hac re traditas. *

Hiſt. Eccl. l. 7. c. 25.

Exempla hujuſmodi nos monitos eſſe volunt, non admodum conjecturæ illi deferendum eſſe, quæ una dictionis nititur varietate. Unuſquiſque diverſis ætatibus a ſemetipſo veluti diverſus eſt: aliquando etiam eadem ætate diſſimilia rerum adjuncta ſatis eſſe poſſunt, ut diſſimili ratione loquatur. Nonne Scriptor alius eandem exequi ſimulando poteſt, ſive de induſtria, ſive ob æquales cum illo mores, ingenium, ſtilum, & dicendi modum? ** Sunt utique, qui fateantur, Critici, verſari in manibus hominum Tractatus aliquos, Ambroſii & Hieronymi nominibus, qui nihil habent, quod ad Patres illos appoſitum non ſit, ipſiſque tribui nequeat.

Tillem. Tome 1. annot 9. in S. Joann. pag. 636. col. 1.

Joann. Cler. Art. Crit. Tomo 1. pag 522.

Næ ille, qui accuratiſſime Petri Ambruni ad Hiſtoriam Criticam Veteris Teſtamenti reſponſum excutiat, perſpiciet, ſtilum, contextum Orationis, voces, formulas apte adeo Simonii ſcribendi rationi convenire, ut non dubitaverit Clericus illud Autori ipſi Hiſtoriæ Criticæ addicere. Et vero enim difficile admodum eſſet in eam ſententiam non ire; niſi certos nos reddidiſſet Simonius, ſuas loquendi formulas affectaſſe Petrum Ambrunum, ut hac ſe larva obduceret, hominibuſque imponeret, reſponſum illud ab Autore Critices proficiſci.

Epiſtola 14. de opinionibus Theologorum Batavorum. Gall.

Simon. in Refutat. illius Epiſtola 14. Gall.

Patet itaque fraudi, quicumque ex ſtili conſenſione Opera ſtatuit ejuſdem Autoris eſſe; atque eandem ſubit aleam, qui ex differentia, alterius eſſe contendit. Licet in Exhortatione ad Gentiles, quæ a Juſtino inſcribitur, eique conſtanter aſciſcitur, levem duntaxat ab illius Martyris dictione varietatem animadverterit Dupinus; Tractatus tamen hujus ſtilus incommode non nihil accidit cogitanti, illum non modo clariorem & faciliorem, ſed elaboratiorem, quam aliorum Operum, ſtilum eſſe,

Tome 1. pag. 174.

* S. Dionyſius comparat eodem loco Evangelium Sancti Joannis, & primam ejus Epiſtolam, quo de pluribus nos inſtituit, ut dignoſcamus, quandonam duo ab eodem Autore parta ſunt Opera. Unde colligere licet, inquit Valeſius in annotatione ad hunc S. Dionyſii ab Euſebio recitatum ſenſum, quam præſtaret Sanctus hic Critica facultate. *Quippe proprium eſt Critici de Scriptis Veterum judicare, & quod verum ac germanum, quod ſpurium ac ſubdititium opus ſit diſtinguere.* Valeſ. in Notis, pag. 154. col. 1.

** Neminem latet, Poetam ætatis noſtræ celeberrimum ad Vivonium ſuper ejus in Fretum Mamertinum ingreſſu duas Epiſtolas dediſſe, quarum altera exquiſite adeo Balzacii ſtilum, ſtructuram & conformationem verborum referebat, altera Voituri ingenium ad vivum uſque eo imitabatur, ut cuilibet fucum fecerint: niſi Deſpravius per ſeſe perſonam exuerit. In Oper. Bail. Tomo 1. pag. 76. Amſtelodami 1702. Compertum omnes habent, ut nihil magis, quam Voituri Orationi opponitur dictio Balzacii, tam ab utriſque alienum eſſe Boilæi ſermonem.

qui

qui deſertus admodum & neglectus apparet. Non abſimiliter Legis hujus conſulto dicere neceſſe erit, S. Antonii Vitam, a S. Athanaſio elucubratam, illius Opus nequaquam eſſe, quod Dupini teſtimonio ſub ſenſus aperte cadit inter Vitam illam, & cetera Athanaſii Opera locutionis diſcrimen.

Dupin. Bibl. v. part. Tome 2. de Aut. quarti ſaeculi pag. 172.

In aliis quoque deficere videtur hoc de ratione ſtili praeceptum. Si germano Autoris alicujus Operi, aliud diſſimili ſcribendi genere utens ſuppoſitum eſt, argumentum ab ſtili diſtinctione petitum, non multum habebit ad ſecundum hunc explodendum ſoliditatis. De duobus etenim illud dici ferme poteſt quod de duobus S. Petri Epiſtolis ſcriptum reliquit Cajetanus: *Tantum diſtat prima a ſecunda, quantum ſecunda a prima.*

Novi equidem, quod nemine de priori S. Petri Epiſtola dubitante, haec veluti inconcuſſa Actio ad ferendum de altera Epiſtola judicium aequum tribuit facultatem; ob eamque cauſſam ſi in diſcrimine ſtili poſitum eſt firmum de aliquo opere ſuſpicionis argumentum, Veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum inde ducta conjectura atque ab Hieronymo memorata, ſatis eſſet, ut alteram S. Petri Epiſtolam affictam Apoſtolorum Principi crederemus: Si vero deſint indicia certa, uter librorum illorum, de quibus agitur, germanum ſit Autoris opus, tum non magno erit uſui a ſtilo decerptum argumentum.

Gravior tamen urget difficultas, cum unum duntaxat ſupereſt Scriptoris alicujus opus; Tunc ſane de illius veritate aut falſitate quaeſtio non eſt e ſtili ratione dirimenda. Qua de re tuetur mordicus Sanctus Hieronymus, Origenis Apologiam a Pamphilo Caeſareenſi Presbytero conſcriptam non fuiſſe: quandoquidem nullum aliud exſtabat Pamphili opus, ad quod veluti ad normam, hujus Apologiae judicium exigeretur. *Date quodlibet aliud Opus Pamphili, nunquam reperietis, hoc unum eſt.*

Hier. ad Pamach. & Oceanum de erroribus Origenis.

Cum una ſolummodo legitur Scriptoris cujuſdam Tractatio, operoſum eſt adjumento ſtili germanum illius Autorem dignoſcere. Nihilominus tum alias Critici ad illius ſuppoſitionem retegendam ſciverunt leges. Juvabit, inquiunt, expendere diligenter, num quid appareat in ea aut tempori non reſpondens, aut uſitatam ſaeculo illo, quo ſimulatus vixit Autor, loquendi conſuetudinem non praeſtans. Hanc non negaverim ponderis alicujus futuram regulam, ut Scriptum aliquod vel rejiciamus, vel amplectamur; at non ſatis ſemper erit firma & rata. Num ne haud fieri poteſt, calumniatorem, aut eadem aut inſequenti aetate ſcribentem, religioſe tempus apponere, a Dogmatibus, erroribus, Caeremoniis, moribus tractandis abſtinere, verba & formulas ſtudioſe uſurpare tempori affines Scriptoris illius, ſub cujus nomine deliteſcit? Non-

Joann. Cler. de Art. Crit. p. 3. ſect. 2. c. 6. pag. 521.

ne pervagatum eſt, Vigilium Tapſenſem, cum ad Arianos, Neſtorianos, & Eutichianos inſectandos ſe totum dederit, Athanaſii, Idacii Clari, & Auguſtini nomen dignitatemque callide aſciviſſe ſibi, qui ante ipſum in eandem arenam deſcenderant? non tamen aut ſtili diſcrepantia, aut res, Patrum illorum temporibus, & locutioni minus aptæ, in cauſſa fuerunt, cur Patribus illis adventitios eſſe recognoſceremus Tractatus, quos ſub eorum nomine Vigilius in lucem ediderat.

Efficitur his omnibus, inductam ſtili diſſimilitudinem aut æqualitatem non ſemper viam & rationem tutam eſſe ad dicendam de vero alicujus operis Autore ſententiam: præcipue vero repetenti memoria incredibilem nonnullorum Criticorum libertatem, qua ſecundum præjudicatas opiniones, & privatum judicium de Scriptorum ſtilo pronunciant. Mira ſane res Eruditorum hac ſuper re varietatem animo contemplari; ubi præſertim commodo ſuo, & diſputationis æſtu ad inficiandum cuidam Autori aliquod opus feruntur. Etſi autem his affectionibus obnoxios non eſſe Criticos noſtros nobis perſuadeamus, quoties de Scriptorum dictione decernunt; non videmus tamen, in quem conjiciendæ ſint tot ſententiæ diſtractæ de S. S. Juſtini, Cypriani aliorumque Patrum Operibus, in quas perducti ſunt Valeſius, Tillemontius, Dupinus, Cavius, Alexander, aliique Critici præſtantiores. Eſt nanque admirationi locus, eruditiſſimos, & exquiſitiſſimo judicio Viros in ſtilo diſpiciendo de iiſdem operibus tam diverſa ſentire. Quod animadvertimus in Eraſmo, & Abbate de Billy quoad Homilias in Acta Apoſtolorum, quæ S. Joannis Chryſoſtomi titulo vulgatæ ſunt. Eraſmus ſiquidem exiſtimat, nihil eſſe Sancto illo Doctore magis indignum, quam Homilias illas: ſi vero Abbatem de Billy conſulimus, nihil eſt ad Joannis Chryſoſtomi dictionem magis compoſitum. Non ſecus diſſident Eraſmus & Rigaltius ſuper Tertulliani Libro *de Pœnitentia*. Prior habita ſtili ratione Tractatum Tertulliani non eſſe convincitur: alter ad ipſum ſpectare arbitratur, ſi ex illius cum ceteris Scriptoris hujus operibus orationis conſenſione dirimenda controverſia ſit. Næ iſta duo ſunt judicia diſſimillima.

ARTICULUS VIII.

De conjectura ducta ex operibus, Dogmata tradentibus, quæ prodita tantum ſunt poſt Veterum interitum, quibus adjudicari ſolent.

in Bibl. Præf. 2. part. pag. 37.

MAximo, ut videtur, ad aperiendam Scriptorum fraudem injuria Veterum nomina præferentium, emolumento futuræ ſunt, quas ſufficere Critico poteſt lex iſta, probationes. „ Dogmata, inquit Dupi„ nus, ſive res, quas complectitur Opus, ejus falſitatis ſpecimen exhi„ bent. 1. Si ea contineat, quæ longo nonniſi poſt Autorem illum inter„ vallo tradita ſunt. 2. Cum ad illa explicanda vocibus utuntur poſt il„ lorum ſolummodo interitum uſitatis. 3. Quando errores, ac ſi ætate „ illa invecti fuerint, redarguunt, qui tamen multo poſt exorti ſunt.„ Aliis quoque Criticis non exciderunt animo conjecturæ iſtæ, ut opera nonnulla aſpernarentur.

Si Liturgias S.S. Petro, Jacobo, & Andreæ tributas novitatis inſimulare placet Dupino & Alexandro, in monumentorum iſtorum ſuppoſitionis notis collocant verba iſta: Filium & ſpiritum Sanctum Patri conſubſtantiales eſſe, & Sanctam Virginem Dei Matrem: Dicta, quæ uſurpari cœpta ſunt ab Arrianorum & Neſtorianorum damnatione. Tillemontii judicio non inepta eſt conjectura adverſus Acta Sancti Andreæ, ab Achajæ presbyteris conſcripta, quod in illis legantur voces, quæ Filii cum Patre *Conſubſtantialitatem* indicare videntur. *Hoc eſſe unigenitum Filium, quod eſt ille, qui genuit.*

Launojus pariter, Tillemontius, Dupinus, Morinus, Criticique ceteri, qui Libros S. Dionyſii Areopagitæ nomine notos oppugnarunt, non ſunt obliti id quoque argumentorum genus in illum urgere. Scriptor hic, ajunt, perſpicue loquitur de Neſtorianorum, Eutychianorum, & Antropomorphitarum Dogmatibus, qui non uno ſæculo poſt hunc S. Pauli diſcipulum prodierunt. Firmiſſima Sapientum conjectura eſt, ne legitimis S. Juſtini operibus annumerent Tractatum, qui inſcribitur: *Refutatio Dogmatum Ariſtotelis*, non ſecus atque *Quæſtiones & Reſponſa ad interrogationes Orthodoxorum*, monere multa in iis reperiri Manichæorum ſenſis adverſa; de Incarnationis Myſteriis in ea verba diſputari, quæ nonniſi poſt Hæreſum initia in ore hominum verſari cœperunt; eundemque Scriptorum iſtorum Autorem vocem *Conſubſtantialis* adhibere. Deni-

que

que ut alia plura, quæ cogi poſſent, exempla miſſa faciam: nonne liquet, ajunt, *Expoſitionem Fidei*, eidem S. Juſtino tributam, nimium perſpicue Dogmata Arrianis, Neſtorianis, & Eutichianiserroribus oppoſita docere; ut Patris illius ſæculo congruere poſſit?

Quantumvis æqua & juſta ſit conjectura hæc, quamque demum ad germanorum & fallacium Operum delectum habendum utilis videatur: hærent adhuc animis noſtris hac de re ſcrupuli nonnulli. Primus ſit, fore inde, ut ad ſuppoſita fortaſſis, vel certe ſuſpicioſa ablegenda ſint opera, Epiſtola S. Ignatii ad Epheſios; ſecunda Apologia, & Dialogus S. Juſtini; Epiſtola ſinceriſſima S. Gregorii Nazianzeni; & Liber S. Athanaſii adverſus Arrianos; * propterea quod in tribus prioribus loca quædam occurrant, in quibus Decreta Neſtorianiſmum evertentia confirmantur; duo vero poſteriora ea comprehendant, quæ Concilii Epheſini Patribus ad Mariam Virginem Dei Matrem aſſerendam profuerunt, atque in rem hanc verbum Θεοτόκος uſurpant. Idem dicendum erit de Epiſtola Eccleſiæ Romanæ, aut S. Clementis Papæ ad Corinthios, ex pulcherrimis Antiquitatis Chriſtianæ monumentis opuſculo; præfert enim teſtatiſſima verba, Valentinianorum & Gnoſticorum Hæreſibus contraria dogmata ſtatuentia. In dubiorum tandem, aut mendacium Operum claſſe recenſenda erunt cunctorum Patrum illorum ſcripta, quos pro Nicenæ ſinodi formula in medium protulit Athanaſius; quoniam Sancti Doctores iſti Arrii errores anathemate confixerant, antequam ipſe hanc vitam ingreſſus fuiſſet. *Epiſcopi contra non has voces ipſi excogitarunt, ſed eas a Patribus conteſtatas acceperunt, & ſcriptis ſuis inſeruerunt. Siquidem priſci Epiſcopi abhinc annis centum & triginta, tum qui Romæ, tum qui in noſtra Civitate Pontificatum geſſere, accuſaverunt eos, qui Filium creaturam dicerent, aut qui negarent eum conſubſtantialem Patri.* *Ath. Ep. ad Afr.*

Nunquid non verendum erit, habeto ſecundam hæſitationem noſtram, Regulam iſtam tenebras aliquas offundere, teſtimoniumque Traditionis Eccleſiaſticæ elevare, qua Hæreſes profligantur, & Dogmata cum iis pugnantia confirmantur? Eccleſia etenim novos fidei articulos non creat, ſed illius tantummodo capita in Sacris Bibliis & Traditione concluſa declarat. Concilia ipſa in eo laborarunt, ut veſtutam doctrinam a Chri-

* *Deus noſter Jeſu Chriſtus a Maria in utero geſtatus eſt, &c. qui & genitus, & baptizatus eſt*. Ign. Ep. ad Epheſ. *Verbum ipſum formatum eſſe, ideſt formam induiſſe, & hominem eſſe, appellatumque Jeſum Chriſtum*. Juſt. Apol. 2. & Dial. contra Triph. *Deum a cœlo receſſiſſe, & hominem inter homines factum eſſe. Si quis Mariam Deiparam (Θεοτόκον) eſſe inficiatur, a Deo alienus eſt*. Greg. Naz. Epiſt. ad Caid. *Joannes adhuc intra Materna viſcera deliteſcens Deiparæ (Θεοτόκου) Virginis Mariæ voce percepta præ gaudio exultavit*. Ath. libro contra Arrianos.

ſto & Apoſtolis manantem, atque ad nos uſque Traditionis ordine, veluti rivulo quodam derivatam cuſtodirent. Huic autem colligendæ traditioni non acquieſcit Eccleſia in poſteriorum duntaxat Patrum conſulto, neque in illorum placitis, qui temporibus vixerunt, quibus adverſus Fidei ſcita debacchati ſunt hæretici homines; verum ad primos fontes aſcendit, exordiendo ab iis, qui proximiores ævo Apoſtolico fuerunt, atque ad eos deſcendendo, qui in Eccleſiæ ſinu proxime, antequam oriretur controverſia, aliquid poſteritati commendarunt. Quam viam & rationem Synodi quoque de Hæreticorum concertationibus dijudicaturæ tenuerunt. *

Aug. l. 2. contra Jul. c. 10. Si Eccleſiæ Patres, ex egregia S. Auguſtini animadverſione irreprehenſibiles, doctrinæ Eccleſiaſticæ teſtes fuerunt, judiceſque nullo privato ſtudio contaminati de concertationibus in Eccleſia excitatis, antequam ad eorum tribunal deferrentur, pronunciarunt; conſequens eſt, eos Dogmata tradidiſſe; quæ longo annorum intervallo intercedente, deinceps explicata ſunt; & Fidei Articulis addita; nec non errores, priuſquam gignerentur, impugnaſſe. Immo hæc omnia neceſſum erat in eorum Voluminibus præſto eſſe: alioquin Canones ſuos ex ipſorum teſtimonio componere nequiviſſet Eccleſia, neque Traditionis ope Hæreſes proſternere. Ita ut neceſſaria ratiocinationis hujus conſecutio ferat, Patrum Opera, unde Eccleſia & Concilia deciſiones hauſerunt, ſi modo vim habeat regula, de qua in præſens, aut adulterina, aut ſuſpicioſa, aut corrupta, aut interpolata fuiſſe, quod piaculum eſſet tueri.

Magno denique nos officio devincirenr præclari Critici, ſi id in ſe oneris recipere paterentur, ut nos inſtituerent: 1. quamobrem Apocryphis accenſeant Acta Sancti Andreæ; a Dionyſio Areopagita nuncupata Volumina; & nonnullas Tractationes, S. Juſtino tributas; cauſſamque judicio huic prætexant Dogmata ab his tradita, quæ poſt illorum duntaxat obitum ſancita fuere: interim dum eandem non ferunt ſententiam de S. Ignatii Epiſtola ad Epheſios; de altera Apologia, & Dialogo Sancti Juſtini; de Epiſtola S. Clementis Papæ ad Corinthios; de Epiſtola S. Gregorii Nazianzeni a nobis citata, & de Tractatu S. Athanaſii adverſus Arrianos: cum Dogmata Neſtorianis, Arrianis, & Eutichianis

* His fundamentis innixæ ſunt deciſiones Concilii Epheſini contra Neſtorium, & Concilii Calcedonenſis adverſus Eutichen, quas divini Verbi & Sanctorum Patrum locis præfulſerunt. His armis effuderunt Catholici Severianos in Colloquio habito Conſtantinopoli; Monothelitas confutarunt in Concilio Lateranenſi ſub Martino I., & in Sexta Synodo Generali. Idem inſtitutum ſecuti ſunt Patres in Septimo Concilio Generali pro Imaginibus; in Concilio Francofordienſi contra Elipandum, in aliis demum bene multis.

con-

contraria nihilo dilucidius in illorum, quam in iſtorum Libris expoſita ſint; ut laudata ſuperius loca conferenti exploratum erit?

Nec vero magis cauſſam aſſequimur, cur Autor, S. Dionyſii Areopagitæ nomine clarus, Deum *Spiritum*, *ſubſtantiam*, *Invïſibilem*, *Ineffabilem*, *Incomprehenſibilem* appellans, Aſſertum doceat Antropomorphitarum errori repugnans; & verbis illis hoſce Hæreticos refellat, ut exiſtimat Morinus; Sanctus vero Ignatius & Origenes eoſdem in nonnullis Operibus inſectari minime dicantur. * Et propterea unde fit, hanc, quam ſibi animo fingunt Antropomorphitarum refutationem, tanti eſſe; ut illius Opera commentorum macula inurat; horum autem Tractatibus nullum vel minimum negotium faceſſat: quamvis Hæretici iſti vapulent utrobique? *De cœleſti Hierarchia l. 2. de divinis nomin.*

II. Quid ita voces *Matris Dei*, quæ frequens fuit Gregorio Nazianzeno, & Athanaſio; æque ac *Conſubſtantialis*, quæ Patribus roboratur, centum & viginti plus annis ante Nicenam Synodum florentibus, & tamen uſitatæ in Eccleſia non ſunt, niſi Patribus iſtis jandiu extinctis: voces, inquam, iſtæ Doctorum iſtorum Operibus non nocebunt, ſummo vero criminis indicio erunt in Liturgiis S.S. Petro, Marco, & Jacobo tributis, & in aliquibus Operibus, Juſtini nomini adſcriptis?

Poſtremo, ſi falſitatis documenta ſuppeditat, errorem aliquem, priuſquam naſcatur, opprimere, difficile admodum erit, ſuſpicioſorum Librorum Catalogo non adjicere Cypriani, Hilarii, Ambroſii, & Gregorii Nazianzeni Opera, in quibus, Auguſtino teſte, Pelagianiſmum ſtraverunt, cujus ſemina jacta ſunt ineunte circiter ſæculo V. *A quibus* (*ſcilicet Cypriano, Hilario, Ambroſio, Gregorio Nazianzeno*) *Hæreſis veſtra* (*Pelagiana*) *prius damnata, quam nata*. Idem Auguſtinus de Orationis Dominicæ expoſitione loquens a Cypriano elaborata, ita habet: *De duobus vero ceteris* (*Pelagianorum erroribus*) *tanta illa perſpicuitate diſſeritur; ut ſupradicti Hæretici, novi inimici gratiæ Chriſti, longe ante reperiantur convicti eſſe quam nati.* *Lib. 2. op. Imperf. contra Jul.* *Aug. libr. de don. Perſ. c. 2. §. 4.*

Libentes, inquiet neſcio quis, damus ultro atque concedimus, in Patrum iſtorum, quorum meminit Auguſtinus, Scriptis; aliorumque a te

* *Incorporalium rerum neque ſpecies eſt, neque figura, neque particula animantis habentis formam aliquam propter naturæ ſimplicitatem*, Ign. Ep. ad Smyrn. De Jeſu Chriſto autem differens, vocat eum: *Filium Dei in tempore, qui omni tempore caret, inviſibilem natura, viſibilem in carne, impalpabilem, omnemque contactum refugientem, atpore incorporeum &c.* Ign. Ep. ad Polycarpum. *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore putandus eſt Deus, ſed intellectualis natura ſimplex; nihil omnino in ſe adjunctionis habens, uti ne majus aliquid & inferius eſſe dicatur, ſed ut ſit ex omni parte μονάς, & ut ita dicam, totus mens ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis eſt.* Orig. l. 2. Periart.

ſupe-

ſuperius memoratorum plura apparere, erroribus quam maxime adverſa, quibus jactata deinceps ab illorum obitu Eccleſia eſt; eaque illam ad Hæreticos condemnandos adhibuiſſe: at de hoc non digladiamur. Monet regula, tum Autori ſuppoſitum opus ſignificari; *quando errores, ac ſi illa ætate invecti fuerint, redarguit, qui tamen multo poſt exorti ſunt.*

Nihilo ſecius ſi æquis ponderibus libeat examinare hinc Opera vulgo Dionyſiana, Juſtini, & ſimilia, illinc animum advertere ad ea, quæ de Religionis Myſteriis Clemens Pontifex, Ignatius, Cyprianus, Hilarius, aliique litteris conſignarunt, non crediderim, ullum in alterutris verbum repertum iri, quo Arrianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, aliorumque Hæreticorum opiniones, ac ſi autorum ſuorum ætate invectæ fuerint, aut aliter, convellantur. Si nanque Operum iſtorum Autores Hæreſes confutarunt, atque improbarunt, quæ poſt ipſorum obitum propagatæ in Eccleſia ſunt, id eo contigit, quod Decreta, & negotia Religionis differentes, doctrinam quandam Heterodoxis iſtis uſquequaque diverſam ſtatuerunt.

Equidem non inficior; illum habendum Librum pro adulterino, quo Hæreticum Dogma repudiatur, perſpicue indicando, Sectam illam Autoris ætate graſſatam fuiſſe, & vocibus utendo, quæ ad diſceptationem, ejuſque Autores referri commode poſſint. At nemo oſtendet, Dionyſium v. gr. Areopagitam, aut quicumque alius ſit, quidpiam tale ſcripſiſſe locis iis, in quibus Neſtorianorum, Eutychianorum, & Antropomorphitarum errores redarguere dicitur. Quod de nonnullorum Scriptorum Tractatibus propugnare poſſemus; quamquam eos autument Critici fraude conſtare totos, perinde ac errores perſequantur, tanquam illorum ætate invectos, qui longe ante hinc migraverant. Certum nanque eſt, eos haud aliter ſenſa ſua efferre, quam Patres efferant, quorum volumina ab omni vitii ſuſpicione oportet eſſe remota; quique Hæreſes non ſemel exagitarunt, damnaruntque, antequam ad illorum Tribunal delatæ fuiſſent.

Dupini itaque eſt, aliorumque Criticorum, qui hujuſmodi regulam amplexati ſunt, aut modum & rationem ſcrutari, quo tot periculoſis conſecutionibus ſubducatur, aut eam commoda interpretatione mollire. Quod mea intereſt, conjecturam hanc a Dogmatibus petitam iis coercendam finibus eſſe puto, quibus eam definivere Sixtus Senenſis, Andreas Hyperius, Scultetus, Rivetus, Cavius, Clericus, ita docentes: † *Si dogmata, vel error manifeſtus aſtruitur in ſuſpecto opere, quod cum Autoris, cui per fraudem adſcribitur, aliis operibus non ſolum non congruat, ſed etiam ex diametro repugnet.* * Id non diffitetur Dupinus, quod eam

† Adeat, qui maluerit, Diſſertationis hujus Art. primum.

* Ea eſt octava apud Rivertium Mendacis Operis nota. In cujus exemquin-

quinto inter monita loco poſuerit, quæ ad arguendam Operis alicujus fallaciam e Dogmatibus depromſit. Rem vero longius produxit Dupinus cum dixit. *Si ea contineat, quæ longo nonniſi poſt Autorem illum intervallo tradita ſunt*. Si nanque conjectura hæc inter eas locum non habuit, quas Critici initio Diſſertationis hujus citati collegerunt, quamvis omnes huc attinentes in unum cogere ſtuduerint: id factum eſt, quod eam ideo nullo numero habendam exiſtimarent; quia ab Apoſtolicis temporibus nova Fidei in Eccleſia Dogmata nunquam tradita fuere.

At enim cui non eſt apertum, reponent, huic verbo *Dogmatum traditorum* Dupinum ſubjicere notionem *Dogmatum*, quæ extricata, illuſtrata, conſtituta, & tanquam Fidei capita declarata ſunt? Ad hæc nihil eſt, quod reſpondeamus præter verbuſculum: videlicet vocem *tradere* in præſenti ſecundum ſpeciem ſui, quam ingerit animo, eandem non videri, atque illam illuſtrandi Dogmatis, & tanquam Fidei caput declarandi. Quapropter non eſt, aut ego fallor, inficiandum, regulam hanc ita, ut a Dupino recitatur; expreſſam aliqua emendatione indigere; atque illam verbo tenus acceptam incommoda multa conſequi poſſe.

ARTICULUS IX.

De conjectura, quam percipimus a Veterum, quibus Libri reſperſi ſunt, citationibus.

Si quæ a Veteribus ex Libro quoppiam olim prolata ſunt, ea nunc in Libro, eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur; aut alius eſt, aut mutilus. „ Conſtantiſſima omnium ratio, inquit Dupinus, ad Operis vetuſtatem explorandam eſt, ſi in eo occurrant loca a Veteribus laudata. Nonne innumeros propterea probatos habemus Libros, quod in illis contextus aliquis a Veteribus memoratus legatur? „ *Joann. Cler. Art. Crit Tomo 2 parte 3. ſect. 2. p. 443. tomo 1. p. 61. 117. 124.*

In ea itaque inſiſtens egregius Criticus iſte planum facit, Septem Ignatii Epiſtolas; aliam Polycarpi; Cypriani de Unitate Eccleſiæ, de Operibus Miſericordiæ, & de Eleemoſina, alioſque multorum Autorum Tractatus, ipſis extraneos non eſſe: loca etenim, quæ inde exſcripſerant priſci Patres, in illis reperiuntur.

plum ſexdecim in Leviticum Tractatus affert, S. Cyrillo injuria adjudicatos; quod nimirum doceant: Animas ratione utentes ante Orbem creatas fuiſſe; pœnas Inferorum æternum minime duraturas, alioſque id genus errores, quos in germanis Operibus undique rejicit, & convincit Sanctus ille Doctor. Rivet. de Patrum Autor.

Ejuſ-

Ejuſdem inſtitutione Tillemontius articulo de S. Herma, & quarta in hunc Patrem annotatione quibuſdam Proteſtantibus negat, Paſtoris Librum vitia ſubiiſſe. „ Non eſt, ait, cur dubitemus, alium ab eo qui „ nunc exſtat, Paſtoris Librum, a Patribus tanto in pretio habitum fuiſ- „ ſe; cum integerrimæ adhuc, quas decerpſerunt, illius particulæ perſe- „ verent. „ Quo etiam principio ductus Alexander, ceteris Criticis adſtipulatoribus, Opera multa propugnat, oppugnat alia; quoties a Veteribus eorum allata ſenſa cum editis Voluminibus non conſentiunt.

Tomo 2. p. 127. & 562.

Alex. Tomo 1. ſec. 1. Differt. 22. pag. 306., & alibi.

Quantum demum roboris & æquitatis habere Lex iſta videatur; an non poſſet quis illius exercitatione, teſtatiſſimi Autoris Libris falſitatis aut depravationis crimen imponere, atque ab aliis perſpectæ fraudis illud detrahere?

Nemo unus ad hanc diem de Epiſtolæ S. Clementis Papæ ad Corinthios veritate incertus animi pendet; & tamen quæ ejuſdem Epiſtolæ capita cum Clemens Alexandrinus, tum S. Baſilius afferunt, in ea, ut allata ſunt, fruſtra requiras. Majori Sapientum ſuffragio cenſetur eſſe genuina S. Ignatii ad Polycarpum Epiſtola; etſi in ea deſideres, quæ tradit Euſebius, Ignatium Eccleſiæ Antiochenæ curam Polycarpo commendaſſe. *Jam vero Smyrna longius aliquanto profectus, ex Troade ſcribens non ſolum cum his, qui erant Philadelphiæ, ſed etiam cum Eccleſia Smyrnenſi; & ſeparatim cum Polycarpo, qui illi Eccleſiæ præfuit familiariter per litteras collocutus eſt, cum Virum ſpectatum & Apoſtolica virtute præditum eum eſſe pro certo cognoſceret, Eccleſiæ Antiochenæ gregem, ſicut paſtorem ingenuum, & fidelem decebat, commendavit.*

Libro 4. Strom. p. 516. & ſeq.
Libro de Spiritu Sancto c. 29.

Euſeb. Libro 3. c. 36.

Eo vero magis faciendum plurimi dixerim locum iſtum, quo utitur illo Dupinus, ut efficiat Epiſtolas Ignatianas Hiſtoricum iſtum non latuiſſe. Unum certe fuit Uſſerio, qui primus omnium germanas haſce Epiſtolas edidit, ex graviſſimis momentum, quamobrem hanc ad Polycarpum non recenſeret, & ſex duntaxat eſſe ſinceras definiret. Irenæi demum Opera neceſſum erit aut manca, aut ipſi ſuppoſita judicare; quod nullibi referant longam illam de Marco Gnoſtico partem, de qua S. Hieronymus in quadam Epiſtola meminit. * Sic porro ex inſtituto Criticorum

Tomo 1. p. 116.

* *S.* Hieronymus, audito nuncio, quendam amicorum ſuorum nomine Lucianum, Hiſpaniarum incolam, e vivis exceſſiſſe, dedit Epiſtolam ad viduam ipſius Theodoretam, quo eam ſolaretur, atque in ſervanda conſtanter Eccleſiæ fide adhortaretur. Graſſabatur tum in Hiſpania, & præſertim in Luſitania Baſilidis Hæreſis, cujus initia Hieronymus nobili illi fœminæ ante oculos ponit, ut majori in eam horrore perfunderetur. „ *Refert Irenaus*, inquit, *Vir Apoſtolicorum temporum, & Papiæ, Auditoris Evangeliſtæ Joannis, diſcipulus, Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis, quod Marcus quidam, de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendens, primum ad Gallias venerit, & eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, ſua doctrina maculaverit .... inde Pyrenæum tranſiens Hiſpanias occupavit*. Hier. Ep. ad Theodoret..

no-

noſtrorum maxima quæque Monumentorum iſtorum aliorumque autoritas non eſt tanti; ut ſuppoſitionis aut ſaltem interpolationis conjecturam evadant; atque ad nos primigenia integritate ſua perveniſſe ratum faciat.

Ubi hæc aliaque non abſimilia Criticis Sapientibus objiciuntur, in promtu eſt non unum reſponſum. Primum quidem Tillemontii, qui vim difficultatis, in Ignatii ad Polycarpum Epiſtolam intentatæ, probe noſcens, diſtractuſque anfractibus multis, ut Euſebium interpretaretur, in hanc demum ſe recipit reſponſionem, quæ omnibus fortaſſe non arridebit. „ „ At fatendum eſt, inquit, id non ſatis reſpondere ſpeciei illi, quam in „ nobis ingerit Euſebius, qui loco iſto aut memoria labi potuit, aut ac- „ curatione deficere. „ *Tillem. Tomo 2. annot. 6. in S. Ign. p. 622. col. 2.*

Idem Criticus aliam cogitavit cauſſam, cur a S. Baſilio citatus locus in S. Clementis Epiſtola non reperiatur. „ At ex alio quopiam, inquit, „ S. Clementi tributo Opere depromtus fortaſſe fuit. „ Dupinus novam rurſus ſelegit, ut infirmaret, quod urgeri ſolet, SS. Hieronymi & Auguſtini verba a tribus ad Quirinum Libris abeſſe. „ Quamvis, „ ait, ea MSS. Codices non complectantur, haud licet tamen de illis du- „ bitare. „ Nulla profecto erit tam gravis ratio, ad Voluminis alicujus fallaciam aperiendam a Textibus deficientibus petita, quæ reſponſionum iſtarum aliqua ſuſdeque non vertatur: eas nanque integrum erit cuilibet, æque ac Criticis doctiſſimis, ad uſus noſtros adjungere. *Ibidem annot. 7. in S. Clem.* *Dupinus Bibl. Tomo 1. p. 547.*

Non deſunt præterea Monumenta multa certæ atque exploratæ falſitatis, quæ tamen legitima haberi poterunt, aut ſaltem corrupta quidem, non vero commentitia; ſi modo in hac de locis citatis regula adhæreamus. Convenit inter omnes, Acta S. Agnetis a Surio collecta immerito S. Ambroſii nomen jactare. Nihilominus S. Aldhelmus VII. ſæculi Scriptor non pauca recitat loca, in his quoque Actis deſcripta; Epigramma item S. Damaſi Papæ huic S. Agnetis Hiſtoriæ quamſimillimum eſt. Quotquot etiam de præclaro Martyrio Virginis hujus Prudentius Hymno complexus eſt, cum mendacibus Actis illis mirifice concinunt: non ſecus quæ leguntur in Sermone 47., qui inter S. Maximi Taurinenſis Opera locum obtinet. Denique nemini dubium erit, multa multis in Operum ſuorum locis de Sancta Agnete dicere Ambroſium; quæ Actis illis apprime congruant. *Apud Surium 21. Ianuarii.*

Hiſtoria S.S. Marcelliani & Petri Martyrum Romæ monumentum eſt nullius apud Tillemontium & Bailletum autoritatis. Attamen quidquid de Sanctorum iſtorum Martyrio, ab ipſo, qui eos obtruncavit, carnifice, ut fatetur acceptum, Epigrammate quodam perſecutus eſt Damaſus Pontifex, exſtat ad hanc diem in Sanctorum iſtorum Actis, quo modo a *Till. Tomo 5. art. de SS. iſtiſ. p. 199.* *Baill. Tabula Critica 2. Iunii.*

Surio in lucem publicam vulgata ſunt. Eadem pariter Hiſtoria legitur carminibus adſtricta ſtudio Eginhartii Caroli Magni ab Epiſtolis, qui IX. Sæculo claruit. Satis, ut opinor, hæc omnia, ad leges de locis adductis revocata, argumento eſſe poſſent, Opera iſta, aliaque id genus plurima, veritatis habere ſpeciem, non falſitatis; cum Critici ejuſdem Regulæ monito multa ſuſcipiant, fide tanquam digna, tot, Veterum traductis contextibus minime munita.

Cum hæc Monumentorum genera Criticis noſtris proponuntur, duplici plerumque ratione ſe ſe expediunt. Prior eſt, Scriptores ea laudantes in errorem incidiſſe, ut illa genuina, cum eſſent fucata, exiſtimarent, & Veteres creberrime Apocryphorum & ſuſpicioſorum Operum mentionem feciſſe. Altera: potuiſſe calumniatorem aliquem Autorum ipſo Vetuſtiorum loca congerere, ut callidius deliteſceret. Verum quemadmodum a primis ſæculis Opera ferme innumera conficta ſunt; nulluſque ferme Antiquorum eſt, qui illorum memoriam non aliquando uſurpaverit; promtum erit ſemper unicuique reſpondere, metuendum eſſe, ne, qui ea reminiſcuntur, e contaminatis fontibus hauſerint: aut calumniatorem aliquem congeſſiſſe eorum loca, qui de illis locuti ſunt, ut Hiſtorias ſuas coagmentaret. Revera autem hoc eſt, quo utitur, reſponſum Alexander, ut Sanctæ Theclæ Acta a Baſilio Seleucienſi in vulgus edita rejiciat.

Alex. Hiſt. Tomo 1. ſæc. 1. XI. art. 2. p. 68.

Faſtigium huic Articulo imponat mira ſane animadverſio: nimirum hinc P. Alexandrum, præceptum hoc de locis citatis reputantem, Libris Sybillinis aſſentiri: illinc Dupinum, eandem legem penſitantem, Prophetarum Gentilium iſtarum Oraculis a Patribus adhibitis diſſentiri. Ecce regulam ingenioſiſſime comparatam, quæ extremis quantumlibet diſparatis accommodari poſſit! Ceterum nihil præſefert hoc capite, quod non ſit regulis pleriſque Criticis conſentaneum.

ARTICULUS X.

De præcipuis Criticæ Artis regulis in unum collatis ad aperiendam Operis alicujus falſitatem.

Animadverſis itaque multis in præcipuas Criticæ diſciplinæ regulas a conjecturis ductas, unum ſupereſt, ut de iiſdem ſimul connexis dubitationes aliquas afferamus, diſpiciamuſque, utrum hoc ſaltem pa-

cto

ctò concluſum de Librorum ſuppoſitione argumentum inde traduci queat. Ut quæſtionem hanc in ampliſſimo lumine collocemus, recolere id ante omnia neceſſe eſt, quamvis plurimæ ſint ad Operum delectum habendum Criticæ præceptiones, tres velquatuor tamen ex illis eſſe, in quas ceteræ ferme omnes deſinant aliquando. Harum conjecturarum, ſive legum ſive probationum, quæ eodem recidunt omnia, aliæ innatæ veluti, atque inſitæ ſunt, aliæ aſſumtæ & adventitiæ; utræque vero partim rem efficientes, partim rei veritati proxime accedentes. „ Innatæ inquit Dupinus, eæ ſunt, quas ipſum, quod vertitur in quæſtionem, Opus „ ſuppeditat, ſive a tempore, quod aliquo percipi poteſt indicio, ſive a „ doctrina in eo tradita; ſive a genere Scriptionis. Aſſumtas illas dico, „ quæ a Veterum MSS. Codicibus, præſertim autem Scriptorum illorum „ aut teſtimonio aut reticentia ſumuntur. „

Dupin. in Præf. 2. par p. 36. Item in Tract. de Doctrina Christiana cap. 20. p. 644.

Unaqueque iſtarum alias rurſus complectitur, quæ tamen ad quatuor priorum unam vel alteram rediguntur. Exemplum ſit. Quæcumque in Opere aliquo tempus poſterius ſignificant, dies falſo inſcripti, commemoratæ perſonæ, Autores producti, Hiſtoriæ traditæ, Urbium & populorum nomina, quæ ætati, qua ſcribebat Autor, non congruunt: Hæ omnes ad tempus ſpectant conjecturæ. Ad Dogmatum ſimiliter conjecturam referri debent ea, quæ poſt Scriptores illorum interitum prodita ſunt; voces ad illa explicanda uſitatæ, quæ tum non invalverant; errores, cæremoniæ, conſuetudines, quarum per id temporis nullum veſtigium apparebat; opiniones veris opinionibus illorum Scriptorum adverſantes; atque Hiſtoriæ manifeſto fabuloſæ: univerſa hæc peculiares quaſdam inſtrruunt probationes, ſub Dogmatum probationibus comprehenſas. In cenſum ſtili veniunt non voces tantum, dicendi formulæ, & locutiones; ſed ſermonis etiam ſtructura, ſcribendi modus facilis, expeditus, perſpicuus, involutus; elocutio, figuræ & rerum nectendarum ratio. Tum denique locum habet Veterum autoritas, cum Opus vel probant, vel improbant; cum ipſius e re nata verba non faciunt; cum totam latuit antiquitatem; cum omnes quotquot operum alicujus Autoris meminerunt, aut Indicem texuerunt, de peculiari quodam nihil omnino habent; cum Librum aliquem Catholicis perutilem non laudarunt ii, qui, oblata id præſtandi occaſione, laudare illum poterant & debebant: hoc quodcumque eſt, Dupino Autore, pertinet ad Veterum cum teſtimonium, tum reticentiam.

Revera experimento ipſo liquet, Eruditos his tantummodo conjecturarum momentis Librorum veritatem expendere; eoſque partim legitimos, partim ſuppoſititios pronunciare, in quibus notam aliquam deprehendunt regulis iſtis aut aptam, aut ineptam. Oculos pauliſper con-

vertat in Dupini, ut alios mittam, Criticen de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui perſpectum habere velit, eum aliqua ſemper uti ex his conjecturis, quin præcipuas quatuor interdum adhibere.

Dupinus Tom. I. pag. 572. Et vero, ut Sermones, S. Gregorii Thaumaturgi nomine vulgatos, falſarii alicujus commenta eſſe demonſtret, ſumit 1. Nullum Veterum eos memoriæ prodidiſſe. Ecce priorem a Veterum ſilentio ductam conjecturam 2. Sermones iſtos a Patris illius Oratione abhorrere longe. En alteram conjecturam ſtilo dicendi fultam. 3. conſiderat, illum Trinitatis & Incarnationis Myſteria ediſſerere verbis iis, quæ Arrianorum & Neſtorianorum partæ Hæreſes in more poſuerunt. Audis tertiam ad Dogmata pertinentem. Denique ſpecies eſt, Homilias has tum elucubratas fuiſſe, cum Eccleſia placidiſſima pace uteretur, Feſtoſque dies ſolemni admodum ritu celebraret, quod in Gregorii Thaumaturgi tempora incidit perincommode. Præſto eſt extrema conjectura, tempus Autore poſterius attingens. Quibus omnibus intercedentibus prudenter & concluſe efficit Dupinus, Sermones iſtos non eſſe omnino Gregorio Thaumaturgo adjudicandos.

Conſequens inde eſt, inquies, cum præcipuæ conjecturæ, ante alias vero quatuor recenſitæ, ceterarumque fundamentum, junguntur una, nos certiores, ut ſunt humana, reddere poſſe de alicujus Operis falſitate: licet ab una vel duabus haud ſemper perſuaderi poſſimus. Tenemus etenim, Tractatus quoſdam eſſe, de quibus nihil omnino apud Veteres, uti Apologia Athenagoræ, Hypotipoſes Theognoſti Alexandrini, atque id genus alios, quibus fidem Critici non derogant: non paucos quoque præter Antiquorum ſilentium ſtilo confectos, a vera Scriptoris, cui tribuitur, loquendi ratione diſſidente, cujuſmodi ſunt Orationes duæ, in quibus Juſtinus ad Religionem Chriſtianam amplectendam Ethnicos adhortatur: aliquos tandem multis fallaciæ notis inuſtos, ex. gr. S. Juſtini Acta, & tamen hominibus eruditis minime ſuſpectos.

Atqui legum iſtarum veſtigio dicendum erit, nos exploratas habere cauſſas, certioreſque, ut ſunt humana, fieri de Epiſtolæ ad Diognetum, * Juſtini nomen ferentis ſuppoſitione. Conſtat etenim 1. *De ea nihil omnino Veteres habuiſſe; totamque aniquitatem*, ſapientum iſtorum confeſſione, *latuiſſe*; *cum*, *oblata ipſis id præſtandi occaſione*, *laudare illam potuiſſent*, *tanquam Catholicis perutilem*; neque etenim video, unde nam elegantior Geſtorum virtutumque primorum Chriſti fidelium deſcriptio comparari poſſet. *Quotquot etiam de Sancti Juſtini Operibus meminerunt*,

* Fertur, Diognetum fuiſſe Pictorem illum, a quo pingendi arte imbui voluit Antoninus Imperator, cui *Philoſophus* cognomen. Jul. Capitol. in Vita Antonini.

aut

aut illorum indicem texuerunt hujus Epiſtolæ verba non faciunt. * „ 2. Aper-
„ tum eſt oculis ipſis, ut loquitur Tillemontius, clariori & politiori,
„ ac ſit Juſtini, dictione uti Epiſtolam iſtam. „ 3. Hjus Autor Epiſto-
læ Chriſtianorum ſectam noviſſimam appellat, vixque in publicam lucem
emergentem; & ſe Apoſtolorum diſcipulum declarat, quod Juſtini æta-
ti nullo modo congruit: immo ex Tillemontii animadverſione tum Apo- *Ibidem col. 2.*
ſtolici diſcipuli conditio, tum Orationis diſcrepantia ſatis ſemper erunt
argumento, Epiſtolam hanc Juſtino adventitiam eſſe. Dogmatum poſtre-
mo conjecturam attingit illud quod ea in Epiſtola teſtatiſſimis verbis
enunciatur; Judæos tum temporis offerre ſolitos ſupremo Numini San-
guinem & fumum Victimarum; quod ab Urbis Hieroſolymitanæ & Tem-
pli excidio, anno ſcilicet ſeptuageſimo fieri deſitum eſt. Perſpicitur item,
S. Paulum Apoſtoli vocabulo deſignari, qui mos Juſtini temporibus ad-
huc non increbuerat. Hæc ne cohærere poſſunt cum iis, quæ perhibet
Alexander: *Nec ullum ſuppetit argumentum, quo ipſi (Juſtino) abjudice-* *Alex. Hiſt. Eccl. Tomo 1. ſæc. 2. art. 2. cap. 4. pag. 62.*
tur præter ſilentium Veterum?

En quam verum ſit, expenſis quatuor præcipuis Criticæ facultatis con-
jecturis, nos, quantum in homine eſt, fieri certiores de iſtius Epiſtolæ
fraude. Hoc tamen non obfuit, quominus certis S. Juſtini operibus ac-
cenſeretur a Sculteto, Halloixio, Labbeo, ut tradit Tillemontius, ad- *Till. Tomo 2. annot. 1. in Neronis perſecutionem pag. 534. col. 1.*
ditque, *ſe legiſſe neminem qui de illa dubitare fateretur*. Cum iiſdem fa-
ciunt Alexander & Cavius. Dupinus etiam Patri huic adſcribendam ci-
tra injuriam putat; quamquam in Operum Scriptorum Eccleſiaſtico- *Tomo 1. pag. 173.*
rum Tabula inter dubios Libros collocet. Verum ſi magnæ regulæ ſuæ *Tomo 1. pag. 745.*
Criticus hic illuſtris parere velit, neque legitimis, neque ſuſpicioſis, ſed
certo adulterinis Patris iſtius operibus annumeranda eſt. „ Conſtat, in- *Tomo in Praſ. pag. 39. 40.*
„ quit, ſatis opus aliquod efficere ſuſpicioſum, quod ipſum Veteres non
„ citaverint: & legitimis ſane antiquitatis notis affiliatur neceſſe eſt, ut
„ nemine repugnante admitti poſſit: contra vero quantumvis minimæ
„ accedant Priſcorum ſilentio in adverſam partem conjecturæ, non eſt
„ cur de illius ſuppoſitione dubitemus. „ Porro ſuccreſcunt multæ Ve-
terum ſilentio conjecturæ, quæ planum faciunt, Epiſtolam illam non-
nulla in ſe continere, Juſtini ætati minime reſpondentia. Dupinus igi-
tur mendacem hanc Epiſtolam non vero dubiam regulæ ſuæ præſcriptio-
ne pronunciare debebat. Præterquamquod ne habita quidem legis hujus
ratione, intereſſet Dupini ceterorumque Criticorum eam infra ſuppoſi-
tas ablegare, quod nimirum præſtantiores regulæ & conjecturæ Critices
conjunctim acceptæ eam falſam eſſe, ut pati poteſt vis humana, con-

* Anno 1592. Henricus Stephanus Epiſtolam hanc edendam curavit, & S. Juſtini Operibus inſeruit.

vin-

vincant; nec aliud opus reperire ſit, in quo tot fraudis argumenta deprehendantur, ſi modo Criticis præcipientibus aures præbeamus. Alterius loci inſtitutum erit oſtendere, uteuti præcipuis Critices documentis viciſſim copulatis quodcumque legitimum volumen mendaciſſimum videri poſſe.

ARTICULUS XI.

Anne conjecturæ multæ in unum redactæ factum aliquod hiſtoricum coarguere poſſint falſitatis.

PRæcipuæ, quibus Hiſtoriæ alicujus vitium dignoſci poſſit, conjecturæ, ut animadverſum alibi eſt, ſunt hæc. Prior, cum eventum aliquod, ab autore novitio memoratum, nullo veterum Scriptorum teſtimonio fulcitur. Altera, ſi a Libris commentitiis originem ducat. Tertia, quoties res perſpicue fabuloſas præſeferat. Quarta, quando Chronologiæ ordinem non retinet, & adjuncta temporibus, locis, & Viris, de quibus agitur, oppoſita complectitur. Poſtrema, cum facti alicujus narratores digladiantur invicem, diverſiſque efferunt modis.

Præceptorum itaque iſtorum conſenſione P. Alexander figmenti loco habet S. Jacobi in Hiſpaniam iter. 1. inquit doctus hic S. Dominici alumnus, *probatur ex eo quod Hieroſolymis omnium Apoſtolorum primus martyrio affectus eſt, antequam Apoſtoli varias in Provincias dividerentur; quia Apoſtoli diſperſi non ſunt ante ſecundam perſecutionem, quæ ab Herode mota eſt contra Eccleſiam: qua igitur ratione peragrare Hiſpanias potuit? 2. Hæc opinio invaluit poſt octavum Sæculum. 3. Jam conſtat apud Doctos Librum de Vita & morte Sanctorum, qui ſub nomine S. Iſidori circumfertur: Collectanea illa Ven. Bedæ: Librum illum Turpini, ſive potius Tilpini (ita enim vocatum eſſe Remenſem Epiſcopum, qui Carolo Magno imperante vixit, conſtat ex veteribus monumentis) alioſque pro hoc itinere Libros, falſos eſſe & ſuppoſititios. Denique fabulis ſcatet Hiſtoria hæc: cujuſmodi eſt Templum S. Mariæ de Pilar nuncupatum, Cæſarauguſtæ* extructum, & conſecratum B. Virgini a S. Jacobo ejuſdem juſſu Deiparæ, cum adhuc vivens Hieroſolymis, S. Apoſtolo in Hiſpanias prædicanti, ſuper Columnam lapideam ſeſe conſpiciendam præbuiſſet.

Alex. Hiſt. Eccl. tomo 1. ſæc. 1. Differt. 14 pag. 558. & ſeq.

Præter has Generales Critices inſtitutiones, neque enim de momentis Theologicis ſermo eſt, idem P. Alexander alias adhibet, quo oſtendat, commentitiam prorſus eſſe Trajani Imperatoris ex Inferis liberationem S.

Tomo 1. ſæc. 2. Diſſ. 1. pag. 119. & ſeq.

* S. Gregorii precibus. 1. *Nihil ita prodit falſitatem Hiſtoriæ; quam Autorum in ea referenda diſſenſio; uti hanc Scriptores vario modo referunt.* 2. *Non eſt veriſimile, S. Gregorium oraſſe pro flagitioſiſſimo Principe, Ethnico, perſecutore Chriſtianorum atrociſſimo, Sodomita, & omnibus libidinibus dedito.* Cum hæc, tum quæ proxime ſequitur, conjectura quæſtionis hujus peculiaris eſt. 3. *Joannes Diaconus*, qui præcipuus eſt Hiſtoriæ hujus narrator, *pluribus ſibi contradicit.* 4. *Nullus Scriptorum Veterum, qui Trajani* ** *præclare geſta & dicta ſumma diligentia litteris commendarunt, egregium iſtud* (de Vidua) *facinus retulit. Et Joannes Diaconus, qui trecentis poſt S. Gregorium Magnum annis vixit, hanc narrationem non hauſit ex probatis Actis Vitæ S. Gregorii.* *** 5. *Oratio pro Defunctis, cujus autoritate fulta eſt Hiſtoria hæc, S. Damaſceni Joannis, cui tribuitur, non eſt.* 6. Narratio hæc fabuloſis, & ridendis narratiunculis conſtat tota. 6. Turpiter labitur de re Hiſtorica. Itaque ſi conſentiant inter ſe hæ omnes conjecturæ, certam & ratam faciunt, ut per homines fieri poteſt, hujus Hiſtoriæ falſitatem: tametſi aliquando una aut altera ex illis ſingillatim id præſtare nequiret.

Verum enim vero ſi conjecturarum omnium iſtarum, aut quatuor præcipuarum nexus facti alicujus falſitatem compertam adeo, ut fas eſt homini, efficere poteſt; futurum inde quoque erit, ut Critici ſapientes verſionem Bibliorum Græcam, quam appellant Septuaginta, non ſuſpicioſam modo, verum narratiunculam pro arbitratu conflatam exiſtiment. **** Ante omnia etenim, ut probationes eodem, quo eas Hiſtoriæ Trajani

* *Legitur . . . . . . quod Gregorius per Forum Trajani, quod ipſe quondam pulcherrimis ædificiis venuſtarat, procedens, judicii ejus, quo viduam conſolatus fuerat, recordatus atque miratus ſit, qua nimirum, Trajano ad imminentis belli* [Scythici] *procinctum vehementiſſime feſtinanti proceſſit flebiliter* obſecrans, ut filii ſui interremti ſanguinem vindicaret. *Hujus inquam manſuetudinem Judicis aſſerunt Gregorium recordatum, ad S. Petri Baſilicam perveniſſe; ibique tandiu ſuper errore tam clementiſſimi Principis defleviſſe, quouſque* [per Angelum] *reſponſum ſequenti nocte accepiſſet: ſe pro Trajano fuiſſe auditum: tantum pro nullo ulterius Pagano preces effunderet.* Joann. Diac. l. 2. de Vita S. Greg. c. 44.

** Trajanus, Scythis bello fractis, reverſus eſt Romam anno 103. ſecundum Chronicon Euſebianum. Plinius junior, gerens tum Conſulatum, Trajani Panegyricum coram Senatu recitavit: elaboratiſſimum plane opus, in quo nihil omiſit eorum, quæ ad Principis illius dignitatem pertinere poterant. De hoc tamen præclaro facinore ne verbum quidem.

*** S. Gregorius Turonenſis, & Venerabilis Beda, qui e monumentis ſatis bonis plura Sancti hujus Pontificis geſta ad nos uſque propagarunt: ante alios vero Paulus Diaconus Monachus Montis Caſſinenſis, qui primus omnium ejus Vitam digeſſit, preces a Gregorio oblatas Deo pro Trajano omnino reticuit.

**** Pro certo ponitur, Verſionem iſtam Septuaginta, aut duorum & ſeptuaginta Hebræorum opera confectam fuiſſe, qui ad Ptolemæum Philadelphum miſſi fuerant, Librorum Judaicorum ſtudio flagrantem, ut eos Græce reddendos curaret,

Valeſ. in Euſeb. l. 5. c. 9.

explodendæ diſpoſuit ordine Alexander, perſequamur, quicumque hanc recitant Hiſtoriam, neque de Libris in Græcam linguam converſis, neque de Interpretationis ratione inter ſe conveniunt. Qui fieri potuit, ut homines ſeptuaginta duo ſeorſim in cellulas ſingulas concluſi, aut bini in ſingulas, in eandem Sacrarum Scripturarum Interpretationem conſpiraverint, ut unaquæque illorum Verſio cum ſenſis tum verbis alteris reſponderet? 3. Factum iſtud narrantes pluribus graviſſimis conjecturis ſibi contradicunt. 4. Nullum exſtat veritatis hujus teſtimonium, cui fides adhibenda ſit, quodque Religionis Chriſtianæ tempora antecedat; mirum ſane videri debet, neminem Judæorum omnium, multorum Sæculorum intervallo, Hiſtoriam hanc celeberrimam, ipſiſque glorioſiſſimam, litteris commendaſſe. 5. Joſephus & Philo, qui præ aliis de illa meminerunt, non aliud rei fundamentum nacti ſunt præter Ariſtæam & Ariſtobulum Scriptores ſuppoſititios, ut omnium pene Eruditorum fert ſententia. Patres vero deinceps e cœnoſis fontibus iſtis hauſerunt, cum Joſepho duntaxat & Philone ducibus utantur. 6. Tot rebus miris, extraordinariis, & fabuloſis conſerta hujuſmodi Hiſtoria eſt, ut cognitu facile ſit, eam ratione quadam, aptiſſime Judæorum ingenium referente, deſcriptam eſſe, qui ſemper in voluptatis loco habuerunt, magnas duntaxat res & admiratione dignas excogitare & venditare. 6. Hiſtoria hæc cum temporum illorum Chronologia nullo modo componitur. * Multas vero alias conjecturas ſilentio prætereo. Quas tamen hactenus memoravi, eæ ſatis ſunt ſuperque, ut liqueat, ſi momentum e regulis iſtis, complexu uno adhibitis depromtum, majorem, quæ humana induſtria comparari poſſit, afferat de facti alicujus Hiſtorici ſuppoſitione firmitatem, hanc manifeſte vitioſam judicandam eſſe, repugnantibus Eruditis, qui eam genuinam eſſe cenſent: quamvis Proteſtantes nonnulli de illa ſuſpicentur, immo non deſint, qui ulterius procedant, atque in ancipiti ponant; utrum extiterit unquam Verſio hæc a ſeptuaginta Judæis ad Ptolomeum Philadelphum miſſis elucubrata. At ſuper hoc capite, quemadmodum ſuper aliis pluribus, audiendi non ſunt.

& in celebri Bibliotheca, quam procurante Demetrio Phaleræo Athenienſi, Alexandriæ inſtruxerat, collocaret. Propterea Præfectum hunc Bibliothecæ ad Eleazarum Pontificem dediſſe Litteras, qui ex quaque Tribu ſex homines delegit, ut ad Regem Ptolemæum mitteret, quos, Verſione abſoluta, ampliſſimis muneribus donavit. *Ariſtæas Ariſtobulus, Philo, Joſephus.*

* Controverſia eſt, 1. quo tempore Demetrius Phaleræus, Princeps antea Athenienſis, apud Ptolomæum conceſſerit. 2. An ſub Ptolomæo Lagi filio, an vero ſub Philadelpho ea Verſio fuerit adornata. 3. Diſſidium eſt, quando nam Eleazar ſummo functus ſit Sacerdotio; reſque illæ geſtæ de quibus mentio fit in Epiſtola Demetrio ab Ariſtæa vendicata.

Eædem

Eædem pariter regulæ docebunt nos, ut adverſus Patrum, immo recentiorum etiam Criticorum turbam, S. Petri cum Simone Mago certamen aut fabuloſum habeamus, aut ſuſpicione attingamus. * Primo nanque de illo nihil fando auditum fuerat ante Arnobium, aut Sæculi III. exeuntis aut IV. ineuntis Scriptorem; nec poſſum quin admirer, attendens illud, nimirum trium priorum Sæculorum Patres, in Petri rebus celebrandis frequentiſſimos, & in hujuſmodi ſermones paſſim incidentes, nihil de hoc fuiſſe locutos. ** Exploratum eſt, Hiſtoriam hanc origine prima a Conſtitutionum Apoſtolicarum Autore, & falſo Marcello deſcendere, quorum Operibus nemo fidem adjicit. 3. Factis non paucis fabulam olentibus redundare. 4. Narrationis hujus Chronologiam non ſibi conſtare. Euſebius, & quidam alii Simonis adventum & interitum Claudio imperante contigiſſe ferunt. Sunt qui ad Neronis Imperii finem retrahant: tragicus quoque Magi hujus exitus non conſentit cum eo, quod dicitur, erectum ipſi Romæ fuiſſe Simulacrum. Hanc denique Hiſtoriam perſequentes diſcrepant longe in narrando. ***

Tillem. Baillet. & Alex.

Tillemontius hac de re diſputans iſta memoranda verba protulit. „ Etiamſi autem commentum vanum revera eſſet Hiſtoria hæc, mallem „ citius, dummodo validæ falſitatis ejus probationes non afferantur, cum „ Arnobio, Cyrillo Hieroſolymitano, Pontificis Liberii Legatis, Am„ broſio, Auguſtino, Iſidoro Peleuſiota, Theodoreto, aliiſque multis in „ errorem induci, quam ad nobiliſſimos graviſſimoſque plurimos Eccleſiæ „ Græcæ & Latinæ magiſtros credulitatis inconſideratæ arceſſendos indu„ ci. „ Eadem aſſeverant Bailletus, aliique Critici.

Tomo 1. art. 34. in D. Petrum pag. 187.

Baill. 29. Junii in Vita S. Petri pag. 718.

Quæ cum ita ſint, juvat Viros hoſce Sapientes interrogare; num præcipuarum Critices Legum conjunctio, quas ad hoc examinandum factum, & ſatis, niſi fallor, accurate traduximus, tanti ſit nec ne, ut firmum & ratum de illius adulteratione argumentum ſufficiat? Si tan-

* Antiquorum plurimi in cauſſa, quare ſupplicio affecti ſint Petrus & Paulus, hanc de Simone Mago relatam victoriam ponunt. Infelix homo iſte ſe Dei filium jactabat; ut autem tantam dignitatem cœlos ſcandens comprobaret, in aera igneo curru a duobus Dæmonibus magicis artibus ſubvectus eſt: ſed Petro & Paulo orantibus cum Dæmones deſeruerunt, cecidit, cruraque ſibi confregit. Brunduſium tum delatus, ſummoque pudore & dolore correptus, ſe e cubilulo præcipitem dedit. Till. Tomo 1. art. 34. in D. Petrum. pag. 185.

** Narrant Juſtinus, Iræneus, & Euſebius, Simonem Magum Romam Claudio Imperatore ſe contuliſſe, ibique portenta multa fucata perpetraſſe. Ceterum de S. Petri cum hoc calumniatore concertatione ſilent altiſſime. Apud Vale. annot. in Euſ. l. 2. c. 15. pag. 33. col. 1.

*** Ajunt quidam eum lapſu debilitatum periiſſe; alii crura tantum ſuſfregiſſe ſibi. Obſervat Auguſtinus S. Petrum omnipotentis Dei virtute illum interemiſſe. Aliqui demum putant, Simonem a Petro ad certamen provocatum fuiſſe: alii vero a Simone Petrum.

ti eſt, quod, ut videtur, fateri coguntur; non video, quare Patrum ſenſa ſuper hac re deponere detrectent, cum id libitum ſit per ipſos citra reverentiæ ipſis debitæ jacturam, quando ſolida urgent momenta. Porro de duobus perſuaſum nobis eſt. Primo, non crediderim fore, ut clariores & conſtantiores de facti alicujus Hiſtorici falſitate, probationes reperiantur, quam quæ modo allatæ ſunt. Critici certe ipſi alias non tradiderunt, eoque magis, quo univerſas ad Hiſtoriam hanc labefactandam valere oſtendimus. Secundo, effatum eſſe Tillemontio, Dupino, Alexandro, & Bailleto, nec non ceteris Criticis familiare, poſſe nos a Patrum ſententiis recedere, quotieſcumque de illorum lapſu nos inconcuſſæ rationes monitos faciunt. Inimo identidem apparet, eos in Patrum teſtimoniis, uti ſuperius animadverſum eſt, non acquieſcere, quamquam minoribus numero & autoritate conjecturis impellantur.

Contra vero ſi conjecturarum iſtarum omnium conſenſio argumentum certum & validum minime ſuppeditat; non erit, unde Critici noſtri conquerantur, ſi quis dixerit, non modo quamlibet conjecturam ſeorſum acceptam, veluti ab aliis diſtractam, dubiam & vitioſam eſſe, ſed ne omnes quidem, in univerſum collatis viribus, aut exploratam probationem, aut moralem rei veritatem efficere poſſe. Aut ſaltem erudiant nos, nunquid aliæ præſto ſint conjecturæ præter hucuſque diſcuſſas, quibus ſive Operis ſive Hiſtorici capitis ſuppoſitionem deprehendamus; atque indicent, conjecturarum numerum & pondus, quæ in rem tantam ſui afferunt neceſſitatem.

At enim, inquiet neſcio quis, nonne perſpicuum eſt, eum regulæ & conjecturæ Criticæ aliquando magis, aliquando minus probabiles ſint & propoſitum conficientes, iis abuti quemque poſſe nullo negotio; niſi incommodo huic conſultum ſit ſupremæ regulæ exercitatione, quæ prudentiæ & æquitatis judicium eſt, cujus vi, antequam de re quacumque decernatur, utriuſque partis momenta libratis ponderibus examinanda ſunt? Hæc itaque poſtrema regula inſequentis articuli penſum erit.

ARTICULUS XII.

De principe Critices regula.

POſtquam dubitationes noſtras de peculiaribus Criticæ doctrinæ legibus & conjecturis propoſuimus, illud reliquum eſt, ut eas ſubtexam, quæ attinent ad magnæ Artis hujus regulam, quam Dupinus nun-

nuncupat *generalem*, aitque fundamentum eam ita eſſe rectæ Criticcs, ut ceteris abutatur, qui hanc negligat. Difficillimum ſane eſt de Opere aut Hiſtoria quadam accurate pronunciare, ſolo peculiarium Critices præceptorum cum ſingillatim tum ſimul ſumtorum uſu, nec petito ab hac *generali lege* præſidio.

Eam ſanxit Dupinus jam ab ipſo Operis Prooemio, in quo conſtitutis Critices monitis & conjecturis ad ſallacia & germana opera dispicienda; atque ob oculos poſitis monitorum & conjecturarum iſtarum, alias majori, alias minori cum ſpecie veri, tum etiam efficacitate virtutis, ſubjungit: „ *principem regulam eſſe* æquitatis & prudentiæ judicium, quo, coactis omnibus, quæ pro re & contra rem conjici poſſunt, utriuſque partis momenta æqua veluti lance ſuſpenduntur. „ *Præf. 2. p. pag. 40. Item Diſſert. præl. pag. 98. col. 2.*

Hoc æquitatis & prudentiæ judicium duas ſubit conſiderationes. Sive etenim illud percipimus in univerſum & per ſeſe, ſive ſeparatim, ut actio a Dupino, Tillemontio, Bailleto, Alexandro, ceteriſque Criticis producta. Porro *judicium hoc æquitatis & prudentiæ* in univerſum & per ſeſe, non eſt actu ipſo regula illa, quæ utriuſque partis rationes penſitet, ſtatuatque, quanam ex parte major prodeat cum veritate ſimilitudo; ſed ea eſt peculiaris uniuſcujuſque Critici ſemita, quam tenet, ut expenſis utriuſque partis conjecturis, ad ferendum re ipſa *hoc æquitatis & prudentiæ judicium* perveniat.

Princeps hæc regula cum eadem, atque recta ratio ſit, ſemper erit natura ſua æqua & accurata; neque qui ejus veſtigiis inſiſtat, unquam a veritatis tramite aberrabit. At actus ipſe judicii, quod legis iſtius norma committitur, non ſemper æquus eſt, rectus, & ad principis hujus regulæ, qua duce exerceri viſus fuit, præſcriptionem compoſitus. Opiniones etenim præjudicatæ, ratio inconſulta, nimia ad decernendum celeritas, nonnullarum cognitionum vitium, ſiniſtra rerum interpretatio, aſſumta officia, ingenii humani levitas & imbecillitas, qua nequit ſemper res urgere, iiſque intendere: hæc univerſa, exercitatione ipſa, actum hunc judicii enervare, turbare & corrumpere facile poſſunt, quantumvis judicanti perſuaſum ſit, ſe illum ex *judicio prudentiæ & æquitatis* elicere.

Hinc oriri ſolent de eadem narratione, de eodem facto, de eodem Opere, æqualibus adjunctis affecto, iiſdemque fulto conjecturis tot diverſæ ſententiæ, tot inanes controverſiæ: quamquam unuſquiſque ſibi blandiatur, nonniſi excuſſis utriuſque partis momentis, uno prudentiæ & æquitatis judicio ad dijudicandum acceſſiſſe.

Nullum ferme ſuppetit Opus, aut fama clarius, aut autoritate conſtantius, quam S. Ignatii Epiſtolæ. Ratum continuo habeamus, cunctos,

qui de illis diſputationem inſtituerunt, eruditos Criticos, nihil eorum ignoraſſe, quæ ad Epiſtolas illas ſpectant; omniaque funditus animo comprehendiſſe, quæ illarum veritatem tueri, aut ſuſpicionem commovere poſſint. Alii tamen Epiſtolis iſtis ad communes Criticæ Artis regulas, & conjecturas, quæ ipſis accommodari poſſunt, revocatis, & utrinque poſitis in trutina rationibus, indueuntur demum *regulæ hujus principis* monito, ut certas exiſtiment & enucleatas, cum Epiſtolas omnes, quas habemus Sancti hujus Martyris, Græcas, tum etiam tres latinas ad beatam Virginem & Sanctum Joannem miſſas. Aliis vero, poſtquam eadem proſpexerunt, viſum eſt, omnes eſſe rejiciendas; quibuſdam Græcas tantum amplectendas; nonnulli ſeptem ſolummodo, ab Euſebio & Hieronymo memoratas, Ignatio dignas cenſent; aliqui tandem, Uſſerio autore, qui Epiſtolas haſce ad integritatem reſtitutas in publicum edidit, ipſius ad Polycarpum Epiſtola repudiata, ſex ſolum germanas eſſe teſtantur.

Attamen quantumlibet inter ſe differant opiniones iſtæ; nihiloſecius in id concurrunt omnes illarum propugnatores, ut unuſquiſque ſingillatim credat, ſe in eam deſcendiſſe, *utrinque poſitis in trutina rationibus ex inſtituto ſupreme regulæ, quæ prudentiæ & æquitatis judicium eſt.*

Quæ de Sancti Ignatii Epiſtolis animadvertimus; apte referri poſſunt ad Libros omnes, & facta controverſa, immo ad majorem adjunctorum, quæ illa conſequuntur, numerum, quæque mirum diſtractarum opinionum, at totidem falſa æquitatis & prudentiæ judicia jactantium, diſſidium pepererunt. Quem præterit, ſuper uno Jeſu Chriſti Nativitatis capite centum circiter diſſimiles Epochas emanaſſe? Nihilominus conſule quem malueris Scriptorum illorum; & neminem reperies, qui de ſe non prædicet magnifice, perpenſis utrinque argumentorum ponderibus, eas ſe partes ſuſcepiſſe *principis regulæ, æquitatis nimirum & prudentiæ* conſilio.

Crediderim ſane, Autores omnes, qui in Jeſu Chriſti Nativitatis tempus ſtatuendum incubuerunt, magna eruditionis vi præſtitiſſe; rei illi accuratiſſimum ſtudium dicaſſe; obvias difficultates diſquiſiviſſe atque illuſtraſſe; diligenter utriuſque partis rationum virtutem exploraſſe; omneſque Critices regulas in rem illam facientes adhibuiſſe: certum denique eſt, unumquemque illorum ad hanc potius quam ad illam Epocham animum convertiſſe *Supremæ Regulæ præſcripto*; veruntamen peræque certum eſt, illuſtrium Criticorum iſtorum judicia eſſe diſſimillima, omninoque contraria.

Ecce itaque centum circiter diverſa placita Criticorum ſuper eo Chronologiæ capite, cui cetera jam inde a Chriſtianæ Religionis exordio inniti deberent: placita vero omnia, ſi fides eorum autoribus eſt, ex eadem *ſuprema* Critices *lege* depromta, qua dirigente, quilibet eo ſe contulit,

ubi

ubi major veritatis imago apparere videbatur. Interim autem rem nobis gratiſſimam exhiberet, ſi quis Sapientum iſtorum nos inſtitueret: utra opinionum iſtarum certior ſit, magiſque probabilis. Num ea, quæ majori Scriptorum numero ſtipatur? At perſuaſum omnibus eſſe debet, in re Critica tutius eſſe, Scriptores pendere, quam recenſere; neque etenim Theologi tantum & *Caſuiſtæ* ii ſunt, qui temere aliorum veſtigia perſequantur. Anne præ ceteris audiendi erunt Autores illi, qui eruditione, ſcientia, intelligentia, doctrinæque copia eminent? Qui autem iſtos diſpicies? Nonne ad eos te conferas, qui minus præjudiciis, privatiſque ſtudiis implicantur? Verum quonam pacto rem tantam internoſces? An illorum opinionem amplectaris, qui exquiſitius omnia illius controverſiæ capita animo perluſtrarunt? Ita: niſi profiterentur univerſi & ſinguli in hac eo ſe geſſiſſe inquiſitione, ut nihil habeant, de quo redargui poſſint. Pro iis ne tandem ſuffragium feremus, qui diligentia ſumma rationes & conjecturas ultro citroque ponderarunt; atque ob id unum in eam partem propenderunt, quæ veritati magis aſſimilabatur; quod ſcilicet *ſupremæ regulæ, quæ æquitatis & prudentiæ judicium eſt*, firmiter adhæſerint? Nemo unus Autorum illorum minime perſuaſum habet, id ſe accuratiſſime præſtitiſſe. Ecce quo demum tendat *princeps* hæc Dupini *regula*, cujus ductu operoſum eſſet, opus aliquod aut factum controverſum ratum habere.

At enim, nunquid non eſt apertum, tum pleraſque Epochas iſtas, tum opiniones, nonnulla Opera, narrationes, aut facta Hiſtoriea ſive rejicientes, ſive amplectentes, minimum in ſeſe probabilitatis continere: quamquam Autoribus illis perſuaſum ſit, ſe in eam vergere partem, cui verum magis affine ſit; & *principem* ſequi *regulam, quæ æquitatis & prudentiæ judicium eſt*? De hac minima probabilitate nihil repugno: at quid non metuamus, exiguam hanc aut minorem probabilitatem, huic potius, quam alii opinioni tributam, ab anticipatione & judicandi celeritate, non ab idonea diſquiſitione proficiſci? aut quodnam erit hujus, ut oſtentatur, judicii inſigne? Alias, plures licet ex his opiniones ſint, parum aut omnino nihil probabiles, non deſunt tamen quæ ad veritatem proxime accedere videantur. Inter hæc autem diſcrimina, cedo, quiſnam erit *ſupremæ regulæ* uſus? Æquitas, & prudentia iſta, de qua tantopere gloriantur, nonne eo deveniet, ut ad ſingulorum ingenium, & privata præjudicia redigatur?

DIS-

vertat in Dupini, ut alios mittam, Criticen de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui perſpectum habere velit, eum aliqua ſemper uti ex his conjecturis, quin præcipuas quatuor interdum adhibere.

Dupinus Tom. 1. pag. 572. Et vero, ut Sermones, S. Gregorii Thaumaturgi nomine vulgatos, falſarii alicujus commenta eſſe demonſtret, ſumit 1. Nullum Veterum eos memoriæ prodidiſſe. Ecce priorem a Veterum ſilentio ductam conjecturam 2. Sermones iſtos a Patris illius Oratione abhorrere longe. En alteram conjecturam ſtilo dicendi fultam. 3. conſiderat, illum Trinitatis & Incarnationis Myſteria ediſſerere verbis iis, quæ Arrianorum & Neſtorianorum partæ Hæreſes in more poſuerunt. Audis tertiam ad Dogmata pertinentem. Denique ſpecies eſt, Homilias has tum elucubratas fuiſſe, cum Eccleſia placidiſſima pace uteretur, Feſtoſque dies ſolemni admodum ritu celebraret, quod in Gregorii Thaumaturgi tempora incidit perincommode. Præſto eſt extrema conjectura, tempus Autore poſterius attingens. Quibus omnibus intercedentibus prudenter & concluſe efficit Dupinus, Sermones iſtos non eſſe omnino Gregorio Thaumaturgo adjudicandos.

Conſequens inde eſt, inquies, cum præcipuæ conjecturæ, ante alias vero quatuor recenſitæ, ceterarumque fundamentum, junguntur una, nos certiores, ut ſunt humana, reddere poſſe de alicujus Operis falſitate: licet ab una vel duabus haud ſemper perſuaderi poſſimus. Tenemus etenim, Tractatus quoſdam eſſe, de quibus nihil omnino apud Veteres, uti Apologia Athenagoræ, Hypotipoſes Theognoſti Alexandrini, atque id genus alios, quibus fidem Critici non derogant: non paucos quoque præter Antiquorum ſilentium ſtilo confectos, a vera Scriptoris, cui tribuitur, loquendi ratione diſſidente, cujuſmodi ſunt Orationes duæ, in quibus Juſtinus ad Religionem Chriſtianam amplectendam Ethnicos adhortatur: aliquos tandem multis fallaciæ notis inuſtos, ex. gr. S. Juſtini Acta, & tamen hominibus eruditis minime ſuſpectos.

Atqui legum iſtarum veſtigio dicendum erit, nos exploratas habere cauſſas, certioreſque, ut ſunt humana, fieri de Epiſtolæ ad Diognetum, * Juſtini nomen ferentis ſuppoſitione. Conſtat etenim 1. *De ea nihil omnino Veteres habuiſſe; totamque antiquitatem*, ſapientum iſtorum confeſſione, *latuiſſe; cum, oblata ipſis id præſtandi occaſione, laudare illam potuiſſent, tanquam Catholicis perutilem*; neque etenim video, unde nam elegantior Geſtorum virtutumque primorum Chriſti fidelium deſcriptio comparari poſſet. *Quotquot etiam de Sancti Juſtini Operibus meminerunt*,

* Fertur, Diognetum fuiſſe Pictorem illum, a quo pingendi arte imbui voluit Antoninus Imperator, cui *Philoſophus* cognomen, Jul. Capitol. in Vita Antonini.

aut

aut illorum indicem texuerunt hujus Epiſtolæ verba non faciunt. * „ 2. Apertum eſt oculis ipſis, ut loquitur Tillemontius, clariori & politiori, „ ac ſit Juſtini, dictione uti Epiſtolam iſtam. „ 3. Hjus Autor Epiſtolæ Chriſtianorum ſectam noviſſimam appellat, vixque in publicam lucem emergentem; & ſe Apoſtolorum diſcipulum declarat, quod Juſtini ætati nullo modo congruit: immo ex Tillemontii animadverſione tum Apoſtolici diſcipuli conditio, tum Orationis diſcrepantia ſatis ſemper erunt argumento, Epiſtolam hanc Juſtino adventitiam eſſe. Dogmatum poſtremo conjecturam attingit illud quod ea in Epiſtola teſtatiſſimis verbis enunciatur; Judæos tum temporis offerre ſolitos ſupremo Numini Sanguinem & fumum Victimarum; quod ab Urbis Hieroſolymitanæ & Templi excidio, anno ſcilicet ſeptuageſimo fieri deſitum eſt. Perſpicitur item, S. Paulum Apoſtoli vocabulo deſignari, qui mos Juſtini temporibus adhuc non increbuerat. Hæc ne cohærere poſſunt cum iis, quæ perhibet Alexander: *Nec ullum ſuppetit argumentum, quo ipſi (Juſtino) abjudicetur præter ſilentium Veterum?* *Ibidem col. 6.*

Alex. Hiſt. Eccl. Tomo 1. ſæc. 2. art. 2. cap. 4. pag. 62.

En quam verum ſit, expenſis quatuor præcipuis Criticæ facultatis conjecturis, nos, quantum in homine eſt, fieri certiores de iſtius Epiſtolæ fraude. Hoc tamen non obfuit, quominus certis S. Juſtini operibus accenſeretur a Sculteto, Halloixio, Labbeo, ut tradit Tillemontius, additque, *ſe legiſſe neminem qui de illa dubitare fateretur*. Cum iiſdem faciunt Alexander & Cavius. Dupinus etiam Patri huic adſcribendam citra injuriam putat; quamquam in Operum Scriptorum Eccleſiaſticorum Tabula inter dubios Libros collocet. Verum ſi magnæ regulæ ſuæ Criticus hic illuſtris parere velit, neque legitimis, neque ſuſpicioſis, ſed certo adulterinis Patris iſtius operibus annumeranda eſt. „ Conſtat, inquit, ſatis opus aliquod efficere ſuſpicioſum, quod ipſum Veteres non „ citaverint: & legitimis ſane antiquitatis notis affiaiatur neceſſe eſt, ut „ nemine repugnante admitti poſſit: contra vero quantumvis minimæ „ accedant Priſcorum ſilentio in adverſam partem conjecturæ, non eſt „ cur de illius ſuppoſitione dubitemus. „ Porro ſuccreſcunt multæ Veterum ſilentio conjecturæ, quæ planum faciunt, Epiſtolam illam non nulla in ſe continere, Juſtini ætati minime reſpondentia. Dupinus igitur mendacem hanc Epiſtolam non vero dubiam regulæ ſuæ præſcriptione pronunciare debebat. Præterquamquod ne habita quidem legis hujus ratione, intereſſet Dupini ceterorumque Criticorum eam infra ſuppoſitas ableſgare, quod nimirum præſtantiores regulæ & conjecturæ Critices conjunctim acceptæ eam falſam eſſe, ut pati poteſt vis humana, con-

Till. Tomo 2. annot. 1. in Neronis perſecutionem pag. 534. col. 1.

Tomo 1. pag. 175.

Tomo 2. pag. 745.

Tomo in Præf. pag. 39-40.

* Anno 1592. Henricus Stephanus Epiſtolam hanc edendam curavit, & S. Juſtini Operibus inſeruit.

vin-

ce coagmentata fuerunt, quæque pro Autographis Actis ſuffecta ſunt; tempore abſumtis immanis Diocletiani aliorumque Imperatorum perſecutionis, qui Sacris Voluminibus bellum indixerant; aut ætate illa, qua pulchriores Chriſtianitatis Eccleſiæ inſectabantur, cum Tyrannorum, Barbarorum, vel Hæreticorum diluvio pene obrutæ ſunt. Revera inficiuntur monumenta iſta erroribus multis de tempore, de locis, & perſonis, quæ ipſorum autoritatem, ne Actis Autographis ſit æqualis, imminuunt. His accedant Acta illa, quæ in rei ſumma Legitimis accenſentur, pias res & Sanctis Martyribus dignas complectuntur, & quandam vetuſtatis imaginem repræſentant; ut arbitrari poſſimus, ea ſaltem quoad præcipua rei capita a monumentis archetypis deſcendiſſe, ſed Paraphraſibus & additionibus interpolata fuiſſe.

Præter univerſa hæc ſuppoſita, corrupta, & ſuſpicioſa Acta, in germanorum deperditorum locum incommode ſubſtituta, ſuperſunt adhuc non pauca certa & ſincera; gaudetque Eccleſia, temporibus iſtis pretioſa hæc monumenta e ſitu atque oblivione, in quibus tot ſæculorum intervallo ſepulta fuerant, vindicata conſpicere.

Quas profecto ſanctiſſimas Chriſtianæ antiquitatis exuvias Theodorici Ruinartii vigiliis, reconditæque eruditioni debemus, qui eas omnes in ſuum Tractatum * de Actis ſinceris & ſelectis primorum Martyrum coegit, atque ab Actis cum mendacibus, tum ſuſpicioſis, quæ in ceteris Sanctorum Hiſtoricis permixta erant, ſecrevit. **

Verum non plane contentus Cl. hic Benedictinus, ſe Acta Martyrum ſincera & ſelecta, atque multorum MSS. fide caſtigata, edidiſſe emendatiſſima; eadem eruditiſſimis adnotationibus, atque animadverſionibus exquiſitiſſimis, apprimeque neceſſariis locupletavit. Hæc ſunt autographa, archetypa, partim e Tabulariis publicis depromta, partim a teſtibus oculatis deſcripta, partim vero ab aliquo Patre Veteri, aut Autore magni nominis, neque ab illius rei tempore admodum remoto exarata: ut Collectio eorum omnium, quæ ſecundum Scripturas gratiora Eccleſiæ ſunt, exiſtimari merito poſſint. Quod adeo in illorum animis inſedit, qui S. S. Martyrum Actis ſe dediderunt, ut id genus monumentorum veritatem aut falſitatem exploraturi, ſuper his Actis Criticas præceptiones inſtituerent; neque pariter conſtantius effatum habeant, quo Acta nonnulla, licet aliunde ſatis bona, aſpernentur, alia vero, tametſi facie tenus ſuſpicioſa, recipiant, quam reſpondere, ea Ruinartium tanti

Tillem. in adm. p. XII.
Baill. Orat. de Vita SS. p. 27.

Baill. 15. Maii Tab. Crit. p. XXV.
Tillem. tomo 3. annot. 12. in Perſecut. Decio p. 708. col. 1.

* Publicam lucem ſuſtinuit anno 1689. Gallice redditus eſt a Drovetio de Maupertuy 2. Tom. 8. Pariſiis 1708.

** *Hinc viſum eſt opere pretium eſſe, ut ſincera Martyrum Acta, a falſis & dubiis ſejuncta, in unum faſciculum colligeremus.* Ruyn. Act. Sel. Præf. pag. XI.

non

non feciſſe, ut in Actorum ſincerorum & ſelectorum ſerie collocaret; hæc autem Operi ſuo inſerenda exiſtimaſſe.

Porro quanquam Acta antiquorum Martyrum Collectionis Ruinartianæ *Acta ſincera* immo *ſinceriora* habeantur, affirmare tamen licet, non eadem omnia integritate nitere, & propterea in quaſdam claſſes partiri poſſe.

I. Prima complecti debet Acta *Autographa judiciaria*, quæ uſitatiori vocabulo *Proconſularia* dicuntur; aut *Præſidialia*; quod nimirum Proconſules, & Præſidum munere fungentes, præclariores eſſent inter Provinciarum moderatores, alioſque Judices, qui ſub Ethnicis Imperatoribus judicium capitis Sanctis Martyribus intendebant. Acta iſta, quæ nihil aliud præferunt, niſi interrogata quædam ad juris normam exacta, in Tabulariis publicis ſervabantur; indeque ſummo ſtudio ea, ut exſeriberent, * habere conabantur Chriſtiani, quod a Tabellionibus ſæpiſſime nonniſi magna pecuniæ vi poterant obtinere. ** Ætatem evaſerunt, exſtantque etiamnunc XVI. aut XVII. pretioſa hujuſmodi antiquitatis Chriſtianæ Monumenta, incorruptiſſime ad nos traducta. Acta nimirum S. Juſtini Philoſophi; S. Acacii Epiſcopi Antiocheni; S. Maximi, in Aſia Mercatoris; S.S. Petri, Pauli, Andreæ & Dionyſiæ Virginis; S.S. Luciani & Marciani; S. Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis; S.S. Claudii, Aſterii, Neonis, & S. S. Domninæ, & Theonillæ; S. Maximiliani Thebeſte in Numidia; S. Marcelli Centurionis; S. S. Agapes, Chioniæ, & Irenes ſororum; S. Didymi, & Sanctæ Theodoræ Virginis; S. S. Tarachi, Probi, & Andronici; S. Cryſpinæ in Africa; S. Sereni Sirmienſis in Pannonia. S.S. Phileæ Epiſcopi Thomuitarum in Ægypto, & Philoromi Procuratoris Summæ rei; & S. Quirini Epiſcopi Siſciani. Baſil. in Orat. 9. 23.

Aliquando in Actorum Proconſularium iſtorum fronte reperire eſt Præfatiunculam quandam; in fine vero clauſulam aliquam Martyris interitum enarrantem, quod eorum autoritati nihil officit omnino: cum etenim Acta iſta, ut in publicis Tabulariis cuſtodiebantur, in Judicis ſententiam plerumque deſinerent, nec de Martyris obitu mentionem haberent; niſi ſi in Tormentis quæſtionis animam egiſſent; Chriſtiani Actorum collectores Procemia iis, atque Epilogos, in quibus Sanctorum mortem exequerentur, addiderunt.

II. Alterum Actorum genus *Autographorum* eorum eſt, quæ Martyres ipſi per ſeſe, ut commodum erat, conficiebant, atque in illis quæ tum ipſi, tum eorum Socii pro fide Chriſti ſupplicia pertulerant, de-

* *Acta ex Actis publicis excerpta*. Ruin. in Præf. pag. 7.

** *Nonnunquam ab ipſis Notariis publicis quantovis pecuniarum pretio extorquebant*. Ruin. 16. pag. 2.

ſcribebant. * Hujuſmodi non ſuppetunt alia certæ autoritatis præter Acta Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum, atque alia S. S. Montani, Flaviani, & Sociorum; quorum præcipua pars ab ipſis Martyribus elucubrata eſt, reliquum vero ad cæteras eorum pœnas & Martyrium ſpectans, additamentum Chriſtianorum. In hunc cenſum venire poſſent Acta Sancti Ignatii Martyris, qui in Epiſtola ad Romanos nonnulla eorum commemorat, quæ patiebatur in itinere Romam verſus: non ſecus atque tormenta illa, quæ in Epiſtola ad Fabianum Epiſcopum Antiochenum ſe ſuſtinuiſſe narrat Dionyſius Alexandrinus: at viſum eſt cautius, & illius Acta, & iſtius narrationem ad inſequentem Actorum ordinem reſervare.

III. Hic ex iis componitur, quæ Chriſtiani Tribunali adſtantes eodem, quo Scribæ publici, tempore ſcriptis commendabant; aut ipſorum certaminis teſtes, ſtatim ac abſolutum erat ipſorum Martyrium, inſtituebant. ** Iſta ſimiliter Acta Autographis accenſentur, atque utroque modo exarata undecimum aut duodecimum numerum non excedunt: videlicet Acta S.Ignatii Epiſcopi Antiocheni; S.Polycarpi Epiſcopi Smyrmenſis; S. Ptolomæi, & ſociorum; S.S. Martyrum Lugdunenſium Photini, Blandinæ, Attali &c. S.S. Metræ, Apolloniæ, & plurimorum aliorum Alexandriæ, & alibi; S. Pionii Presbyteri Smyrnenſis; S.S. Jacobi, Mariani, & ſociorum; S.S. Hieremiæ, Iſaiæ, Samuelis, aliorumque multorum, quorum Martyrii Autor eſt Euſebius, S. Theodoti Cauponis, & ſeptem Virginum Ancyræ; S. Procopii Lectoris; S. Baſilii Ancyrani Presbyteri; & S. Theodoreti Presbyteri & Parochi Antiocheni.

IV. Quartum inter Acta locum obtinent ea, quæ proxime ab *Autographis* iſtis decerpta ſunt, a quibus moleſtæ rei judicariæ formulæ detractæ ſunt, & non ſemel animadverſiones & Rhetoricæ venuſtates additæ: ſive, hoc ſubſidio fidelibus deficiente, id attendebant, quod ore omnium pervagatum erat, quod perſecutionum tempore viventes ad hominum notitiam propagaverant; atque his omnibus Acta Martyrum adornabant. *** In Ruinartii collectione XXV. leguntur hujus rationis Acta; inter quæ S.Symphoroſæ & ſeptem Filiorum; S.Felicitatis, itemque ſeptem

* *Cum ipſimet Martyres tormenta, quæ a ſeipſis, vel ab aliis Martyribus ſuperata fuerant, deſcribere curarunt.* Ruin. Act. Præf. pag. 2.

** *Nonnulli etiam, cum Martyrum, quæſtiones haberentur, ſeſe cum ſpectantibus Gentilibus intermiſcebant: ſicque ea, quæ tum a Præſidibus, tum ab ipſis Martyribus dicta factave fuerant, diligentiſſime annotantes, ex his, quæ coram poſiti viderant; aut audierant, poſtea Acta concinnabant.* Ruin. ibid. pag. 2.

*** *Si aliquid ex publica fama notum eſſet, aut certe ex antiquioribus Viris, qui perſecutionum tempore vixerant, hæc omnia in unum colligebantur.* Ruin. ibidem pag. 8.

Filio-

Filiorum ; Martyrum Scillitanorum in Africa ; * S. Saturnini primi Epiſcopi Toloſani ; S. Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis, & ſociorum ; S. Geneſii, Comici Romani &c.

V. Quinti Actorum generis meminit Theodoricus Ruinartius, quæ neque e Tabulariis publicis educta, neque recitatis hueuſque modis conſcripta fuerunt. Reperiuntur hæc in Autorum Eccleſiaſticorum voluminibus, qui dum Eccleſia in pace verſabatur placidiſſima, Martyrum illorum Hiſtoriam Homiliis, Panegyricis, Hymnis celebrarunt, eos maximis laudibus extulerunt; quicquid ipſorum perſpectum habebant, poſteritati tradiderunt : ſive id tuta & conſtanti traditione, ſive optimis monumentis accepiſſent. **

Pleraque antiquorum Martyrum Acta, a Ruinartio in os hominum producta ad hunc ordinem ſpectant. Sex etenim ſupra centum Monumentis, Collectionem ejus conſlantibus ; duo ſupra quinquaginta hac digeſta ratione ſunt, quam modo retulimus. Inter cetera locum habent Martyrium S. Jacobi Epiſcopi Hieroſolymitani ; S. Simeonis ejuſdem Urbis Epiſcopi; S.S. Epipodii, & Alexandri Lugdunenſis ; S. Symphoriani Auguſtodunenſis ; S. Apollonii Senatoris Romani ; S. Leonidis, Patris Origenis; S. Hippolyti, Presbyteri Romani, aliorumque.

Ceterum in pleriſque omnium iſtorum generum Actis ea occurrunt facta, verba, atque errata quoque de temporibus, locis, atque hominibus, quæ Sapientum mentes ſuper ordine, nonnullis monumentis deſignando, in varias opiniones diſtraxerunt. Quædam etenim tertii generis alii ad quartum rejiciunt. Sunt pariter in quarto, quæ tertium aptius occuparent, aut quintum. Huic etiam non pauca adſcripta ſunt, quæ præcedenti accommodata viderentur. Quamobrem ſtuduimus diligenter Acta ſingula ad eam ſeriem redigere, in qua collocari ſolent ; quamvis non diffiteamur, ad alias nonnulla præſertim poſtremorum duorum ordinum monumenta, revocari poſſe. Quod convenit inter omnes, atque in rem noſtram magnopere eſt animadvertendum : Ruinartius id conſilii cœpit ; ne ulla in Collectione ſua Acta ſede & loco donaret, quæ incorrupta non eſſent ; utque cetera reſpueret: ut illud conſequens ſit, quamquam univerſa Acta iſta eadem autoritate minime polleant, pollere tamen tanta, ex Benedictini hujus ſententia, quanta opus eſt, ut germana & ſincera, cujuſcumque demum ſint claſſis, exiſtimentur.

* Sancti iſti duodecim ſunt, *Scillitani* appellati fortaſſe, quod e Scillitana Urbe Provinciæ Proconſularis, nimirum Carthaginenſis, prodierint. Cenſentur paſſim, priores fuiſſe, qui effuſo Sanguine Jeſu Chriſti fidei in Africa dicerent teſtimonium.

** *Aliquot Martyrum Geſta ex Homiliis diſcimus*. Ruin. ibidem.

ARTICULUS II.

Multa primorum Martyrum monumenta, quæ ab Actorum ſincerorum & ſelectorum collectione excluſa ſunt, in ea fortaſſe collocari poſſent.

Ruin. in Præf. p. XI. THeodoricus Ruinartius, eruditus S. Benedicti diſcipulus, cum Acta ſincera & ſelecta colligendi neceſſitatem animadvertiſſet, tantique conſilii, nunquam ſatis laudibus efferendi, quam adhibuit, rationem perſecutus eſſet, atque adjumenta, quæ nactus erat, aperuiſſet, ut ad illud, quod ſuſpicimus, perfectionis faſtigium opus ſuum eveheret, addit: *Porro etſi nihil omiſerim, ut quantum in me fuit, hæc Actorum Collectio accurata, atque numeris omnibus abſoluta redderetur: non ita tamen rem me confeciſſe exiſtimo, ut nulla penitus, præter ea, quæ hic exhibemus, ſincera Martyrum Acta reperiri poſſe exiſtimem. Nec etiam animus eſt, ea omnia inter ſpuria rejicere, quæ hic non habentur: quin etſi aliquis* (moderationem admireris cum eruditione certantem) *nonnulla ex iis, quæ a me forte rejecta ſunt, ſincera judicaverit, non refragabor; modo id argumentis certis probare queat.*
pag. XII.

Annuente itaque Viro Cl. facultatem nobis fecimus, quæ Articuli hujus titulus monet, in diſceptationem vocandi. Qua de re me ſane perbeatum prædicabo, ſi poſt uberrimam meſſem a Ruinartio eorum omnium factam, quæ pretioſiora ſuperſunt Chriſtianæ antiquitatis, integrum erit mihi, ſpicas aliquas in Scriptoribus Eccleſiaſticis a tanto Meſſore prætermiſſas legere, ut aliqua demum primorum Martyrum cogam monumenta, quæ ipſius diligentiam eruditionemque fugerunt. Mihi æquidem videor poſſe teſtari, tot eorum ſuperfuiſſe, ut juſtum volumen efficerent. Hæc tamen ſatis erit pauca traduxiſſe: quo aliquis inde occaſionem fortaſſe naneiſcatur, ea in publicam lucem emittendi.

Primus omnium ſe ſe offert S. Patroclus Martyr Trecenſis in Gallia Celtica, qui propter Fidem paſſus eſt anno circiter 259., & ab Eccleſia colitur duodecimo Kalendas Februarias. Tametſi ipſius Acta autographa nequaquam ſint, nihilo tamen minus ſtili ſimplicitas, & quædam vetuſtatis imago argumento eſſe poterant, cur ſincera, & genuina, uti a nonnullis apellantur Sapientibus, haberentur.

Nonam Julii diem S. Cyrilli Epiſcopi Gortinenſis, & inſectante Decio, Martyris memoriæ conſecrat Eccleſia. Oculos in hæc Acta conjiciat qui

velit,

velit, atque intuitu primo omnia in illis unuſquiſque veritatis inſignia deprehendet. Brevia ſunt, aperta, gravia, atque, ut videtur, antiqua. Ad hæc, neſcio quid præſeferunt elegans, & magnificum, verbo, quidquid optimum monumentum efficere poteſt probatum. Autographa item nonnullorum Scriptorum ſuffragio judicanda ſunt. Hiſtoriam S. Felicis Sutrini Martyris, ſæviente Aureliano, archetypum Opus non diacrim, at dictione gravi utentem, piiſſimis factis refertam, nulloque adjuncto rerum improbabili laborantem, Vetuſtatis ſpecimen habere; & momento eſſe aliquo videtur; neque pauci, quibus reſpergitur, errores, illius certæ veritati tenebras offundere poſſunt.

Cum Acta S. S. Juſti & Paſtoris puerorum Martyrum in Hiſpania anno 304. paullo poſt illorum triumphum confecta fuerint, Autographorum prærogativa decorari nequeunt, eorum tamen puritas & brevitas faciunt, ut vera & genuina cenſeantur. Orationibus quidem duabus conſtant, nimium aliquanto pro ingenio puerorum elaboratis, at longiores & exquiſitiores apud monumenta autographa reperiuntur.

Nemo inficias ibit, Hiſtoriam S. S. Euſebii, Marcelli, Andrii, Hippolyti, aliorumque Martyrum, Romæ anno 257. Valeriani ſententia interemptorum, omnibus veritatis atque integritatis dotibus præſtare. Revera etenim pulcherrima eſt, ſuavis, pia, vetuſta, & quadam dicendi majeſtate ſublimis.

Sancti Cononis, ejuſque filiorum, ab Aureliano extremis ſuppliciis affectorum, Neonii anno 275. Acta ingenuo & naturali dicendi genere utuntur adeo, ut ab Actis Proconſularibus exſcripta videantur; aut certe, id quod eorum confeſſionis eſt, ab Autore, qui, Eccleſia in pace compoſita, IV. circiter ſæculo ea lucubraſſe videtur; quodque utilius apparebat, decerpſiſſe, quæque aliunde de illorum geſtis audierat, addidiſſe.

Ex duobus exemplis Actorum S. Polieucti Martyris anno 250.; aut 257. ſub perſecutione Decii, ſive Valeriani, contractiora omnibus certæ autoritatis indicibus confirmantur; præter nanque eorum brevitatem ſimplicitatemque nullum recitant eventum, quod ipſorum exiſtimationi nocere poſſit.

Univerſa hæc Sanctorum Martyrum Acta quarto, aut me fallit animus, Actorum ſelectorum Editionis Ruinartianæ ordini annumeranda fuiſſent, neque deſunt, quæ a tertia illorum claſſe arceri non debuiſſent; quod nimirum eadem veritatis documenta præbeant, atque illa, queis nemo fidem derogat; immo dicerent, aliquando majora. Nec vero propterea illa ab omni labe vindicamus; ſed contendimus, tum haſce elui nullo negotio poſſe, tum eorum veritati obeſſe non poſſe; cum his ſimiles, & aliquando graviores, minuſque excuſatione dignæ in monumentis non legi-

legitimis tantum, ſed autographis deprehendantur: ut facile admodum probatu eſſet, niſi ſi rem eo differemus, ubi ſingillatim in hoc argumento perpendendo verſabimur.

Jam vero nos latet, qua de cauſſa Actis ſinceris & ſelectis quinti generis non adjunxerit præclariſſimus Criticus noſter Acta S.S. Emeterii, & Chelidonii Martyrum Calaguritanorum; S. Eutichii, aliorumque Martyrum Alexandrinorum ſub Arrianis; S. Cyrilli Diaconi Heliopolitani, & Martyris; Martyrum Communionis Catholicæ Conſtantinopolitanæ; Martyrum Alexandrinorum ad annum 373.; Confeſſorum Ægypti, Lybiæ & Pentapolis; S. S. Caſti & Emilii Martyrum in Africa; S. Rutilii item Martyris in Africa; S. Alexandri Carbonarii nuncupati; octoginta Martyrum Byſanthinorum; S. Joannis Martyris Nicomedienſis; S. Nemeſii, aliorumque Martyrum in Africa; & quamplurimorum, quos, ne longi imus, prætermimus, quorumque Geſta ab Eccleſiæ Patribus & Autoribus Eccleſiaſticis, non ſecus ac ea, de quibus hucuſque locuti ſumus, recitantur.

Libentiſſime profecto perciperem, quid ſit, quod in Actorum hujuſmodi numerum aſcita fuerint Acta S. S. Barlaami, Gordii, aliorumque a S. Baſilio vulgata; S.S. pariter Aſteriæ & Pelagiæ Virginum ab Ambroſio; S. Domninæ a Joanne Chryſoſtomo, S. Theodori Amaſeni a Gregorio Nyſſeno; S.S. Apollonii & Philemonis a Rufino; S. Caſſiani Martyris a Poeta Prudentio; S. Macedonii & ſociorum a Sozomeno publici juris facta, quemadmodum aliorum multorum, de quibus nihil exploratum habemus, niſi quod Scriptores Eccleſiaſtici ad noſtra duxerunt. Quid ſit, inquam, quod in Actorum ſincerorum & Selectorum numerum aſcita fuerint S. S. iſtorum Martyrum Acta; rejecta vero illa, quæ paullo ante nominavimus; licet iidem Patres Scriptores Eccleſiaſtici ſtilum ſuum Martyrum iſtorum texendæ Hiſtoriæ conſecraverint; licet nihil ad pium religioſorum hominum exemplar minus compoſita ſint; licet æque explicate in illorum Scriptis patentia; ut paucis; licet in omnibus æqualia? Quare ſit ſimile vero, aut poſtrema hæc Acta in Ruinartii Collectionem admittenda eſſe, aut pleraque eorum, quæ admiſſa fuere, repellenda.

ARTICULUS III.

Quædam in Ruinartii Collectione locum habent monumenta, quæ Criticis Viris minus rata & firma ſunt.

QUantumvis omnes virtutis nervos intenderit Ruinartius, ne ulla tanquam Acta genuina produceret; quæ revera non eſſent; non tamen id eſt aſſecutus, ut Sapientes homines univerſa, quæ illius Collectio complectitur, opuſcula perſpectæ autoritatis eſſe ſentirent; ſed quædam ad ſuſpicioſa, alia ad ſuppoſititia, non pauca, ad depravata, nonnulla etiam ad fabuloſa detruderent.

Hiſtoria S. Jacobi, Epiſcopi Hieroſolymitani, ex Hegeſippo depromta, atque ab Euſebio memorata, quæque in Actis Selectis principem locum obtinuit, ſi Dupinus audiendus eſt, *magis ad fabulæ, quam ad veritatis ingenium accedit*. Diſſertationem quandam in rem hanc inſtituit Arnaldus, in qua plures narrationis hujus particulas fabularum, rerum incredibilium, abſurdarum, immo ſtultarum etiam inſimulat. Exiſtimat pariter ſe invictiſſimis * rationibus effeciſſe, quæcumque de Sancto Jacobo perhibet Hegeſippus, nullo modo propugnari poſſe, & procul eſſe longe ab omni ſpecie veritatis.

Lib. 2. Hiſt. c. 23.

Dup. Tomo 1. pag. 167.

Tomo 1. Monum. Tillem. 2. Editionis.

* Ecce Autoris iſtius momenta. 1. Ferunt Acta illa, libitum fuiſſe D. Jacobo in *Sancta Sanctorum* introire: legunt enim ita Epiphanius & Hieronymus εἰς τα ἅγια των ἁγιῶν, non autem in priorem Templi partem, quod fidem omnem tranſgreditur. 2. Nihil eſt, cur credamus, S. Jacobum ab Aaronis Stirpe profectum fuiſſe. 3. Cum Hegeſippus Judæos S. Jacobum hoc pacto interpellantes inducit: *Hortamur te, ut populi errorem comprimas, qui falſam de Jeſu opinionem imbibit, perinde quaſi Chriſtus eſſet ...... tibi enim omnes fidem habent ..... proinde plebi perſuade, ne circa Jeſum deinceps aberret.* Par ne uſpiam erit exemplum amentiæ tantæ? Nonne illud neceſſario fit, aut populum illum mente captum fuiſſe, aut Jacobum mente captum credidiſſe? 4. Nihil certe abſurdius cogitari poteſt, quam Judæos nobis ob oculos ponere, quod Hegeſippus facit, perinde ac ſumma in exiſtimatione Jacobi probitatem haberent, interim vero illum rem hanc homine honeſto indigniſſimam in ſeſe admittere poſſe confiderent. 5. Deinde verba, quæ in Scribarum & Phariſæorum ore ponit Hegeſippus, pura puta vocum congeries ſunt obſcura & indigeſta. *O Juſte, cui nos omnes fidem adhibere par eſt; quandoquidem populus omnis errat, Jeſum ſectans crucifixum, doce nos quod ſit oſtium Jeſu, ſuffixi Cruci.* 6. Reddito autem a Jacobo teſtimonio apprime diverſo, obſtupent Judæi, quaſi vero illud præſtolari non debuiſſent. Tum conclamant *ipſe etiam Juſtus erravit*! moxque conſcendentes, eum e Templi faſtigio præcipitem agunt.

Til-

Tillemontius ipſe, qui totus fuit in aliqua probabilitate Hiſtoriæ huic vendicanda, poſtquam proprius difficultates ab Arnaldo propoſitas meditatus eſt, adeo illarum vi convictus fuit, ut aperte fateretur; ſe non audere teſtari, reſponſa ſua adverſarii rationes elevaſſe; arduumque magnopere videri, in pluribus Hegeſippo non refragari, præſertim cum tradit, uni Jacobo poteſtatem fuiſſe Sancta Sanctorum ingrediendi. Denique declarat ſe id ulterius tueri nolle: „ Quinta, inquit, præcipue Arnaldi probatione commoveor; ne quod in Editione priori ſuſceperam, „ me hac Hegeſippi narratione ſuſtinenda amplius irretiam. „ Si magni hominis iſtius moderationem Critici imitarentur, in ſpem aliquam induceremur, fore ut quantocius multæ veritates emergerent, quæ novis in dies acuminibus involvuntur.

Tom. 1. pag. 632. 2. Edit.

Acta S. Juſtini Collectioni Ruinartii inſerta a Tillemontio & Baillero, tanquam legitima immo Autographa monumenta, fiunt plurimi; verum tamen doctus Pater Papebrokius, apud omnes Critica facultate præclarus, funditus penſitatis hiſce S. Juſtini Actis, ea S. Juſtino Philoſopho ſuppoſita fuiſſe pronunciavit; & palam facere ſtudet, Acta illa Ruinartiana ad alium Juſtinum pertinere, qui Græcia Romam veniens, ibidem capite diminutus eſt; cum ex adverſo Juſtinus Apologiſta vi veneni ſublatus fuerit. Alia rurſus id ipſum conficiunt argumenta. *

Bollandus ad diem 13. Aprilis.

His adde S. Saturnini primi Epiſcopi Toleſani Acta, de quibus per Ruinartium & Tillemontium nefas eſſet dubitare: at nihil nobis certi atque abſoluti narrant, de anno, quo Actorum iſtorum vixerit Scriptor, a quo tamen monumentorum illorum pendet autoritas. Opinatur Ruinartius eum quinquageſimo floruiſſe anno poſt S. Saturnini interitum, qui in 250. incurrit. Contra vero Tillemontius hujus Vitæ Autorem diſcipulum facit S. Exuperii ſub V. Sæculi initium. ** Attamen

Ruinart. Acta Sel. pag. 110. Tillem. Tomo 3. art. de S. Saturnino. pag. 297.

* Primum petitum eſt ab Officio, & Menæis Græcorum, nec non a Typico S. Sabbæ, quæ perſpicue duos Sanctos Juſtinos agnoſcunt; quemadmodum etiam parvum Menologium editum Venetiis anno 1522. Alterum ſuppeditat Apponius VII. Sæculi labentis ſcriptor, cujus hæc verba ſunt: *De Magno Viro Juſtino Philoſopho hiſtoria refert factum, qui dum contra Gentiles pugnat & quoſdam ſilios Matris philoſophos redarguit blaſphemantes, callide in ſecreto ab illis vocatus, ab iis Magiſtrio interfectus eſt*. Lib. 1. in Apocal. Tertium præſto eſt horum Acta volutanti, in quibus dicuntur Martyres capite damnati, quod *Imperatoris edicto* non obtemperaverint, cum *Imperatum* ſcribendum eſſet, regnantibus tum Marco Aurelio & Lucio Vero. Commemorantur denique illorum Imperatorum Edicta, qui omnino nullum in Chriſtianos edixerunt.

** Ruinartii ſententia eſt, quæ de Sancti Saturnini Vita feruntur, ab alio conſcripta eſſe, atque ea quæ corporis Translationem perſequuntur: quapropter cum ait: *ante annos quinquaginta* ſive aſſuta ſunt

tot

toт iſtorum rationes & deciſiones non prohibuerunt, quominus Patres Menardus, & Alexander, multique Sapientes S. Saturnini Hiſtoriam Opus calumniatoris fide prorſus indigni eſſe proclamarent. *Addo*, inquit Alexander, *hujus Hiſtoriæ Autorem fidem non mereri*.

Menardus Diatriba de Unico Dionyſio. pag. 56.
Alex. ſac. 1. Tomo 2. Diſſert. 15.

Quantumvis optima veritatis indole prædita ſint S. Pionii Acta, illamque Charitatem, quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis effervescebat, maxime redoleant; tempus tamen operi appoſitum, atque Euſebii teſtimonium ſuſpicionem in illa conferre poſſent. Critici quoque præſtantes explicatiſſima, ut teſtantur, ſuppoſitionis indicia in iis deprehendunt. Quorum evertendis argumentis nihil eſt aptius, quam duos agnoſcere hoc Pionii nomine inſignitos Sanctos, ab Actorum Scriptore minime ſecretos; aut Euſebium non audire, cujus dicta cum iis, quæ narrantur, componi nequeunt. *

Baron. Tillem. tomo 3. art. de S. Pionio pag. 367. Ruin. pag. 120.
Petavius, Joſeph. Scaliger, Pearſonius &c. apud Ruinart. pag. 120.

Tametſi S.S. Luciani & Marciani Martyrum Nicomedienſium Acta, qui Sabino Bithiniæ Proconſule, Decio vero Eccleſiam divexante, flammis pro Chriſto abſumti ſunt, Autographa haberi neceſſe ſit, utpote ab Autore e publicis tabulis deprompta, quoad ea, quæ ad ipſorum confeſſionem, & Martyrium, alteram Actorum partem, attinent, & quamvis integerrima, & elegantiſſima, ut nihil ſupra, cenſeantur: hæc tamen præconia univerſa Tillemontium non prohibent, ne aſſerat, carere Hiſtoriam hanc iis ſinceritatis notis, quæ in Actis Autographis continuo ſe produnt; neque iſtorum autoritate ullatenus pollere: & pulchram ſatis, piamque licet, & nihil vitioſi præferentem, non eſſe tamen niſi in mediorum Actorum numero recenſendam; cum plura, quæ Metaphraſtis dictionem referunt, complectantur. **

Baill. Tab. 26. Oct. pag. 57. Acta Sel. pag. 150.
Tillem. Tomo 3. annot. 12. in Decii perſecut. pag. 708. col. 2

Acta Sancti Vincentii Martyris legitima paſſim viſa ſunt, & propterea a Ruinartio in ſuam Collectionem recepta. Nihilominus multa Bailleto in iis occurrunt, quæ offenſionis aliquid habent, & Tillemontio arduum opus eſt, tutum ſatis de illis judicium ferre. „ Non audemus, „ inquit alibi, Sancti Vincentii Acta vel probare, vel improbare: „

Euſ. l. Hiſt. c. 15. item in Chron.
Ruin. Act. Sel. pag. 389. Sab. Crit. 22. Jan. pag. 56.
Tillem. Tomo 5. pag. 216. item pag. 674. col. 2.

verba hæc, ſive nobis fucum facit, cum ex Tillemontio quinquaginta ſolum poſt Saturnini mortem annis florere nequiverit, neque Reliquiarum Translationis meminiſſe, quæ incidit in V. Sæculum.

* Perhibent Acta Martyrium ſubiiſſe S. Pionium *ſub Proconſule Julio Proclo, & Quintiliano Conſule, Imperatore Gajo, Menſe quinto Trajano Decio, & Vizeto grato*; videlicet Decio Conſulatum tertio gerente, anno circiter 252. Ex adverſo Euſebius, Pionium non ſub Decio, ſed ſub Marco Aurelio paſſum fuiſſe, declarat, atque illum Polycarpi Martyrio, quod anno 167. contigit, adjungit. *Perſecutione orta in Aſia*, inquit Hiſtoricus hic, *Polycarpus & Pionius fecere Martyrium*. Cum Euſebio faciunt Hieronymus, & Martyrologia bene multa.

** Exemplo ſit, quod Sanctorum quidam ad Proconſulem ait: *Loqueris quaſi unus de inſipientibus*.

multaque adnectit quæ in cauſſa fuerunt non contemnenda cur animi ſui aſſenſionem ſuſtineret. *

ARTICULUS IV.

Conſideranti Bailletianas Regulas dubium ſuboriri forte poſſet, num oporteret, Actorum partem a Ruinartii Collectione ſummovere.

Baill. Orat. de Vita S. S. pag. 24.

EA tantummodo Martyrum Acta Bailleto autographa ſunt, quæ a Tabulariis publicis depromta, vel ab ipſis Martyribus, ſive ab eorum certaminis teſtibus conſcripta, aut ab his revera autographis traducta fuerunt; nec vero alia pene videntur hoc Autographorum nomine donanda. Porro qui aſſentiatur his, nonne jure dubitabit, utrum nec ne quinti Ordinis apud Ruinartium Acta ſincera reipſa ſint? Si nanque deeſt ipſis Autographorum ratio, deerit quoque ex initiis Bailleti ſinceritas. Quo fieret, ut *Sincerum* & *Autographum* ejuſdem nomina eſſent ſignificationis; aut certe non apparet, in quo ſitum ſit eorum diſcrimen. Criticis autem perſuaſum adeo eſt, hanc eſſe Ruinartii mentem, ut quoties monitum volunt, Acta quædam eſſe ſincera, ea dicant a Ruinartio inter *Autographa* recenſeri. Bailletus ſane eruditi Patris hujus Collectionem ampliſſimis verbis efferens, ſubjicit: „ quod ſi Acta „ nonnulla permixta ſint, *Archetypis* aliquanto inferiora, id factum eſ- „ ſe, quia pro *Autographis* habita fuerint, & ab antiquo Patre, aut ab „ Autore magni nominis alio profecta, qui propior illi eſſet ætati „. Et quidem non eſt, quid *Actis ſinceris & ſelectis* intelligamus, quam Acta *vera*, *fidelia*, *pura*, *digna fide*, *autoritate probe munita*, *autographa*: eadem enim fere vis ſubjicitur verbis iſtis; aut quemadmodum ea nuncupat Ruinartius, *Acta pura*, *primigenia*, *genuina*. Non putavi addendum eſſe, *Archetypa*; quamvis etenim omnia *Archetypa* ſincera ſint, & certæ autoritatis, non omnia tamen Acta ſincera & certæ autoritatis *Archetypa* ſunt.

Baill ibidem pag 97.

Ruin. Pref. pag. 2.

Duo itaque Bailletus habet, quæ manifeſto oſtendunt, ipſi conſilium

* Primum eſt, eorum Conciones nimium videri prolixas. Alterum, deſiderari verſiculum: Judica me Deus &c. a S. Auguſtino relatum. Tertium, formulam hanc *Daciano cuidam Præſidi* ejuſdem temporis Autori conſentaneam non eſſe. Cetera, quæ S. Vincentii Acta in ſuſpicionem adducere poſſunt, a Tillemontio ſunt petenda. Tomo 5. pag. 674.

non

non fuiſſe, quintæ Claſſis Acta immo quartæ etiam non exiguam partem *Autographis* accenſere. Monet nanque primo loco, Tabularum Inſtrumenta *autographa* proxime ab *Archetypis* deſcendiſſe: altero vero, Acta hoc pacto confecta in manus perveniſſe Epiſcoporum, aut Cenſoris alicujus, a quibus, antequam in vulgus manarent, caſtigarentur. Fatemur ultro quinti Ordinis monumenta, & quarti etiam non pauca, proxime ab *Archetypis* exſcripta non eſſe; neque putamus tueri quempiam poſſe, ea ob oculos poſita fuiſſe aut Epiſcoporum, aut Cenſorum, quo, adhibito prius ſeveriori judicio, publicam lucem aſpicerent. Ecce itaque Acta multa, quorum ex Bailleti Critice nutat autoritas.

Ipſa quoque ratio, qua Ruinartii Acta eum ex quinta ſerie, tum ex quarta pleraque elucubrata ſunt, ſi ad Bailleti regulas exigatur, non patitur, monumenta hæc ſatis magna autoritate florere. Quæ in quintum cenſum veniunt, multimodis exarata ſunt. 1. Aliqua iſtorum decerpta ſunt; atque unam Martyris Hiſtoriam exhibent; quin interdum illuſtrandæ narrationis gratia, ornamentis quibuſdam affecta ſunt. 2. Alia non leguntur niſi in Homiliis, aut Panegyricis Patrum; qui S. S. illorum merita celebrarunt. 3. Quædam Poematibus & Hymnis ad S.S. gloriam fuſis continentur. 4. Multa denique ſunt ab Autoribus Eccleſiaſticis, Rufino nimirum, Palladio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, aliiſque collecta.

Præterquamquod Monumenta iſta, & quarto etiam loco poſita nonnulla, ab Archetypis haud ortum ducunt, plura etiam, quæ ſcrupulum ingerunt animo, complectuntur. Qui nanque minime dubius & anceps prætereas Acta S. Symphoriani Martyris Auguſtodunenſis; cum ipſorum Scriptor videatur, argumenti ſui partem creaſſe, ſeque collocutionum inter Judicem rogantem & Sanctum reſpondentem autorem feciſſe; etſi his univerſa pene Acta concludantur; cum ſpecies ſit, eum M. Aurelii nomini Edictum quoddam ſuppoſuiſſe, qui nullum ſanxit, ut placet Criticis noſtris; & neminem in eorum teſtimonium proferat, quæ, tertio poſt Martyris exitum jam ad finem vertente ſæculo, litteris commendavit? Fidenter ne prorſus & animoſe aſſeverabis, Sancti Nicephori Martyris Hiſtoriam Actis ſinceris & ſelectis adſcribendam eſſe? Atqui, monente Bailleto, ipſa quoque narrationis hujus pulchritudo, quantumvis ad exemplum pia, poteſt eſſe ratio dubitandi iis, qui locorum & temporum adjuncta multa in ea deſiderant, num Parabola quædam judicanda eſſet Charitatis fraternæ & Chriſtianæ reconciliationis: moralis ſcilicet Inſtructio ad Hiſtoriæ naturam compoſita; ſive, ut loquitur Tillemontius, *quæ narrationis, ad inſtituendos Monachos excogitata*

Baill. Tab. Crit. 22. Aug. p. 42.

Baill. Tab. Crit. 9 Feb. p. XV.

Till. tomo 4. annot. 8 in Perſecut Valeriani p. 590. ed. 2.

ta imaginem aliquam referat. Hiſtoria demum nomine carens Autoris; nulloque veſtigio notata, ex quo argui poſſet, unde nam, aut uno, aut pluribus exactis ſæculis, rem hauſerit. Num quis vim afferet nobis, ut S.S. Cyri & Julitæ Martyrum Acta ſine ulla dubitatione fide digna & autoritate præſtantia nuncupemus? Quid quod Autor ipſe anſam nobis præbet de illorum abſoluta atque integra veritate ambigendi; quandoquidem profitetur, ſe factum e traditionibus popularibus accepiſſe, quarum fons a ducentis quinquaginta annis obſtructus fuerat? Plura alia parata eſſent exempla ſuper hac priori, qua hujuſmodi Acta conſcripta ſunt, ratione; niſi hæc tria in rem noſtram ſatis ſuperque eſſe pro certo haberem.

Martyrum Acta, ex quo ea nobis dederint Patrum Homiliæ, non afferunt ſemper neceſſaria ſecundum Bailleti Criticen indicia; ut omnes tollant dubitationes quæ de illorum veritate moveri poſſent.

Quoties ſuccurrit ipſi Autorum teſtimonium infirmare, exiguamque illorum autoritatem innuere, ad hoc principium ſe confert: eos nempe Oratorum citius quam Hiſtoricorum inſtar locutos fuiſſe. Regula iſta, quam crebro uſurpat, reperitur præſertim in ea Tabulæ Criticæ parte, in qua S. Laurentii Acta ad Criticæ artis leges expendit. Poſtquam etenim animadvertit, a Sanctis Ambroſio, Auguſtino &c. deſumenda eſſe quæcumque certiora ſuperſunt de Sancti hujus Diaconi Geſtis, ſubjungit. „ Meminerit tamen oportet unuſquiſque, non neglexiſſe Patres, E„ loquentiæ privilegiis uti, quo Martyres & Tyrannos artificioſe collo„ quentes inducerent. „

Tab. Crit. 10. Aug. p. XIX.

Secundum hæc, contendet ne quis, ut, monumenta veluti *pura, primigenia, & genuina*, Sermones aliquos, quin hæſitemus, recipiamus, in quibus Autores *non neglexerunt eloquentiæ Privilegiis uti, quo eos artificioſe colloquentes inducerent, quos in ſcenam producebant*; Rethorumque potius quam Hiſtoricorum dogmata ſectati ſunt? Probabile e contrario fit, futurum per Criticos integrum nobis dubitare de autoritate & ſinceritate Actorum Sancti Laurentii, quæ accepimus ab Ambroſio, atque inter Acta ſelecta ſedem habent; de iis, quæ Sanctus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in Epiſtola ad Salvianum Epiſcopum commentatus eſt ſuper Mauricii & Sociorum Martyrio; de traditis a Chryſoſtomo ad Sanctam Domninam, & ſocias, nec non ad Sanctum Lucianum Presbyterum Antiochenum ſpectantibus; de Elogio, quo Gregorius Nazianzenus uſus eſt in Sanctum Theodorum Martyrem; deque aliis item a Baſilio in S. Barlaamum, Gordianum & Julitam confectis; de S. Phocæ Paſſione ab Aſterio Amaſeno deſcripta: utque ceteris de Martyribus differentibus, atque in Acta ſelecta relatis ſuperſedeamus, cui perſuaſum erit, quandam Tabulam S. Eu-

Digitized by Google

Euphemiæ * martyrio depictam, atque ab Aſterio Amaſeno explicatam, opus eſſe ſatis firmum & ratum ad dubitationes univerſas eximendas, quæ moveri poſſent, utrum Acta iſta pura ſint, explorata, ſincera, & autographa, necne?

Satis eſt evolvere, quæ de Sanctæ Agnetis Martyrio recitat Ambroſius, quæ de S. Juliano Martyre Chryſoſtomus, quæque de aliis Sanctis, a Patribus celebratis, & in ſelectorum Actorum numero recenſitis ad hanc diem exſtant; ut compertum ſit, ſummos hoſce Viros *non neglexiſſe Eloquentiæ Privilegiis uti*, ut argumentum ipſis propoſitum nonnunquam ſterile uberrimum fieret; eique ornamenta & adjuncta multa commodare, quæ ex proprio citius penu, quam e rei ſumma depromſerunt.

Regula inſuper, quam tradidit Bailletus de teſtimonio, Poetarum autoritate comparato, nihilo favet magis animis confirmandis ſuper Actorum Veterum Martyrum, quæ ad Ruinartii Collectionem attinent, integritate. Cum etenim non levem S. Felicis Nolani Vitæ partim hauſerit e Poematibus Paulini, ad Sancti illius celebritatem compoſitis; præſenſit ipſe per ſe ſe, non omnes lubenter admodum fidem adhibituros Poetæ, facta adeo nova & inuſitata narranti; qui quantumvis Vir Sanctus eſſet, non deſineret Poetam eſſe; & propterea facultatem habere, argumentum ſuum admiratione aliquanto majori, quam natura ſua ferret, afficiendi. 14. *Jan. in Vita S. Felicis. pag. 318.*
„ Eſt cur judicemus, inquit, S. Paulinum ex Poeticæ diſciplinæ ingenio
„ S. Felicis virtutes prædicaturum, illius licentia non ſe abdicaſſe. „

Quo loco arbitrandum illud quoque eſt, Bailleto duce, hujus libertatis exercitationem non excidiſſe animo Prudentio in Poematibus de S. Laurentio, de S. Eulalia Emeritenſi; in Hymnis de S. Hyppolito Presbytero Romano; de Sanctis Agnete, Vicentio Diacono, XVIII. Martyribus Cæſarauguſtanis, Caſſiano, aliiſque, quæ Actis ſelectis annumerata ſunt. *In Tab. Crit. 10. Aug. p. XIX., item 10. Decembris pag. XXII.*
En novum Actorum genus, de quorum autoritate ſuſpicari poſſet.

Jam vero quod eſt Rufini, (cui ſoli de re teſtimonium dicenti non eſſe fidendum Critici noſtri exiſtimarunt) Socratis, Sozomeni, Theodoreti; non dubitamus Hiſtoricos iſtos, qui tanto munere nulla ſane ratione decorati ſunt, ut neque fallere neque falli poſſint, ſummam Ruinartio habere gratiam, quod in Actorum ſincerorum & ſelectorum numerum adſciverit ea, quæ mandarunt ipſi Litteris de S. Simeone Epiſcopo, &

* Nihil revera certi ad ætatem noſtram productum eſt de Geſtis & Martyrio S. Euphemiæ præter cujuſdam tabulæ deſcriptionem, ab Aſterio Amaſeno IV. labentis ſæculi Scriptore confectam, in qua S. Virginis hujus Martyrium pictura expreſſum erat. Hiſtoria hæc copioſe habetur IV. & VI. Actione alterius Concilii Niceni; ut ad Imaginum venerationem confirmandam argumento eſſet. Tomo 1. Auct. PP. Combef. Ruinart. Act. Bibl. Sel. pag. 343.

ſo-

ſociis; de S. Cyrillo Diacono Heliopolitano; de Sanctis Euſebio, Neſtadio, Neſtorio, & ceteris Martyribus Gazæ in Palæſtina; de S. Macedonio, & Sociis; de S. Baſilio Ancyrano, pluribuſque aliis. Interea metuendum eſt, ne tantum minime deferant Hiſtoricis iſtis Sapientes, ut, quin hæreant, tanquam pura & germana ſuſcipiant, quæ de Sanctis Martyribus iſtis poſteritati propagarunt, quæque potiori jure collocanda eſſent inter narrationes veritati proxime accedentes; non ſecus atque ea, quæ in Scriptoribus Actorum nonnullorum Martyrum, in Homiliis & Poematibus Patrum reperiuntur. Si etenim non multum tribueret omnibus Hiſtoriis iſtis, qui eas uti dubias tantum & ſuſpicioſas admitteret; ipſis fortaſſe nimium tribueret, qui illas monumentis tutis, veris, genuinis, & autographis annumeraret. Quare, ut duo hæc extrema declinemus, iniquum forte non eſſet, de monumentis iſtis hoc ferre judicium: ea maxime probabilia habenda in rei ſumma, neque ullatenus contemnenda, immo aliquo honoris genere proſequenda; quamquam vix induci poſſimus ad credendum, Homiliis & Poeſibus Iſtis nulla rerum addita fuiſſe adjuncta, aut ſpeciem quandam narrationi effictam, quibus autoritatis ſuæ nonnihil amitterent. Idem pariter ratum facit, Autores iſtos Ecclesiaſticos Hiſtoriarum ſuarum capita præcipua a monumentis certiſſimis deſumſiſſe; quod nullo modo tueri poſſumus; cum nullum plerumque de generibus ſummis ſponſorem exhibeant; exploratum vero ſit, ornatus adjuncta, & argumenti partem ab Autoribus iſtis profluxiſſe.

Quid ſi Critici noſtri Eruditi facta plurima graviorum Scriptorum, Euſebii nimirum, Hieronymi, & Auguſtini autoritate fulta, quotidie flocci faciunt? Qua igitur ratione minoris longe dignitatis Hiſtoricis animum adhibere ſuper factis, quæ ante ipſorum oculos, uno quippe, aut pluribus ſæculis antiquiora, verſata non ſunt; & neminem præterea, qui pro ipſis ſpondeat, in medium adducunt?

ARTICULUS V.

Pauca ſunt Collectionis Ruinartianæ Acta ſelecta, in quibus, ad Tillemontii documenta revocatis, leves interdum maculæ, immo ſuppoſitionis notæ non appareant.

EOrum, quæ priſca Martyrum Acta maculis afficiunt, non unum genus eſt. Quædam leviſſima ſunt; alia aliquanto majora, nonnulla demum tantæ gravitatis, ut de monumenti illius falſitate quæſtionem dirimant.

Til-

Tillemontio leves maculæ ſunt, ea omnia quæ rem perturbant, 1. ob nonnullorum nominum ſimilitudinem: *Aurelii* ex. gr. & *Aureliani*, *Claudii* & *Claudiani*, *Fabii* & *Fabiani*; *Maximi* & *Maximiani*, *Valerii* & *Valeriani*, quorum unum interdum pro alio in Actis autographis uſurpatur. 2. cum ſive nota, ſive verbum aliquod loco alterius appoſitum eſt: uti IV. pro IX., *Thraces* pro *Dacis*, quod occurrit in Actis S. Ignatii; *Stracteum* pro *Stacteum*, in Actis Sanctæ Symphoroſæ; *Trajano* pro *Tralliano* in Actis S. Polycarpi. 3. Si in MSS. variæ Lectiones emergant, quod obviam fit in Actis S. Symphoriani: *non debet Judex frivolis verborum ſermocinationibus ſubjacentem proferre ſententiam*, alia legunt, *ſuperjacentem*, *jacentem*. Martyrum Scillitanorum Acta exordiuntur in hunc modum: *Exiſtente Claudio Conſule*, alia MSS. habent: *præſtante*, *præſente*. 4. Quoties tempus mutatum eſt; quemadmodum in Actis S. Maximi loco *pridie Kal. Maii* Amanuenſes adnotarunt *pridie Idus Maii*. 5. Cum Actis ipſis Proconſularibus præfixum eſt quoddam Procemii genus, aut aliqua ad illa concludenda veluti Peroratio. Tillemontius in Actis ipſis autoritatis minime controverſæ magnum erratorum iſtorum, aut his ſimilium numerum obſervavit; quæ tamen nihil afferunt opuſculis, in quæ irrepſerunt, detrimenti, atque in nihilum occidunt per ſeſe; ubi monumenta illa quandam integritatis notionem imprimant, cujus vi de illorum puritate & ſinceritate quæſtionem habere nequimus.

Tillem. in Actis erratis, & aliis.

Attamen aliæ ſunt labes, quæ majorem animi proviſionem flagitant. Hujuſmodi præcipuæ exiſtimantur, quæ Hiſtoriam, diſciplinam, mores, & id genus alia attingunt, quarum haud pauca ſe produnt in Actis ſelectis exempla. Licet autem harum una vel duabus occurrentibus, nequeat Hiſtoria infra ſuppoſitas ablegari; ſentit nihilominus Tillemontius, hanc ſuſpicione laborare, ſi plures invicem connexæ in illa deprehendantur.

Propoſitis etenim multis, etſi levibus maculis, quibus inficiuntur S. Mariſii Acta, ut ea adulterina eſſe convinceret, hanc juſſit legem: „ „ Quamvis dici poſſet has minoris momenti eſſe, ſi ſingillatim accipiantur difficultates ad elevandam Actorum iſtorum autoritatem; ſufficiunt tamen, omnium complexione conſiderata, etiamſi magna antiquitatis & veritatis ſigna præſeferrent. „ Dupinus item præceptis, quæ tradit ad internoſcenda fallacia & incorrupta Scriptorum Opera, hujus acceſſionem fecit inter ea, quæ rem concludentia nuncupat: idemque ferme eſt cum Tillemontii lege. „ Accidit ſæpe numero, inquit Dupinus, ut quælibet conjectura diviſim ſumta non magnopere facienda „ videatur: ſi tamen in unum cogantur omnes, nos efficiunt aliqua de „ re, ut fert veritas humana, certiores. „

Till. tomo 4. annot. 4. in S. Romag. p. 675. col. 2.

Dup. in Præf. 2. partis p. 41.

Quo

Quo conſtituto principio, non video quid plane cogitandum ſit de multis, iiſque *Archetypis* Monumentis, in Ruinartii Collectione comprehenſis, quæ pluribus hujus naturæ vitiis contaminantur. Juvat nonnulla exempla producere. Quamquam Acta S. Maximi Mercatoris in Aſia, & Martyris Proconſularia cenſeantur: *Proconſularia*; Baronius ait, *& quo breviora ſunt, eo fideliora cenſeri debent*; non pauca tamen in iis reperire eſt, quæ negotium aliquod faceſſere videntur. 1. Narrant, Sanctum hominem *ultro ſe palam oſtendiſſe*, quod ſuppoſititiis potius Actis, quam veris familiarius eſſe contendunt. 2. Titulus *Conſularis*, Optimo Proconſuli tributus, error eſt; ut ex conſequentibus manifeſto colligitur. 3. Cum Optimus dixit, Decii Edictum imperaſſe: *ut omnes Chriſtiani, relicta ſuperflua ſuperſtitione, cognoſcant verum Principem, cui omnia ſubiacent, & ejus Deos adorent*; non apparet, quænam ſit verbis iſtis ſubjecta ſententia. 4. Non convenit, utrum anno 250. interierit. 5. Monent Acta, eum obiiſſe diem ſupremum *Secundus Idus Maii*; cum tamen putent legendum eſſe *pridie Kal. Maii*. 6. Quidam Epheſi deceſſiſſe perhibent; alii & fortaſſe tutius in Urbe Aſia, Liburniæ civitate prope Dalmatiam in Illyrico; aliqui Lampſaci in Helleſponto: Acta vero *apud Aſiæ Provinciam*. In obſcuro denique eſt, unde nam genus duxerit Maximus: *erat Plebejus*, inquiunt Acta, *negotii ſui curam gerens*. Alia Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, aut Levitam appellant. Hæc omnia in opuſculo ſatis brevi nihil profecto ad ejus conferunt veritatem.

Ibidem p. 245. num. 2.

Acta S.S. Rogatiani & Donatiani MM. Namnetenſium ſtilo & cogitatis gravia ſunt, & pro ſinceris habita; quædam tamen in iis offendunt. I. Sermones, præſertim Judicis, aliquanto longiores ſunt & elaboratiores. II. Tradunt Acta, Diocletianum *pollicitum fuiſſe his, qui Deorum cæremonias colerent, vel ſacrificia devote offerrent, publico ſe cognoſcerent ſtipendio donandos*: quod Tillemontius putat, Imperatoris ſeveritatem, præſertim in Decreto publico non decere. Rogatiani quoque ad Judicem verba non ſatis verecunda videntur; nihilque erat, cur acerbe adeo reſponderet. III. Probabile non eſt, Carnificem ſententiam, in Martyres pronunciatam, exequendo immutaſſe. Animadvertunt demum Acta, Diocletianum & Maximianum *Decreto ſanxiſſe eos qui Chriſtiani nominis in confeſſione perſiſterent, poſt illa tormenta, capitalem ſubire ſententiam*. Edicta iſtiuſmodi propoſita ſunt anno duntaxat 303. immanis perſecutionis tempore: nihilo ſecius Ruinartius S.S. iſtorum ſupplicio aſſignat tempus Gallicanæ perſecutionis a Maximiano Herculeo excitatæ ſub initium Imperii Diocletiani, quo tempore perſecutio generalis non erat, Edictis adhuc minime vulgatis.

Acta ſel. p. 296. num. 1.

Huc

Huc afferre liceret Acta S. Polycarpi nonnullis obſtructa difficultatibus hactenus inexplicitis, non ſecus atque illa Sanctæ Symphoroſæ, & S. Theodoti, de quibus diſputans Tillemontius ait. „ Nullum ferme monumentum eſt, quantumvis Autographum, quod objectis non pateat, „ quandoque moleſtis & difficilis explicatus. „ Nihil dico de multorum primi Ordinis Martyrum Actis, de iis nimirum, quæ ita ſunt autographa, ut ſint etiam *Archetypa*, & tamen ſecundæ hujus rationis erroribus non vacant, qui etſi reipſa, & ſeorſim ſumti leves videantur, neque Monumentorum iſtorum autoritatem extenuare poſſint, univerſorum certe concurſus ex Doctrina Tillemontii ea deberet in ſuſpicionem vocare, immo falſitatis redarguere. *Tomo 5. pag. 660. col. 2.*

Pergimus in altera Diſſertationis hujus parte Tillemontii & Bailleti regulas examinare, quibus ad diſpicienda Acta legitima a ſpuriis uti ſolent. Id unum interea hoc loco monitum facimus, Legum iſtarum præſcriptione videri, in Actis plerifque, quæ ſincera jactantur, non admodum ſinceritatis deprehendi. Non quod revera hujuſmodi eſſe negem, idem etenim pene ſuffragium de illis ſero, atque Autor Collectionis: at in aliquibus quædam loca reperias, quæ Tillemontii & Bailleti conſulto manifeſta ſunt ſuppoſitionis indicia; in hunc cenſum veniunt tormenta extraordinaria, ſermones exquiſitiores, aſpera verba, minuſque Imperatoribus & Judicibus morem gerentia, & id genus alia, quæ deinceps perſequemur.

PARS ALTERA.

REGULÆ CRITICÆ

Tillemontii & Bailleti ad Actorum Veterum Martyrum cum mendacium tum germanorum diſcrimen habendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Acta Martyrum quo breviora, & ſimpliciora, eo ſemper meliora judicata ſunt.

DOcumentum hoc, quod a Baronio Critici mutuarunt, principii cujuſdam loco ponunt, cui cetera innitantur, quæ ſunt ad rectum habendum veterum & autographorum Martyrum monumentorum ab interpolatis & ſuppoſitis delectum accommodata. Quoties in opus incidunt brevitate affectum & ſimplicitate, plerumque uti ſincerum atque incorruptum amplexantur, rejiciunt vero, aut certe ſuſpicione attingunt, ſi quando vitiis, duabus iſtis virtutibus contrariis, inficiatur.

Till. tomo 2. art. 22. de S. Juſt. p. 435. Tillemontius nempe de Sancti Juſtini Actis differens. Ipſorum integritas, inquit, eo certior evadit, quo brevia ſunt, & ſimpliciſſima: quæ „ duo ſigna percipimus eſſe, ut Acta autographa a falſis & paraphraſi „ utentibus ſecernamus. „ Bailleto ſimiliter, qui Tillemontium fere ſemper ſequitur e veſtigio, non excidit præceptum iſtud. „ Ex firmioribus, *Baill. in Orat. p. 138.* „ ait Criticæ noſtræ regulis illa eſt: ſimpliciora & breviora Sanctorum „ Acta eſſe item meliora, & quandam autoritatis indolem præſeferre. „ *Ibidem p. 24.* „ Duabus iſtis virtutibus, ſubdit alibi, putamus nos verum Actorum „ Autographorum argumentum aſſecutos fuiſſe, iiſque ſemper uſi ſumus, „ ut hæc ab iis dignoſceremus, quæ primo capite mendacia ſunt, aut pa- *† Fourures habet Autor Actorum additiones indicaturus.* „ raphraſibus, veluti ſubſutis quibuſdam pannis, depravata. † „

Secundum hæc otioſum eſſet percontari quamobrem tanta prædicatione extollant Actorum S. S. Ignatii, Symphoroſæ, Polycarpi, aliorumque autoritatem; quod nimirum pro certo habeant, eorum brevitatem ſimplicitatem-

tatemque totidem eſſe explorata ipſorum fidelitatis abſolutæ monumenta, quibus laude digna efficiuntur.

Nec vero mirum videri debet, ab ipſis prava exiſtimari tot vetuſta; quæ Metaphraſtes collegit, Acta, ſive quæ in *Legenda aurea*, Bollando, Lippomano, Surio, aliiſque Sanctorum Hiſtoricis reperiuntur; cum præcipua, & fortaſſis una, quam afferunt, hujus diſcriminis cauſſa ſit; ea tot additionibus intumuiſſe, ut quandam autoritatis formam, quæ nonniſi brevitate & ſimplicitate fingitur, amiſerint: quamquam autographa eſſe poſſit rei ſumma, atque inter additiones paraphraſeſque tenuis interdum quidam archetypæ ſinceritatis ſplendor affulgeat.

Quæ cum ita ſint, me quidem latet, utrum præſenſerint egregii Critici noſtri, magnam hanc atque excellentem regulam, quæ non inepte ipſorum regularum regula diceretur, cum undique ipſis apte cadat, utrum inquam præſenſerint, hanc duobus aut tribus æque periculoſis ſcopulis patere, eandemque graviſſima incommoda conſequi poſſe. Si nanque intereſt revera, opus aliquod breve & ſimplex eſſe, ut autographum habeatur; intereſt pariter continuo nonnulla a Ruinartii Collectione Acta detrahere, ex. gr. S. Tarachi & ſociorum; S. Theodoti, aliorumque multorum: gravioris autoritatis licet, clarioriſque integritatis. Alia in exemplum adducam deinceps.

Verum enim vero hac condita Lege, non modo plura delenda forent Acta ab eorum numero, quæ Autographa reputantur; ſed oporteret, Criticos inter iſta plurimis locum dare monumentis, quæ videntur ipſis ſuppoſititia aut interpolata: quod ſcilicet brevitate & ſimplicitate prædita ſint, adeoque vero Operum germanorum ingenio.

Hinc Tillemontius Acta S. Concordii ſimplici ſtilo & preſſa narratione confecta teſtatur: quod maximo vetuſtatis argumento poteſt eſſe. „ Simplicitas ſtili, & brevis Actorum iſtorum narratio, ſubjungit Baillетus, illorum antiquitatis ſpecimen dare poſſunt. „ Lubentiſſimo „ animo, loquitur alibi Tillemontius, in Sancti Urbani Pontificis Actis „ quandam ſimplicitatis imaginem recognoſcimus, quæ rectam illorum „ notionem menti informare poteſt; eademque deprehendimus in Actis „ Sanctorum Pontificum Alexandri, Stephani, & Marcelli; Sanctæ Pudentianæ; S. Aureæ; S. Sabinæ &c. „ Illinc vero monumenta hæc recenſent Critici in illorum claſſe, quæ nulla florent, utpote aut vitiata aut ſuppoſita, autoritate. Quod ſi in rem eſſet, alia ſubjicere exempla: nonne uterque illorum Acta Cononis & filiorum, Martyrum Iconii, ſimplicia, ſincera, & genuina fatentur? Nonne iiſdem dotibus prælucent S.S. Petri & Marcellini Martyrum Romæ; S. Polieucti Martyris in Armenia, quæ monumentis iſtis aliquam inter Acta autographa

Till. Tomo 9: art. de S. Conc. p. 439.
Baill. Tab. Crit. 1. Jan p. XXIV.
Till. tomo 3. annot. 3. in S. Urbanum p. 687. col. 1.

Till. tomo 4. p. 653. col. 1.
Baill. Tabula Crit. 29. Maii p. 10.

pha ſedem promereri deberent, quam illis Critici, regulis ſuis adverſantes, non concedunt?

Hujus demum regulæ exercitatione parari dixerim quandam fraudulentis hominibus perſonam, qua univerſis imponant; nullum etenim majus incumberet ipſis negotium, quam aliquorum Actorum lectione, ad quorum normam putant Critici noſtri ſe exquiſitum hac de re judicium conflaſſe, antiquitatis & ſimplicitatis ſtilum ſimulare, atque his artibus fœtus ſuos, tanquam priſcas & autographas Tabulas venditare. Hanc
Baill. Orat. p. 138. conjecturam ab ipſis Bailleti verbis duco. „ Calumniatoribus, qui falſa „ ſubinde Acta commenti ſunt, nunquam res ita feliciter ceſſit, ut nobis fucum facerent; niſi cum brevitatem ſimplicitatemque ſtudioſe „ imitati ſunt. „ Porro ſi veteratoribus iſtis exitus reſpondit proſpere, ut nos deciperent; ſique alii identidem nos decepturi fortaſſe ſunt, ſimplicitatem & brevitatem in aliqua S. S. Hiſtoria copulantes: „ Succedit
Dupinus in Præf. 2. parte p. 39. „ etenim interdum, inquit Dupinus, homini induſtrio, Scriptoris alicujus ſtilum adumbrare, in opere præſertim non admodum prolixo: „ quorſum evadet regula iſta? cuinam emolumento erit? ad eos ne uſus adjungi poterit, ut propoſitum erat? cumque falſarii alicujus operi accommodabitur, nunquid non pro ipſius fallacia & ſuppoſitione retegenda, autoritatis ipſi pondus accedet?

Tomo 1. Admon. p. 15. Non eſt autem, cur hic cum Tillemontio addamus, „ conducere Hiſtoriæ, ſtili, & diſciplinæ cognitionem ad pronunciandum de iis, quæ „ tempore aliquo conſcripta ſunt, aut ad longe remotius referre oportet; „ neque enim multi operis erit verſuto huic homini, qui tantum potuit, ut ſimplicitatis & brevitatis conjunctione nos luderet, nihil in medium proferre, quod iis omnibus non cohæreat. Quod ſi in re non magni momenti offenderit aliquando anne Acta quam maxime Autographa hujuſmodi culpis vacant?

Quibus poſitis haud conſtat, cujus eſſe poſſit frugis ſummum hoc Til-
Ibidem. lemontii principium, quod univerſæ ipſius Critices fundamentum eſt; cum aſſerit, eos, qui Vetera Martyrum Acta non controverſa legunt, ſenſum quendam effingere ſibi, quo diſpiciant ea, quæ redolent vetuſtatem ab iis, quæ fabulam aut popularem Traditionem olent. Ex quo nanque vafer calumniator noſter narrationi ſuæ ſimplicitatem & brevitatem adjunxerit ſenſu illo exquiſito, quem autographorum monumentorum lectione ſibi compararit; ii, qui ad opus hoc excutiendum accedent, quique S. Ignatii, S. Symphoroſæ, S. Polycarpi, S. Felicitatis, aliorumque evolutis Actis, eundem ſenſum aſſecuti fuerint, hi, ſi me conſulas, hac in narratione quandam antiquitatis veritatiſque imaginem intuebuntur, qua eam a narratiunculis, Fabulam & popularem Traditionem

nem olentibus, ſecernant. Qua de re utraque regula iſta ſuis mutuo luminibus obſtruit, atque officit.

Ut vero Articuli hujus finis ſit, integrum nobis erit animadvertere, quantumvis ruta atque excellens appareat obtutu primo hæc fundamenti loco poſita Criticorum noſtrorum regula, videri tamen eam aut nimium, aut nihil omnino conficere. Incommodæ conſecutiones, quas ſuperius retulimus, monent, eam ultra quam ſatis eſt probare, aliunde etiam compertum habemus, exiguam fidem facere; quapropter præſtaret, additamentum ipſi aliquod opponere, ſive ut tollerentur ambiguitates, ſive ut generalis hæc præceptio finibus aliquibus coerceretur. Arbitrandum ſiquidem eſt, Viros præclariſſimos ſine ulla temperatione ægre admodum hæc aſſerta laturos. *Hiſtoria priſci hujus Martyris brevis eſt & ſimplex: fidelis igitur*: aut *ejus brevitas & ſimplicitas ipſius vetuſtatem confirmant*. Contra vero: *Acta antiqui hujus Martyris neque ſatis ſimplicia ſunt neque brevia: Igitur falſa & ſuppoſititia*: vel alia: *Eorum brevitatis & ſimplicitatis vitium certe ſuppoſitionis indicia præbent*. Non deſunt etenim monumenta, in quibus hæc duo viciſſim junguntur, nec tamen adulterina eſſe deſinunt; atque item alia, quæ iis carent, & tamen autographa exiſtimantur.

Critici noſtri ampliſſimi, qui difficultates haſce proſpexerunt, ſtudium omne diligentiamque in eo locarunt, ut eas, adhibitis nonnullis explicationibus, præoccuparent; aut citius moliti ſunt, generalem hanc regulam multis peculiaribus monitis conſtituere, quæ complectuntur ea, quæ ab Actorum *Archetyporum* ſimplicitate nequeunt ſeparari, ejuſque propriam indolem exprimunt. Inſtat itaque proximo articulo dubitationes aliquas excitare ſuper Actorum germanorum & vetuſtorum proprietatibus in univerſum: ſingillatim vero impoſterum ſingulas egregiæ hujus ſimplicitatis dotes ſcrutabimur.

ARTICULUS II.

Virtutibus compluribus perficiatur neceſſe eſt ſimplicitas illa, quæ in Actis Veterum Martyrum intima eſt ſinceritatis nota.

Audiamus, quonam Bailletus ſenſa ſua aperiat modo de Virtutibus, ſimplicitatem conſequentibus, quam ad monumenta archetypa vera & autographa internoſcenda præcipue Critici adhibuerunt.

» Id

Baill. Orat. de Vit. S.S. p. 14. „ Id perſpectum ſemper fuit, inquit, Acta Sanctorum ſimpliciora & „ magis genuina, minus quam cetera Sermonibus, aut concionibus; „ miraculis & prodigiis; citationibus, & Scientiæ oſtentatione, pœniſque *Ibidem p. 138.* „ haud uſitatis redundare. „ Alibi vero: „ Actorum archetyporum „ ſimplicitatis quædam perfectio eſt, ab omni affectatione abhorrere; „ pauca portenta, non multas exquiſitas pœnas, Scripturæque loca haud „ frequenter indicare. „

Propterea Tillemontius, a quo has quoque regulas didicit Bailletus, non putavit, ſe melius Juſtini Actis ſplendorem additurum, quam ſi *Till. tomo 2. p. 698. col. 2.* oſtenderet, eorum ſimplicitati univerſas has virtutes comitari. „Fidelitas „ Actorum S. Juſtini, ait, iis omnibus videtur explorata, qui eorum „ reputant ſimplicitatem. Fruſtra in iis requiras magnas illas declamatio- „ nes, monſtroſa illa prodigia, ſubitas converſiones, inaudita ſupplicia, „ quæ nos vehementer angunt, dum illuſtriorum Martyrum Hiſtorias in- „ certis & ridendis fabulis conſarcinatas conſpicimus, quæ *ipſorum non* „ *venerationem augent, ſed fidei detrahunt; & tantum abeſt, ut Chriſtianorum* „ *pietatem foveant, ut potius in hoſtium Dei ſcandalum riſumque vertantur.* „

Primo certe aſpectu Tabularum Criticarum, quas de Geſtis S.S. in uniuſcujuſque Menſis fronte collocavit Bailletus, conſtat manifeſto, eum regularum iſtarum exercitatione, ad ſimplicitatis ingenium collata, pleraque Martyrum Acta aut tanquam autographa probare, aut veluti notha improbare. Hoc eodem ſimplicitatis impedimento factum eſt, ut multorum Sanctorum Acta ad Hiſtorias depravatas & fide indignas Tillemon- *Till. tomo 2. p. 517. 640 667. 668. tomo 4. p. 675. tomo 1. p. 634.* tius rejiceret: cujuſmodi eſſe poſſunt Acta S. Hermagoræ & Fortunati Aquilejenſium, S.S. Mariſii, Aſterii, Adriani, Reſtituti, Hermii, S.S. Serapiæ, Sophiæ, Glyceriæ, aliorumque multorum.

Nec aliud Criticus iſte argumentum affert, quare ab his omnibus monumentis defecerit, niſi quia factis *Metaphraſticis* referta ſunt; longis nimirum concionibus, non paucis comparationibus, & Bibliorum contextibus interpoſitis; perpetuis miraculis; tormentis prorſus inſolitis, innumeris pene ſuppliciis, a quibus nonnunquam vi divina convaleſcunt, aſperis demum verbis in Judices ſuos a Viris Sanctis jactatis. Quæ cum memoro, animadvertat unuſquiſque, non intendere Criticos iſtos, culpis his omnibus contaminatum eſſe oportere opus aliquod, ut repudietur; ſed unam, duas, aut plures ſatis eſſe, ut in ſequentibus perſpicuum fiet.

Nunc autem gravis obverſatur nobis difficultas. Si veterum Martyrum Hiſtoriæ, quæ aliqua præſeferunt Simplicitatis officiis contraria, *in* *Tomo 2. annot. 21. in S. Juſtinum p. 698. col. 2.* *hoſtium Dei ſcandalum riſumque vertuntur*, ut ait Tillemontius, *tantum abeſt, ut Chriſtianorum pietatem foveant*: non videmus, qua ratione com-

componi poſſint magnæ iſtæ, quas Actorum Archetyporum & autographorum ſimplicitati Critici vendicant, perfectiones, cum meritis laudibus quibus Ruinartii Acta ſincera & ſelecta extollunt; quandoquidem præſcriptionibus iſtis quidquid in hac Collectione venerabilius, antiquius, & conſtantius reperitur, ab imo ſubvertunt.

Si res itaque poſtulat, ut ſimplex omnibus numeris monumentum parce admodum Sermones ſive Conciones, Scripturarum ſenſa, doctrinæ oſtentationem, inſueta tormenta, mira, & prodigia complectatur, quodnam erit judicium Actorum S. S. Perpetuæ & Fælicitatis; S. Pionii; S. S. Tarachi, Probi, & Andronici Martyrum Ciliciæ; S. Theodori Martyris Ancyrani, aliorumque plurimorum, quæ tanti fiunt a Clariſſimis Criticis noſtris, eaque inter pretioſa antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta collocant, & citra controverſiam archetypa eſſe pronunciant? Diligenter etenim Acta iſta inveſtiganti, ob oculos verſabitur, non modo ipſis deeſſe brevitatem, ſed illorum quoque ſimplicitatem erroribus ipſi oppoſitis inquinari, cruciatibus nunquam ſando auditis, miris factis, verbis duris minuſque verecundis; ne multa, omnibus aliis inſignibus, propter quæ priſcorum Martyrum Acta identidem Criticis diſplicent. Hoc eſt Articulis, quæ ſequuntur, propoſitum argumentum, in quibus omnes haſce ſingillatim falſitatis notas in antiquis Martyrum Actis ad trutinam revocabimus.

ARTICULUS III.

Acta ſincera Veterum Martyrum pauca mira & prodigia continent.

EA eſt Hiſtoriæ Sanctorum pars, inquit „ Bailletus, majori animi provisione a mendaciis & calumniis vindicanda, quæ res miras " ipſis tributas perſequitur. „ Quo motus initio, Legis inconcuſſæ loco hanc ſancit: germanum Actorum ſincerorum & autographorum indicium, quo a ſuppoſitis & vitiatis diſtinguuntur, eſſe, ſi pauca miracula recitent. *n Adm. p. VI. Orat. de Vit. S. S. pag. 138.*

Longius ſane, quam par eſt, progrederemur, ſi animus eſſet, cuncta perſequi opera numerando, quæ male audiunt apud Sapientes quod nimirum miraculis referciantur. Satis erit dixiſſe, Tillemontio fucata videri S. Abercii Acta, „ quia nihil ſint, niſi acervus minus credibilis prodigiorum, aut certe tantum credibilis, ſuadente alicujus firma autorita- *Till. tomo 2. p. 664. col. 1. annot. 3. in Pap.*

te

Ibidem p. 659. col. 2.

„ te, quæque errori obnoxia ferme non eſſet. „ Vellem equidem, inquit alibi, poſſe de Actorum S. Alexandri Epiſcopi & Martyris Romæ „ bonitate & veritate teſtari; at nihil niſi portenta, & facta Metaphra- „ ſtica referunt. „ Et annotatione 3. in S. Concordium affirmat Acta

Ibidem p. 705. col. 1.

Martyrii S. Pontiani ad Metaphraſtis dictionem proprius accedere; & magnum Mirorum Numerum eorundem autoritatem nihil magis amplificare. Infra ſuppoſita denique detrudit Acta S. S. Petri & Marcellini, S. Mariſii, S. Cheronii, S. Baſiliſci, S. Sophiæ, aliorumque multorum; quod ſcilicet miraculis plus nimio conſtent.

Tillem. tomo 5. p. 199. Baill. tab. Crit. 2. Junii p. VI. Tillem. ibidem p. 735. col. 2.

At vi Legis hujus me fugit, qui poterunt præſtantes Critici noſtri ſe ſubducere, quin Actis vetuſtis acceptiſſimis teſtatiſſimiſque notam aliquam inurant. Oculos conjice, ſi libet, in Acta S. Theodoti, & ſeptem Virginum Ancyræ Martyrum; S. Romani, Diaconi Cæſaræenſis, & Martyris Antiocheni. S. Vincentii Diaconi & Martyris; S. Theodoreti Presbyteri & Parochi Antiocheni; S. S. Bonoſi & Maximiliani Martyrum Antiochenſium, aliaque multa nihil minus autographa; in quibus tamen prodigia & portenta leguntur æque mirabilia, atque ea, quibus monumenta, hoc nomine fraudis aut interpolationis accuſata, obruta ſunt.

Till. tomo 1. Adm. p. XV. Baill. Orat p. 14.

Si genuinis Actis inſitum natura eſt, pauca miracula congerere: quid, rogo, fiet de S. Polycarpi Actis, a Tillemontio in veterum atque autographorum exemplar propoſitis? Plurima ſane Virtutis divinæ facta in Sancti Martyris hujus Hiſtoria ennarrantur, decerpta ex Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, paullo poſt ipſius Triumphum conſcripta, unde pleraque Euſebius in Hiſtoriam ſuam tranſtulit, quamque omnibus partibus abſolutam Theodoricus Ruinartius publica luce donavit.

Euſebius l. 4. c. 15. Acta Selecta p. 28. & ſeq.

Tillem. tomo p. 366. Baill. 26. Januarii p. 644. & ſeq.

I. *Signum ante triduum, quam comprehenderetur, revelationis accepit. Intuebatur cervical capitis ſui flamma ambiente circumdari ...... Vix adhuc ſtratis gravia membra ſubtraxerat, ait his, qui cum eo erant, ignibus ſe cremandum.*

II. *Cum arenam fuiſſet ingreſſus, e cælo ſtatim miſſa vox ſonuit clamans: Polycarpe, habeto virtutem. Hanc vocem qui in arena erant, audierunt; ex aliis autem nullus audivit.*

III. *Completa Oratione, flammaque ſuppoſita ...... curvus in littora arcus apparuit in aliquantam latitudinem cornua utraque flectendo, velum navis imitatus, qui Martyris corpus molli velabat amplexu, ne aliquid ex Sanctis artubus flamma vaſtaret.*

IV. *Ipſum Corpus .... pulchro colore reſplendens ſingulorum juvabat aſpectum.*

V. *Odor etiam Thuris, aut Myrrhæ, aut pretioſi alicujus unguenti ex ipſo ſcatebat.*

VI. Et-

VI. Ethnici *præceperunt*, *congeſtorem ignis accingi*, *gladiunculum ſancto corpori injicere ...... Cumque hoc ita fuiſſet effectum ..... ſtatim ſopitum cruore ceſſit incendium*. Quod vulgare portentum non crediderim, ut parum ſanguinis e vulnere manans magnum focum extingueret.

VII. *Ecce ſubito fluente ſanguinis copia*, *columba proceſſit de corpore*.

Cedo rurſus, cujus generis erunt Acta S. Felicis Nolani, Acta tanto in pretio habita? Quot ob oculos ponunt mira facta, Metaphraſtis ſtilum optime referentia, quibus effici deberet, ab ipſo conficta fuiſſe, ſi modo id ſibi revera Acta vetuſta vendicarent, ut pauca prodigia complecterentur?

Act. Select. p. 258. Tillem. tomo 4. p. 226. Boll. 14. Jan. p. 320.

I. Seſe offert Angelus, Maximi Epiſcopi Nolani ſervandi gratia, ſilenti nocte, ut e carcere Felicem liberaret, a Deo ablegatus.

II. Carcer repente ſupero lumine illuſtratur, uni ſancto viro perſpicuo, *reliquis obſcuro*: quod portento vim addit.

III. Catenæ manibus & cervice *fluxere* quin infringerentur.

IV. E plagis inflictis corpus convaluit.

V. *Proſiliuntque pedes laxato caudice nervi*. †

VI. Reſeratur carcer *ſalvis clauſtris*.

VII. Angelus Felicem *direxit callibus ignotis*, *emenſus ſecretos ſaltus invia rura*; *donec locum feſſi ſenis invenit*.

VIII. *Omnipotens ſubito de ſentibus uvam edidit*.

Ex Poemate S. Paulini apud Ruin. ibidem.

† Ita appellabatur inſtrumentum quoddam ligneum noxiorum ſupplicio deſignatum.

IX. Felix *decerptum manu*, *morientis ad ora racemum admovet*, *exprimitque humentes acinos*, *ſuccumque liquentem: tum ſuſcipit humeris*, *&* *adfert tam volucri curſu*, *tanquam magis ipſe feratur*; *& pedibus pietate citis Deus addidit alas*: ſicque in Urbem intulit.

X. Maximus *Felicis imponit capiti dextram*; *ore & apoſtolico benedicens*, *& locupletans*, *immarceſſibilis redimivit honore coronæ*; *perpetuiſque* opibus, *quas & modo cernimus*, *auxit*.

Quam multa unius noctis intervallo acta prodigia! nec minoris facienda ſunt alia: quod inſectatores Felicem non agnoſcentes, ab eo ſciſcitati ſunt: Ubi nam eſſet; & aranearum telæ latebram, in quam ſe abdiderat, pertexentes, Felicem eorum oculis ſubduxerunt.

Ut autem illuſtre fiat argumentum hoc, conferre placet interſe Acta S. Felicis Nolani, & S. Serapiæ Virginis & Martyris, quæ Critici flocci pendunt, & ſuſpicioſa atque interpolata propter nonnullas voces, modeſtiam Chriſtianam minus referentes, & prodigia multa incommode coagmentata, conſiderant. Atqui, ſi pro rato habendum, eſt hujus Sanctæ Mulieris Acta, a Baluzio altero Miſcellaneorum Tomo vulgata, in dubium revocanda eſſe ob facta mira, quibus, ut volunt ipſi, referciuntur, oportebit quoque incerta aut fortaſſe adulterina pronunciare non

modo S. Felicis Acta, verum S. Polycarpi, S. Theodoti, aliorumque multorum illuſtrium Martyrum, omnium ſententia legitima, quæ tamen portentis longe inuſitatis cumulata ſunt, quam Hiſtoria S. S. Serapiæ, Cononis, Petri, & Marcellini &c.

Terræmotus, quo concuſſa eſt Urbs univerſa: duo Ægyptii, quibus proſtituta fuerat Sancta Serapia, qui ſplendidiſſimi adoleſcentis, eorum libidini obſiſtentis, terrore correpti, proſtrati ſunt, atque ita immobiles ad novam uſque diem jacuerunt; tum Sanctæ Virginis ope ad ſalutem revocati: faces ardentes ipſius corpori admotæ, atque ea intacta ſtatim extinctæ: Carnifices humi procidentes; & fragmentum quoddam fuſtis, quo cædebatur, in Judicis oculum offendens, quo tertio die orbatur: hæc univerſa monſtra divina ſunt, quæ in S. Serapiæ Actis leguntur. Æquum ſit Lectori judicium, num iſta, quidquid urgeat demum Tillemontius, Metaphraſti magis affinia ſint; quam Sancti Felicis Oſtenta. Numero certe illa, quæ Virginis Sanctæ meritis operatus eſt Deus, pauciora ſunt quam iſta; atque in rei ſumma nihil admirabilius in ſeſe continent. Quod ſi Faces, innoxia Virgine reſtinctæ, (majus etenim id negotium creare poſſet) tanti ſunt, ut propterea in ſuſpicionem incidat Hiſtoria; non apparet, qua ratione Acta S. Theodoriti Presbyteri, Parochi Antiocheni, & Martyris ſincera atque autographa videri poſſint. *Quatuor etenim Angeli adſtantes in veſte candida, & loquentes cum eo*, dum lampadibus ad latera appoſitis adurebatur; *& carnifices ſubito cadentes in facies ſuas cum lampadibus*, majora ſane prodigia ſunt, atque illa quæ Serapiæ Virgini contigerunt.

Ruin. Act. Sel. p. 660.

Præterquamquod conſilium ipſum, quo cum Sancti Presbyteri, tum Sanctæ Martyris mira facta præſtitit Deus, animadvertendum nonnihil eſt. Hinc illa miraculorum multitudo non tendit alio, quam ad Epiſcopi cujuſdam ſolatium, ſive ut maxime ad corporis Vitam ſervandam: illinc vero, ſi impudentes duo humi ſternuntur exanimes, id Virginis illius integritatis cauſſa fit. Quo loco nos docet Tillemontius, nunquam fide tanta digna eſſe miracula, quantam in eo rerum diſcrimine perpetrata merentur; additque, quoties Virgines legimus traditas a Judicibus, ut his afficerentur contumeliis, toties divino Numine injuriam prohibitam fuiſſe, atque identidem perſpicuis prodigiis, ut pro Sancta Serapia, ait Tillemontius, factum novimus. Me tandem latet, qui poſſit hæc Criticorum noſtrorum regula cum alia Ruinartiana conciliari, quam ſtatuit annotatione quadam in portentum ab Euſebio recitatum de columnis Porticus, *quæ quaſdam veluti lacrymarum guttas ſtillaverant*. *Ex hoc*, ait egregius Pater, *aliiſque portentis, quæ paſſim Euſebius narrat, collige, reiicienda non eſſe Martyrum Acta, eo nomine, quod quandoque in eis ejuſmodi inſolita miracula a Fidelibus interſerta ſint.*

Till. tome 2 pag. 270.

Euſeb de Mart. Palaſtinae c. 9. Acta Sel. pag. 344.

At

At enim, inquies, non hæc tantum ſunt inordinata prodigia, quæ S. Serapiæ Acta minus certa efficiunt; ſed alibi quoque interpolata, & paraphraſibus aucta ſe produnt; & multis compacta ſunt, quæ incommode cadunt. Perhibent Acta, Sabinam nuptam fuiſſe, quam tamen Virginem nuncupat Bedæ Martyrologium: hoc autem ad evertendam funditus monumenti illius autoritatem manifeſte facit. Nihilominus, Tillemontio Autore, in hoc deceptus eſt Beda. Deinde Judex nuncios domum Sabinæ mittit, qui Virgines ante Tribunal adeſſe juberet: attamen nunquam, niſi unius Virginis, quæ Serapia eſt, mentio fit, cum Acta plures fuiſſe teſtentur. Jam vero ſi exiſtimant, additiones has monumentum iſtiuſmodi in crimen vocare poſſe: quod ſcilicet Imperatores rum memorent, cum unus fuerit; Edicta Adriani Imperatoris, qui nunquam in Chriſtianos leges promulgavit, comminiſcantur; & in obſcuro poſitus ſit Vindiciani cujuſdam titulus *Ducis Ducum*: paratum eſt objectis iſtis argumentis reſponſum; alias vero nemo non videt, leves eſſe nævos, quibus Acta S. S. Polycarpi, Juſtini, aliaque licet *archetypa & autographa* notantur; quin ſuccurreret alicui, adverſus illorum veritatem concludere.

Till. tomo 2. pag. 640. col. 1. Baill Tab. Crit. 2. Sept. pag. VI.

Apparet ne, Paraphraſes iſtas iis eſſe graviores, quæ in S. Felicis Actis animadverti poſſunt? Habent ipſa, Maximum Epiſcopum Nolanum, urgente perſecutione, in Eremum conceſſiſſe, nullum vitæ nactum ſubſidium, præterquam a Deo providente; atque animo obfirmato, aut fame & ærumnis coram ipſo pereundi, aut ab eo auxilium comparandi. Si Critici Sapientes hujuſmodi ſenſa in Actis illis deprehenderent, quibus non ſapit eorum palatus, non deſinerent reſpondere: id eſſe tentare Deum, neque communem Chriſtianorum conſuetudinem. Cui perſuaſum erit, tempore perſecutionis adeo cruentæ, ut Maximum Epiſcopum, alioſque plures ad latebras compuliſſet, Felicem in publica mediæ Urbis platea Chriſtianos divinis præceptis imbuiſſe? Non immoror reſponſo, a S. Felice iis reddito, qui ipſum conquirebant: ſe videlicet *Neſcire Felicem*; quod poſt Bedam Tillemontius, quantum in ipſo eſt, purgare nititur, animadvertens; *neminem faciem ſuam cognoſcere*. Nihil pariter dico de controverſia jampridem Sapientum ſtudiis agitata: utrum Felix Nolanus adverſus Hæreticos decertaverit; num Romæ aut Nolæ teſtimonium Jeſu Chriſto dederit; an ne Fratrem ejuſdem nominis habuerit, aut locus ille in *Pincis* ſive *Pineis*, quo ſepultus eſt, æque involutus ſit, atque *Vindicianus* in Actis Sanctæ Serapiæ *Dux Ducum* appellatus.

Till. tomo 4. pag. 228.

Igitur quando conveniret inter Criticos eruditos, Acta Serapiæ prodigiis multis inordinatis referciri, pluraque in iis eſſe, quæ negotium faceſſant, eorumque autoritatem infirment; aſſequi profecto nullo modo poſſum, qua demum Legum ſuarum præſcriptione, in dignitate conſiſtant

Acta S. Felicis, & plurimorum ejuſdem antiquitatis & veritatis Martyrum, quæ ingenti miraculorum aliorumque factorum numero obruta ſunt, quibus nihil implicari minus poſſumus, quam Sanctæ Serapiæ prodigiis. Fas eſſet ne per ipſos nobis, ex his omnibus elicere, Criticorum noſtrorum documentum, ad germana & fallacia Martyrum Acta exploranda propoſitum, omnino accuratum non eſſe, & vera monumenta cum falſis miſcere commode poſſe, ut exemplis hucuſque allatis conficitur; & aliis multis nullo negotio conficeretur, ſi diligentem Actorum Autographorum, cum ſuppoſititiis, aut vitiatis collationem inſtitueremus?

ARTICULUS IV.

De nonnullis Critices regulis, quas tradunt Sapientes ſuper Miris rebus, in Actis veterum Martyrum occurrentibus.

Quamquam eadem ſemper in Eccleſia Miraculorum gratia refulſerit, non idem tamen fuit ſemper de iiſdem latum judicium. Prioribus quidem ſæculis in eo enixius Chriſtiani laborabant, ut Martyrum Sanctitatem animique robur celebrarent, quam ut Hiſtorias ſuas prodigiis inuſitatis cumularent. At exacta aurea illa ætate, & non paucis fabularum & miraculorum affectionem veritatis ſtudio anteferentibus, cœptum eſt apud Græcos præſertim, & Imperio ad occaſum vergente, Hiſtoriam Sanctorum innumeris pene miraculis, minuſque Martyribus neceſſariis replere: quam immoderatam credulitatem, opinio eſt, ad decimum ſextum uſque ſæculum perſeveraſſe.

At vero poſtremo iſto, cum Critices lumina exquiſitum rerum ſenſum, veritatiſque cognitionem paullatim revocarent, viſus pariter eſt inordinatus hic portentorum, & Martyrum dignitatis ardor in dies re-
Baill. Orat. de Vit. SS.
ſtingui: cœperuntque homines cavere ſibi a calumniis, fallaci ſtudio, nimiaque credendi facilitate, quæ quatuordecim ſæculorum ſpacio tot fabuloſa prodigia, & facta mira, quot plerique redundant Sanctorum
Till. annot. 13. in S. Juſt. tom. 2. p. 698. col. 2.
Hiſtorici, pepererant: *quæque in Hæreticorum ſcandalum riſumque vertuntur: tantum abeſt, ut Chriſtianorum pietatem foveant.*

Et quidem ipſi conſpicimus, eos, qui ſibi de exquiſitiori, atque elegantiori, quam eſſet præteritis ſæculis, judicio gloriantur, iis omnibus exiguam plerumque adhibere fidem, quæ prodigia aut Geſta inuſitata nuncupantur. Non quod illa omnino inficiari velint; ſed quod metuant,

ne

be ipſi quoque credulorum hominum, inanique cura flagrantium turba involvantur, a quibus diſpici ſe nulla alia poſſe ratione exiſtimant, niſi ſi oſtenderint; ſe minus eſſe ad hæc mira haurienda compoſitos. Con„ tenti plane ſunt, inquit Boſſuetus; modo ſpeculatores ceteris homini„ bus, ceteris liberiores ſe prodant; & æquius eſſe cenſent tot rebus ad„ mirabilibus non moveri. „ Immo videntur hoc uno eunĉti, qui *Critici illuſtres*, *accurati*, *ingenioſi* appellari ſolent, eminere ceteris de plebe ſapientibus, qui inſitas adhuc gerunt animo obſoletas opiniones, & popularibus traditionibus præoccupantur.

Prima Inſtruct. de Verſ. Trevolt. p. 21.

Propterea ſane factum eſt, ut nonnullas indicerent regulas, quibus, hac de re cautum ſibi eſſet; quoties aliter nequeunt, quin extraordinarium aliquid ſcriptis commendent. Harum priorem Tillemontius his verbis effert. „ Quemadmodum oſtenta magna, eo ſuſpicioſa eſſe de„ bent quo pauciora ſunt, ſi ab Auctoribus levis momenti referantur, „ ita ex adverſo eo majori cum veneratione, utpote ſummæ poteſtatis „ divinæ monimenta, ſuſcipienda ſunt, ſi Virorum autoritate confir„ mentur, a quibus recedere inſolens eſſet & criminoſum. „ Æqua profecto eſt & recta Lex iſta; ſique alia non ſuppetit, ad fraudem Miraculorum proſpiciendam accommodatior; neque ulla ſane in promtu eſt probabilior, quæ ab hominibus faſtidii delicatiſſimi nos in tuto ponat, quoties intereſt rei inuſitatum aliquid enarrare.

Till. tomo 4. pag. 226.

Niſi etenim regulæ hujus præſcripto pareamus, verſabimur ſemper in diſcrimine ad duorum extremorum ſive credulitatis, ſive incredulitatis alterum declinandi. Sunt enim ex. gr., qui religioni ducerent, miro alicui facto non aſſentiri, reputantes, induci ſe ad dubitandum de omnibus, ſi modo vel de uno dubitent; & ratum habentes, ſatis eſſe unicuique certa fide tenere, omnia fieri per Deum poſſe, ut iis omnibus, quæ de infinita ipſius poteſtate feruntur, aſſentiatur. Alii contra inepte arbitrantur, celſi erectique animi eſſe, de univerſis miraculis ambigere; nihil aliud cauſſantes, niſi horum multa identidem conficta fuiſſe, neque majorem urgere rationem, cur his, quam illis fidem adjungamus. Quidam vero Critici media incedunt via, eaſque tantummodo miras narrationes perſequuntur, quas a Sacris Litteris accepimus: malunt nanque fidelibus, quod imitentur, quam quod admirentur duntaxat, exhibere. Verum præterquamquod nihil magis in Hiſtoria delectat, ac magna & mirabilia, nihil item Virorum Sanctitatem magis confirmat atque erigit, quam prodigia, quibus libitum fuit Deo illam veluti teſtibus roborare. Quapropter a Sanctorum Vita mira cuncta detrahere, idem eſt prorſus, atque firmius meritorum eorum argumentum, & præcipuum, quo populo grata fiunt, blandimentum auferre. Ceterum compertum eſt, miracula, ubi ſatis ex-

Cœnanvillæus Noviſſ. S. S. Vita.

pio-

plorata ſunt, fidem fovere & alere, atque ad divinæ poteſtatis, juſtitiæ, providentiæ, ceterarumque virtutum ſpecimen ſervandum augendumque conducere. Porro nos eo ſæculo vivimus, quo non intereſt minus ea meminiſſe, quæ pium fidei ſenſum ingerant, quam quæ mores emendent.

Univerſa itaque vitia hæc vitare volens Tillemontius, egregium præceptum illud, atque ab omnibus ratione utentibus accipiendum indixit.

Quare meritis nunquam prudentem Criticorum noſtrorum cautionem laudibus afficiemus, ubi ad hoc ingenioſum pronunciatum confugiunt, ne in errorem inducant, aut inducantur. Quidquid enim æquo veritatis ſponſore ducitur, quantumvis inſolens ſit, minorem animo ſuſpicionem commovere debet, quam quod ab ignoto aliquo, aut minoris momenti Scriptore proficiſcitur. Iccirco nihil erit, de quo cum Sapientibus noſtris expoſtulemus, quoties ingentia prodigia levi autoritate munita aſpernantur; ut ſibi a fraudulentis & calumniatoribus cautum ſit; ſcopuloſque illos declinent, in quos impingunt homines ad credendum cum proniores, tum tardiores, quique nihil amplectuntur, aut in omnibus ad portenti naturam accedentibus ancipites hærent: at non videmus, quid animo cogitandum ſit, ubi proprias ipſi leges infringunt, nobiſque aut venditant mira multa leviſſimis incertiſque teſtimoniis; aut ea ſubtrahunt, quæ tradunt illi, a *quibus recedere inſolens eſſet & crimino ſum*.

Metuendum nanque eſt, Tillemontium, licet accuratiſſimum, ab excellenti, de qua ſuperius, regula aliquando deſciviſſe. Præclarus iſte Criticus in ſuum textum ſumma miracula non pauca tranſtulit, a Deo, ut invictam Vincentii Diaconi & Martyris conſtantiam animi remuneraretur, perpetrata; at eorum pleraque non alio fulcit, quam Sancti Leonis Sermone quodam, ipſi manifeſte ſuppoſito; atque Actorum S. Vincentii teſtimonio, de quibus in hunc modum pronunciat Tillemontius idem: „ Non audemus Acta S. Vincentii probare, aut improbare. „

Tillem. tomo 5. p. 222.

Ibidem. p. 673. col. 1.

Idem pariter Autor rem de S. Conone Martyre Iconienſi ſatis inauditam litteris commendavit. „ Cum flumen, inquit, quod Sancti hujus „ receſſum præter labebatur, repente exundaſſet, multiſque, ne trajicere „ poſſent, impedimento eſſet, precibus a Viro Sancto auxilium depoſcerunt, „ qui vocis imperio aquarum impetum aliquandiu coercuit, ipſiſque viam „ hoc pacto ſtravit. At ſupereffluente rurſus flumine, pagoſque plures „ devaſtante, juſſit aquis, ut effluerent, quæ dictis obtemperarunt. „ Audiſti admirabile revera factum, quodque inniti flagitabat alicujus teſtimonio, *a quo recedere inſolens eſſet & crimino ſum*, ut ipſe præſcripſit.

Tomo 4. p. 355.

Nihilominus Bollandus & Bailletus huic prodigio animum non attendunt, rati, illud Sancti Cononis Actis adventitium eſſe: immo profitetur Tillemontius ipſe Hiſtoriam hanc nullius explicatus obſtructam eſſe difficultati-

Baill. 29 Maji Tab. Crit. p. L. Tillem. ibidem p. 683. col. 1. & 2.

tatibus, hujuſque monumenti partem a Traditionibus minus tutis, quibus miſceri potuit falſum aliquid, deſcendiſſe.

Non abſimiliter Vita S. Baſiliſci, Martyris Comanenſis coagmentatio quædam eſt miraculorum & prodigiorum, Autore Tillemontio, quæ meliorem apertiſſime vadem poſtularent, quam ejuſdem Sancti Acta, nutantis adeo fidei; ut veritus ſit Cl. hic Criticus, ea nonniſi dubia veluti & depravata ſuſcipere. *Ibidem tomo 5. p. 379. & ſeq.* *Ibidem p. 375. col. 2.*

Quod ſi ea Tillemontius perſequitur miracula, quæ tanta, quanta ipſius monet regula, minime florent autoritate: Bailletus quoque non ſecus adverſus eas, quas ediderat, ſe geſſit; cum portenta quamplurima prætermittit eorum, quæ omnibus a ſe inſtitutis conditionibus excellunt. Duo etenim ſtatuit: „ 1. Vera miracula exiguum non eſſe Sancti alicujus Vitæ ornamentum, quo Deus, ut ea faceret, uſus eſt: „ hujuſmodi autem, addit, curabo diligenter, ne ullum in Opere meo „ deſideretur. „ Alterum in Admonitione ſedem habet. Quamquam etenim conſilii ejus non eſſet omnia, etiamſi vera miracula, coacervare: „ In id tamen incumbam, ait, ut nullum in præteritis relinquam eo„ rum, quæ probis teſtibus innituntur. „ *Baill. Orat. p. 168.* *Baill. in Admi p. 6.*

Nunquam ſatis Bailleti intelligentiam efferre quis poterit, qua præclaras ado Leges rogavit, ut per eas in aperto poneret: ſe neque eorum ſcrupulo teneri, qui Vitam Sanctorum aliquam ſine miraculorum ſplendore in vulgus edere verentur; neque aliorum ferri credulitate, qui quæcumque in Sanctorum Hiſtoriis congeſta ſunt, citra delectum recipiunt, Declarat item; *quamquam conſilii ſui non ſit, omnia etiamſi vera miracula coacervare, nullum tamen eorum ſe in præteritis relicturum, quæ probis teſtibus innituntur*. Erat propterea, cur Litteraria reſpublica in ſpem induceretur, fore, ut integritate atque accuratione ſumma ſolveret ipſi fidem datam Scriptor hic, ipſique ſolatium præberet, S. S. Geſta poſſidendi, non modo immani mendacium prodigiorum numero, quibus vulgarium Autorum opera obruuntur, expurgata, verum univerſis aucta Actorum autographorum prodigiis, quæ ipſius ſententia *non exiguum ſunt Sancti alicus Vitæ ornamentum, quo Deus, ut ea faceret uſus eſt*.

Attamen ſi cui in mentem veniret, ea omnia in unum cogere, quæ ipſe ſuſtulit, licet in monumentis autoritatis cunctis perſpectæ reperirentur; haberet ſane, unde non modicum volumen inſtrueret. Non puto moleſtum Lectori futurum, nonnulla exempli loco ſubjicere. Narrat Sanctus Paulinus, Epiſcopum Maximum, quo S. Felicis pietati grates referret propter præſtitum ſibi ſingulare charitatis officium, dexteram ipſius capiti impoſuiſſe, ut cæleſte eidem auxilium promereretur. Porro

Digitized by Google

Tillem. Tom. 4. pag. 230. ro huic benedictioni * Paulinus accepta refert univerſa prodigia, quæ impoſterum ad Felicis celebritatem operatus eſt Deus. At Baillettus, nulla facti hujus adhibita mentione, quod æque mirum atque inuſitatum *Baill. 14. Jan. p. 310.* in Eccleſia eſt; id unum dicit, Felicem benedictionibus cumulatum, quas ipſi pietas conciliaverat, domum continuo petiviſſe: nihilque benedictionis hujus naturam ediſſerit, in qua miraculum ſitum erat.

Silens tacituſque pariter præteriit Columbam e vulnere, quo tranſver- *Acta Sel. pag. 215. Tillem. tomo 3. p. 374. & ſeq.* beratus eſt S. Polycarpus, egredientem; non ſecus ac factum illud, quod ingredienti carcerem S. Pionio contigit. *Unus enim ex apparitoribus caput tam vehementer inliſit, ut eodem impetu in tumorem latera manuſque tranſierint*. Æquo animo injuriam doloremque tulit Pionius; *ſed percuſſoris manus & latera ſic inflammata ſunt, & intumuerunt, ut reſpirare vix poſſet*. Accedit, eidem Bailleto viſum non eſſe de celebri portento ſermonem habere, quod Acta S. Theodoti complectuntur. Perhibent enim, *Acta Selecta p. 372.* Frontonem Presbyterum ſublatum Martyris corpus impoſuiſſe Aſinæ ſuæ: *Aſina autem deducta ab Angelo per devia loca abiit in Malum*. Satis eſſe duxit Baillettus, cum dixerit: Aſinam a Frontone in ſemitæ capite conſtitutam, qua eundum ipſi erat, dimiſſamque, recta ad Mali Vicum rediiſſe.

Acta Selecta p. 665. & 666. In Actis S.S. Bonoſi, & Maximiliani legimus, projectos Sanctos juſſu Comitis Julii in vivam calcem, mire inde evaſiſſe: itemque ipſos tertio plumbatis cæſos *non ſenſiſſe*. Quæ tamen prodigia Baillettus Geſtorum ipſorum Hiſtoricus reticuit.

Exempla iſta, quibus alia plurima addi poſſent, argumento eſſe poterunt: utrum ſecus ne Baillettus, quod in ſe receperat, *in id incubuerit; ut nullum in præteritis verum miraculum relinqueret*: atqui hæc certe, *quæ alias probis teſtibus innituntur*, quippe ab Autographis, immo *Archetypis* depromta, *exiguum non fuiſſent Vitæ Sanctorum iſtorum ornamentum*.

Jam vero ſi Arnaldus Andiliacenſis ab hoc mira facta delendi inſtituto non abhorruit, nos latet quonam pacto Tillemotio & Bailleto reſpondere poſſit, a quibus edocemur, hæc Sanctorum Hiſtorias mirifice illuſtrare, & prætermittenda non eſſe, quoties ab iis confirmantur, *a quibus recedere inſolens eſſet & criminoſum*. Arnaldus autem ipſo in limine Operis ſui *de Vitis complurium S.S. ex diverſis Sæculis, Gallice*, Lectorem monet, *ſe non pauca loca ex Archetypis ſubcidiſſe, quæ omnino redundabant, cujuſmodi ſunt miracula multa*; & tamen ibidem teſtatum facit, omnes,

* *Tum deinde ſacram Felicis amati imponit capiti dextram, ſimul omnia Chriſti dona petens ..... Ore & Apoſtolico benedicens & locupletans, perpetuiſque opibus, quas & modo cernimus, auxit*. Paul. apud Ruin. Acta Sel. pag. 266.

quas

quas producit, Sanctorum Hiſtorias, eſſe *pariter veras pulchras, atque utiles*. An non videtur, eum detrahentem nonnulla prodigia, & ſupervacaneum illa recenſere exiſtimantem, elegans quoddam per Tillemontium & Bailletum e S.S. Hiſtoriis ornamentum, *quibus ut ea faceret, uſus eſt Deus*, ſubtraxiſſe?

Huic Articulo modum ſtatuam egregia P. Thomaſſini animadverſione de Miraculis, quæ callide aſcito fabularum prætextu repudiantur. Id vero animadvertit, occaſionem nactus eorum, quæ geſta ſunt, poſtquam Beatus Theodoricus, tot Sanctorum illuſtriumque Monaſteriorum Pater, locum quendam in Religioſorum ſuorum ſepulchrum extruendum curavit; a quibus deinde ſciſcitatus eſt, num inter eos eſſet, qui illud dedicare vellet? Se ultro libens obtulit Monachus nomine *Baſilius*, cui Sanctus Abbas res divinas preceſque, Defunctis perſolvi ſolitas, *tertias* * nimirum, *nonas*, *& quadrageſimas* offerri mandavit. Exacto quadrageſimo die, Baſilius, optime valens corpore, ſomno juſtorum obdormivit; & quadraginta aliorum dierum ſpacio divinis nocturnis officiis aſſiduus intereſſe a Theodoſio viſus, & canere auditus eſt.

„ Id Hiſtoriarum genus, ſubdit Thomaſſinus, non quidem fide divi- *Tractatu de celebratione Feſtorum l. 2. c. 21. p. 435. Gallice.*
„ na traditur, neque tamen propterea fas eſt ſapientibus præclariſque ho-
„ minibus illud aſpernari. Qui Cypriani, Auguſtini, Ambroſii, Hie-
„ ronymi, Gregorii Nyſſeni, Baſilii, Athanaſii Opera ſedulo verſant,
„ ancipites eſſe nequeunt, utrum Patres iſti Hiſtoricis ſimilibus, eadem-
„ que ratione confirmatis, fidem ſuam faciles adhibuiſſent. Auguſtinus
„ certe alia quædam multo incredibilia poſteritati conſecravit; & maxi-
„ mopere verendum eſt, ne pernicioſiſſimæ arrogantiæ ſit, velle inter
„ Auguſtinos, Hieronymos, Gregorios, alioſque vetuſtiores Eccleſiæ Pa-
„ tres eminere. „

ARTICULUS V.

Bailleti Regula de Miraculis.

BAilletus facile reformidans, ne quis exprobraret ipſi, illum tot oſtenta atque prodigia in S. Felicis Nolani Vita coagmentaſſe, operæ prætium duxit, inſequentes regulas definire. Exaratis etenim miris rebus,

* *Et ipſum quidem habuit ſepulchrum. Jubet autem Pater omnia fieri, quæ Lex vult fieri mortuis; tertianas, inquam, novenas, & conſequenter etiam quadragenas &c.* Apud Bolland. XI. Januarii pag. 688.

Baill. 14. Jan. p. 316.

quas de Sancto illo Presbytero cecinit Paulinus: „ Reputet unuſquiſque, ſubjungit, miraculorum iſtorum Autorem, eundem ſemper fuiſſe Deum, ſupremum inquam naturæ Dominum, qui cum in veteri tum in nova Lege tot ſplendidiſſima dedit præpotentis virtutis ſuæ monimenta: Chriſtumque Jeſum iis, qui in ipſum firmiter crediḋiſſent, diſcipulis pollicitum eſſe, eos longe majora, atque ipſum, facturos.„

Secundum hæc me ſane præterit, quo jure Bailleto liceat, tot Martyrum Acta Vitaſque Sanctorum amandare, & quamplurima, quibus, referciuntur, miracula cauſſari; quod per ipſum in germanis S. S. monumentis, pauca tantummodo continentibus, non apparet. Quantumvis enim inaudita tum numero erunt, tum natura, nihil tamen narrabunt nobis, quod divinæ poteſtatis conſideratione ſit admirabile; ipſiſque apte ſemper cadet initium illud Bailleti, ad fulcienda Felicis Acta accommodatum. Auctores vero ea recitantes, ipſiſque vim addere cupientes, integrum eſſe ſibi exiſtimabunt, Sapientis hujus Critici Regulam uſurpare, & monere: *Horum miraculorum Autorem ſupremum naturæ Dominum fuiſſe, qui cum in veteri, tum in nova Lege tot ſpledidiſſima dedit præpotentis virtutis ſuæ monimenta; Chriſtumque Jeſum iis, qui in ipſum firmiter credidiſſent, diſcipulis pollicitum eſſe, eos longe majora atque ipſum, facturos.*

Prudentis Lectoris judicium ſit; nonne præceptum hoc ſuapte indole doloſorum hominum licentiæ ſuper hac re pondus afferat autoritatis? ſit revera immoderatæ ſimplicium credulitatis, mendaciſque in Sanctos ſtudii fulcimentum; nonne demum viam ſternat fabulis quibuſcumque, prodigiiſque admirabilioribus & futilioribus? ſatis nanque confirmabuntur, ubi promptum erit, reſpondere: *Eorum Autorem ſupremum naturæ Dominum fuiſſe; qui cum in Veteri, tum in nova Lege ſplendidiſſima dedit præpotentis virtutis ſuæ monimenta.*

Baill. ibid. Item 10. Auguſti in Tab. Crit. p. XIX.

Hoc Bailleti documentum excipit aliud. „ Judicare licet, inquit, S. Paulinum S. Felicis merita celebraturum ex inſtituto poeticæ, qua præditus erat, facultatis, non omnino Artis illius libertate ſe abdicaſſe, ut veram Hiſtoriæ ſummam aliquibus modis exornaret, in quibus mirum magis, quam veroſimile ſe prodit. „

At enim funditus evertit, aut ego fallor, Bailletus, quæ de S. Felicis miraculis litteris conſignavit, cum dicit, Paulinum *poeticæ facultatis libertate non omnino ſe abdicaſſe, ut veram Hiſtoriæ ſummam modis aliquibus exornaret*. Verba hæc referuntur ne ad S. Felicis Hiſtoriam; an vero ad Miracula ejus nomine patrata? Nihil eſt cauſſæ, cur intenderet animo Bailletus Sancti Viri Hiſtoriam, de qua nemo dubitat, impugnare. Pe-

Petebat itaque mira duntaxat geſta, & revera per eorum occaſionem ad eam incommodorum proviſionem ſe contulit, ſive quo prodigiorum iſtorum autoritatem elevaret; ſive ut obducto quodam velo ſplendorem illorum imminueret; ſive denique ſuæ ipſius utcumque excuſationis gratia, quod nimirum Hiſtoriam hanc miris compluribus reſperſerit, quæ exquiſitis quibuſdam minime ingeniis quadrant, minus ad portenta propenſis, & pauca ſolummodo in genuinis Sanctorum Actis recognoſcentibus.

Quibus poſitis nunquid non fas eſſet, Bailletum interrogare, utrum horum credere præſtet, an S. Felicis miracula a Paulino memorata in rei ſumma falſa, an vera eſſe; atque an ejuſdem Hiſtoriæ adjuncta, *in quibus mirum magis, quam veroſimile ſe prodit*, figmentum Poetæ ſint, ſecus ne? Si miracula certa ſint, quod non crediderim in dubium revocari poſſe; non illud ſemper ex Bailletiano præcepto conſequetur, Acta Sanctorum ſincera pauca hujuſmodi facta complecti. Quod ſi fucata ſint, nihilque penitus, præterquam aſcititium, quo rem ſuam exornare Poeta maluit, ornamentum; quod in injuriam Paulino, ejuſque adſtipulatoribus cederet: ſive demum tum adjuncta, tum *mirum* illud, quod dominatur, *& veroſimile*, ut ita dicam, præfocat, ab Autore commenta ſunt: non video, quo conſilio non dubitaverint Critici noſtri Sancti hujus Presbyteri Nolani Hiſtorias tot mirandis eventis aut re ipſa aut rei comitantibus ſuppoſitis refercire.

Aliquid argumenti hujus abſolutioni deficeret, ſi cetera de Miraculis documenta Critica taciti præteriremus. Prodigia hæc aut apud Scriptores reperiuntur, *a quibus recedere inſolens eſſet, aut criminoſum*, vel apud Hiſtoricos nullo numero. Quod attinet ad prioris generis Scriptores, habeto, quo ſe gerat plerumque modo Bailletus. 1. Cum ſeſe expedire nequit, quin mira hæc facta perſequatur, fere ſemper alteram ex his dicendi formulis ſubtexit: *Liberum ſit Lectori, quod maluerit, de hoc miraculo pronunciare ...... Sancti hujus Acta perhibent ..... Si Sancti hujus Hiſtorico fides eſt* ..... aliaſque id genus multas. 2. Eorum nonnulla ſupprimit, dum Sanctorum Hiſtoriam, in qua recenſentur, exequitur. 3. Inſtitutum ſuum purgare nititur, monendo, hæc inuſitata geſta, re jam perfecta, novitii alicujus opera acceſſiſſe.

Contra vero Tillemontius, quantumvis extraordinaria portenta iſta videantur, ea ſine ulla hæſitatione commemorat, totque anfractus & circuitiones omittit; quoties probati alicujus Scriptoris fidei concredita ſunt, aut Actis perſpicue autographis inſerta. Non diſſimulandum tamen, conſueviſſe illum, ſi in adjuncta rei incidat, quæ facto ipſi fidem diminuere poſſint, illa merito, adhibita quadam temperatione, emollire.

Nihilo item magis conſentiunt una ambo iſti Critici ſuper judicio, quod de prodigiis, ab alterius rationis Scriptoribus enarratis, ferendum eſt. Si monumenta hæc pluribus miraculis onerantur, & ſupinis erroribus adverſus Hiſtoriam aut diſciplinam afficiuntur, Tillemontius ea falſa, ſuppoſita, aut interpolata, & fide indigna pronunciat. Si vero in illis aliquid inſit frugis, minuſque aliquanto maculis, inſuetiſque factis aſperguntur, non ea rejicit omnino, ſed in ſuſpicioſis numerat; eamdem, quam præſeferunt probabilitatem, & cum vero ſimilitudinem habere ſinit; compendio quoque in orationem aut adnotationes ſuas redigit; quo tamen in loco nonnihil ea temperavit, ne majorem Lector ipſis tribueret, quam mereantur, autoritatem.

Bailletus autem, qui aſſentatur ſibi, minori ſe, ac Tillemontius, de prodigiis atque oſtentis religione implicari, nunquam in aliquod incurrit apud Scriptores, de quibus ſermo eſt, quin illud exiſtimet in eo, in quo ſedem habet, volumine certum ita ſuppoſitionis indicium, ut, quantum in ipſo eſt, monumenta iſta, quamcumque habere poſſint, ſpeciem veritatis amittant. Quoties vero incidit in Autores, quorum nomine & fama aliqua fieri poſſet miris, quæ narrant, rebus acceſſio dignitatis, nunquam ferme deſinit, callide adeo iis ipſis uti, ut aliquid detrahant aut operi bonitatis, aut Scriptori exiſtimationis. „ Non cenſetur, inquit, Autor Vitæ S. Clari, Abbatis Viennenſis fide indignus, „ præſertim in iis, quæ naturæ vires haud excedunt. Narratio hiſtorica miraculorum S. Adelardi, Abbatis Corbienſis tanti non ſit, accetera. Vita S. Rigoberti Rhemenſis ab autore conſcripta eſt optimæ fidei, „ at prodigiis hauriendis facili & credulo. Vita S. Melanii Rhedonenſis „ Epiſcopi eandem viſa eſt, atque alia hujus generis opera, aleam ſubire; ut eam Amanuenſes Religioſi additionibus locupletare decreverint, quibus admirabilior evaderet. Confecta fuit Sancti Furſii, Abbatis Latiniacenſis Hiſtoria de Miraculis; at nullo delectu, & fortaſſe „ minori veritatis ſtudio. Videtur Autor Geſtorum S. Delii Abbatis monumenta adulteraſſe; ut ſibi in rebus inſolitis afferendis indulgeret. „ Acta S. Cheronii Martyris Carnotenſis non omnino fallacia judicantur; ſed ſpecies eſt, Autorem monumenta depravaſſe, ut ea portentis ex ſæculi illius ingenio cumularet. „

Baill. Tab. Crit. 2. Jan. p. XXVI.
Ibid. 2. Jan. pag. XXVIII.
Ibid. 4. Jan. pag. XXXI.
Ibid. 6. Ian pag. XXXIV.
Ibid. Januar die 16 p. XLVIII.
Ibid. 18. Jan. pag. LI.
Ibid. 28. Maii p. XLVIII.

Intereſt porro animadvertere, Bailletum ferme nunquam earum, quas improbat, Hiſtoriarum ſuppoſitionem argumentis munire; ſed ſatis eſſe ipſi, eas cenſoria nota inurere, uti proxime oſtendimus, aut tantum dicere, illas miraculis aut fabuloſis rebus refertas eſſe. Hoc pacto plerumque facta nuncupat, quæ prodigium redolent. Aliquando etiam ſufficit ipſe miracula, quibus non acquieſcit, appellare *Miracula Metaphraſtica*

ta . . . . . quæ dictionem referunt Metaphraſtis . . . . quæ in manus Metaphraſticas inciderunt . . . . aut in lubricas manus Metaphraſtis . Eadem non ſemel ſenſa ipſe Tillemontius uſurpat : cenſuram dixerim, aut breve paratumque momentum ad opera explodenda, quæ ſæpe teſtatiſſimæ ſunt autoritatis?

At enim, inquies, id conſilii Bailletus nequaquam ſuſcepit, ut Diſſertationes inſtituendo, Lectorem implexis diſquiſitionibus irretiret: nihilque præ oculis habuit, quam ſimplicem facti narrationem texere, quin ſe in univerſis, quæ tradit, confirmandis implicaret, aut excutiendis iis, de quibus Scriptores digladiantur, & utroque trahunt. Qua ſuper re aperte admodum mentem ſuam aperuit jam inde ab ipſa *Admonitione*. „ In fronte, inquit, uniuſcujuſque Menſis *Tabulam Criticam* „ breviſſimam colloco Actorum, Scriptorum, Archetyporum, aliorumque Operum autographorum, quæ ad concinnandas S. S. Vitas adhibui, quæque ſimul tanquam Operis mei Tabulæ & probationes habendæ ſunt . . . . . Aliquando quid de unoquoque monumento, & „ Autore ſentiendum ſit, paucis appono: ſæpius vero, ſi expedita „ res ſit, ut alii conjectura aſſequantur, nihil profero. „ *Baill. in Adm. p. XIII. & XIV.*

His omnibus duo tantummodo habemus, quæ reſpondeamus. Primum eſt, Bailletum Hiſtoricæ facultati, Critici quoque munus addidiſſe, Critici autem æque ſeveri ac ingenioſi, & propterea Tabulas Criticas confecit, quas ex ejus monito inſtrumenta ſimul & momenta ejus Operis haberemus. Atqui nullum adhuc in Republica Litteraria Criticum novimus, qui ſe ea, quæ narrat, probandi lege ſolveret; cui ſatis eſſet duntaxat de re pronunciare; cuique perſuaſum fuerit, fidei ipſius aliis ſtandum eſſe; præſertim ſi monumenta rejiciat, Viris clariſſimis probata, & opiniones vulgatas, in quas hactenus præſcriptio inducta non eſt.

Altero loco dici poterit, videri hoc Bailleti inſtitutum, promiſſum, quod pactus publice fuerat, invertere: diſputans nanque ille de Sanctis, qui ob id unum cogniti ſunt, quod ab Eccleſia coluntur, nihilque ulterius explorati de illis proditum eſt, ait, ſe recitaturum tantum ea, quæ ad eorum memoriam celebrandam geſta in Eccleſia ſunt; quin in aperienda Hiſtoriarum illarum fraude immoretur. Addit inſuper: „ Verum „ non laboro, ut hanc ratione conficiam, niſi ſi evidens plane non ſit, „ aut aliquod ex ea incommodum conſequi poſſit. „ *In Adm. p. 6.*

Attamen quamplurimæ Hiſtoriæ ſunt non modo non explicatæ falſitatis, verum probabilis admodum veritatis, quæ a Bailleto, citra quodvis momentum non audiuntur, neque illarum errores indicat, præterquam generalibus vocibus, & formulis ſuperius adnotatis. In quo certe Tillemon-

montium non eſt imitatus, qui ſua intereſſe exiſtimavit, ſingula errata perſequi, & monere, cura quibuſdam monumentis, partim alicujus cum vero ſimilitudinis, partim dubiis, & minime perſpicuæ ſuppoſitionis, abſtinuerit. Equidem fateor, nos a Bailleto Deciſiones tot argumentis munitas, longiuſque adeo productas, atque a Tillemontio, non præſtolabamur, cum ille, quemadmodum hic, Diſſertationes conficiendi conſilium haud ſuſceperit; at ſe nullo poterat modo ſubducere, quin aliquam cenſuræ ſuæ rationem redderet, quod nullo negotio præſtitiſſet, ſi modo aliquanto latius, ut interdum facit, Tabulas Criticas explicaſſet.

ARTICULUS VI.

Acta Sanctorum autographa paucos ſermones aut conciones in ſeſe continent.

Till. tomo 2. pag. 628. col. 2. — Adeo perſuaſum Tillemontio eſt, ſermones nonnihil prolixos, nimiumque elaboratos, quibus conſtant Sanctorum Hiſtoriæ, præcipuas eſſe illarum ſuppoſitionis aut interpolationis notas; ut Sanctæ Sophiæ Acta nullius frugis eſſe doceat, quod videlicet dictione ſua, longiſque Orationibus in ſemetipſa ſententiam dicant, & S. Adriani pariter Ibid. tomo 5. pag. 641. col. 1. Acta adulterina eſſe contendens, aſſerat, etiamſi nihil ulterius quicquam in eis reprehendendum eſſet, longas tamen conciones ſatis compertum faeere, ea pro arbitratu lucubrata fuiſſe. Idem de Sancti Sebaſtiani Actis Tab. Crit. 20. Ian p. LIV. judicium profert Bailletus; quæ propterea aut mendoſa aut certe ſuſpicioſa eſſe cenſet, maximarum, inquit, quæ illatæ in ea ſunt, concionum vitio; & ſuper Actis S. Firmini Ambianenſis Epiſcopi hæc habet: „ Ibidem 25. Sept. Tab. Crit. p. LI. „ Producti ſermones, quos inter ſe trahunt, qui loquentes inducuntur, in „ cauſſa ſunt, cur de illis ſuſpicio poſſit excitari. „

Me fugit, num præſenſerint Critici noſtri, ipſos, quo nonnullorum Actorum fallaciam longis inter rogantes & reſpondentes adjectis ſermonibus crimini vertunt, eo nos monitos facere, plura in Collectione Ruinartiana S.S. monumenta reperiri, quæ, ſi ex elaboratioribus & longioribus orationibus pendenda res ſit, a ſinceris & autographis expungantur. Quod dabis priſcum ſuppoſitum Opus, exquiſita magis eloquentia, pluribus concionibus ſermonibuſque redundans, quam Acta S. Mauricii & ſociorum, quos Legionem Thebanam nuncupant, S. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis opera & ſtudio confecta? Nonne profitentur Critici, S. Vi- Till. tomo 4. pag. 754. col. 2. ctoris Maſſilienſis, ejuſque Sociorum Martyrum Acta in ſermones protrahi

trahi longius; ſtilumque & conciones facere, ut illa ſtudioſe, & de indu- *Baill. 27. Julii p. 627. &c.* ſtria conſcripta eſſe credantur? Tillemontius quoque nonne de S. Vincen- *Till. tomo 5. pag. 674 col. 2.* tii Diaconi & Martyris Actis diſſerens, eum prolixius, ait, ſermocinari, quod plerumque Actorum falſitatis indicium affert? Nonne tandem, Bail- leto docente, comperimus, S. Philippi Epiſcopi Heraclæenſis & Martyris *Baill. 22. Oct. p. 676. &c.* Acta immodicas collocutiones, & ultra quam ſatis eſt, exquiſitas, inter- ſerere, eruditionemque affectare? Fac, quæſo, te conferas ad legenda S. *Ruin. Acta Sel.* Afræ, & ſociarum Martyrum; S. Patricii Epiſcopi Pruſæ in Bithynia, & *p. 500. ibid. pag. 621., & 650.* Martyris; S. Baſilii Ancyrani Presbyteri, & Martyris, aliorumque mul- torum Acta; & plane cognoſces, ſi longi ſermones concioneſque perpo- litæ rei commentitiæ ſpecimen præbent, neceſſum fore, ut Acta hæc uni- verſa, aliaque Collectionis Ruinartianæ plura inter monumenta, men- dacii notis inuſta, recenſeamus. Oportet ſane, ut videtur, aut eos huic judicio ſubſcribere, aut non ſatis accuratam regulam ſuam conſiteri.

Nec vero felicius ceſſit ipſis ejuſdem regulæ exercitatio ad Acta *arche- typa* ab iis, quæ ſincera tantum & autographa ſunt, ſecernenda. Jaciunt etenim inconcuſſi veluti fundamenti loco, Acta *archetypa*, ea nimirum, quæ proxime e Tabulariis depromta, aut a Martyribus conſcripta, aut ab oculatis teſtibus exarata fuere, nequaquam longis ſermonibus & me- ditatis concionibus referciri; idque putant Lydii lapidis inſtar eſſe, quo Acta, quæ genuina alias & autographa ſunt, ſeligantur.

„ Acta S.S. Epipodii, & Alexandri Martyrum Lugdunenſium, inquit „ Tillemontius, archetypa non eſſe dixerim, ubi ad dictionem, concio- *Till. tom. 3. p. 30* „ neſque nimium excultas & longiores, quam ut a duobus illis Martyri- „ bus recitari potuerint, mentem animumque converto. „ Concinit ipſi Bailletus de S. Symphoriani, Martyris Auguſtodunenſis Actis, quæ quam- *Tab. Crit. 22.* vis pulchra ipſi veraque videantur, non tamen *archetypa*, neque ſatis ſim- *April p. XXX.* plicia, aut naturalia ſtili cauſſa. Videtur Autor, ſe *Archetypum* ſermo- *Baill. Tab. Crit. 22. Aug. pag. XLI.* num illorum feciſſe, quos inter Sanctum Virum & Judicem inſtituit. „ *Till. tom. 3. p. 43.* Actorum iſtorum Oratio ſublimiſſima & ornatiſſima, ait Tillemontius, *Item pag. 609. col. 2.* non ſecus atque conciones productiores ea minime *archetypa* eſſe decernunt. Eandem prætexit præſertim quoad Judicem cauſſam, ut S.S. Donatiani, *Till. tom. 4. pag.* & Rogatiani Martyrum Nannetenſium Acta ab *Archetyporum* indole de- *732. col. 2.* ficere oſtendat. Quapropter hujuſmodi, inquit, haberi non poſſe exiſtima- verim. Negat tandem hoc eſſe titulo honeſtanda S. Patrocli Martyris A- *Ibidem pag. 204.* cta, ſi Sermocinationum immodicarum ratio habeatur: id ipſum ſentit *Tom. 3. pag. 731. col. 1.* de S. Agatha, aliiſque, quorum mentio moleſta eſſet.

Verum ſi Actis *Archetypis* inſitum natura eſt, paucos ſermones concio- neſque præferre; quorſus evadent illa S. Acatii, Epiſcopi Antiocheni in Aſia; & S. Tarachi, ſociorumque, quæ primi ordinis *Archetypa* paſſim

exi-

exiſtimantur, utpote a Tabulario, ſive a Regeſtis publicis Conſilii decerpta, a quo in quæſtionem poſtulati ſunt? Quorſus Acta S. Pionii Presbyteri & Martyris Smyrnenſis; S. Theodoti Cauponis; & ſeptem Virginum Ancyrenſium Martyrum, quæ *Archetypa* ſunt, utpote ab oculatis teſtibus deſcripta?

Porro ſi eunctorum Actorum iſtorum cum iis collatio fiat, quæ ob inſertas conciones orationeſque accuratas religioni ducunt Critici Sapientes Monumentis *archetypis* accenſere, perſpicue apparebit, neque longiores iſta, neque plures complecti, quam Acta modo memorata, quorum duo priora Proconſularia ſunt, poſteriora vero ſimiliter *archetypa*, ab adſtantibus ſcilicet certamini eorum & morti teſtibus excepta, litteriſque mandata.

Proſpexerunt ſane ſapientes iſti, ipſorum regulam incommode non parum accidere Actis cum *Archetypis*, tum germanis & autographis: propterea duplicem viam inire cogitarunt, quibus aſſentati ſibi ſunt, hinc initium ſuum, illinc veterum Martyrum monumentorum veritatem tueri. Prima fuit, longos ſermones iſtos, exquiſitaſque conciones ſummatim efferre; dum Sanctorum Hiſtoriam attexunt: non ſemel etiam eas penitus ſubtrahere. Quod ſi hac ratione hanc ſuppoſitionis notam eorum obtutibus abdiderunt, qui hæc Acta a fonte non reperunt: ii certe, qui Archetypa ipſa conſulere ſtudent, norunt continuo, aut Legem iſtam ab integritate deſciſcere, aut multa S.S. Acta manifeſte *Archetypa* de loco ſuo eſſe dejicienda.

Altera via eſt, hæc fraudis inſignia in Actorum Scriptores derivare; expoſtulantes cum ipſis, perinde ac multa S.S. verbis addiderint; cum illorum, tum Judicum ſermones in longum protraxerint, artis pigmentis reſperſerint; non ſint obliti eloquentiæ privilegia, ut Martyres, & Tyrannos colloqui ſtudioſe facerent inter ſe; quod Laudatorum potius, quam Hiſtoricorum more locuti fuerint; aut demum, uti de Actis S. Baſiliſci Martyris Comanenſis ſcribit Tillemontius, " ſuſpicari quemquam „ poſſe, ſi negotium aliquod creant Sanctorum colloquia, neque aliunde „ de conſtat ulla ex parte, ea Martyres, uti deſcribuntur, habuiſſe; „ non admodum veritati adverſari, *Archetypum* autorem, quæ a San„ cto Viro perceperat, amplificaſſe. „ Alibi pariter Acta S. Symphoriani Martyris Auguſtodunenſis Criticis ponderibus examinans, in quibus cujuſdam Edicti Aureliani mentio eſt: „ Edictum hoc, ait, ab Actorum „ Scriptore confictum puto . . . . qui in animum ſibi inducere potuit, „ æque licere ſibi, Imperatori, atque licebat Judici & Martyri, ſenſa „ accommodare. „

Baill. 16. & 19. Jan. p. 48. & 52. Item 10. Aug. in Tabula Crit. p. 19. & 43. Till. Tomo 5. p. 735. col. 2.

Till. tomo 3. pag. 610 col. 2.

Ex his omnibus reputare poſſumus, Criticen commoda ſane multa conſequi,

ſequi, at ſuis quoque erroribus affici. Ipſius quidem luminibus quidquid in ejus ſemita impedimento eſt, haud ægre de medio tollimus; ſed eum illius invicem diſtracta principia ſint, neque ſe mutuo fulciant, fit ſæpenumero, ut quoties ſe a difficultate quapiam Critici in tuto ponunt, in aliam multo majorem offendant. Cujus rei ſenſibus ipſis patet exemplum ea de regula, cui modo operam damus.

Nihil profecto ſpecioſius eſſe poteſt, quam egregium documentum iſtud: *Acta Sanctorum autographa paucos ſermones aut conciones in ſeſe continent*. Nihil ipſius uſu utilius, ad diſpicienda Acta ſincera & autographa ab adſcititiis, & autographa ipſa ab *Archetypis*, inſtituto. Ut vero incommodæ excellentis hujus regulæ conſecutiones devitentur, nihil facilius, quam conciones Orationeſque iſtas aut compendio dare, aut penitus delere, aut denique monumentorum illorum Scriptoribus intentare crimen eorum omnium, quæ in iis ſupervacanea ſunt, aut ab antiquitatis ſpecie abludentia.

Hoc totum quantum eſt, nihil niſi excellens, commodum, atque utile eſt: at falleretur ne, ſi quis diceret, videri, Sapientes iſtos hoc pacto ab imis concuſſiſſe quiquid ſecundum divinas Litteras honorabilius ſupereſt in Eccleſia, & magnum illud Evangelii principium oppugnaſſe, quod in limine prooemii ſui Ruinartius conſtituit, & uno ferme univerſi laboris ſui fundamento poſuit, effertur que in hæc verba: *Cum enim ex divinis litteris habeamus, Martyrum dicta, cum ad Præſides ſiſterentur, ſuperno inſtinctu pronunciata fuiſſe, fit, ut quæ in his Actis eorum ad Præſides reſponſa continentur, pro ſacris Oraculis habenda ſint?*

Si aliquanto longiores ſermones, concioneſque exquiſitiores, quæ obviam fiunt legenti Acta S. Aeatii Antiocheni; S. Tarachi, & ſociorum; S. S. Pionii, Theodoti, Mauritii, Vincentii Diaconi, & Philippi Heracleenſis; Sanctæ Afræ; S. Baſilii Ancyrani; S. S. Epipodii, Alexandri, Symphoriani Auguſtodunenſis, Victoris Maſſilienſis; Rogatiani, & Donatiani Namnetenſium, aliorumque multorum illuſtrium Martyrum, ſi iſtorum, inquam, ſermones, quorum Acta *Archetypa* ſunt, aut certe autographa & ſincera, ſive ex parte, ſive uſquequaque *additi ſunt ab Hiſtoriarum narratoribus*; *ſi artis pigmentis reſperſi*; *ſi in iis afferendis eloquentiæ privilegia obliti non ſunt*; *Martyres & tyrannos colloqui ſtudioſe inter ſe fecerunt, & Laudatorum potius, quam Hiſtoricorum more locuti ſunt*: qui obſecro, poterimus ignea, quæ Sancti Martyres ante Tribunalia, fuderunt verba *ſuperno inſtinctu pronunciata* recognoſcere? Qui *pro ſacris Oraculis merito habenda* erunt? Quare demum tanto ſemper ardore conniti viſa eſt Eccleſia, ut minutiſſima quæque verbiuſcula felici illo tempore a Sanctis Martyribus emiſſa colligeret: rata, ut inquit Chryſoſtomus, *ſi non* de- *in Præf. Ep. Pauli ad Phil.*

deſuiſſet, qui nobis diligentiſſime traderet, non tantum quid Apoſtoli, & Martyres ſcripſerint, quidve locuti fuerint, ſed ut ſeſe per omnem vitam habuerint ..... illorum omnia eximia utilitate referta eſſe? Hoc pacto Sacri Martyrum ſermones, aut major eorum pars deſinerent ſermones eſſe afflatu divino fuſi, Oracula Sancti Spiritus, igne divinæ Charitatis accenſi, quique veneratione ſumma, quam ipſis Eccleſia & Patres præſtiterunt, colendi eſſent.

At difficile ſit, inquient fortaſſe eruditi Critici noſtri, ut nobis perſuadeamus, Actorum Martyrum Scriptores in ſermones & conciones iſtas, ipſis tributas, manum non immiſiſſe, eloquentiæ & ratiocinationis venuſtatibus non illuſtraſſe, locutionis demum leporibus & figuris, cogitatiſque etiam affictis minime auxiſſe, excoluiſſe, erexiſſe: uti exemplis multis firmatum eſt, præſertim Concionis a Legionis Thebanæ militibus habitæ. Quid! An non potuit divinus Spiritus longa ita, non ſecus ac brevia reſponſa S. S. Martyribus afflare? cumque Chriſtus dixit: *dabitur vobis in illa hora, quid loquamini*, num pollicicationis ſuæ vim decem magis verbis, quam decem periodis circumſcripſit?

Quid quod ſi daremus ultro Criticis iſtis, Actorum Martyrum Scriptores operam aliquam in longis ſermonibus locaſſe, tutior ne propterea lex ipſorum evadet? Minora ne conſequentur incommoda? Ut demum magis libuerit, reſpondeant, regula ſemper vitioſa erit & manca: ſi nanque Acta ſincera, autographa, & *archetypa* ſermones a Scriptoribus auctos, ſive perpolitos complectuntur, non eſſe amplius poterunt nota ad habendum inter vera & adventitia, neque inter autographa, & *archetypa* diſcrimen: conſecutiones incommodæ, de quibus ſuperius, non leviora pericula creabunt: anceps eſſe ſemper poterit & dubium, an verba Sanctorum Martyrum eo, quo proſequi debent, honore donanda ſint, atque afflatu Sancti Spiritus elicita fuerint, ſecus ne. Tandem, ſi conveniat, addi potuiſſe, immo addita multa S. S. Martyrum Orationibus fuiſſe; Acta his additamentis affecta, non poterunt non in maximam ſuſpicionem adduci: quandoquidem Autor ſermonum verborumque S.S. Martyribus affictorum convictus, fide ſtatim in narratione reliqua laborabit, cujus pars præcipua in colligendis S.S. Martyrum verbis ſita erat. Apparet itaque, non poſſe nos de hujuſmodi additionibus convenire, quin monumentorum, in quæ irrepſerunt, veritati noceamus.

AR-

ARTICULUS VII.

Acta primorum Martyrum ſincera non multis exquiſitis cruciatibus conſtant.

Ecce alterum in S.S. Martyrum Actis ſuppoſitionis indicium, æquè ac præcedentia, ſi Criticos noſtros audiamus, certum & exploratum. Urget ne ipſos, S. Clyceriæ Hiſtoriam falſitatis arguere? „ Nihil niſi, inquit Tillemontius, mira facta & horrenda tormenta ſuppeditat: Acta S. S. Victoris & Concordiæ, ſubjungit alibi, elegantia omnino non carent; ſed ad ſummam inuſitatiſſimas tantum pœnas præſeferunt, quas ipſa Bedæ autoritas ægre admodum multis ſuaderet. „ Magnus, addit, Tormentorum numerus, e quibus divina ſemper virtute convaleſcit S. Hermias, recentiorum Græcorum credulitatem redolet. „ Denique ne exemplorum moleſtia Lectorem afficiam, contendit, diverſa, quibus vexatur S. Pontianus, ſupplicia Sancti hujus Martyris Actorum fraudem aperire.

Baill. in Orat. de Vita SS p. 14. & 138.
Till. Tomo 2. p. 667. col. 1.
Ibid. col. 2.
Ibid. p. 668. col. 2.
Ibidem p. 705. col. 1.

Libere fidenterque fatemur, neſcire nos, quam huic præceptioni ſententiam ſapientes hi Critices magiſtri ſubjiciant. Intendunt ne, germana Martyrum Acta non afferre, eos diverſa multa pœnarum genera ſubiiſſe, aut in eos crudelioribus, magiſque inſolitis cruciatibus animadverſum non fuiſſe, quam Legum Romanarum ſeveritas in reos capitis animadverteret? At ſi de his ex Patrum Eccleſiaſticorum dictis, & Actorum ut maxime autographorum narratione pronunciandum eſt, adverſus illorum monitum illico fiet, Sanctos Martyres omnia ſuppliciorum genera pertuliſſe, tantæque immanitatis, quanta in Dæmonis, hominibus inſpirantis, malitiam cadere poteſt.

Conjiciat, quæſo, oculos in Epiſtolam ab Eccleſiis Viennenſi & Lugdunenſi ad Aſiæ & Phrygiæ Chriſtianos datam, ut eos facerent de Martyrum ſuorum Hiſtoria certiores, quod ex pulcherrimis ſummæque autographis totius antiquitatis monumentis unum eſt, quicumque noſſe amat, quam variis graviſſimiſque ſuppliciis Sancti Martyres torquerentur. Hujus partem in ſummam redactam ab Euſebio, qui univerſam pene recitat, huc tranſtuli iiſdem aut ſimillimis verbis.

Non ſolum ædificiis publicis, balneis, & foro illis interdictum erat; ſed etiam ne quiſquam uſquam locorum in publicum prodiret, vetitum ab illis. Supra modum igitur lethale multitudinis univerſæ Præſidis, &

Euſ. l. 5. c. 1. &c. Hiſt. Eccl.

ſatellitum odium in eos efferbuerat. Ac primum cruciamenta, quæ confertim erant, & tanquam cumulo a multitudine in illos coacervata, viriliter & magno animo ſubibant: vociferationes, plagas, violentos tractus, dilacerationes, lapidum projectiones, carceres, & quidquid denique ab agreſti & furioſa multitudine contra eos velut contra hoſtes & inimicos fieri ſolebat. Nonnunquam pedes illorum in craſſas compedes impoſiti diſtinebantur, & ad quintum uſque foramen, longa intercapedine interpoſita, diſtendebantur. Verberum trajectiones, equulei diſtorſiones perpeſſos, laminis æneis, ferventibus & ignitis tenerrimis in membris affligebant: tum ferreas cathedras & ignitas illorum membris ſupponebant, quibus corpora miſere frixa & exuſta erant, peſtifero nidore exhalante. Ac quoniam illi perſtabant conſtantes, veſana multitudo contra illos aſpere & ferociter ſæviebat; adeo ut neque adoleſcentuli commiſerarentur ætatem, neque mulierem omnino revererentur: ad extremum in rete involutos Taurorum ictibus eos objectabant, a quibus diu multumque icti & exagitati erant; beſtiiſque incurſantibus objiciebantur: quæ omnia ſi evaſiſſent, ut funeſtæ narrationis hujus aliquando modus ſit, caput jugulo dabant.

Euſ. l. 6. c. 34. S. Dionyſius pariter Alexandrinus in Epiſtola ad Fabianum Antiochenum, Euſebii opera a temporum injuriis vindicata, immaniſſima perſequitur tormenta, quibus Martyres afficiebantur Alexandriæ, exorta Philippo regnante ad annum circiter 249. Chriſtianorum vexatione. Fuſtibus cædebantur; vultum oculoſque eorum præacutis arundinibus pungebant; lapidibus obruebant; pedibus conſtrictis, per univerſæ Urbis plateas aſperis ſaxis conſtratas raptabant; & ſimul ac corpus eorum ad ſaxa mollaria alliſiſſent, & flagris pariter laceraſſent, ad ſuburbia trahebant, ibique crebro ſaxorum conjectu obterebant. Aliis, maxillis crudeliter deverberatis, omnes dentes excutiebant, aut igne abſumentes, aut omnes membrorum articulos confringentes, atque ex edito loco præcipites ejicientes, diris inauditiſque cruciatibus concidebant. Non paucos equuleo tortos, novaculis, & flagellis dilaniatos, doloribus acerbiſſimis premebant; & aliquando in vivam calcem injiciebant; immo fertur, Magiſtratum quendam S. Iſchirionis, arrepto fuſte præacuto inteſtina ac viſcera transfodiſſe, crudeliterque interemiſſe.

In Vita S. Gregorii Thaumaturgi. De inſectationis Decianæ ſævitie, qua in alias Provincias ferebatur, judicium haberi poteſt ex iis, quæ narrat nobis Gregorius Nyſſenus, quod attinet ad Ponti perſecutionem. *Unus varius carnificinarum*, inquit, *& tormentorum apparatus omnem afferebat concuſſionem, etiam ante periculum hominibus formidinem injiciens. Enſes, ignis, beſtiæ, ſcrobes, & foveæ: item inſtrumenta, quibus membra conſtringerentur, & torquerentur; tum ferreæ ſellæ ignitæ, tum ligna erecta, in quibus ſtan-*

tium

tium corpora dum intenderentur, terribilium unguium violentis admotionibus lacerarentur: atque alia item innumera ad varia corporum tormenta exquiſita ab iis excogitabantur; ac ſtudium iis, qui eas poteſtates ſuſceperant, unum erat, ne quiſque alteri ſecundus exuperantia ſævitiæ mitior videretur. . . . . . . non miſericordia infantium, honor caniciei, non virtutis verecundia in mentem veniebat infenſis . . . . . . ne mulierum quidem naturali ſexus infirmitati indulgebatur, ut ejuſmodi periculis exemtæ manerent; ſed una adverſus omnes crudelitatis erat lex, eodem modo pœnæ nullo diſcrimine ſexus habito.

Quid jam reliquos Martyres, inquit Euſebius Diocletiani perſecutionem exequens, *nominatim attinet commemorare, aut varia plagarum & ſuppliciorum genera, quæ inſignes Martyres perpeſſi ſunt, oratione depingere? qui partim ſecuribus percuſſi interierunt, ſicut his, qui erant in Arabia, contigit; partim cruribus confractis divexati, veluti his, qui in Cappadocia verſabantur, accidit; partim etiam pedibus in ſublime appenſis, capiteque in terram demiſſo, igne paulatim accenſo, & leniter axardeſcente, & fumo e materia accenſa aſcendente ſuffocati, quemadmodum illis, qui in Meſopotamia morabantur, evenit: partim naſo, auribus, & manibus amputatis, ceteriſque corporis membris dilaniatis deformati, ut his, qui incolebant Alexandriam, obtigit. Quid opus eſt etiam eorum, qui Antiochia Martyrium ſubierunt, memoriam renovare, quorum alii candentibus craticulis ſuppoſitis, non ad mortem uſque, ſed ad longinquum & diuturnum cruciatum aſſati ſunt?* Euſ. Hiſt. l. 8. c. 12.

De Syria vero ad Pontum deflectens orationem Euſebius, ſubjungit: *Sed cruciamenta, quæ Martyres in Ponto tolerabant, auditu videntur horrenda. Quidam enim digitos manuum ab extremis unguibus, acutis arundinibus transfixos habuere; aliorum terga, plumbo igni liquefacto, ejuſque materia jam ebulliente efferveſcenteque perfuſa, & corporis partes, quas natura maxime ad neceſſitatem fabricata eſt, flammis aduſta: nonnulli membris pudendis, ac viſceribus cruciatus turpes, intolerandos, & ejuſmodi, quos exprimere reformidat Oratio, ſubierunt.*

Habes quæ Eccleſiaſtici Scriptores de diverſis ſuppliciorum generibus, Martyribus incuſſis, memoriæ prodiderunt. Promtum quidem eſſet loca alia ſubtexere, in quibus nihilo obſcurius hac ſuper re mentem ſuam aperiunt: at hæc præ ceteris ſelegimus, quo plures diriſſimas afflictiones, aliis atque aliis Imperatoribus inſectantibus, per diverſas Imperii Romani Provincias Viri Sanctiſſimi perpeſſi ſunt, aſſequeremur.

Verum his in univerſum recitatis, de Patrum ſententia apertius conſtabit, ſi quas Martyres aliqui ſingillatim ſuſtinuerunt, ſubjiciamus. Præfectus Ægypti, nomine Aquila, cum Sanctam Potamienam flectere Euſ. Hiſt. l. 6. c. 12.

nequi

nequiviſſet, eamque toto corpore ſæviſſime excruciaſſet, *crudelius quoddam ceteris tormentum ab eo inventum eſt. Jubet enim magnum lebetem pice repletum vehementiſſimo igne accendi. Cum bulliret ergo pix ...... in eam paullatim demiſſa ſpatio trium horarum, emiſit ſpiritum, cum pix perveniſſet ad ejus collum*. Euſebius quoque ſcribit, Sanctam hanc Virginem *acerbiſſimos ac vel dictu ipſo horribiles cruciatus* pertuliſſe.

Hiſt. Pall. ad Lauſ. c. 3. Acta Selecta p. 101.

Obverſatur nobis in S. Arcadio Martyre Mauritiano novum ſtupendumque ſupplicium. Jubet enim Provinciæ Rector eum incidi per ſingulas corporis juncturas, & omnem compaginem diſſolvi. *A digitorum*, inquit, *condylis incipite, dehinc manus a lacertis diſſocientur, lacerta a cubitis; mox a Thorace diſſuantur humeri; & ſic ab articulis pedum gradatim aſcendentes, facite articulos a pedibus, pedes a cruribus, crura a poplitibus; & quod ſupererit, femora a coxendicibus dislocate, & ſit in artificio veſtro mora ......* Tandem Judex ira incenſus, quod Martyr Sanctus de ſævitia ſua triumphum ageret, tanto ſupplicio exitum aliquando imponere compulſus eſt ventris ſectione, atque eo vulnere, quod ſupererat ſanguinis, cum viſceribus effudit.

Acta Selecta p. 591.

In Actis item S.S. Claudii, Aſterii, & Neonis Proconſularibus, atque e Tabulario depromtis pœnæ leguntur, nihilo certe, quam hucuſque recenſitæ, mitiores. Proconſul Ciliciæ juſſit, *Claudium ad virgas aptari; equuleo ſuſpendi; flammam pedibus ejus adhiberi; ſed & de calcaneis partes ejus abſcindi, & offerre ei: Tum ungulis vexari, & teſtam aſperrimam lateribus ejus incumbere; & candelas ardentes eidem applicari. Aſterius* deinde in equuleo *ſuſpenſus eſt; dumque latera ejus torquebantur, dicebant: Vel nunc credens Diis ſacrifica*. Ad hæc *apprehenſis ferreis morſibus, & conligatis pedibus ejus, fortiter tortus eſt, carbonibus ignis pedibus ejus ſubſtratis, virgis autem & duriſſimis nervis dorſo ejus & ventre contuſo. Neon* poſt duos fratres eorundem cruciatuum periculum fecit. Tandem Sancti iſti Martyres, recitata ex tabella ſententia, cruci affixi ſunt, ut aves eorum corpora lacerarent.

Acta Selecta p. 79.

Hos ſecuta eſt ad coronam Sancta Theonilla: quibus autem modis referre pergo. *Lyſias dixit: Alapis tundite faciem ejus, & projicite eam in terram, ligantes pedes ejus, & torquete fortiter*: præcepit denuo: *Suſpenſam capillis, faciem ejus alapis cædite: Novacula acuta radite caput ejus, ut vel ſic erubeſcat; & cingite eam rubo campeſtri, & extendite per quatuor palos, & loro non ſolum dorſum, ſed & totum corpus ejus concidite. Carbones etiam ventri ejus ſupermittite, & ſic moriatur.*

Act. Select. pag. 282.

Extremum ſit autem aliquorum S. S. mirifice tortorum exemplum, quod enarrat Euſebius de Sancto Petro Eunucho Cubiculi Diocletiani. *Adducitur, in medium* coram hoc, & Galerio Maximiano, *qui, cum juſſus*

Euſ. Hiſt. Eccl. l. 8. c. 6.

juſſus idolis immolare, omnino negaret, mandarunt nudum in ſublime tolli, & flagellis eo uſque toto corpore dilaniari, quoad ſupplicio evictus ... Oſſibus ejus jam carne denudatis, acetum ſale permixtum in corporis membra, a cruciatu attenuata & prope contabefacta, infuderunt; ... inde Craticula & ignis una in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis, tanquam carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio non raptim, ut brevi e vita decedens omni labore liberaretur, ſed paulatim abſumta fuerunt; quo in tormento animam efflavit.

Conſulat qui velit a nobis in poſterum dicenda in Actis S. S. Tarachi, Probi, Andronici, & Theodoti: evolvat Acta S. Victoris Maſſilienſis, & S. Vincentii Diaconi; quæ Patres de S. Laurentii Martyrio chartis promſerunt; pleraque tandem Ruinartii Acta ſincera & ſelecta: & haud ægre percipiet, non eſſe ſemper Acta autographa, immo *Archetypa* illa, quæ minus exquiſita tormenta nobis exhibent. Si nanque hactenus memorata eo nomine vocare renuat, operoſum ſane erit, hæc crudelia & extraordinaria ſupplicia aliunde repetere. Ratum quoque eſſe volumus, Acta, quæ ob miros cruciatus vitioſa cenſentur, fere plerumque neque tot, neque tam gravia tormenta, quam ex *Archetypis* ſuperius adductis aliqua, penes ſe habere.

Edicta quidem Imperatorum adverſus Chriſtianos promulgata minime ſanxerunt, ut univerſa hæc ſupplicia eis intentarentur; & quartum, ſæviſſimumque omnium, Diocletiani Decretum generalibus tantum verbis jubebat, detrectantes Idolorum cultum, morte mulctari. Proptera, Euſ. de Vita
inquit Euſebius, *mandata data eſſe, judiceſque miſſos; ut celeres animi* Conſt. l. 2. c. 51.
motus a natura datos ad acerbiora ſuppliciorum genera invenienda intenderent.

Fit tamen ſimile vero, hæc in Sanctos Martyres inflicta cruciamenta crudelitate potius Judicum excogitata, quam Legum ſeveritate imperata fuiſſe. *Generoſi* revera *illi & æqui Judices, quo ſuam ſolertem indolem* Euſ. Hiſt. l. 8.
& ingeniorum acumen oſtenderent .... in novis ſuppliciorum generibus c. 12.
inveniendis laborabant; ſeque inter ipſos ſuperare enixe contendebant. Lactantius vero accommodatius cauſſam perſequitur, cur Præfecti in Chriſtianos tam immoderata inhumanitate inveherentur. *Accepta poteſtate* Lact. Inſt. l. 6.
pro ſuis moribus quiſque Præfectus ſævivit. Alii præ nimia timiditate c. 11.
plus auſi ſunt, quam jubebantur. Alii ſuo proprio adverſus juſtos odio, quidam naturali mentis feritate, nonnulli ut placerent, & hoc officio viam ſibi ad altiora munirent. Itaque dici non poteſt, hujuſmodi judices quanta, & quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propoſiti ſui pervenirent.

Hac, quam quilibet Provinciarum Rector arripiebat ſibi, facultate, ut

ut pro ingenio ſuo Chriſtianos doloribus conficeret, non illi modo ad cuncta humanitatis documenta violanda perducti ſunt, ſed univerſas quoque juſtitiæ leges obliti. Dacianus iniquiſſimo animo ferens admirandum Vincentii robur invictumque conſtantiam, fines omnes tranſgreſſus eſt, quos atrocioribus criminibus plectendis Leges ſtatuerunt; ut duriora tormenta in Sancti Vincentii corpore periclitaretur. Docent nos Acta Sanctarum Afræ, & ſociarum Martyrum, Gajum Judicem milites miſiſſe ut manus injicerent in Matrem treſque Sanctæ Mulieris famulas, quæ ipſius corpori in monumentum condendo operam dabant, ea lege, *ut ſi nulla ratione ad ſacrificandum præbuerint conſenſum, impleretur monumentum cremiis & ſiccis ſpinis, & clauderetur ſuper eas, ignîſque ſupponeretur, ut nulla ex eis evaderet*: quo nihil eſſe poterat in præſcripta æquitatis temperatæ perverſius.

Baill. 22. Jan. pag. 512.

Acta Selecta p. 501.

Non defuerunt præterea Magiſtratus, in Chriſtianos adeo furore perciti, ut in eos animadverterent nulla Legum habita ratione, quæ illos duntaxat inſectandos edicebant. In certamine etenim S. Nicephori Martyris Judex vehementem adeo *Sapricii* reſponſo actus in rabiem eſt; ut affectionum ſuarum ſtimulis obtemperans magis, quam Imperatoris imperio, quo decretum erat, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi nulla interjecta mora de medio tollerentur, quæſtionem nihilominus in Sapricium habuit, quamquam ſe presbyterum eſſe interrogatus prodidiſſet. Licet etiam militiæ Privilegium milites eximeret, ne in quæſtionem poſtularentur; nihil tamen obfuit, quominus eam Maximus Præſes in S. *Tarachum* exerceret: *etſi non liceat tibi*, exprobrat ipſi Vir Sanctus, *univerſas pœnas mihi adhibere, quia militaris fui*. Enim vero id imperaverat paullo ante Diocletianus ipſe, Reſcripto quodam ad Præſidem Saluſtium dato.

Acta Sel. p. 246.

Ibidem p. 475. Baron ad annum 295. num. 19.

Secundum hæc, non eſt cur miremur, Magiſtratus iſtos, qui non dubitabant Leges a ſe propugnandas convellere, & Imperatorum Scita, quorum adminiſtratores erant, prætergredi, ut affectionibus ſuis indulgerent; tot horribilia tormenta machinatos fuiſſe, quorum una imago terrorem incutit; ea S. S. Martyribus admoviſſe; triſteſque narrationes haſce in eorum Hiſtoriis contineri. Hæc univerſa Actorum iſtorum veritati impedimento non erunt; niſi ad monumenta ſuppoſita rejiciamus quidquid auguſtius eſt in tota antiquitate, in quo, repugnante licet eruditorum Criticorum noſtrorum regula, ingens adeo ſuppliciorum inauditorum numerus congeritur.

Nihil tamen oſtendit apertius, quouſque Tyrannorum immanitas ferebatur, ac animadvertiſſe, illam cum extremo S. S. Martyrum ſpiritu non deſiiſ-

deſiiſſe, ſed in ipſorum extincta corpora debacchari conſuevisse. Cum primum ex corporis vinculis evolaverant Sancti Martyres, inquit Euſebius, ipſorum exuviæ in ignem projiciebantur, iiſque combuſtis, oſſa perfringebant, & in pulverem comminuta, in aquas diſpergebant. Magnopere namque Tyranni Sanctis honorem ipſorum Reliquiis delatum invidebant; & propterea vi omni atque conatu, ut illorum corpora in nihilum redigerent, inſiſtebant, tum in Mare demergentes piſcium pabulum futura, tum feris avibuſque rapacibus objicientes. Hujus conſuetudinis tot exſtant in Hiſtoria Eccleſiaſtica monimenta, ut ea me huc traducere, ægre quiſque laturus eſſet.

Euſ. de Mart. Palaſt. c. 3. Lact. l. 5 Inſt. c. 11.

Quæ cum ita ſint, non intelligo, quid ſibi velit Tillemontius, cum erratum putat eſſe in Edicto ambobus Deciis, Patri & Filio tributo, quod ſtatuat, Chriſtianos arboribus in Avium cibum ſuſpenſum iri. „ Non „ conſtat, ait egregius iſte Criticus, Romanis unquam id ſupplicii ge„ nus neque adverſus Chriſtianos, neque adverſus alios in more poſitum „ fuiſſe. „ Haud crediderim, ejus animi Tillemontium eſſe, ut credat, nunquam ſanxiſſe Inſectatores, ut Martyrum corpora huc illucque beſtiis avibuſque diſcerpenda objicerentur. Ipſum quidem latere minime poterat, juſſu Daciani S. Vincentium *projectum fuiſſe in apertum locum, ut cadaver exanime, ſepulturæ carens honore, a feris & avibus penitus conſumtum non compareat*.

Till. 3. Tome annot. 2. in Perſ. Decii p. 701. col. 2.

Act. Selecta p. 396.

Apud Euſebium inter horribiliores Tyrannorum ſævitias locum habet inhumanitas, qua cautum per ipſos erat, ne corpora Martyrum humarent, ſed canibus beſtiis avibuſque traderentur. *Horum igitur corpora ſub dio expoſita, ut a beſtiis laniarentur diu noctuque, ſollicite juſſit cuſtodiri . . . . . . Canes vero, & feræ beſtiæ, & carnivoræ alites humanos artus hac & illac diſpergebant*. Quam incredibilem barbariem terram ipſam horruiſſe addit Hiſtoricus iſte, & Paganum quendam deteſtari, cum dicit: *ferina interim iſta rabies eſt, abjecto homine, in ſylveſtrem animum tranſire*. Hujus Tyrannorum immanitatis, qua S. S. Martyrum corpora beſtiarum dentibus exponebant, alia argumenta multa ab Euſebio, Lactantio, Auguſtino ceteriſque Patribus requiras.

Euſ. de Martyr. Paleſt. c. 9.

Seneca libro de Clem.

Auguſt. de cura pro Mort. c. 8.

Si vero, ut fert Littera, ita ſenſiſſet Tillemontius, nunquam Romanos eo ſupplicio in Chriſtianos uſos fuiſſe, arboribus ſcilicet ſuſpendendi in avium eſcam ipſorum corpora, celebri eſſe poſſent exemplo S. S. Martyrum Claudii, Aſterii, & Neonis Acta citra omnem dubitationem conſularia. Habent itaque: *Lyſias dixit . . . . . foras Civitatem hi tres Fratres, ut digni ſunt, crucifigantur, ut aves eorum corpora lacerent*, Surii & Baronii exemplaria legunt: *Cruci affigantur, & corpora eorum avibus laceranda relinquantur*.

Acta Selecta p. 281.

ARTICULUS VIII.

Verba contumelioſa, in Actis nonnullorum Martyrum reperta, ſunt quoddam argumenti genus ; ut ipſorum fraus aut vitium deprehendatur.

Baill. in Orat. p. 174.

EVangelico Jeſu Chriſti promiſſo refragaretur, qui reputaret animo, Spiritum Sanctum injurias, aut aliquid, moderationi, ſuavitati, patientiæ & charitati Chriſtianæ adverſum, Martyribus ſugeſſiſſe. Fieri non potuit, ut hominis Dei Martyres fierent, quin ſimul diſcipuli eſſent, ejuſque Spiritum imbiberent. Quamobrem neceſſum fuit, ut ſemper benedictionem pro maledictione redderent, pro ſuis perſecutoribus preces funderent, & Poteſtatibus honorem deferrent. Hinc aſſeveravit Tillemontius, hunc certe a Martyribus abhorrere loquendi morem, dura nimirum & contumelioſa verba in alios jaciendi; atque univerſas, quæ ſuperſunt, Hiſtorias S. S. Martyrum autographas redolere undique debitam Poteſtatibus reverentiam, & ſuavitatem, cum ab Evangelio tum a Paulo ſæpiſſime commendatam; propterea injurioſa verba, quibus reſperſa ſunt nonnullorum Martyrum Acta, ad ipſorum falſitatem aut depravationem aperiendam conferre.

Tillem. Tome 5. p. 286. — *Baill. ibidem.*

Till. tome 5. pag. 641. col. 1. — *Baill. Tab. Crit. 8. Sept. de S. Adriano pag. XIV.* — *Till. Tom. 4 pag. 675. col. 1.* — *Baill. Tab. Crit. 3. Sept. p. VI.* — *Till. Tome 2. p. 640. col. 1.*

Et revera, regulæ hujus monito, aliis Actorum S. *Adriani* Martyris Nicomedienſis ſuppoſitionem indicantibus, quaſdam adnectunt Critici voces contumeliæ, Chriſtianorum ſpiritui parum conſentaneas. Non abſimiliter pronunciant de Actis S. *Marii*, in quibus *Audifax* hæc Judici obloquitur: *Stultam rem locutus es*. Id, ſubdit Tillemontius, Metaphraſte dignum eſt. Bailleto pariter viſum eſt, de S. S. Sabinæ & Serapiæ Hiſtoria verſari in ancipiti propter nonnullas voces, minus moderationi Chriſtianæ reſpondentes. Cum eo facit Tillemontius, atque, nonnulla in S. S. illarum Actis loca reperiri, in quibus Metaphraſte dignas injurias legimus. *Canis rabide, Aſiatice*: neque Matronæ, neque Sanctæ fœminæ dictionem refert: nec vero intelligo, cur S. Serapia Judici reſpondeat: *Non facio voluntatem Patris tui Satanæ*. In eandem quoque ſuſpicionis invidiam adducta ſunt a Criticis Acta S. Agathæ, quod videlicet Quintianum ejus Mamillæ abſciſſionem imperantem verbis objurgavit; quæ inſolens plane barbaries ex ejus ore divellit: *Impie & crudelis Tyranne non te pudet amputare in fœmina, quod ipſe in matre ſuxiſti?* Quod maximo impedimento eſt, inquit Tillemontius, ne in Actorum S. Baſiliſci Comanenſis

Baill. in Orat. p. 174. — *Till. Tome 3. p. 731. col. 2.*

Mar-

Martyris veritate acquieſcamus, verba ſunt ab ipſo in Judicem jactata: *Beſtia Silveſtris, canis lambens ſanguinem, luxurioſe Agrippa, forma diaboli, ſpecies Dæmonum crudelis, ſine lege*. „ Ægre ſane crediderim, inquit, *Ibid.Tomo 5.p. 715.col.2.* „ hæc verba dediſſe Eccleſiæ Martyrem, aut ſcripſiſſe æquum Sæculi quar„ ti & Martyrio devotum Virum. „ Idem eſſet nullius negotii opus, aliis, quæ pauca non ſunt, Sapientum locis confirmare, ut perſpectum fieret, eos ex acerbis & injurioſis S. S. Martyrum vocibus Actorum ſuppoſitionis, aut certe interpolationis ſpecimen capere.

Quamvis de recondita doctiſſimorum iſtorum Critices Magiſtrorum eruditione nobis perſuaſum apprime ſit, nonne licebit citra ipſorum injuriam expendere, utrum nec ne accurata ſit ipſorum Critices, & principia inconcuſſa? Cum id nanque ſpectamus, quod modo huc retulimus ex Bailleto, non apparet, unde nam conſentaneum iis eſſe poſſit, quæ ſubdit *Baill.in Orat.p. 175.* paullo poſt: „ Nemo inficias ibit, exſtare multa Acta ſincera, & explo„ ratæ autoritatis, quæ non pauca aſperitatis præbeant argumenta, & „ adverſus Judices atque Imperatores conviciorum ſpeciem. „ Itaque ſi Acta exploratæ autoritatis vocibus acerbis & maledicis conſtant; hæ falſitatis ſpecimen nequaquam erunt: alioquin conveniat id neceſſe eſt, Actis autographis, iiſdemque *archetypis* non deeſſe ſuppoſitionis indicia.

Non longe eſt ab eo Tillemontius, qui conqueſtus acerrime de modis iſtis loquendi elatis, & ſi fas eſt, duris & contumelioſis, eos alibi excuſat, imo probat, & nobis perſuadere nititur, divinum Spiritum in Martyribus illis fuiſſe locutum. At nihil non confirmatum momento aliquo producamus. „ Durior aliquanto eſt, quo Judicem S. Conon alloqui- *Till.Tomo 4.p. 684.col.1.* „ tur, modus, cum *perditum hominem*, *omniumque impiiſſimum* appel„ lans: his tamen verbis in Antiochum Regem Sanctorum Machabæorum „ quidam invectus eſt; & ſuam ita vim habet veritatis ardor, ut ani„ mi furentis affectio. „ Idem Autor, ut aliquibus, quibus reſperſa ſunt Euſebii & Marcelli III. Sæculi Martyrum Acta, excuſationem afferat, præſertim iis, quæ alteruter eorum Judici dixerat: *fac miſer, quod facis*: „ id, inquit, rude & amarum nonnihil eſt: ac cur non ali- *Ibid p.594 col. 2.* „ quid juſtæ indignationi parcamus, quæ in Sanctis Viris, iniquam hanc „ Magiſtratuum conſuetudinem cernentibus, excitabatur? „

Quod pariter habent Acta S. Marcelli Centurionis, qui ad ſupplicium ductus, Judici comminatus eſt. *Agricolaus nec Deus tibi benefaciat*, probari videtur Tillemontio. „ Vox hæc, ait, inuſitata quidem eſt, at di- *Ibid p.770.col. 2.* „ gna habita fuit Actorum illorum Collectori, quæ a Chriſti Martyre „ emitteretur. Hujuſmodi etenim homini, proxime corona donando, „ tribui revera poteſt Prophetarum prærogativa, ut videat, que provi„ dentiæ ſuæ ordine ſtatuit Deus, idque eorum inſtar optati cujuſdam

„ ſpeciem referat, eum ſuppliciorum, quæ Deus minatur impiis, juſti„ tiam præ oculis habeat, eamque, nullo movente livore, aut elatione, „ perfectiſſime diligat. „ Tillemontius tandem aſpera verba memorans, a S.S. Taracho & ſociis in Judicem jactata, atque a nobis alibi afferenda, videtur pro certo habere, ea, omnem licet modum excedentia, S. Spiritus afflatu fuſa fuiſſe. „ Illud profecto, ita ſcribit, firmum & con„ ſtans eſt, nimis aperte Deum in Sanctis iſtis agere & pati, ut infeiari „ poſſimus, ejuſdem Spiritum in eis ex Evangelico promiſſo verba feciſ„ ſe. Quapropter hæc ſpecie tenus ſermonum eorum aſperitas ſumma „ nonniſi cum veneratione ſuſcipienda eſt. „ Quo in loco non video, cur Bailletus, qui tanto ſtudio Tillemontii ſenſis obſequitur, ab ejus mente defecerit, cum tuetur: „ deſiderandum fortaſſe fuiſſe in poſteritatis exem„ plum, ut Sancti iſti magis ex Litteræ ſenſu ſuavitatem & moderatio„ nem, a Chriſto Domino diſcipulis ſuis præſcriptam, & cum re tum „ verbis in ſemetipſo expreſſam, operibus retuliſſent .... neque cre„ dendum cuiquam eſſe, Spiritum divinum in eorum ora minus huma„ na verba indidiſſe. „

Ibid. Tomo 5. p. 286.

Baill. 9 Oct. in Vita S. S. Tarachi, Probi, & Andronici pag. 338.

Nihil attinet hic animadvertere, ſi hujuſmodi in Sanctis Martyribus loquendi ratio purgari, imo probari poſſit, propterea quod inſtinctu divino procedat, atque in Actis Autographis locum habeat, non futuram amplius in iis, in quibus reperitur, falſitatis notam. Id nanque adeo plane conſequitur, ut novis illud momentis firmare non intereſſet; niſi tria ſubjungerent eruditi Critici noſtri, quæ ad judicium revocare præſtat. Primum eſt, hæc liberiora verba nullibi forte præterquam in S. Tarachi, & ſociorum Actis deprehendi, ſive, ut loquitur Bailletus, „ convicia hæc ſemel tantum juſtitiæ ardorem in Viris Sanctis indicaſſe. „ Alterum, eadem eos Sanctorum iſtorum ruſticitati vitio vertere. „ Id quo„ que accedere poteſt, inquit Tillemontius, S. Tarachum militem egiſſe, „ alios vero Laicos fuiſſe, qui propterea minus adſtringebantur edendis „ moderationis & verecundiæ exemplis, quique majori quadam liberta„ tis ſpecie uti poterant, ut impiis ſecundum eorum merita vices redde„ rent. „ Bailleto pariter ſententia eſt, „ non eſſe profecto in Beatis iſtis „ Martyribus eum animi cultum, urbanitatemque flagitandam, quam „ politiorum Virorum convictus in hominibus res profanas gerentibus ef„ fingit .... Prior, qui bellicis laboribus pene ſemper diſtractus fue„ rat, aliique duo, qui negotiis ſæcularibus irretiti videbantur, nihil ni„ ſi Laici erant, quibus opportunitas fortaſſe tanta non fuit, quanta Ec„ cleſiaſticis hominibus, atque a mundi ſtrepitu ſemotis, ut in Sacris Bi„ bliis verum Chriſtianæ Religionis ingenium perſpicerent, „

Ibid. 9. Octobr. in Vita S. S. iſtorum p. 339.

Till. tomo 5. pag. 286.

Baill. ibidem p. 338.

Denique ubi rigidiores hoſce dicendi modos in Actis conſtantiſſimæ autori-

toritatis animadvertunt, cujuſmodi ſunt ea, quæ referre aggredimur, ad illud plerumque reſponſum ſe conferunt, quod familiare ipſis eſt, quoties rem aliquam opinionibus ſuis incommodam de medio tollere ſatagunt: cauſſantes: *illud, quodcumque eſt, rei jam perfectæ & abſolutæ vitioſe acceſſiſſe*. „ Vix adducı poſſum, ut credam, Bailletus ait ſuper Actis S. Ba-
„ ſilii Ancyrani, Presbyteri, & Martyris, affıcta non fuiſſe Sancto Marty- *Baill. Tab. Crit. 21. Martii pag. XXXI.*
„ ri huic quædam amara verba, & Martyrum communi modeſtiæ minus
„ conſentanea, eo conſilio, ut eorum magnanimitas emineret; „ Inju- *In Orat. p. 178.*
„ rioſæ voces, inquit alibi, in nonnullorum Martyrum Actis obviæ ab
„ Actorum Scriptoribus commentæ ſunt, qui Sanctos ea ratione loquen-
„ tes induxerunt, qua ipſi tanto in diſcrimine poſiti locuti fuiſſent. „
Verum reſponſio hæc, nullo præſidio roborata, non modo flocci facienda eſt, ſed Actis etiam, voces haſce complectentibus, officit, qui tandiu minime vacabunt ſuſpicione, quandiu libitum erit reſpondere, manus alicujus poſterioris opera res nonnullas additas: aut illud ab Actorum Autore proficiſci.

Studeamus itaque diligenter, quædam id genus verborum exempla perſequi in Monumentis ſumme autographis, imo *archetypis*, quæ nullo additamento interpolata ad nos uſque deſcenderunt; quibus perſpicuum fiet; non modo Milites & Laicos, *non ſatis verum Religionis Chriſtianæ ingenium perſpicientes*, ſed Diaconos quoque & Presbyteros Sanctarum Scripturarum ſuper hac re inſtitutiones apprime calentes, imo nobiliſſimas fœminas, politioris orbis convictu & præceptis imbutas, in eadem ſenſa non admodum officioſa erupiſſe.

Acta S.S. Claudii, Aſterii, & Neonis Martyrum in Cilicia perhibent, *Acta Sel. p. 280.* S. Aſterium, in quæſtione poſitum, Proconſuli dixiſſe: *ſtulte inſane, quam ob cauſſam me tormentis afficis?* alia exemplaria legunt: *ſtulte agis*. Nec vero ullus eſſet dubitandi locus, monumentum hoc *archetypum* eſſe & Proconſulare; videlicet a Proconſulum Tabulario decerptum, atque in eo numero, quæ magis autographa ſunt in Eccleſia.

Hæc verba, quæ habent Acta S. Theodoti Cauponis, & Martyris An- *Ibidem p. 367.* cyrani, cum in Judicem dediſſe: *Agnoſce Dominum Jeſum Chriſtum adjuvantem me, per quem te velut mancipium contemno, & impios Imperatores tuos deſpicio*; atque alia S. Vincentii Daciano dicentis: *Ipſos Principes* *Ibidem p. 392.* *tuos cælo altior deſpicio*; hæc, inquam, verba minorem in Imperatores ipſos reverentiam innuunt. Quibus accedant Acta S.S. Tarachi, Andronici, & Probi Martyrum in Cilicia, citra omnem dubitationem *archetypa*, at citra omnem æque dubitationem ſenſis illiberaliſſimis referta, ut deinceps oſtendemus.

S. Petrus Abſelamus, qui & Balſamus, Martyr Judicem increpavit. *Ibidem p. 558.*

Ad-

Ibidem p. 596. *Adimple opera Patris tui Diaboli*. In Actis ſimiliter S. S. Fauſti Januarii & Martialis Martyrum Cordubenſium videre eſt, quendam ex his Judici reſpondiſſe: *Difficile eſt tibi, & Patri tuo, qui diabolus eſt .... Deos enim alios non habetis, niſi quem & patrem dicitis Satanas*. Fuit etiam, qui ſe Judicem Diaboli filium exiſtimare diceret. Alia deinceps Martyrum Acta verbis contumelioſis contexta miſſa facio, uti S. Pherbutæ, quæ ex
Ibidem 691. ſummis Sacerdotibus unum, *canem impuriſſimum*, *canem impurum appellat*; S. Theodoreti Presbyteri & Parochi Antiocheni Martyris, qui Julia-
Ibidem p. 660. Item pag. 662. no dixit: *Ego renunciavi Diabolo Patri tuo*, aliaque non pauca, in quibus frequenter admodum verba ſimilia leguntur.

Quod ſi voces aliquanto inofficioſæ, non ſemel a Sanctis Martyribus emiſſæ, quandam ſpeciem ingerunt animis, non ſatis ſuavitati atque humilitati Evangelicæ reſpondentem, quid dicendum erit de factis nonnullis, longe magis modeſtiæ & patientiæ, a Chriſto Domino verbo exemplo traditæ, repugnantibus? Præſto ſunt exempla duo; quorum primum ſufficit nobis S. Eulalia Virgo & Martyr Emeritenſis. Hanc cum Judex blandimentis & promiſſis magnificis in ſententiam ſuam perducere conaretur, antequam tormentorum periculum faceret; *Martyr ad iſta nihil: ſed enim, infremit, inque Tyranni oculos ſputa jacit: ſimulacra dehinc diſſipat, impo-*
Libro περὶ στεφάνων, verſ. 227. *ſitamque molam Thuribulis pede proſubigit*. Hæc Prudentius, Hiſtoriæ hujus eodem occidente ſæculo ſcriptor.

Ruin. Act. Sel. p. 655. *Baill. 22. Martii p. 581.* Secundum vero ſumo a S. Baſilio Ancyrano Presbytero & Martyre, qui non modo conviciis Judicem laceſſivit, eum *Mancipium Diaboli* vocans, *apage perverſum immundum*, ſed ad rem etiam omnino inauditam ſe ferri paſſus eſt. Cum etenim ad Eſculapii Fanum abjiſſet Julianus, illuc accerſivit Baſilium, ut thus Diis adoleret. Ille vero tantum flagitium reſpuens, *accepit* contra *unum e diſciſſis corporis ſui loris, illudque Juliano in faciem jecit, dicens*: *Accipe Juliane, quando hoc cibo delectaris; mihi autem vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*.

Si Critici noſtri facta hæc in monumentis, minus, ac ſunt S. S. Eulaliæ & Baſilii monumenta, autographis legiſſent, non dubitaſſent has Hiſtorias Metaphraſticas exclamare; aut re jam confecta ipſi aſſutas, aut ab Actorum Autore confictas. Nihilominus eas ipſi quoque recitant, & quod attinet ad Sanctæ Virginis facinus, ſubdunt: Spiritum Divinum eos, quos
Till. tomo 5. pag. 321. *Baill. 10. Decembris p. 345.* per inuſitatas ſemitas dirigit, ita movere poſſe, ut ipſorum geſta neque decori legibus, neque humanæ aliquando congruant rationi.

AR-

A R T I C U L U S IX.

Acta, in quibus Martyribus fidem abdicantibus munera pollicentur, aut fraudis aut ſuſpicionis notam ſubire neceſſe eſt.

TOloſæ prelo datum eſt anno 1664. Edictum * quoddam adverſus Chriſtianos nomine duorum Deciorum, Patris & Filii, alterius Auguſti, alterius Cæſaris. Tanto magis faciendum eſt Monumentum hoc, quo unum duntaxat eſt Perſecutionis Edictum, quod omnibus ſuis partibus abſolutum ætatem evaſerit: Tillemontius tamen annotatione ſecunda in Decianam Perſecutionem multa objecit in hoc Opuſculum argumenta, quorum unum apte in rem noſtram cadit; quandoquidem ex eo indicium ſumit falſitatis in Veteribus S.S. Martyrum Actis. Fert nimirum Edictum, Imperatores iis, qui Diis litarent, maxima munera, dignitateſque ipſas polliceri. „ Nihil adeo eſt, inquit doctus iſte Criti„ cus, adulterinis aut ſuſpicioſis Hiſtoriis commune, at animi pendeo, „ utrum ſimiliter ſit Actis Autographis familiare .... Si vero Judices „ id artificium puerile excogitare potuerunt, erat ne Imperatoriæ di„ gnitatis eodem uti, in publico præſertim ſolemnique Decreto? Mole„ ſte ſane, ſubdit alibi, induci poſſum, ut eredam, Diocletianum ſpo„ pondiſſe, ſe iis, qui rem divinam Numinibus ſuis facerent, penſiones „ ſoluturum.„ Quo inſtituto docet, Metaphraſtis ingenium redolere „ promiſſum, a Præfecto S. Martyri Neſtori factum, quo obſtringebatur, ſe ſummum ipſi Pontificis Officium ab Imperatore exoraturum.

Till. tomo 3. pag. 701. col. 2.

Idem tomo 4. Annot. 28 in S. Dion. p. 772. col. 2.
Item tomo 5. p. 661. col. 1.
Item tom. 3 p. 713. col. 2.

Porro, ſi verum eſt hoc Tillemontii pronunciatum, conſequens eſſet, infra ſuppoſita monumenta rejici oportere, aut certe infra ſuſpicioſa, quamplurima Martyrum Acta, de quorum autoritate nemo unquam dubitavit. Accepimus vel ab ipſo, Acta S.S. Claudii, Aſterii & Neonis Martyris e Proconſulum Tabulario depromta fuiſſe; atque in illis cum Judicis, tum reorum verba ita referri, ut a Tabellione excepta fuerunt; qua de re ſubjungit nihil magis autographum aut certum eſt, quam S.S. iſtorum Acta. Nihilo tamen minus diſerte tradunt, Proconſulem Lyſiam,

Ibidem Tomo 4. p 414. art. de SS. iſtis.
Baill. 22. Aug.
Tab Crit pag. XLIII.

* Edictum hoc confirmavit Senatus Conſultum, omnibus in Provinciam Præfectis, Proconſulibus, & Magiſtratibus miſſum, lectumque publice in Caſtris Prætorianis, dehinc affixum in Capitolio, ejuſque exempla multa deſcripta, ut undique terra marique diſpergerentur.

diu

diu multis tormentorum generibus vexatis Viris illis Martyribus, eos magnificis munerum & gratificationum promiſſis, Imperatorum nomine factis allexiſſe. En quibus illos allocutus eſt Judex: *Domini noſtri Imperatores juſſerunt, ut Chriſtiani ſacrificarent Diis; contradicentes puniri, cedentibus autem honores & munera polliceri.*

Ruin. Acta Selecta p. 280.

Till. tome 4. art. 20. de S. Don. p. 491.

Neque vero repugnabit Tillemontius, Hiſtoriam S. S. Donatiani & Rogatiani Martyrum Nannetenſium, tempore Diocletiani Eccleſiam affligentis, omnes veritatis numeros habere; quod videlicet eam hujuſmodi cenſuerit Bailletus, quæ in meliorum Actorum ordinem reciperetur. Porro ex ea didicimus, immane Eccleſiæ Catholicæ bellum intuliſſe, omnemque moviſſe lapidem, ut ſive promiſſis, ſive minis, Chriſtianorum animos concuterent. *Miſſis Epiſtolis*, nos monent Acta, *ad Præſidem Galliarum, decreto ſanxerunt; ut ſimulacra Jovis vel Apollinis quaſi divino cultu deberet Univerſitas venerari: ea ratione præfixa pollicentes his, qui eorum cæremonias colerent, vel ſacrificia offerrent; publico ſe cognoſcerent ſtipendio munerandos; quo facilius humanam mentem cupiditatis laqueus traheret in errorem, ut deciperetur munere, qui ratione vinci non poſſet: eos vero, qui Chriſtiani nominis in confeſſione perſiſterent, poſt illa tormenta jubent capitale ſubire ſententiam.* Quibus poſitis ullus ne reliquus eſt dubitandi locus, dona & præmia decreta fuiſſe, Edictorum etiam publicorum voce, Jeſu Chriſti deſertoribus: quin ſimul S. S. iſtorum Acta perſpicuæ apud omnes ſinceritatis & autoritatis rejiciamus?

Ruin. Acta Selecta p. 296.

Ibidem p. 302.

Præterquamquod non allata ſolum in promtu ſunt exempla id genus promiſſorum: ſimilia legimus in Actis S. Victoris Maſſilienſis, & in Hiſtoria S. Theodoti Cauponis & Martyris Ancyrani, quæ non modo ex Tillemontii ſententia pulchra & vivax eſt, verum gravis, non fucata, & vere archetypa. In jus nanque vocatus eſt coram Præfecto, qui ſtatim ipſi ratum fecit; nihil propoſitorum ſuppliciorum ei experiendum eſſe, ſi perſuaderi ſibi ſineret, ut ſacrificaret, quin etiam ejus præ aliis fruiturum amicitia, & victorioſiſſimis Imperatoribus earum evaſurum. Quod ſi & alios Chriſtianos abduceret a dementia, eum *toti Urbi dominaturum, factus Sacerdos Apollinis omnium Deorum Maximi*. Sanctus autem Vir Vitam pro Chriſto fudit anno 303. paullo poſt vulgatum a Diocletiano imperatore, & Galerio Maximiano Cæſare in Urbe Nicomedienſi adverſus Chriſtianos Edictum.

Till. tomo 5. pag. 189.

Mabillonius quarto Analectorum ſuorum Volumine, complexus eſt Acta S. Theodoreti Presbyteri, Parochi Antiocheni, & Martyris, quæ deinceps, uti germana in Actorum ſelectorum Collectione edidit Ruinartius. Narrant nobis, Julianum Apoſtatam, quo regnante paſſus eſt Theodoretus, lenibus citius verbis, quam vi & minis ſtuduiſſe, ut aſſe-

clas

clas Chriſti ad mendacium Deorum Religionem amplectendam induceret: *Julianus prævaricator effectus idola colens, Imperii Regnum ſuſcepit. Sicque omnes Chriſtianos non vi nec minis, ſed præmia & dignitates promittens, perſuadebat ad ſacrilegam legem.* Ruin. Act. Sel. p. 658.

Non nos deficerent exempla alia a monumentis æque autographis petita; at hucuſque dicta efficiunt ſatis, haud raro Monumenta ſummæ autoritatis, eademque *archetypa*, nec, ut putat Tillemontius, fallaces tantum & ſuſpicioſas Hiſtorias, præſeferre, Imperatores Romanos, Præfectos, Proconſules, alioſque Magiſtratus Eccleſiam inſectantes, dignitates ſæpius, & liberalia promiſſa Chriſtianis fidem ſuam, ut Idolis immolarent, abdicantibus obtuliſſe. Nec ſane mirum id ab eis ſuſceptum conſilium; quandoquidem Tyranni, quibus cordi erat, flagitioſum cogitatum ſuum opere perficere, plane cognoſcentes, cruciatuum vim invictum Martyrum robur nullatenus flectere, conabantur ſaltem, ipſorum animos promiſſorum ſplendore obſtringere. Perſuaſum etenim ipſis erat, artificium hoc minorem inferre dignitati ſuæ ignominiam, quam pudori & dedecori futurum eſſet, vinci ſe, autoritatem, legeſque ſuas contemni ab hominibus ſpecietenus ignobilibus, at Jeſu Chriſti, cujus nomen & venerationem ſummovere volebant, virtute confirmatis.

ARTICULUS X.

Si qua Acta Edictorum mentionem habent, ab Imperatoribus Trajano, Antonino, & M. Aurelio, qui nulla promulgarunt, adverſus Chriſtianos latorum, id vitii & fraudis indicium eſto.

Intereſt ſolummodo oculos in contextum & annotationes Tillemontii conjicere, ubi de Trajani, Antonini, & M. Aurelii in Chriſtianos ſævitie orationem inſtituit, ut palam ſit, contendere illum, Imperatores iſtos nullum adverſus Sectam hanc Edictum ſanxiſſe: quo fit, ut in falſitatis argumentis recenſeat, ſi quæ Veterum Martyrum tradat Hiſtoria, eos Decreta & Leges aliquas Eccleſiæ Catholicæ exagitandæ cauſſa rogaſſe. Till. Monumenta tomo 2. Ibidem annot. 5. in perſecut. Trajani p. 615. col 1.

Atqui, ſi quæcumque id Edictorum genus memorant Acta, Tillemontio incidunt in ſuſpicionem; aut neceſſum erit, illum certiora S. S. Martyrum monumenta de gradu dejicere, eaque ſuppoſitionis notis affici ſentire; aut profiteri, Imperatores iſtos Chriſtianis interficiendis Decreta juſſiſſe. Item annot. 5 in perſecut. Adriani p. 629 col. 2.

Eruditus iſte Criticus annotatione 3. in S. Ignatium nos docet, ab *Till. Tomo 2. p. 620. col. 1.* Uſſerio in publicam lucem emiſſa fuiſſe genuina Sancti hujus Acta; ab ipſo in fine veteris Epiſtolarum ejus interpretationis reperta, ſermone latino conſcripta, cujuſque exemplar Græcum in Actorum Martyrum antiquorum & archetyporum collectione tradidit nobis Ruinartius. Aſt perhibent Acta Latina, S. Ignatio ſe Trajano ſiſtenti Impe- *Ruin. Acta Sel. p. 11.* ratorem dixiſſe: *Quis eſt cacodæmon noſtras feſtinans præceptiones tranſcendere?* Vox hæc *præceptiones* indicare ſane poſſet Edictum aliquod *Ibidem p. 697.* in Chriſtianos latum, quod clarius exprimit Verſio Græca: *τὰς ἡμετέρας σπυδάζων Διατάξεις ὑπερβαίνειν*: verbo Græco *Διατάξεις Edictum, Sanctionem, Conſtitutionem* revera ſignificante. Quare aut verba hæc faciunt, ut de S. Ignatii Actorum veritate ſuſpicemur, aut non fuit, cur de S. Hiacynthi Martyris Actis diſputans Tillemontius, ſcriberet: „ Acta *Till. tomo 2. annot. 5. in perſecut. Trajani p. 615. col. 1.* „ hæc vel falſa ſunt, vel Hiacynthus, quod retulit Baronius, minime „ Trajani temporibus mortem oppetiit. Cum nullum in Chriſtianos „ Edictum emanaverit Trajanus, qui dici poterit imperaſſe illum, tor- „ quendos eſſe diverſis ſuppliciis eos, qui Deos Numinum honore pro- „ ſequi inficiarentur? „ At quare vox iſta *Edictum* in Actis S. Hiacynthi *ſolemne* adverſus Religionem *Decretum* indicit, & peculiare tantum præceptum in Ignatianis declarat? Denique ſi verbum idem Actis S. Hiacynthi ſuppoſititionis ſpecimen exhibet, eccur eandem haud conflat S. Ignatii monumentis invidiam?

Nemo eſt qui ambigat, Decium Edicta ſolemnia & generalia adverſus Religionem edixiſſe, & tamen in Martyrum Actis ab hoc Principe interremtorum Scriptores promiſcue vocibus iſtis utuntur: *Mandatum, Præceptum, Leges, Edictum*, ut juſſa deſignent, quibus hic Imperator *Euſeb. Lib. 6. c. 42.* Chriſtianos divexandos eſſe præſcripſerat. S. Dionyſius Alexandrinus in *Ruin. Acta Sel.* Epiſtola ad Fabianum Epiſcopum Antiochenum ab Euſebio relata *Edictum Imperatoris Decii* appellat; Autor Actorum S. Pionii *Præceptum Principis*; Autor item Hiſtoriæ Martyrii S. Maximi aliis id effert ver- *Ibidem 144.* bis: *Decius Imperator Decreta conſtituit*, & alibi *Dominus Imperator juſſit*. Conſtans pariter apud omnes eſt, Diocletianum in Chriſtianos Edicta publica tuliſſe, nihilominus aliis verbis non enunciantur in Actis S.S. Martyrum, qui ſæviente immani illa perſecutione Sanguinem Jeſu Chriſto dedere. Quo videtur concludi, Trajanum Edicta in Chriſtianos propoſuiſſe, ſive Sancti Ignatii Acta mendacii nota laborare; ſive tandem illa Hiacynthi nullum inde detrimentum capere, quod ſcriptum ſit; *imperaſſe illum, torquendos eſſe diverſis ſuppliciis, qui Deos numinum honore proſequi inficiarentur*.

Quod ſi Decreta in Chriſtianos haud ſanxit Trajanus, quæ vis ſubje-

ćta erit verbis iſtis, quæ in S. Ignatii Actis continentur. *Trajanus omnes aut ſacrificare, aut mori cogebat*? Quomodo interpretabimur Euſebii ſenſa dicentis: Principis hujus exemplo populos in Urbibus univerſis ad infectandos Chriſti fideles exarſiſſe? Satis eſt Epiſtolam Plinii * junioris ad Trajanum, & Trajani ad Plinium reſponſum evolvere, ut exploratus ſit magnus Chriſtianorum numerus, qui Imperatoris hujus tempore in omnibus Imperii Provinciis gladio abſumtus eſt, quod ægre admodum percipi poſſet, niſi Trajani Edictum de Eccleſia deturbanda interceſſiſſet.

Acta Selecta p. XI. num. 2. Euſeb. Hiſt. l. 3. c. 33.

Quamquam aperte in Chriſtianos nihil decreverit Adrianus, quod non fuerit vel certe Statutum aliquod generale Sacrificia faciendi, nulla Chriſtianorum habita mentione; idem tamen fortaſſe de Tito Antonino dici nequit, ſi Juſtino fidem adhibemus. Cum etenim Apologia huic Principi oblata dixerit, infligi Sanctis Martyribus acerba tormenta, ita ſubdit: *Neque ita contra eos, qui nihil per injuriam iniqui admiſerunt, perinde atque adverſus hoſtes ſupplicium capitis ſtatuite. Illud autem vobis prædicimus &c.* Quæ voces *ſupplicium capitis ſtatuite* monere quidem poſſent Perſecutionem in Chriſtianos excitatam ab aliquo Antonini Edicto profectam fuiſſe.

Till. tomo 2. annot. 1. in S. Sabinam p. 640. col. 2.
Nullas Contra Chriſtianos leges impreſſit. *Tert. in Apol.*

Conſpicimus in Actis S. Felicitatis, quæ anno circiter 150. Martyrii palmam cum ſeptem filiis ſuis adepta eſt, imperante, ut conjicit Ruinartius, Tito Antonino; cum Sancta hæc Mater in conſpectu Publii Præfecti ſuaſiſſet filiis, ut fortiter pro animabus ſuis pugnarent, & fideles ſe in amore Chriſti exhiberent, hæc audientem Publium juſſiſſe, eam alapis cædi, & dixiſſe. *Auſa es, me præſente, iſta monita dare, ut Do-*

Ruin. Acta Sel. p. 21.

* Non convenit inter Doctos de anno Reſcripti hujus a Trajano pro Chriſtianis dato. Tillemontius Tomo 2. Monumentorum art. 3. de Trajani Perſecutione pag. 184., Cardinalem Baronium ſecutus, anno collocat 104. Euſebius illius meminit in Chronico anno 107. Opinatur P. Noriſius in Epiſtola Conſulari hujus Epocham ad annum 109. vel 110. pertinere. Pagius ex præſcripto ſegum Criticarum, quas tulit in Diſſertatione de Conſulatibus Imperatorum Romanorum eam ſcriptam fuiſſe contendit anno 112. Sententiam ſuam ex eo probat, quod Idacius in Faſtis ad VI. Trajani Conſulatum, qui in annum Jeſu Chriſti 112. incidit, hæc habet memoranda verba: *His Conſulibus perſecutio Chriſtianorum*. Erat hic annus decimus quintus Proconſularis Trajani, qui propterea, ut *Quindecennalia* ſua celebraret, Conſulatum inivit; cumque Chriſtiani duodecim Regni ejus anno perturbati fuiſſent, ut Euſebio narrante comperimus, inſtaurata perſecutio fuit quinque poſt annis ex *Quindecennalium* occurſu; quibus moris erat Imperatori, vota ordinaria Mendacibus Diis perſolvere. Subjungit Pagius, certum eſſe, Plinium juniorem, in Bithyniam anno 110. miſſum, ibique ad annum uſque 113. verſatum, in Aſia fuiſſe anno, quo Trajanus decimum quintum Imperii Proconſularis celebravit, atque illinc ad Imperatorem iſtum Epiſtolam dediſſe. Quapropter de medio tollitur dubitatio omnis, Trajanum per idem tempus ex Pagii principiis, Reſcriptum, de quo agitur, lucubraſſe.

Ibid. p. 22. *minorum noſtrorum juſſa contemnant* ? Tum dixit Præfectus : *Dominus noſter Imperator Antoninus juſſit, ut Diis omnipotentibus immoletis* ; & paullo poſt ſubdit : *Ut video , convenit vobis cum peſſima matre veſtra hoc conſilium , ut præcepta Principum contemnatis* ? Denique accerſito coram ſe Martiali filiorum poſtremo , inquit illi Præfectus : *Ibidem p. 23.* *Crudelitatis veſtræ factores effecti Auguſtorum inſtituta contemnitis* . Habetis multas dicendi formulas , quæ additis præſertim iis , quæ ſcribit Juſtinus in Apologia ſua , argumento eſſe poſſent , Titum Antoninum aliquod manaſſe in vulgus adverſus Chriſtianos Edictum ; neque etenim ſolidiores ſunt , atque illæ quæ in Decii & Diocletiani Decretis occurrunt .

Till. tom. 2. Art. de S. Felicitate p. 155. Baill. 10. Jul in Vita S. Felic. p. 290. Reſpondet Tillemontius, S. S. iſtorum Triumphum ad M. Aurelii ætatem revocandum eſſe : „ idque eo magis , ait , quo Acta de pluribus „ Auguſtis mentionem faciunt , quod cum Titi Antonini Imperio non congruit , ſed cum tempore potius quo Marcus Aurelius & Lucius Verus „ Romanæ Reipublicæ gubernacula tractabant , quoque , ut ſpecies eſt, „ contigit , tum quando Lucius Verus Parthico bello diſtinebatur ; quandoquidem unius Antonini meminiſſe ſolent Acta , & propterea geſta res „ eſt ad annum 164. : diſceſſit nanque Roma Lucius Verus anno 162., „ rediitque 166. „ Ceterum ut ut daremus ultro erudito Critico Iſti , Sanctam Felicitatem ejuſque filios M. Aurelii tempore extremum ſupplicium ſuſtinuiſſe , fateri ipſe quoque cogeretur adverſus ſententiam ſuam , ab Imperatore iſto profecta fuiſſe in Chriſtianos Edicta ; ſiquidem videtur, verba iſta, *juſſa, præcepta, inſtituta* , Actis Sanctorum iſtorum inſerta , nihil de Generalibus & ſolemnibus Edictis monere minus quam ea , quæ in Martyrum Hiſtoriis leguntur , Decio Valeriano aliiſque Imperatoribus interfectorum, qui hujuſmodi Decreta emiſerunt .

At vero , inquies , id genus nulla ſanxerunt Titus Antoninus , & M. Aurelius . His paratum habemus reſponſum , id eſſe videlicet , de quo controverſia inſtituitur . Eis enim eſt noſſe , utrum hæc dicendi formula , *ſupplicium capitis ſtatuite* , quæ in Apologia Juſtini ad Antoninum legitur , aliaque verba, *juſſa, præcepta, inſtituta* , in Actis S. Felicitatis , eodem Principe Martyris , obverſantia, ſolemne aliquid præſeferant , necne : ſique abſolute verum ſit , nulla ab Antonino Eccleſiæ exagitandæ nomine Edicta manaſſe ; quandoquidem nonnulla quoque tribui M. Aurelio poſſe paullo poſt comperiemus : Denique anne duo tantæ autoritatis Monumenta , quantæ ſunt Chriſtiani hujus Philoſophi Apologia, atque illuſtrium iſtorum Martyrum Acta , minime apta ſint , quæ invicte confirment , aliis quoque deficientibus argumentis , in Chriſtianos Antoninum decreviſſe .

Præ-

Digitized by Google

Præterquamquod, tametſi inter nos & Tillemontium conveniret, nulla adverſus Chriſtianos Antoninum Edicta promulgaſſe; ipſum tamen urgeret exponere nobis, quid ſit, cur hæ voces *juſſa*, *præcepta*, *inſtituta*, nihil Actorum S.S. Felicitatis, filiorumque veritati noceant, cædemque non paucas conjecturas æquiſſimas ipſi ſufficiant, ut alia monumenta rejiciat, quæ narrant, Sanctos aliquos in Fidei teſtimonium vitam dediſſe ſub Antonino, aliiſque Imperatoribus, qui ex ejus mente ab Decretis in Religionem faciendis abſtinuerunt?

Porro quamvis nulla Chriſtianis inſectandis Edicta conſtituiſſet M. Aurelius, magnum tamen id exiſtimandi momentum ei eſſet, qui adverteret animum iſtis Apologiæ verbis S. Melitonis * Epiſcopi Sardicenſis, eidem Imperatori delatæ. *Perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus novis per Aſiam Decretis exagitatum*. Qua de re verba iſta *novis per Aſiam Decretis* haud levi indicio ſunt, hoc in Chriſtianos, M. Aurelio excitante bellum, non exarſiſſe propter populorum adverſus illos commotas ſeditiones, neque vetuſtarum Legum Romanarum præſcripto, quibus, monente Cicerone, univerſæ Religiones extraneæ interdicebantur, quod eſt commune ſapientum iſtorum perfugium; ſed conſideranti, quæ ſubdit S. Melito, apertum eſt, Decreta illa ab Imperatoribus profluxiſſe: *Imprudentiſſimi namque delatores . . . . . . ex Imperialibus Edictis occaſionem nacti, palam diu noctuque graſſantur*. Illud certe non diſſimulo, videri S. Epiſcopum officii gratia in ſequentibus ambigere, num Imperatoris eſſent Edicta illa. *Si hæc juſſu tuo fiant, recte atque ordinate facta ſunt*; nihilo ſecius aſſerit Dupinus, Sanctum Melitonem hoc ſupplici libello a M. Aurelio flagitare, ut, abrogato adverſus ipſos Edicto, Chriſtianos vexare deſineret.

apud. Euſeb. L. 4. c. 26. *Libr. 2. de Leg.* *Dupinus tom. 1. pag. 187.*

Deinde qui dici poterit, M. Aurelium ad perſequendam Eccleſiam Conſulta non edidiſſe; ubi paulisper intendamus animum iis, quæ referunt Acta S. Juſtini, in quibus ter Edictorum mentio fit? Initio ipſo conſtat memorari *impia Edicta* adverſus Chriſtianos lata: Ruſticus Præfectus Juſtino imperat, ut pareat *Imperatoris Edictis*: Denique Præfectus verbis iſtis in Martyres ſententiam capitalem dicit: *Qui Diis ſacrificare, & Imperatoris Edicto parere noluerunt*. Porro certum eſt, Imperatorem iſtum alium non fuiſſe a Marco Aurelio, ſub quo Juſtinus ſociique Martyrii coronam adepti ſunt.

Ruin. Act. Sel. p. 43. *Ibid. p. 45.*

* Iterum ſæviente anno 177. M. Aurelii perſecutione, quatuor Viri ſummi eidem pro Chriſtianis Apologias obtulerunt: Meliton primus; alter S. Appollinaris Hierapolitanus, tertius Athenagoras; quartus Miltiades; quin alterius Juſtini ante annos aliquos datæ Apologiæ mentionem habeamus.

Non

Till. tomo 2. annot. 13. in S. Juſt. p. 702. col. 2.

„ Non me fugit, his omnibus haud ægre ſe ſubducere Tillemontium „ hoc pacto: „ Commodum eſt dicere, vocem Edictum in Archetypo „ ut mitius ſignificaret, locatam fuiſſe; v. g. non ſecus ac *juſſum ſive* „ *imperium*, quæ cum nihil pubilicum innuant aut ſolemne, indicare nobis „ poſſunt Conſtitutiotem aliquam ei ſimilem, quam ſuper Chriſtianos „ Lugdunenſes Galliarum Præfectus accepit. „ Lectoris ſit de reſponſi hujus ſoliditate judicare; ſique particula hæc, *Commodum eſt dicere*, nullo alio fulta momento, fucum facere poſſit teſtimoniis apertis, de Edictis, a M. Aurelio in Eccleſiam vulgatis, monentibus. Cum libet reſpondere: *Commodum eſt dicere, vocem Edictum in Archetypo, ut mitius ſignificaret, locatam fuiſſe, non ſecus ac juſſum, ſive Imperium*; commodum erit pariter eodem uti reſponſo, ut vindicemus ab injuria Martyrum Acta, quæ aut ſuppoſita aut ſuſpicioſa eſſe cenſentur eo nomine, quia Edictorum comminiſcuntur ſub iis Imperatoribus, qui nulla ſanxerunt: & nihil minus unicujuſque jus erit dicere, *vocem Edictum, ut mitius ſignificaret, in Archetypo poſitam fuiſſe, non ſecus ac juſſum, ſive imperium, quæ cum nihil publicum innuant, aut ſolemne, indicare nobis poſſunt Conſtitutionem aliquam ei ſimilem, quam ſuper Chriſtianis Lugdunenſibus Galliarum Præfectus accepit*.

In Actis S. S. Epipodii & Alexandri M.M. Lugdunenſium, qui abſumti ſunt ſæviente pluribus in locis adverſus Religionem M. Aurelio, decimo ſeptimo Imperii ſui anno, apparet, Sanctos Martyres coram univerſo populo interrogatos fuiſſe, & de Chriſtiana fide apertum eos teſtimonium protuliſſe, quo tumultus repente exortus eſt, atque adſtantes vociferari cœperunt: *Etiam nunc convelluntur Principum Sanctiones*? Eccur de Principum Sanctionibus hic mentio, ſi modo nullas edidiſſent?

Ruin. Acta Sel. p. 64.

Tum etiam difficile perſuaſu eſt, M. Aurelium Edictis generalibus & ſolemnibus Eccleſiæ bellum minime intentaſſe; ubi Oroſii verba perpendantur. *Defuncto Lucio Vero*, inquit, *M. Antoninus ſolus Reipublicæ præfuit, ſed in diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum in Aſia, & Gallia graves præcepto ejus extiterunt*, atque ubi res deferenda ſit Actis S. Symphoriani Martyris Auguſtoduni, quæ ſinceris & ſelectis Ruinartius annumeravit, in quibus Edictum videre eſt rite confectum, quo Chriſtianos, Deorum ſacrificia averſantes, jubet Imperator extremo ſupplicio interimi. Cum etenim plane confeſſus fuiſſet S. Martyr, ſe verum Deum in cœlis regnantem adorare, Judex reſponſionem ægre ferens, dixit: *Ignoras forſitan, quod Principum noſtrorum Scita ſanxerunt? Officio recitante pandantur: Ex Officiis recitatum eſt. Aurelianus Imperator omnibus adminiſtratoribus ſuis atque Rectoribus: Comperimus ab his*, qui

Libro 7.

Ruin. p. 69.

Ibid. p. 70.

qui ſe temporibus noſtris Chriſtianos dicunt, legum præcepta violari. Hos comprehenſos, niſi Diis noſtris ſacrificaverint, diverſis punite cruciatibus; quatenus habeat diſtrictio prolata juſtitiam, & in reſecandis criminibus ultio terminata jam finem. Quibus perlectis, Simphorianum Judex allocutus eſt: *Quid ad hæc Symphoriane reſpondes? numquid poſſumus hæc Decreta convellere?* Ecce, ut videtur, Edictum ritibus omnibus conſtitutum. Hærere ſane quis poſſet in verbo *Aurelianus*; at ex Ruinartio legendum eſt *Aurelius*, qui a M. Aurelio alius non eſt, eorumdem Criticorum noſtrorum confeſſione.

Tillemontius vero arbitratur, ſe difficultatem iſtam funditus ſuſtuliſſe, cum Edictum illud Actorum S. Simphoriani Scriptori retulit. „ Hoc, „ inquit accidit incommode, reperire nos in Actis S. Simphoriani falſum „ Edictum, veluti germanum & autographum recitatum: quod tamen „ perſpicuum eſſet corruptionis argumentum in Opere, quod archetypum „ haberetur, ignoſcendum eſt Autori, trecentis ferme poſt annis ſcri- „ benti, quique in eam opinionem induci potuit, ut crederet, non ſe- „ cus licere ſibi Imperatorem loquentem, atque licebat Judicem & Mar- „ tyrem colloquentes exprimere. „ Utrum reſponſum iſtud acceptum omnibus futurum ſit, prorſus ambigo: illud ſaltem pro certo habeo, recipi Sententiam hanc ab omnibus MSS., neque ſuper ea dubitaſſe quidpiam Ruinartium.

Till. tom. 3. an-not. 6. in S. Renign. p. 610. col. 2.

Quæcumque cauſſatur Tillemontius, ut oſtendat, conflatum fuiſſe Decretum illud ab Actorum Scriptore, omnia accommodari poſſunt ad purganda quamplurima Suppoſitionis indicia, ab eodem egregio Critico in Actis, quibus non aſſentitur, reperta. Satis erit dixiſſe, ea, quæ in hujuſmodi Monumentis minus apte cadunt, ab Actorum Scriptoribus proficiſci; ſique fraus tanta Scriptoris Actorum S. Simphoriani, Edictum Imperatoris, qui nunquam protulit, excogitantis, non obeſt, quominus hiſtoria hæc genuina atque autographa eſſe credatur; idem faciendum erit de Monumentis ab ipſo rejectis, præſertim ſi archetypa ſint Monumenta. Non tamen futurum putamus, ut Acta S. Simphoriani in germanorum & autographorum numero cenſenda eſſent; ſi modo conſtaret de Mendacio tanto ab Autore conficto; neque locus eſt dubitandi, Tillemontium ipſum, ubi ſimile quidquam in Opere aliquo minime ſibi grato deprehendiſſet, illud continuo ad Apocripha rejecturum fuiſſe.

Quamobrem cum certum ſit, omnes veritatis numeros habere Hiſtoriam Sancti Simphoriani, illud videtur conſequi, etſi nullum aliud præſto eſſet momentum latorum in Religionem a M. Aurelio Decretorum, hoc unum dubitationem omnem ſummovere; & non modo non eſſe re-

ſpon-

ſpondendum, incommode accidere in hujuſmodi Hiſtoria falſum Edictum reperiſſe, quin aſſerendum contra, revera M. Aurelium Decreta ſtatuiſſe, quod in Monumento ſincero & autographo legantur. Si itaque tanti non ſunt conjecturæ iſtæ, ut colligere per eas liceat, Trajanum, Titum Antoninum, & M. Aurelium adverſum Eccleſiam tuliſſe Leges; utcumque tamen, aut ego fallor, Monumenta Martyrum vetuſta in dignitate retinere poterunt, in quibus Edicta Imperatoribus iſtis tributa conſpiciuntur; neque impoſterum notæ falſitatis erunt in Operibus haud omnino archetypis, ſive autographis, cum id vitii non pariant pluribus aliis ſine ulla, ut prædicant, controverſia ſinceris & archetypis.

ARTICULUS XI.

Alia ſuppoſitionis indicia in Actis veterum Martyrum.

Revocatis ad trutinam iis Critices regulis, quibus perſuaſum habent Eruditi Critici, ſe Acta Martyrum legitima ab iis, quæ non ita, ſecernere poſſe, quaſque dixerim Univerſas & communes, cum in omnibus pene veteribus Monumentis verſentur cum veris tum falſis, cum ad eorum veritatem ſtatuendam, tum ad fraudem ſuppoſitionemque aperiendam; non deſunt aliæ quædam Leges veluti peculiares, quæ in pauciſſimis Operibus, aliquando etiam uſum habent in uno tantum. Fit igitur præſcriptis iſtis, ut animadvertamus, quædam propterea Monumenta, deficientibus etiam argumentis aliis, in fallaciæ ſuſpicionem venire. Habeto præcipua, ab Operibus Tillemontii diligenti ſtudio collecta.

§. I.

Acta, in quibus Perſecutiones Decii & Valeriani conjunguntur, aut mendacii crimen ſubeunt, aut ſummam afferunt dubitationem.

Duplex extat Actorum S. Polieucti genus, qui princeps celeberrimuſque Martyrum, quos Jeſu Chriſto obtulit Armenia, paſſim exiſtimatur. „ Neutrum vero iſtorum, ait Tillemontius, ſatis autographum videri debet; quandoquidem Sancti hujus interitum eo tempore collocant, quo Decius & Valerianus Eccleſiam divexabant: qui tamen nunquam ſimul Imperii faſtigium obtinuerunt. Hoc uno demto,

Till. Tomo 3. annot. in hunc Sanct. p. 735. col. 1.

„ to, Acta latina apprime brevia nihil præſeferunt admodum repre„ hendendum. Quod erratum ita inficit Acta iſta, ut aliis quoque „ commune ſit. „

Illud ſane extra quæſtionem poſitum eſt, diſtingui a Valeriani Perſecutione, inflictum Decii furore Chriſtianæ Religioni bellum; quod nimirum Scriptores Eccleſiaſtici hoc ſeptimo, illam vero octavo loco recenſeant. *Sulpitius Severus. Oroſius.* Patet etiam manifeſte, non potuiſſe Imperatores iſtos ſimul Imperii gubernacula tractare; cum inter Decium & Valerianum regnaverit menſibus duodeviginti Gallus, non ſupputato Emiliani Imperio, quod tertium menſem non exceſſit. Nihilo ſecius, tametſi perhibeant Acta S. Polieucti, Martyrem hunc diem extremum clauſiſſe Decio & Valeriano Chriſti fideles inſequentibus, non id vitioſe dictum judicamus, ſi Actorum Græcorum ſententia rem dirimamus; Habent nanque, Bollandi teſtimonio, non quidem Sanctum iſtum ſublatum fuiſſe duorum iſtorum Principum Perſecutione ſæviente; *Bolland. Tomo 2. Februar. p. 651. col. 2.* ſed Polieuctum & Nearcum illorum ætate Romanæ militiæ nomen dediſſe. *Temporibus Decii & Valeriani Imperatorum vivebant Nearchus & Polieuctus inſtituto Vitæ Milites*. Mænea Græcorum, ſi tamen iis fides ulla, eadem utuntur loquendi vi.

Ceterum inficiari nemo poteſt, plures eſſe Autorum Eccleſiaſticorum; qui a Decio ad Valerianum uſque unam numerent continentem perſecutionem; licet intervallum fuerit inter utramque, neque alter alteri proxime ſucceſſerit. Conſtat etenim S. Hieronymum ambas copulaſſe, cum ſcripſit in Vita S. Pauli primi Hæremitæ; Sanctorum Martyrum multitudinem in Ægypto & Thebaide, urgente Decii & Valeriani perſecutione, Sanguinem pro Chriſto Jeſu fudiſſe. Narrat quoque, S. Paulum in Deſertum conceſſiſſe iiſdem Imperatoribus furentibus in Eccleſiam; *Hieron. in Catal. c. 83.* atque in Libro de Viris illuſtribus animadvertit, S. Methodium ſub Decio & Valeriano paſſum fuiſſe. S. Optatus denique Milevitanus credidit, utraſque Perſecutiones ſub Leonis imagine apud Danielem fuiſſe præcognitas; quod ſcilicet ſimillimæ fuerunt.

Idem porro putaverim intellexiſſe eos, qui ambas nectunt Perſecutiones; ſive quia ob inſtauratum a Valeriano Decii in Chriſtianos Edictum, atque ipſi additas acriores minas, aliqua ſaltem ratione Decio referri potuit Valeriani Perſecutio. Fuerunt pariter, qui dicerent, Valerianum Romanam Præfecturam ſub Decio geſſiſſe, atque hoc in munere Decianæ Perſecutionis participem fuiſſe.

Præterquamquod, ſit quidem errori dandum, utraſque Perſecutiones conjungere, non crediderim tamen illum eſſe graviſſimum; majores nanque in Actis ipſis autographis emergunt, in quibus apparet quoad Tabulas & Chronologiam non ſatis diligens accuratio. Fieri quoque potuiſ-

ſet, ut dubitantes Actorum Scriptores, utra nam illorum Perſecutione Sancti ii Martyres paſſi fuerint, ſcriptum reliquerint, id contigiſſe Decii & Valeriani Perſecutione; nimirum altero eorum Chriſtianis nocente: non multo ſecus atque videmus, Martyrologia Virum aliquem Martyrem ſub eo Imperatore ſtatuere, ſub quo minime mortem oppetiit.

§. II.

De quadam voce cæleſti.

DUO ſunt in Hiſtoria S. Cononis, filiique Martyrum Iconenſium in Aſia, incommoda, propter quæ ſentit Tillemontius, Autorem illius addidiſſe multa, quæ non parum de illius dignitate detrahunt. Præcipuum eſt, ſub iſtorum Sanctorum interitum e cœlis auditam quandam vocem fuiſſe, qua exterritus adeo Domitianus fuit, ut ſurgeret extemplo & ſecederet. „ Non eſſet cur miraremur, inquit doctus iſte „ Criticus, vocem hic e cœlis auditam legentes in funere Sancti hu„ jus; altera ſiquidem in S. Polycarpi Martyrio perſonuit; at verbum „ duntaxat unum protulit, hic autem trium vel quatuor linearum ſer„ monem habet, cujus haud ſcio, aliud ne exemplum in Monumento „ ullo archetypo reperiretur. „

Tillem. tome 4. annot.

Si nihil eſt hoc loco, in quo hæreat ſuper Actis S. Cononis Tillemontius, niſi in prolixitate ſermonis, non erit multi operis plura ejus rei exempla recitare a monumentis fidei & veritatis indubiæ depromta. En primum ex Euſebiana Hiſtoria mutuatum. Cum S. Dionyſius Alexandrinus animum ad Librorum ab Hæreticis confectorum Lectionem intendiſſet, quidam ex numero Presbyterorum, ut eum a propoſito revocaret, in ejus mentem ea de re ſcrupulum injecit. Cui tamen non acquievit, cælitus demiſſa ad ſe voce, quæ præcepit manifeſto: *Omnes libros, quos ſumis in manus, evolve ſedulo. Nam ſatis habes virium & firmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda. Atque hæc cauſſa fuerat, cur initio ad Fidem Chriſti vocatus fueris.*

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 7.

S. Theodoto Ancyrano Martyri, cujus Acta in primis autographa; eademque archetypa, illuc ſe nocte quadam conferenti, ubi projecerant Idololatræ S. Tecuſam Virginem, Sociaſque Martyres, ut ipſarum corpora auferret, duo Viri ſplendidis veſtibus amicti aſtiterunt, ipſique voce omnibus ex comitatu pereepta, dixerunt: *Confide Theodote. Dominus enim Jeſus Chriſtus nomen tuum inter Martyres deſcripſit, audiens orationem tuam, quam effudiſti cum lacrymis pro inventione Sanctorum Corporum. Miſſi autem ſumus ab illo, ut ſuſcipiamus te, & ſumus ii, qui dicuntur Patres: Veniens porro ad paludem videbis Sanctum Solandrum armatum, qui cu-*

Ruin. Acta ſel. pag. 363.

cuſtodibus formidinem incutit, ſed non debebas tecum adducere proditorem. Ecce ſermo duplex, cæleſti voce latus, & Cononis ſermóne productior. Exſtat exemplum aliud S. Victoris Epiſcopi Uticenſis in Hiſtoria Martyrum Eccleſiæ Africanæ a Vandalis exagitatæ. Teſtatum eſt ibi, locutum fuiſſe Deum Cœco cuidam *Felicis* nomine; ut Eugenium Epiſcopum adiret, a quo lumen reciperet, & ſanitate donaretur. Qui ſermo, a Deo cum hoc Cœco inſtitutus, nihilo contractior eſt, atque ille, qui de Sancto Conone litteris traditur.

§. III.

De titulo Epiſcopi Epiſcoporum.

HOC titulo parum utuntur Acta Martyrum, ſi excipias illa S. Sebaſtiani; quod in cauſſa fuit Tillemontio, ut ea D. Ambroſio Autori minime concederet. „ Titulus *Epiſcopi Epiſcoporum* Pontifici Summo tributus, inquit, a Romano aliquo, ut ſpecies eſt, ſeculo IV. poſteriori inventus fuit: „ atque alibi ſubdit: „ Siſcitari quis poſſet, quo primum tempore Pontifices *Epiſcopi Epiſcoporum* nuncupari cœperunt, uti eos nuncupat Sanctus Tiburtius. „ *Tillem. tom. 4. annot. in S. Sebaſt. p. 740 col. 2. Ibid. p. 742. col. 2.*

Tametſi titulus hic in univerſum Pontificibus minime conferretur S. Sebaſtiani ætate, ejus tamen perſpicuum exemplum e medio III. ſæculo producitur. Id habet primum Concilium Cartaginenſe, anno 256. celebratum, atque Epiſcopos 87. e Provinciis Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ advocatos complectens. Animadverſione dignum in eo eſt, S. Cyprianum de Stephano Papa loquentem dixiſſe: *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut Tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit.* Quare, ubi Autor Actorum S. Sebaſtiani Pontificem *Epiſcopi Epiſcoporum* titulo inſigniret, id nequaquam Specimen eſſet falſitatis; quoniam alii multo ante Romano Epiſcopo *Epiſcopi Epiſcoporum* dignitatem fuerant elargiti. Apparet etiam, id fuiſſe moris tempore Tertulliani; cum Scriptor hic, Montaniſtarum Hæreſi infectus, probaturus Eccleſiæ facultatem non eſſe peccata nonnulla relaxandi: *Audio*, inquit, *Edictum eſſe propoſitum, Pontifex ſcilicet Maximus, quod Epiſcopus Epiſcoporum edicit, &c.* *Conc. Cartag. 1. apud S. Cyprianum.* *Tertull. libro de Pudic. c. 1.*

§. IV.

De Voce Πάππας.

INter ea, quæ in Actis S. Cononis, anno 275. Martyrio affecti, ſollicitudinem afferunt Tillemontio, nomen eſt Papæ Πάππας, quod legitur,

gitur, adhibetque Judex ad Presbyterum & Epiſcopum ſignificandum. „

Tillem. ubi ſupra.

„ Fas eſſet ambigere, ait Sapiens iſte Criticus, hic ne uſus tot ſæculorum „ ætatem ſerat. „

Mabill. tomo 4. Analect.

Ruin. Act. Select. p. 364.

Ibidem.

At verbum iſtud videtur uſurpari cœptum eſſe a prioribus Ævis, ut Presbyteri, idemque Summus Pontifex, & Epiſcopi indicarentur.* Animadverſio eſt Mabillonii in Actis S. Mammarii aliorumque Afrorum Martyrum, donari nomine *Papæ* Presbyteros; narratque Ruinartius, reperiri in vetuſtiſſimo Lectionario Luxovienſi, Acta S. S. Juliani & Baſiliſſæ, qui occubuerunt pro Chriſto ſæculo IV., Presbytero Antonio Πάπας nomenclaturam dediſſe; ipſeque tandem Tillemontius confitetur, id nominis in Actis S. Theodoti Martyris Diocletiani ætate uſurpari. *Monuitque*, habent Acta, *ut quando veniret Papa beatus Fronto, &c.* qui Fronto Parochus Malenſis erat.

§. V.

De verbo Trinitatis.

Tillem. tomo 2. annot. in Perſec. Adriani p. 628. col. 2.

Tomo 4. p. 594. col. 1.

QUandoquidem Trinitatis Nomen ad trium divinarum Perſonarum intelligentiam non admodum in primorum Sæculorum conſuetudine poſitum erat; vocem hanc erroris notam judicat Tillemontius, quoties illam in Monumentis veteribus offendit: quapropter de Sanctæ Sophiæ Actis diſputans, ait: „ Quin cætera in judicium vocemus, altero ſæculo ille nequaquam inoleverat loquendi mos, quo uſa „ fuiſſe inducitur Sancta Sophia: *Te deprecamur inſeparabilis Trinitas, quæ eſt una Deitas*; & annotatione 2. in Stephanum Pontificem, in qua expendit Acta S.S. Euſebii & Marcelli, vitio vertit Actis iſtis verba hæc, quæ de Stephano Pontifice ſcripta ſunt. *Baptizavit eos in Nomine Trinitatis.* „ Sapientiſſimi Viri, addit ipſe, conſiderant, non verſari ſolitam vocem iſtam in ore Scriptorum trium priorum ſæculorum. „

Nihilominus extra omnem dubitationem eſt, conſueviſſe uti verbo illo

In Annal. Francorum Eccleſ. tomo 2.

† *Fatis ceſſit anno 1622.*

†† *Diem ſupremum obiit anno 472.*

* Pater Le Cointe animadvertit, Epiſcopis omnibus diu *Papæ* nomen fuiſſe commune; Gregorii vero VII. juſſu ſolis Petri in Eccleſia Romana ſucceſſoribus deſignatum. Idem illuſtris Hiſtoricus ſubjungit, Summos Pontifices excellentiæ cauſſa ſemper *Papas* fuiſſe appellatos. Rumor eſt, negotium faceſſere intendiſſe aliquos Savaronio Præſidi Claromontii in Alvernia, † quod *Papæ* nomen dederit Franciſco de la Gueſſe Archiepiſcopo Turonenſi: Verum ipſum accuſationem declinaſſe, cauſſatum, ſe id imitandi ſtili Sidonii †† Apollinaris gratia feciſſe, cujus ætate eo nomine univerſi Epiſcopi decorabantur. Quamvis antiquitus, inquit doctus Mabillonius, omnes promiſcue Epiſcopi *Papæ* dicerentur; nemo tamen, præter Summum Pontificem, id nominis, de ſemetipſo loquens, ſibi arrogabat Mabill. de Re Diplom. l. 2.

Ter-

Tertullianum & Cyprianum; noſque docet Dupinus, Novatianum ingens volumen de Trinitate lucubraſſe. Adducit Alexander locum quendam ex Firmiliani ad S. Cyprianum Epiſtola decerptum, qui tradit Trinitatis nomine conferri tunc temporis Baptiſma: *eo quod, qui baptizatus ſit, gratiam conſequi poterit, invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* *Dupin. in Bibl. tomo 1. p. 557.* *Alex. ſac. 3. tomo 2. Diſſert. 14. p. 307.*

Extant pariter verba hæc animadverſione digna in S. Eupli, anno trecenteſimoquarto extincti, Actis, quæ non autographa modo, verum etiam archetypa exiſtimantur: *Dixit Euplus: Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum adoro, Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non eſt Deus.* *Acta ſel. p. 440.* In Hiſtoriis demum S. Fructuoſi Epiſcopi, & Sanctorum Augurii, & Eulogii Diaconorum, quas in Selectorum Actorum numerum retulit Ruinartius, vocis *Trinitatis* mentio fit: morte autem mulctati ſunt Valeriano & Gallieno Principibus ad annum 259. *Acta ſel. p. 222.*

ARTICULUS XII.

De præcipuis Critices documentis, junctis una ad redarguenda mendacii vetuſta Martyrum Acta.

CUM univerſas animadverſiones ad eruditionem noſtram, non verò ad aliorum Criticen referamus, viſum eſt nobis intereſſe rei; poſteaquam oſtendimus, accurate, præcipuas in veteribus Martyrum Actis ſuppoſitionis notas, ſeparatim & diviſim acceptas, in Monumentis etiam autographis, quin archetypis deprehendi, diligenter quoque diſpicere utrum culpæ hæ omnes, aut ſaltem potiores ſimul ſumtæ procul abſint nec ne a Monumentis fidei minime dubiæ.

Proſpicio quidem fore ut reſpondeant ſemper, tametſi fieri poſſet, ut certiſſima Hiſtoria unico vel duplici falſitatis ſigno notaretur, iis non abſimili, quæ in fallacibus vel corruptis Monumentis conſpiciuntur, id nequaquam Operi fucum facere, vitiis illis in magno excellentium antiquitatis argumentorum numero veluti ſubmerſis. Non eſt itaque ſatis, cur Monumentum autographum rejiciamus, in ipſo eundem aut ſimilem errorem offendere, in quem apud Hiſtoriam aliquam mendacem incurrimus. Sed id cognoſcere neceſſe eſt, num ſuppoſiti alicujus Operis indicia a Criticis conſtituta ſuper quibuſdam qualitatibus, brevitati & ſimplicitati antiquorum Martyrum Actorum adverſis; num indicia hæc inquam in unum collecta, ſive ad minus præcipua in Monumentis autographis & archetypis reipſa reperiantur.

Por-

Porro, niſi me fallit animus, non deſunt in Collectione Actorum ſincerorum & Selectorum Ruinartiana Acta multa autographa, eademque archetypa, & Proconſularia, quæ univerſa ſigna præſeferunt, a Litteratis Viris iſtis Monumentis Veterum fraudulentis aut depravatis appoſita. Quæ cum ita ſint, ut exemplis confirmare aggredimur, futurum videtur opus ad Suppoſita detrudere nonnulla elegantiora & meliora, quæ hac de re ſuperſint, Monumenta, & fateri, aut Criticas Leges, a Sapientibus Præceptoribus iſtis ad delectum germanorum Actorum habendum rogatas, ambiguas eſſe vitioſaſque; aut ipſorum uſum neque rectum, neque accuratum.

Primum, quod ſeſe offert, exemplum eſt S. S. *Tarachi*, *Probi*, & *Andronici* Martyrum Ciliciensium, qui anno 304. Diocletiano in Chriſtianos ſæviente abſumti ſunt. Non crediderim quemquam eſſe, qui dubitaret archetypa Sanctorum iſtorum Martyrum Acta. Complectuntur etenim capitis Judicium ipſorum, tribus interrogationibus comprehenſum, quibus addita eſt fidelis eorum omnium narratio, quæ a damnationis illorum momento ad ſepulturam uſque acciderunt: univerſa autem Chriſtianis, teſtibus oculatis ſcribentibus. Id etiam præclarius habent Acta iſta, cujus haud ſimile forſitan exemplum Eccleſiaſtica Hiſtoria ſuppeditabit; erogaſſe nimirum Chriſtianos ſatis grandem pecuniæ ſummam, ut ea a Juſtitiæ * Proconſularis Tabulario depromerent. Præſtantia Opuſculi hujus tanta factum eſt, ut inter pauca ad nos uſque traducta vetuſta monumenta rariſſimum eſſet & pretioſiſſimum, de quibus convenit inter omnes.

I. Prima, quæ in Actis ſinceris deſideratur, brevitas, ab his abeſt longe, quippe admodum prolixis; uti videre eſt in Collectione Ruinartii, *pag. 437., & ſeq.* qui ea Græce in lucem edidit, & Latine.

II. Se prodit multitudo ſermonum & diſputationum inter Martyres & Judicem, quæ Hiſtoriæ hujus majorem partem conficiunt, ita ut vix invenias Acta ſive vera ſive fucata, quæ ſuppoſitionis ſpecimen apertius exhibeant, quod Ruinartius affingit Actis, per ipſum ab impudentibus vel *Ruin. Præf. p. 8.* indoctis hominibus contaminatis: *Adjunctis Martyrum cum Tyrannis concertationibus, quibus, ut ſibi videbatur, Martyrum ſuorum fortitudinem celebrarent.*

III. Occurrunt crebro in Sanctorum iſtorum Hiſtoria ſupplicia inaudita, atque extraordinaria tormenta, quæ ex Criticorum noſtrorum inſtitutione veterum Martyrum Actorum ſimplicitati pene vehementius ad-

* *A quodam nomine Sebaſto, uno de Spiculatoribus, ducentis denariis omnia iſta tranſcripſimus*, Acta apud Ruin. Ducta ratione ducentorum denariorum evadunt nummi aurei circiter octo.

ver-

verſantur. In Interrogatione prima narrant, fractas fuiſſe *Taratho* maxillas, ſuper cervicem cæſum, virgis diu percuſſum, vinculiſque ferreis magnis, extremo ſupplicio perimendis deſignatis, adſtrictum. *Probus* deinde in equuleo diſtentus, crudiſque nervis verberatus eſt, quem Judex ſupinum verti juſſit, ut ſuper ventrem cæderetur, atque poſtremo in carcerem catenis onuſtum retruſit, imperans, ut ei manus ambas & pedes in Nervo ſtringerent, ideſt in ligneis impedimentis uſque ad quartum foramen, quod erat acerbiſſimum ſupplicii genus. Tertio *Andronicum* confeſtim in Equuleo ſuſpendit Maximus, atque in Fibia fortiter torſit: ipſi ungulis ferreis laniata ſunt latera, ſale vulnera reſperſa, & teſtarum fragmentis perfricata; tandem collum pedeſque vincta catenis.

Interrogatione altera *Taracho* lapidibus infringunt os, ut omnes pene dentes evellerentur; dehinc nervorum flagellis afficiunt dire in equuleo, rurſus contundunt os, ſuſpendunt inverſo capite deorſum, acremque fumum ſupponunt. Maximus defferri jubet acetum, & ſale mixtum in nares ejus infundi, addita Sinape cum aceto. *Probus* ſtatim in ore obtritus, admoto candenti ferro carnibus ejus, ſuſpenſus eſt in equuleo, dorſumque flagris dilaceratum, quibus cruciatibus minime concuſſa S. Martyris conſtantia, Maximus ei radi caput imperavit, ignitaſque prunas ſuperponi. Nec vero mitiora paſſus eſt *Andronicus*, quem manibus pedibuſque quatuor palis confixerunt, atque ita ſuſpenſum, facie ad terram converſa, volutatuſque vapulavit diriſſime taurinis nervis; cumque corpus ejus ſale perfricaſſent, rurſus in aera erexiſſent, pectuſque & ventrem virgis divexaſſent, in carcerem ſecundo condiderunt, atque hic fuit hujus exitus interrogationis.

Interrogatione tertia *Tarachus* adſtrictus in Equuleo diſtentuſque acerrimam quæſtionem ſuſtinuit. Labia illi, facies, & palpebræ conciſæ, ignitis obeliſcis pectus transfoſſum, aureſque abſciſſæ: Novacula cranii pellis abraſa, prunæque exinde ſuperimpoſitæ, atque ſub axillis iidem Obeliſci accenſi traducti ſunt. Habita deinde *Probi* quæſtio eſt; cui pedibus ſurſum ſuſpenſo, ſtigmatis ferreis ardentibus latera & dorſum uſtularunt, ſuras manuſque terebrarunt, ſubuliſque & acubus oculos compunxerunt. *Andronicus*, qui crudeli huic ſpectaculo modum impoſuit, papirum corticeſque ſuper ventrem ſuum ardere paſſus eſt, ſubuliſque ignitis digitos ſub unguibus transfigi, convelli dentes, poſtremo recidi linguam; quibus exhauſtis cruciatibus, tres ſimul beſtiis ferocibus objecti ſunt, cumque feræ ipſorum vel contactu abſtinerent, gladio animadverſi Martyrium abſolverunt.

Aliquanto prolixius Sanctorum iſtorum certamen perſecutus ſum; ut Lectoris ſit judicium ferre, anne quamplurima atque extraordinaria tormen-

menta Actorum archetyporum Autographorumque ſimplicitati conciliari queant.

IV. Mira prodigia, quæ per eruditos Criticos noſtros ab Autographorum Monumentorum ſimplicitate abhorrent maxime, in Sanctorum iſtorum Hiſtoria ſunt frequentiſſima. 1. Virgarum & taurinorum nervorum ictus eos, quin enervent, confirmant. *Plagis confortas me*. 2. Carnifices inſtar Medicorum ſunt, & immaniora tormenta veluti ſuavia, quibus perfunderentur, Aromata: *Tormenta veſtra unguentum eſt*. 3. Fortius acetum ſale commixtum, acriorque ſinapis in ore ſanctorum mellis naturam induunt: *Acetum tuum, dulce eſt mihi; miniſtri tui mel pro ſinapi infuderunt mihi*. 4. Ignis ardentior Probum non urit: *Ignis tuus tepidus eſt, & me non contingit*. 5. Vulnera *Andronici* miro modo ſanata conſpiciuntur, ipſeque firma corporis valetudine: *In prima interrogatione vexaſti corpus meum, & ſanus ante tribunal tuum oblatus ſum; præſto eſt & nunc, qui me curat & ſalvat*. 6. Plures feræ eodem tempore in Sanctos homines immiſſæ ne illos quidem tangere auſæ ſunt. Urſus ferociſſimus, quem deinceps laxarunt, tantum abfuit, ut eis vel minimum noceret, ut potius ad lambenda vulnera accederet; & crudelis Leæna poſt Urſum ſoluta, prono capite ante *Tarachi* pedes ſe projiceret, *quaſi eum adorans*. Denique in Prodigiorum numero collocari poſſunt terræmotus ſubito excitatus, & tempeſtas nimia illum conſecuta, cum primum fixerunt humi genua Chriſtiani, ut a Deo gratiam de internoſcendis Martyrum corporibus exorarent: ſtella ſplendida e cœlo miſſa, & ſuper ſingula Sanctorum Corpora ſedens: demum ſydus refulgens denuo, & Chriſtianis locum indicans, in quo S. S. Martyres tumulo mandarent. Quæ univerſa, inquam, tot portenta ſunt, ut trium Martyrum iſtorum Acta ſuſpicione laborare poſſent; ſi verum eſſet, archetyporum Operum ſimplicitatem magnum Miraculorum numerum non ſuſtinere. 5. Aliud eſt cum autographorum Actorum ſimplicitate præ ceteris ferme pugnans indicium, aſpera verba, minus verecunda, eademque contumelioſa, quibus interdum Sancti Martyres utuntur. Attamen fas eſt dicere, ægre admodum in Hiſtoriis minimæ autoritatis, atque exploratioris ſuppoſitionis reperiri poſſe amariores voces, fortiores, & minorem obſervantiam olentes, atque in Actis trium iſtorum Martyrum reperiuntur. Nonnulla exempli cauſſa referre pergo; ut inde æquius judicium ferat Lector. *Recede a me cum conſilio tuo, Miniſter Satanæ*, dixit *Tarachus* ad Demetrium. *Andronicus* vero Judici exprobravit, de Imperatoribus ſermonem habens: *Patrem habetis Satanam, nam filii Diaboli eſtis facti*. In Judicem quoque hæc jecit *Tarachus*: *Pater veſter Satanas:* item in Maximum *Andronicus*: *Tu autem Dæmon es totus*, quem pariter *Maledictum* appellat; & ſermonem ad Judicem

dicem convertens, ſubjunxit: *Nunquam tibi bene ſit, Tyranne, neque his qui tibi dederunt poteſtatem iſtam . . . . . Ego maledixi & maledico Poteſtates, & Sanguibibulos, qui Sæculum everterunt, quos Deus bracchio ſuo alto evertat, & conterat, & perdat, & det ſuper eos iram*. Vides qua ratione de Imperatoribus *Andronicus* verba faciat. Nec minus dura, quam hæc, iis improperat Probus. Tandem ex pluribus Actorum iſtorum locis conſtat, S.S. iſtos Martyres Judicem *inſenſatum ſtultum* vocaſſe, idque ſæpius.

Difficile admodum, opinor, eſt, ut congruat hic loquendi mos cum Actorum archetyporum ſimplicitate, ſi modo certiſſimum ſit Sapientum Criticorum noſtrorum Decretum: Tillemontius certe & Bailletus cum probe intellexiſſent, liberum hoc aliquanto dicendi genus futurum eſſe impedimento Actorum iſtorum veritati, quocumque demum ſtudio potuerunt, illud commode interpretari conati ſunt. Verum aut id neceſſario conveniat neceſſe eſt, injuria hæc verba, non ſecus ac ſupplicia extraordinaria; longiores ſermocinationes, & facta mira nihil habere, quod Actorum archetyporum ſimplicitati repugnet; aut conſequens erit, Acta Sanctorum iſtorum mendacii crimine nequaquam vacare, quod eſſet judicium non his modo duobus peritis Criticis, verum etiam Litteratis omnibus contrarium, qui Actorum iſtorum autoritatem Orbi univerſo perſpectam eſſe conſentiunt, neque fieri poſſe, ut majoris autoritatis alia, ſive caſtigatiora, ſive certiora in medium afferantur. *Till. p. 285. Tomo 5. Bail. XI. Octobr. in Vita S. S. Iſtorum M. M. p. 338.*

Operæ pretium eſt, aliud quam breviſſime exemplum adjicere. Acta S. Theodoti Cauponis, & Martyris Ancyrani tanta paſſim cenſentur eſſe pulchritudine atque elegantia, nec minori gravitate, & naturæ imitatione, ut ſenſerint viri ſapientes, pauciſſima exſtare vetuſta Monumenta, quæ certa adeo & autographa dici poſſint. Nec vero integrum eſt, utrum archetypa ſint, dubitare, ſiquidem a Nilo, teſte eorum omnium, quæ Litteris tradidit, oculato conſcripta ſunt. Nihilominus, qui a Criticorum noſtrorum legibus non recedat, vix in Actis iſtis eorum, quod poſtulant, Monumenti archetypi, & ſimplicitatis argumentum deprehendet. *Till. tomo 5. p. 289.*

1. Manifeſtum eſt, Acta iſta, quippe longiſſima brevitatem nullatenus referre. *Ruin. Acta Sel. p. 334., & ſeq.*

2. Referta ſunt ſermonibus prolixis & exquiſitis, quandoque etiam concionibus. Apparet item in illis nimia eruditionis oſtentatio, comparationibus, & Scripturarum locis interjectis, quod ab antiquorum Monumentorum abhorret ſimplicitate.

3. Haud raro mentio fit Viſorum, narrationum Supernarum, vocumque Cæleſtium.

4. Crebra adeo ſunt prodigia & facta inuſitata in Actis S. Theodoti; ut mirum ſit rejecta minime fuiſſe, quemadmodum Monumenta alia multa vetera, licet pauciora complecterentur, exploſa propterea ſunt.

5. Hactenus crudelia, quibus excruciatus eſt, ſupplicia fuere, ut dictitarent milites, Theodotum æneum eſſe oportere, qui pœnis illis non frangeretur. In ſublime nanque actum equuleo ſuſpenderunt, Carnificeſque in partes diviſi longo temporis intervallo ferreis ungulis dilaniarunt; fortiſſimum acetum lateribus ejus infuderunt, accenſaſque lampades admoverunt; ſaxis denique maxillæ ipſius contuſæ ſunt, denteſque excuſſi. Exactis poſt quinque diebus, rurſus ad quæſtionem raptus, atque equuleo impoſitus tertio priora vulnerum loca perſcrutari paſſus eſt; ſuperque teſtarum fragmenta carbonibus mixta verſatus, gladium poſtremo lætus excepit.

6. Non facile ea videntur ſimplicitati, in Monumentis autographis petitæ, congruere, quæ Sanctus Martyr in Judicem ſuum protulit: *Agnoſce Dominum Jeſum adjuvantem me, per quem te veluti mancipium contemno, & impios Imperatores tuos deſpicio.*

Extremo loco quod perhibent Acta iſta de Presbytero Frontone, ejuſque itinere ex Malo Ancyram cum Aſina veteri vino onuſta, colloquiiſque cum Militibus corpus S. Theodoti cuſtodientibus habitis; de modo quo eum ſuſtulit, impoſuitque Aſinæ ſuæ, quæ Angeli ductu Malum petiit, quindecim Ancyra Leucis diſtans, aliaque multa hujus generis facta parum inquam ſunt ad propugnandam antiqui Monumenti ſimplicitatem idonea.

p. 389. Ruinartius idem in Actorum ſincerorum & ſelectorum collectione publici juris fecit Acta S. Vincentii Diaconi & Martyris, quæ ſunt apprime autographa & vetuſta, eademque perlecta olim ab Auguſtino; *Auguſt. Serm. 11. p. 274. 275. 276. 277.* unde quinque ſermones depromſit, quos in honorem S. hujus Martyris, ejuſdem die Feſto vertente, populo recitavit. Eadem pariter Acta conſonant iis, quæ habet Prudentius in Hymno quodam de laudibus Martyris hujus; *Prudent. Hymn. 5.* & tamen rem tranſigenti ex Criticorum noſtrorum præceptis ablegandum eſſet Opuſculum hoc infra ſuppoſita, cum iis omnibus conditionibus non careat, quæ Actorum Veterum, legitimorum & autographorum ſimplicitatem ſubvertunt.

1. Inficiari nemo poterit deeſſe ipſis brevitatem; moleſta nanque ſunt prolixitate.

2. Incidimus in verba ſatis dura, minuſque Imperatoribus obſequentia.

3. Compertiſſimum eſt, S. Martyrem iſtum varia tormenta, crudeliſſima, inuſitata, & multa ſubiiſſe.

4. Col-

4. Colloquia cum Vincentii tum Daciani nimirum longa & elaborata videntur.

5. Acta iſta portenta plurima & mira referunt. Demum, ut id genus vitiis aliis commode reprehendendis in Actis iſtis ſuperſedeamus, frequens eſt in iis ſermo de Viſis, & Superorum dictis, quæ ſuperius animadverſis addita, non ſatis ſunt ex Criticorum noſtrorum inſtituto ad illorum veritatem confirmandam accommodata.

Ecce tibi ob oculos exempla tria ducta ex Monumentis autographis, archetypis, iiſdemque Proconſularibus, in quibus ſpecimen apparet omne ſimplicitati, quam in vetuſtis Martyrum Actis flagitant Criticæ Leges, adverſum. Quæquæ hactenus collegimus argumento eſſe potuerunt, pluribus in Actis Autographis, atque e Tabulario ſumtis nonnunquam duo, aliquando etiam tria, ſuppoſitis Actis tributa indicia reperiri: quorum unum duntaxat ſatis eſſe Criticis ſolet ad Hiſtoriam aliquam ſuſpicione attingendam. Quod itaque judicium de Actis ſinceris habendum eſt, quoties tres, immo plures afferunt notas, ipſorum integritati contrarias? Confidimus ſane fore, ut egregiæ Artis hujus præceptores viam ſternant difficultatibus iſtis cum Regulis ſuis conciliandis, myſteriumque norint eas ſartas tectaſque tuendi, quin officiant tot veteribus monumentis, indubiis, & pretioſioribus, quæ a Sacris Litteris ætatem evaſerint.

ARTICULUS XIII.

De ratione a Criticis habita ad regulas conſtituendas, quibus Acta ſincera a mendacibus diſpiciantur.

NOS docet Tillemontius, quonam pacto rogandæ ſint leges aliquæ tutæ, quarum ope judicium haberi poſſit de Actorum veterum Martyrum autoritate, eorumque germana a fallacibus internoſcantur; quotieſcumque Scriptorum teſtimonio minime fulciuntur, aut ab Autore ignoti nominis profecta ſunt. „ Quod ſi quis interroget, inquit præ- *Tillem. in Admon. p. XV.*
„ clarus iſte Criticus, quænam ſint præcepta, quibus viſum eſt diſcri-
„ men inſtituere inter vera & falſa monumenta, ubi Autores latent in
„ incerto: ii ſane, qui S. Polycarpi, Martyrum Lugdunenſium apud
„ Euſebium, aliorumque indubiæ apud omnes veritatis Hiſtorias perle-
„ gerint, cognoſcent ipſarum lectione quendam informari animo ſen-
„ ſum, ut ſecernantur ea, quæ hanc antiquitatis veritatiſque ſpeciem

 „ iu-

„ ingerunt ab iis, quæ fabulam, aut traditionem redolent popularem: „ Notitia pariter Hiſtoriæ, ſtili, & diſciplinæ in eorum cognitionem du„ cit, quæ ætate aliqua ſcribi potuerunt, eorumque, quæ non niſi ab ea „ longe recedunt. „

Tametſi diligens hic Criticus minime ſingillatim indicaverit notas *hujus antiquitatis ſpeciei*, neque Leges, per quas vetera Martyrum Monumenta aut tanquam legitima ſuſcipienda, aut veluti ſuppoſita reſpuenda ſunt; operoſum tamen non eſt eas dignoſcere ex ratione, qua utitur in

Tome 2. art. de S. Juſt. 22. p. 435.

expendendis id genus Operibus. Præcipua duo *hujus antiquitatis ſpeciei* argumenta ſunt brevitas & ſimplicitas. Ea eſt perfecta ſimplicitas, quæ prodigia mira, ſermones nimium exquiſitos eruditoſque, tormenta inuſitata, aſpera verba & contumelioſa, aliaque, de quibus ſuperius, excludit. Indicia hæc, quæ huc illucque in Operibus Tillemontii veluti di-

Baill. Serm. de Vita Sanct. p. 34. Item p. 138.

ſpertita ſunt, in unum redegit Bailletus, totque ex illis Criticas quaſi regulas condidit; quibus ab experientia rectoque judicio petitis, atque ab archetyporum Operum viſceribus, & *quadam antiquitatis ſpecie*, quam præſeſerunt, comparatis, uti poſſumus ad ſincerorum & falſorum Martyrum Actorum delectum inſtituendum: quod ante Sapientes Criticos iſtos nemo unus aggreſſus fuerat. Hac autem ratione quoddam Artis genus conflarunt, cujus auxilio putant, neminem impoſterum decipiendum in Martyrum Actorum delectu; immo fas eſt dicere, ſi Sanctorum Hiſtorici iiſdem præceptis obtemperaſſent, non futurum fuiſſet; ut genuinarum Hiſtoriarum loco, tot falſa corrupta & incerta monumenta poſteritati commendarent.

Quare Tillemontius & Bailletus idem ferme ſuper veterum Martyrum

†Volumen hoc prodiit 1681.

Actis præſtiterunt, quod ſuper re Diplomatica † orſus eſt Mabillonius, qui ad ſecernenda vera Diplomata * a Spuriis artem quandam conſtituit, & tradidit præceptiones.

Cum etenim vitioſorum cum autographis Diplomatibus confuſione fieret, deficiente præſertim tuta aliqua atque exquiſita ad ipſorum delectum habendum ratione, ut nullius pene frugis ſtudium eſſet ea, quæ vetuſtarum Tabularum ſubſidio hauriebatur, antiquitatis notitia; in animum induxit, quod nemo ante illum, ** Mabillonius, ut his inter-

* Diplomatis nomine, quod proprie litteras Principis Patentes ſignificat, complectitur Mabillonius Scripturas vetuſtas & Tabulas, jura Ditionis alicujus, aut Communis continentes.

** Nemo ex Veteribus, quem noverimus, in rem hanc quidpiam præcepit; niſi ſi diceres Anonymum quendam, qui ante quingentos annos Librum edidit inſcriptum. *Syntagma dictandi*. At regulas præfert tantummodo ſcribendi Epiſtolas & Diplomata Summorum Pontificum & Regum. Alii multi ſtatuerunt leges de ſingulari aliqua Tabula, uti Leo Allatius in *Animadverſiones ad fragment. antiq. Etruſc.* Eruditus Pater Pa-

no-

noſcendis genus quoddam Artis accommodaret, & regulas præfiniret. Quod ut re ipſa præſtaret, Tabularum Diplomatumque plura, eaque diverſa ut in Diplomaticæ Artis regulas verterentur, ſculpenda curavit. Accurata quippe conſideratione ſcribendi rationis, ſtili, ſubſcriptionis cum temporis, tum nominum, ſignorum, Membranæ, Corticis, papyri Ægyptii, * aliorumque omnium veræ Tabulæ caracterum id aſſequi poſſumus, ut fallaces aut incertas dignoſcamus. Chartæ vetuſtæ, ſi Mabillonium audias, quoddam veritatis indicium exhibent, ſtatim induſtrio antiquario perſpectum; non ſecus ac aurum diſpicit uno contactu peritus aurifex. Experimentum itaque, quod Opuſculorum iſtorum lectione comparamus, Lydius veluti lapis eſt, ne in hujuſmodi diſcrimine hallucinemur. Atque hac vetuſta monumenta legendi aſſiduitate gignitur paullatim in nobis ſenſus neſcio quis, qui germanarum & notha-

De re Diplom. ſuppl. c. 1. pag. 20 & ſeq.

pebrochius primus ait, qui id conſilii cœperit; quod eſt a Lyſpſienſi Ephemeride his verbis animadverſum: *Neminem ad hoc uſque tempus peculiari tractatione rem aggreſſum fuiſſe ante Danielem Papebrochium Societatis Jeſu, Editis Antuerpiæ Sanctorum Actis clariſſimum Virum: qui in Propylæo ad Aprilis tomum ſecundum data opera diſcutiendam eam ſuſceperit anno 1675. tanto cum ſucceſſu &c.* Act. Erud. publicata Lypſiæ Calend. Maii 1682. pag. 130. Ibidem 1. Jan. 1683. pag. 10. Verum rem tantam, tantoque homine dignam ad umbilicum perducere non potuit, cum eum, uti profitetur ipſe, ſubſidia multa deficerent: *Nempe quod a privatis ad publicas Scripturas tranſire volenti, nequaquam parabilis fuerit earum copia: propterea quod ſollicitius cuſtodiuntur.* Papebroch. in propyl. ad Tom. 2. Menſ. April. num. 40.

* Briſſonius, Doubletus, nonnullique alii Corticem ab Ægyptio Papyro nihil diſerre arbitrati ſunt. Cortex igitur, quo ad ſcribendum utebantur, membrana erat tenuiſſima, quæ inter lignum extenditur, corticemque craſſiorem. Papyrus autem Ægyptius confectus erat ex membranis plantæ cujuſdam nomine *Papyri* quæ in Ægypto ad Nilum creſcit. Didicimus ab Allatio modum, quo texebatur *Papyrus. Ex Papyri philyris, aut exciſis, aut ſimul vinctis, tamquam ſtamine & ſtatumine compaginabatur, quemadmodum & tela fit ex pluribus filis. Extendebantur enim papyri philyra in aliqua tabula: hinc obliniebantur glutino: ſi in Ægypto, texebantur aqua Nili turbida: ſi Roma vel aliis partibus, texebantur pollinis flore fervente, aqua temperato minimo aceti aſperſu. Deinceps alia philyra tranſverſa ſuperponebantur ad modum cratis, tandem malleo tenuata glutino percurrebatur.* Leo Allat. in animad. ad fragm. Etruſca num. 66. Salmaſ. in Notis ad Vopiſc.. Non multo aliter rem exequitur Plinius l. 15. c. 13. Mabill. de Re Diplomatica l. 1. c. 8. pag. 33. Quod ſi Valterius paulliſper iis animum applicuiſſet, quæ de Papyro Ægyptio tradunt Scriptores iſti, non obtrudiſſet nobis in Magno Lexico Hiſtorico editionis 1707. fieri ex medulla cauli *Papyrienſis*, in album glutinum redacta, folia tenuiſſima, ſuper quæ litteras Veteres exarabant. Eſt ſane quod ſuſpicemur, eum Ægyptium *Papyrum* cum *Cypero* Nili confudiſſe, ex cujus medulla, ad Maſſæ naturam diſtracta, atque in ſubtilia folia expanſa, charta conficiebatur: uti animadvertit Grævius ab Epiſtolis Anglicæ Regalis Societatis in Libro, cui titulus: *Muſæum Regalis Societatis*. 1681. At *Cyperus* a *Papyro* longe admodum differt, quod Calepinus ipſe in Dictionario adnotavit.

rum

rum Tabularum collatione intercedente, ad adijudicandum inter utraſque ſatis eſt. Quo pacto, concludit celebris hic Benedictinus, genuina Patrum Opera a fallacibus, ſincera Pontificum Decreta a ſuppoſititiis, autographa Martyrum Acta ab iis, quæ ſunt ſecus, diſcrevimus.

Ecce, ut apparet, quod exemplar ſibi ob oculos poſuerunt Tillemontius & Bailletus; ut inſtitutiones ſuas de Veteribus Martyrum Actis componerent: illud ſaltem inficiari nemo poterit, hæc eſſe ipſorum principia, atque ad iſta illos ſe conferre, ubi id genus monumentorum inquiſitio incidat & judicium. Neceſſe itaque propterea erit, id demum perfectionis aſſecuta fuiſſe Sanctorum Martyrum Acta, quod aſſecutum eſt Diplomaticum inſtitutum; & tutis æque ſolidiſque fundamentis utraque initi.

Nos vero initio illud ultro concedimus Tillemontio & Bailleto, quod vehementius fortaſſis in Diplomaticam Artem urgeri ſolet, † non ſecus atque adverſus rationem pro veteribus Martyrum Actis inſtitutam. Cum etenim incumberet edere regulas ad dignoſcenda germana Martyrum Acta a mendacibus ſive incertis, oportebat ante omnia eorum veritatem concluſe habere compertam, ad quorum normam collectæ ſunt hujuſmodi præceptiones; quandoquidem ſi modo liceat in ſuſpicionis crimen vocare monumenta iſta, id ſtatim vitium conſequetur, futiles eſſe leges illas, quæ ab iis tantummodo pendent. Tillemontius & Bailletus ſingulari quodam decorant privilegio S. S. Polycarpi, Juſtini, aliorumque paucorum Acta, quæ dubitationem omnem evaſiſſe creduntur. Hæc ſunt, ex quibus quandam diſciplinæ ſpeciem conflant, quæque veluti exempla in lucem proponunt, unde cætera cognoſcantur, noſque ad recte de ipſorum veritate & falſitate judicandum inſtituamur. Præ aliis itaque neceſſe eſſet, monumentorum iſtorum autoritatem confirmare. Id tamen libenti animo præterimus, ipſiſque facile damus, Acta, quæ in aliorum exemplar nobis exhibent, non modo ingenua atque autographa eſſe, verum *archetypa* & Proconſularia.

† Sunt, qui putent hactenus inconcuſſam eſſe difficultatem, iſtam.

Univerſa hæc Acta vetuſta archetypa, quod multo ante animadvertimus, in tres claſſes diſtribuuntur. In prima locamus ea, quæ Proconſularia dicuntur, atque a publico, in quo aſſervabantur, tabulario depromta ſunt; cujuſmodi ſunt Acta S. Juſtini, S. Acacii Epiſcopi Antiocheni, & id genus alia. Altera complectitur Acta, ab iiſdem Martyribus deſcripta, videlicet S. S. Perpetuæ & Felicitatis, aliorumque. Tertiæ ſunt Acta ab oculatis teſtibus ſcriptis mandata, quibus annumeravimus Acta S. Ignatii, Epiſcopi Antiocheni; S. Polycarpi &c.

Omnia hæc Acta, quæ ad nos uſque perducta ſunt, triceſimum numerum

Digitized by Google

merum non excedunt; inter quæ non deſunt aliqua, quæ nonnullis Sapientibus minime tanquam *archetypa* probantur, aut certe ipſi in dubiis habent; uti Acta S. Luciani, S. Maximiliani, S. Criſpinæ, S. Sereni, S. Theodoreti, & fortaſſis aliorum.

Quo in loco illa apte cadit animadverſio, inter nimirum hæc eunċta monumenta ſex tantum aut ſeptem eſſe, quorum autoritas veterum ſuffragio ſit explorata: ſunt autem Acta S. Polycarpi, Martyrum Lugdunenſium, S. Metri, Martyrum Palæſtinorum, S. Procopii, & S. Mariani Miniſtri, quæ Euſebius ad nos traduxit, aut de illis mentionem habuit. Quod vero reliquorum pene Actorum *archetyporum* eſt, non ſuppetunt argumenta certa ab autoritate ducta, ut illa tueamur; ſed ex intimis ipſorum viſceribus, perſpectiſque antiquitatis aut veritatis notis comparantur.

His pro certo habitis, utrum ne haud liceret ab iſtis Criticis doctiſſimis ſciſcitari, num omnia hæc, quæ paſſim archetypa eſſe cenſentur, monumenta exemplo eſſe poſſint ad genuinorum, & eorum qui contra ſunt, Actorum diſcrimen inſtituendum, aut contrahenda res ſit ad quoddam genus Actorum ſingillatim, ex trium ordinum iſtorum aliquo collectorum: an demum inter hæc omnia archetypa monumenta nonnulla ſint eligenda, quæ aliis ſpecimen præbeant & documentum?

Ut Acta univerſa, quæ Archetypa exiſtimantur, fundamentum ſternere poſſint Criticæ facultati in alia veterum Martyrum monumenta, neceſſum eſſet, illa eaſdem veritatis notas, idemque ſinceritatis atque antiquitatis ſpecimen exhibere, quibus germana & falſa monumenta internoſcuntur. Nihilo tamen minus major Actorum iſtorum archetyporum pars quammaxime differunt invicem, & pauciſſima ſunt quæ in brevitate, ſimplicitate, aliiſque ad naturam veluti monumentorum archetyporum ſpectantibus ſignis non diſcrepent.

Atqui ſi Acta cuncta archetypa apto eſſe nequeunt exemplo ad germanorum & ſuppoſitorum delectum habendum; neque pariter crediderim eſſe in rem hanc Monumenta, quæ ad ordinum iſtorum ſingulos pertinent ſingillatim. 1. Non quidem dignitatem hanc tribuendam puto Actis S. S. Perpetuæ & Felicitatis, vel S. Montani, S. Lucii &c. quæ ſola alteram *Archetyporum* claſſem conficiunt; præterquamquod etenim longiſſima ſunt, quod ab Archetypis Actis abhorrere dicitur, utraque etiam quamplurimis Superorum Viſis congeſta ſunt, ob idque a ceteris ferme omnibus veteribus Martyrum monumentis diſtinguuntur. Porro videtur, Actorum Sincerorum & archetyporum minime eſſe, tantam cœleſtium viſorum & narrationum copiam afferre. Acta inſuper S. Montani nimiam doctrinam affectant, & Sanctarum Scripturarum loca frequentius recitant,

tant, quod item Sapientes judicant Actorum Archetyporum ſimplicitati contrarium, ut nihil magis.

2. Non video pariter, qui facultas hæc aliorum duorum ordinum Actis concedi poſſet. In eorum nanque utroque quædam ſunt breviſſima, ſimpliciſſima, atque a miris rebus, tormentis inuſitatis, concionibus, ſcientiæ oſtento, verbiſque contumelioſis aliena; quædam autem & nimia prolixitate, omnibuſque aut ferme omnibus vitiis iſtis ſcatentia. Quare minor inter hæc monumenta Similitudo impedimento eſt, ne ipſis in conſtituendis hujuſmodi legibus hæreamus.

Nihil itaque præclaros iſtos Criticos manet, ut rationem ſuam tueantur, quam in ceterorum Actorum exemplum ſeligere Acta S. Juſtini; S. Acacii; S. Maximi, in Aſia mercatoris; Martyrum Lampſacenſium; S. Cypriani; S.S. Claudii, Aſterii, & Neonis; S. Maximiliani; S. S. Agapes, Chioniæ, & Irenes ſororum; S. Dydimi; & S. Theodori, quæ proconſularia cenſentur: quibus addas Acta S. Ignatii, S. Ptolomæi, Martyrum Lugdunenſium; & S. Criſpinæ, ab oculatis teſtibus deſcripta; quæ univerſa breviſſima revera ſunt & ſimpliciſſima; antiquitatis imaginem quandam referunt, ingenuitatemque redolent ſingularem, quæ in archetypis Actis a primo fonte ad nos uſque incorrupte traductis amorem ſibi honoremque conciliat. Horum demum Actorum lectione informatur animo ſenſus quidam, quo ad antiquitatis normam exacta monumenta ab iis, quæ fabulam olent, aut Traditionem popularem, tute admodum ſeparantur.

At non mediocris emergit hoc loco difficultas. Si Acta, de quibus hucuſque, in aliorum exemplar producere neceſſe eſt, affirmare pariter neceſſe erit, Monumenta vetuſta, quæ inſigne aliquod brevitati & ſimplicitati repugnans habebant, futura ſuppoſititia, depravata, aut ſaltem ſuſpicioſa. Propterea ab Actorum archetyporum numero delenda erunt Acta S. S. Perpetuæ & Felicitatis; S. Montani, S. Lucii, & Sociorum; S. Pionii, S. Jacobi, & S. Marciani; S. Theodoti, & Septem Virginum Ancyræ; S. Theodoreti Presbyteri Antiocheni; S. S. Tarachi, Probi, & Andronici, aliorumque nonnullorum.

Quæ omnia monumenta non modo ampliora, quam par ſit, videntur, verum non paucis Viſis, & e Cœlis immiſſis cognitionibus, prolixis concionibus, Bibliorum dictis, doctrinæ oſtentatione, miraculis, prodigiiſque inſolitis, ſuppliciis extraordinariis & diſſimillimis, verbis aſperis, & ſuavitati Evangelicæ minus reſpondentibus, aliiſque notis, quæ certorum & ſincerorum Actorum ſimplicitati nocent, plena ſunt. Nihilominus extra omnem aleam eſt, ea eſſe archetypa, quippe alia ab ipſis Martyribus exarata, alia ab oculatis teſtibus deſcripta, multa denique Proconſularia, atque ab ipſo Tabulario depromta.

Dein-

Deinde nunquid non locus hic eſſet interrogandi, quamobrem conſtituatur, Acta vetera Martyrum brevia & ſimplicia regulas fore ad judicium de aliis ferendum, quæ longiora ſunt, & concionibus, pœnis haud uſitatis, aliiſque ſimilibus referta? Cum etenim hæc poſtrema citra dubitationem omnem æque autographa & archetypa ſint ac priora, non apparet, cur minus apta ſint, quam alia, ut in exemplar proponantur; neque cur eorum lectio ſenſum antiquitatis minime gignat ita tutum, ut aliorum lectione gignitur, quæ brevia & ſimplicia ſunt, quandoquidem neutrum Actorum genus minus antiquum eſt, certum, autographum, & archetypum.

ARTICULUS XIV.

Ejus viæ & rationis collatio inſtituitur, qua ad Actorum veterum Martyrum delectum habendum adhiberi ſolet, cum ea, qua de Tabulis vetuſtis tradita eſt.

CUM non defuerint Scriptores eruditi, qui Diplomaticam Mabillonii artem vehementer oppugnarent; * alii contra non minus induſtrii eadem vi ipſius cauſſam ſuſceperint; ** quidam demum negotium hoc *** ad Problema publici judicii revocaverint; aliunde autem ab inſtituto

* Pater Germonius, præcipuus Diplomaticæ facultatis adverſarius, eam aggreſſus eſt tribus Diſſertationibus inſcriptis: *De veteribus Regum Francorum Diplomatibus &c.* Prior prodiit anno 1704. Præſtans quidam Antiquarius Anglus Hickeus nomine in ſuo *Theſauro Linguarum ſeptentrionalium*, Oxonii edito, pleraſque rejicit regulas, quæ ad veras Chartas a fallacibus dignoſcendas in Diplomatica feruntur.

** Mabillonius in Supplemento ad Librum Diplomaticæ, vulgatum anno 1704. Ruinartius in Diſſertatione, hoc titulo producta: *Eccleſia Pariſienſis vindicata adverſus duas Diſſertationes Germonii*, Gallice; verum defenſionem duntaxat octavæ Mabillonii Chartæ ſuſcepit. Præter Petrum Couſtaut Congregationis Maurinæ, qui hac in diſputatione locum aliquem habuit, tres cenſeri poſſunt Itali, qui Diplomaticam propugnare inſtituerunt. Lazarinus, & Gattus nihil ſupra Epiſtolam unam moliti ſunt: at Fontaninus eloquentiæ Profeſſor Opuſculum ad Diplomatica in os hominum protulit. Meſſanæ demum aliud Opus apparere perſpectum eſt pro Diplomatica, hoc nomine: *Scipionis Maranta Meſſanenſis expoſtulatio in Bartholomaum Germonium pro antiquis Diplomatibus & Codicibus MSS. Meſſana in 8. 1799.*

*** Autor *Hiſtoria concertationum de Arte Diplomatica* in vulgus editæ anno 1708. Qui Scriptum hoc volutarunt, iis judicium ſtabit, utrum Autor æquam lancem ſuſpenderit, eamque ſcribendi rationem naviter conſectatus ſit, quam ſibi adumbratam fuiſſe teſtatur; ut ſcilicet ſolas Germonii difficultates, adhibita-

noſtro remotum ſit; abſtinens a dicenda ſententia, id unum contendam, ut viæ illius & rationis collationem faciam, quæ Tillemontio & Bailleto probata fuit ad Sincerorum veterum Martyrum Actorum diſcrimen habendum cum Artis illius legibus, quas ſuper Codicibus & Tabulis dedit nobis Mabillonius.

Ajo itaque primo loco, Tabulas, * quas in Diplomaticæ artis regulas ſculpendas curavit Cl. Mabillonius, iiſdem conditionibus præditas eſſe, quod ad Scripturæ modum attinet, ſtilum, tempus adſcriptum, ſubſcriptiones, ſigna, materiem, videlicet Corticem, Papyrum Ægyptium, aut membranam, aliiſque veteribus monumentis communes notas. Contra vero Acta archetypa in Ruinartii Collectione comprehenſa, atque abs Tillemontio & Bailleto in ceterorum exemplum aſſumta diverſis notantur indiciis ſuper brevitate & ſimplicitate, quibus Criticæ leges, modo memoratæ, innituntur.

Altero loco, id magnam ſane veritatis ſpeciem habet, non æqui & boni facturos fuiſſe opus Mabillonii Viros Sapientes; ſi Tabulæ, ipſius conſilio, ut Artis Diplomaticæ regulis fundamentum eſſent, inſculptæ, quædam ſigna indicarent, quorum præſcripto rejicere oporteret, veluti ſuppoſititias Chartas aliquas autoritatis omnibus exploratæ: ſive veteres Tabulæ univerſorum teſtimonio legitimæ argumenta falſitatis ulla præſeferrent, iis regulis adverſantia, quas intendit ab iiſdem prorſus Tabulis, in aliorum exemplar poſitis, decerpere. Porro id vitii, aut ego fallor, emergit in Actis archetypis, quæ tanquam aliorum exempla abs Tillemontio & Bailleto ſelecta ſunt: ſi nanque adjicias animum quibuſdam notis, quibus afficiuntur eorum nonnulla, opus erit continuo pleraque aliorum Actis mendacibus accenſere, quamvis autographa apprime ſint; itemque in Actis certis & indubiis Suppoſitionis argumenta deprehendere.

Mabill. Diplom. l. 3. c. 6. p. 242. Poſtremo fatetur quidem Mabillonius, unumquodque indicium ab ipſo datum, ſi ſingillatim, atque ab aliis ſemotum accipiatur, ſatis non eſſe per ſeſe ad Codicis alicujus veritatem aut falſitatem demonſtrandam; at idem contendit, cum omia ſimul coaleſcunt, fieri non poſſe, humano more loquendi, ut decipiamur; eaque omnia adeo ſcite induſtrie-

que his reſponſa exequeretur, caveretque dilligenter, ne quid diſſimularet, aut extenuaret.

* Quintus Diplomaticæ Liber quinquaginta octo Tabulas complectitur, integra nonnulla monumenta præſeferentes, & Diplomata Regum noſtrorum a Dagoberto I. ad S. Ludovicum; cujuſque Scripturarum generis ſpecimen cum Alphabetis ſuis; de Scriptura priſcorum Gallorum, Francorum, Gothorum, Saxonum, Longobardorum; de Scriptura Romana uniuſcujuſque ætatis de Runica, & Merovingiana.

que

que adulteraverit peritus falſarius, ut nihil fraudis quiſpiam odoretur. Ex adverſo quamquam complexio ſignorum omnium, quæ ſimplicitati, & autoritati Actorum archetyporum tribuuntur, eorum omnium mendacium, quæ vitioſa ſunt, ſignificare poſſet; argumentum tamen hujuſmodi ad evidentiam uſque, & veritatem moralem nullatenus creſceret; idemque plerumque rei vero ſimilis & probabilis fines non egreditur.

De re Diplom. Suppl. c. 1. parte 2.

Verum unde fit, inquiet aliquis, argumentum ab Diplomaticæ artis legibus ductum tutius eſſe, accuratius, minuſque ambiguum, quam illud, quod a regulis, ad Acta Martyrum ſpectantibus, comparari poteſt? Id ſane propterea fit, quod, ubi Codicis alicujus expendendi negotium incidit, nihil quemquam ſollicitum habere debet, niſi diligenter conſiderare, anne communes Tabularum autographarum notas gerat; ſi nanque in eo cognoſcantur, perſpicuum ſtatim erit, optimum eſſe Codicem & indubitatum; ſi vero una aut harum qualitatum plures in eodem deſiderentur, licitum & citra errorem propugnare, falſum illum eſſe, aut certe dubium & incertum. Nunquam igitur reperire erit, germanam Tabulam multis infici vitiis e rei natura petitis, quod attinet ad dictionem, ſigna, ſubſcriptiones, loca & tempora adnotata &c. quibus fallaces aut dubiæ Tabulæ depravantur. Hoc tamen ad pleraque Martyrum Acta nequit accommodari, in quibus, ſinceris licet & archetypis, eadem ſuppoſitionis indicia deprehenduntur, quæ in ſuſpicioſis & incertis, immo in falſis & apocryphis ſe produnt.

Quocirca cum nihil de archetypi alicujus Operis veritate detrahant errata iſta, conſequens nequaquam eſt, Acta Martyrum iis reſperſa, dubia plane eſſe & ſuppoſititia: jus enim ſemper eſt unicuique contendendi, non eſſe illa ob hæc exiſtimata falſitatis ſigna traducenda, ſi modo his ſimilia conſpiciuntur in prioris Ordinis monumentis, quæ ad aliorum delectum documenta præbent, uti a nobis locis non paucis animadverſum eſt. Ex quo facile eſt colligere, * regulas quibus fulta eſt ars Diplo-

* Ecce ex his regulis præcipuæ.

Prima ſit, non eſſe leges haſce ſtricte ſumendas, neque intepretandas.

Altera, non mediocris opus eſſe prudentiæ, cum veteres Tabulæ ad trutinam revocantur.

Tertia, ferendum eſſe judicium ſecundum eas res, queis favet poſſeſſio diuturna.

Quarta, ad recte conjiciendum de Tabula aliqua non intereſſe modo ad Scripturam, & notam ullam, verum ad ſingulas & univerſas attendere.

Quinta, unum vel alterum vitium, niſi ſi rei Summam attingant, Tabulis vetuſtis minime officere.

Sexta, non eſſe anteferendum genuinarum Tabularum teſtimonio Hiſtoricorum & Inſcriptionum ſuffragium.

Septima, additiones in Tabulis obvias tanti non eſſe, ut illæ pro-

matica , tutiores eſſe minuſque errori & ambiguitati obnoxias , ac eas ; quas tradere nobis exiſtimarunt Tillemontius & Bailletus , ut rectum inter vera antiquorum Martyrum Acta , & dubia aut ſuppoſita judicium committeremus.

pterea rejiciantur. Quas omnes leges ſolida argumenta confirmant.

Mabill. de re Diplom. l. 3. c. 6. pag. 141. & 142.

DIS-

DISSERTATIO V.

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS CRITICES,
A SIMONIO

Excogitatas ad conficiendam Interpretationem Sanctorum Bibliorum, iis omnibus, quæ hactenus prodierunt, accuratiorem.

ARTICULUS PRIMUS.

Simonii conſilium videtur eſſe, Veteris Teſtamenti Interpretationem parare quo ad ſenſa & cogitata perfectiorem.

NON in Proœmio modo ad Hiſtoriam Criticam Veteris Teſtamenti, verum pluribus etiam in locis Operis ſui, Verſionis novæ conſilium aperit Simonius. „ Quando- „ quidem plena periculi res eſſet, inquit, non appoſi- „ tis, quæ ſunt opus, remediis, mala nunciare; pro- „ pterea recenſitis optimis pravisque qualitatibus, „ quæ pleraſque Bibliorum Interpretationes conſequuntur, initio tertii „ Libri eam viam rationemque ſignificavi, quam ſectetur oportet qui- „ cumque Scripturarum interpretationem hactenus editis perfectiorem „ orditur.. „

In Hiſt. Crit. vet. Teſt. l. 1. c. 1. p. col. 1. Ibidem l. 3. c. 1. p. 352. col. 2.

Antequam vero aggredior ad explicandas eruditi hujus Critici leges, intereſſet rei ſcire, utrum ſit ejus animus, futuram hanc novam a ſe inſtitu-

ſtituendam Verſionem accuratiorem, & fideliorem, aptiuſque verum Textus archetypi ſenſum reddituram; an vero fidelitas hæc & accuratio ad perfectionem tantum, ut ita dicam, aſſumtam & adventitiam Scripturæ pertineat; nimirum ſenſuum intelligentiam dilucidius explicando, ad præſcripta Grammatica accommodatius, & ſtilo, quam in ceteris Verſionibus fuerit, emendatiore atque elegantiore?

Si uno hoc duntaxat altero modo rem percipit Simonius, non apparet cur dixerit, magna huic exequendo conſilio obſtare impedimenta; *immo videri, rem tantam ſucceſſus proſperos habere non poſſe*: neque eur Autor Reſponſi ad Spanhemium quodam admirationis genere ſcripſerit *ſibi continuo audax viſum eſſe conſilium iſtud*; cum Pontifices Sixtus V. & VIII., qui Vulgatæ Editioni, omnibus, quæ exſtant, aliis procul dubio accuratiori, corrigendæ incubuerunt, fateantur, plura eos omiſiſſe, quæ mutari poterant, quod ſaltem recidit in claritatem, dictionem, & nitidiores, magiſque Latinas dicendi formulas: *Sicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt.*

p. 650. col. 2. Gall. Fertur Simonium eſſe Reſponſi hujus Scriptorem.

In Baſ. Bibl. Vulgata Edit.

Quare eſt admodum ſimile vero, niſi Simonii laborem vanum futilemque habere velimus, dicendum eſſe, contendere illum, ut nova hac ſua interpretandi ratione Veteris Teſtamenti Interpretationem comparet Eccleſiæ accuratiorem, abſolutiorem, magiſque Textui archetypo *in ſenſis & cogitatis* reſpondentem, ſive, ut ferunt ejus verba, *quæ melius archetypum exprimat*, quam ceteræ hucuſque editæ Verſiones, ne excepta quidem Septuaginta, aut Vulgata;. * neque enim alia ſubjici poteſt verbis iſtis Sententia: „ Critice, quam duobus prioribus Libris „ adhibuimus cum in Bibliorum Textum, tum in varias illius Inter„ pretationes, manifeſto eſt argumento, nullam hactenus prodiiſſe ex„ pletam omnibus ſuis partibus Scripturæ ſanctæ Verſionem. „

Epiſtola ad Abatem de afflatu Sacrorum Librorum pag. 14. col. 1. Gall.

Hiſt. Crit. Vet. Teſt l. 1. c. 1. pag. 252. col. 1.

Ac ſi conſilium in univerſum Autoris Hiſtoriæ Criticæ tendit horſum, ut leges condat, quibus aut Codicem Librorum Sacrorum archetypum emendet, aut germanam, ad hanc diem nemini notam, intelligentiam aſſequatur, aut majorem ipſi, quam antea, amplitudinem addat & varietatem: illud certe dici citra erroris notam poterit, ipſius ſingulare conſilium eo ſpectare, ut Eccleſiæ paret Verſionem cumu-

* *Quid igitur poſt ſeptuaginta Interpretes & poſt Sanctum Hieronymum ſeſe emendaturos ſperant ſcioli homunculi? Quid cauſſa eſt, quod Græcæ Translationi non acquieſcunt, cui acquieverunt Apoſtoli, & univerſa Eccleſia Græca & Latina? Quare non Verſioni Latinæ, quam inculpatam, cum primum facta eſt, judicavit Eccleſia; judicavit etiam Synagoga, quamque inviolatam conſervavit cum Eccleſia Romana annis mille ducentis univerſus Occidens?* Morinus Exerc. Bibl. l. c. 1. Exercit. 1. pag. 4.

latio-

latiorem in ſenſis afferendis, atque fuerit Verſio Septuaginta, S. Hieronymi, omniumque poſtremorum Sæculorum Interpretum. „ Quæ omnia, „ inquit in rem hanc perdoctus Proteſtans, nonne ad eam rem valent, „ ut vereamur, ne nos Operis Simonii lectio in arte dubitandi de præcipuis Chriſtianæ Religionis dogmatibus confirmet? „ *Spanhem. in Epiſtola ad amicum p. 568. col. 2.*

Qua de re illud ſine ratione minime exiſtimarunt homines, novum hoc Autoris Hiſtoriæ Criticæ conſilium potiſſima in cauſſa fuiſſe, ut æquum videretur, opus ejus, dum lucem primam hauriebat, obruere. „ Si Simonius, inquit Proteſtans quidam, incumbat animum Epiſtolæ „ Cardinalis Barberini ad P. * Morinum datæ de Critice Capelli, ** „ quæ incomperta ipſi eſſe non poterat, in ea illorum purgationem oſ„ fendet, qui ſuam Hiſtoriam Criticam Pariſiis ſupprimendam curarunt; „ ne viam aperirent ſententiis dubiis & impudentibus, quæ tandem in „ errorem præcipites dare ſolent. „ Simonio certe magnificis adeo verbis Capelli Opus efferenti, de quibus non convenit vel inter *** ſuos: illum ceteris, qui ea de re ſcripſerunt, anteire judicanti, nuncupantique eruditius, quod exſtet, & præſtantiſſimum Opus; Autoremque eundem ſibi in ducem quem ſequeretur, adjungenti, alia ineſſe ſpes non poterat, quam *Hiſtoriam Suam Criticam* eandem fortunam ſubituram, ac **** *gratioſiſſimi*, ut vocat Spanhemius, *Scriptoris ſui Critica ſacra* ſubivit. *Petrus Ambrunus in Reſponſ. ad Hiſt. Crit. pag. 12. Roterod. 1685.*

* Cardinalis hic Epiſtolam ad Morinum miſit anno 1653., in qua gerebatur, Capelli Librum *Critica Sacra* inſcriptum, magnos rumores Romæ excitaſſe, propterea quod Autor ſibi facultatem vindicaverat, Sacros Codices de arbitrio emendandi; quod Eccleſiæ & Pontifici ſoli conceſſum eſt. Quam epiſtolam hoc pacto concludit: *Dare operam debemus; ut non modo errores, verum etiam curioſitatem omnem & audaciam, quibus ad novos errores via ſternitur, depellamus.* Hæc Epiſtola octogeſimum primum obtinet locum in Collectione Epiſtolarum, quas Angli in publicum emiſerunt anno 1682. titulo *Antiquitatum Eccleſiæ Orientalis*. Dupinus ſæculo decimoſeptimo p. 5. p. 247. iſtam Epiſtolarum collectionem Simonio accenſet.

** Liber Ludovici Capelli, Miniſtri & Profeſſoris Salmurienſis, nomine *Critica Sacra*, poſt impedimenta magna, ipſi decem annorum ſpacio Genevæ, Sedani, & Lugduni Batavorum illata, tandem formis Pariſienſibus prodiit ſtudio PP. Petavii, Morini, & Merſenni Minimi, anno 1650..

*** Matthias Vveſmuth Profeſſor Roſtochii, in defenſione Textus Hebraici, & Maſorethici, edita anno 1664. in hunc modum de Capello, ejuſque Opere locutus eſt: *Capellus profanus Bibliomaſtix, & ejus Critica Atheiſmi buccina, & Alcorani fulcimentum, publica flamma abolendum.*

**** Vix in Gallia lucem aſpexit Critica Veteris Teſtamenti, cum poſt examen ſatis nobis notum damnata & ſublata eſt ſecretioris Conſilii decreto, anno 1678. adeo periculi erroriſque plena viſa eſt. Juſſu Epiſcopi Meldenſis 1702. 29. Sept. Gall.

AR-

ARTICULUS II.

Regulæ Criticæ Simonii ad novam ejus interpretationem eleborandam.

PErſpecto Cl. iſtius Critici conſilio, ſupereſt inveſtigare, qua illud inierit ratione. Rem univerſam ad tres præcipuas leges deduxit, *Hiſt. Crit. Vet. Teſt. l. 3. c. 2. p. 352. c. l. 2.* quæ alias non paucas complectuntur. Initio illud ratum habet, quandoquidem intereſt cujuſque Interpretationis archetypum ſuum, quoad fieri poteſt, referre, neceſſum eſſe conſtituere ante omnia, quodnam futurum ſit archetypum, unde Sacra Biblia vertenda ſint.

REGULA PRIMA.

STatuit itaque prioris principii loco, cum Textus Hebraicus, licet locis aliquibus vitioſus, germanum archetypum ſit, ipſi accomo- *pag. 353. col. 1.* dandam eſſe Verſionem novam, cujus conſilium capit. Ex ejus nanque ſententia, quoties attinet opus aliquod interpretari, præſtat quoque, id citius ad Textus normam facere, quam ad Verſionum ejuſdem Textus.

Porro cum, eodem Simonio Judice, non exſtent in præſentia niſi corrupta Hebraici Textus exempla, illud præ omnibus cordi eſſe debet, ut Textum hunc ex Criticarum regularum præſcripto reſtituamus. Videli- *pag. 354. col. 1.* cet oportet. 1. Varias Textus Lectiones adnotare, quæ in ora Libri collocandæ ſunt, meliore ad ipſam Interpretationem ſervata, quin admodum religioſe Textum Maſorethicum, aut antiquorum Judæorum in *col. 2.* Biblia Criticen ſequamur. 2. Cavere, ne diverſam Interpretationem cum varia Lectione miſceamus, & ſecernere, quænam revera ſit varia Lectio ab iis, quæ vitium tantummodo ſunt Librariorum; cumque hærebimus in ancipiti, apponenda erit conjectura noſtra, ne conjecturæ a *Ibidem.* variis Lectionibus minime internoſcantur. 3. Curam omnem adhibere, ut conſtet, quinam ſit Hebraicus Textus, quique non; ut Interpreti liberum ſit, addita Textui mutare, ubicumque in meliorem ſenſum in- *pag. 355. col. 1.* ciderit. 4. Interpreti jus eſto alias ſæpius apponere vocales, & ampliorem Hebraicis vocibus ſententiam ſubjicere, quam Chriſtianis Linguæ hujus peritioribus, Rabbiniſque ipſis in more fuerit. 5. Quodcumque de Punctis vocalibus dicimus, de Accentibus quoque intelligatur oportet,

Digitized by Google

tet, qui inciſorum & punctorum loco ſunt ad Orationis partes diſtinguendas. Integrum etenim eſſe debet Interpreti eos minime ſectari, quo- *pag.356.col.1.* ties melior ſenſus occurrit. Conſulere demum opus eſt vetuſtas Septuaginta & Vulgatæ verſiones locis illis, in quibus apparebit, poſſe has Textum Hebraicum redintegrare; quin ab hoc munere rejiciamus Exemplar Hebraicum Samaritanum in Pentateucum, non ſecus atque alias Interpretationes Græcas, Latinas, Chaldaicas, Syriacas, Arabas, ceteraſque, *pag.354.col.2.* ſimul & Commentaria ſapientiorum Rabbinorum in Scripturam.

Cum vero poſuerit pro certo Simonius, inſtaurari poſſe Textum Hebraicum veterum Scripturæ Verſionum ope, aliunde autem iſtarum *pag.356.col.1.* exempla tantum depravata ſuperſint; animadvertit in rem eſſe pariter, rationem ſcrutari, qua prima vetuſtarum Interpretationum Archetypa, ut in nobis erit, reficiamus; antea alias vero eam, quæ ſeptuaginta Interpretibus tribuitur. Cujus illud affert argumentum, ne ſcilicet Textum Hebraicum vitioſis Interpretationibus corrigamus.

ALTERA REGULA.

NON eſt ſatis Textum ſelegiſſe, cui noſtra adhæreat Interpretatio; requiritur ulterius, ut eam Linguam calleamus abſolute, in qua Textus ille deſcriptus eſt: Atque illud exploratum eſt, pleraque verba Hebraica ambigua eſſe, incertæque admodum ſignificationis. Quo de hoc cautum ſit: 1. In ipſa Interpretatione adhibe meliorem, magiſque *cap.2.p.357.* propriam verborum Hebraicorum Verſionem, ceteras autem remotiores *col.1.& 2.* in ora Libri ſepone 2. Da operam Linguæ Hebraicæ alio plane modo, ac in Scholis, & ex editis illius Linguæ Lexicis plerumque addiſcitur. 3. *pag.358.col.2.* *pag.359.col.1.* Ut autem perfecta Hebraici Idiomatis cognitio acquiratur, intereſt veteres Græcos Interpretes in conſilium vocare Judæos Caraitas ſive, *Textuarios*; Judæos Rabbiniſtas, ſive *Thalmudiſtas* * in Hebraica Lingua doctiores, queis addere fas eſt S. Hieronymum, & Maſorethas. 4. Quo facilius proſpere cedat conſilium hujuſmodi, opus eſt ſe conferre ad Bibliorum Concordantias, præſertim ad illam Conradi Kircherii, in qua uno aſpectu adjectam a Septuaginta unicuique verbo Hebraico Scripturarum

* Eruditus quidam Autor ejus eſt opinionis, ut contendat, non eſſe Rabbinos ad Hebraicam Linguam percipiendam tutos duces. Cum etenim a bis mille circiter annis Hebraica Lingua deſierit eſſe Judæis vernacula, non ſunt penes illos majora, quam apud alios, ad eam perdiſcendam adjumenta. Ipſorum Libri ſingulari quadam utuntur Lingua, e vocibus Hebraicis conflata, ab eorum genuina ſignificatione diſtortis, & cum Linguis populorum ceterorum vernaculis permixtis. Gouſſetus in Commentario Linguæ Hebraicæ Amſtelodami, & Ultrajecti impreſſo 1702.

explicationem conſpicimus. Summas quoque in rem hanc afferet opportunitates Concordantia Hebraica Marii de Caſalio, cum referat Vulgatæ & Septuaginta interpretationem, quoties a communi voces Hebraicas vertendi ratione Verſiones iſtæ recedunt. His omnibus accedat oportet *pag. 360. col. 1. & 2.* antiquarum Verſionum interpretatio, quæ nos eorum certiores facit, quæ tempore illo magis probabantur; aliæque Linguæ, ad collationem veterum Verſionum cum Archetypo inſtituendam accommodatæ. *

TERTIA REGULA.

INterpreti Divinarum Scripturarum in Hebraicæ Linguæ peritia minime acquieſcendum eſt, ſed ad illius notitiam, in quam eas vertit, *pag. 361. col. 1.* ulterius tendendum. Animadvertet tamen 1. nefas eſſe hanc Linguæ doctrinam ad eam creſcere exquiſitam rationem, ut frangat autoris ſenſa; cum potius iis dicendi formulis utendum ſit, quæ, ut proprius fieri poterit, ad Archetypum accedant. *Ibidem.* 2. Non eſſe Interpretis Bibliorum, ordinem vocum; ut eſt in Archetypo, omnino retinere, alias fieri nullo modo poterit, quominus *col. 1.* interdum in ambiguo ludat, cum Linguæ minime in omnibus invicem reſpondeant. 3. Si Interpretem ſubibit dubitare de alicujus vocis intelligentia, neceſſum eſſet in ora paginæ breves adnotationes appingere Lectorem monentes, ancipitem haberi verbi Hebraici ſignificationem, Artiſque aut moris verbum eſſe nobis ignoti. *Ibidem.* 4. Opus eſſet in calce Verſionis Lexicon apponere verborum obſcurorum & difficilium, nominum Ani-

* Illuſtris Autor, quem ſuperius citavimus, Hebraicæ diſciplinæ callentiſſimus animadvertit, nullius frugis eſſe ad Linguæ Hebraicæ intelligentiam veram Hebraicorum verborum ſignificationem ſciſcitari ab Orientis Linguis Chaldaica, Syriaca, Arabica, quæ prioris veluti Dialecta ſunt, quandoquidem verba hæc ab Hebraica in haſce alias Linguas commigrantes, non formam modo, verum ſignificationem quoque commutarunt. Propterea contendit, levi admodum eſſe ſubſidio Verſiones ad Hebraicam Linguam in ſua integritate comparandam. Verſio Septuaginta, quæ omnium eſt vetuſtiſſima, iiſque temporibus propior, in quibus vigere poterat aliqua Linguæ Hebraicæ cognitio, non paucis ex illius mente vitiis inficitur; Scriptoreſque ad eam lucubrandam acciti fere ſemper eorundem verborum ſenſum invertunt. Nihil pene aliarum Græcarum Interpretationum ætatem evaſit præter quædam loca divulſa, ab antiquis Autoribus memorata, & quaſdam voces in Verſionem Septuaginta illatas, ut eam undequaque vitiarent. Vulgata, ſi ipſum audias, nimium Septuaginta Verſionem, minuſque accurate Textum Hebraicum refert. Paraphraſes Chaldaicæ non ſunt in Verſionum numero collocandæ. Ex Syriacis Verſionibus una adhæſit Septuaginta, alia quæ Codicem Hebraicum ſibi propoſuit, refecta & inculcata eſt. Arabicæ ad Septuaginta, vel Vulgatæ, vel Syriacæ normam revocatæ ſunt, aliunde plus æquo liberæ, neque ſatis vetuſtæ. Quæ vitia occurrunt pariter in Verſionibus Copticis, Æthiopicis, & Armenis, ex Septuaginta Verſione profectis. Gouſſetus ibidem.

ma-

malium, Plantarum, Gemmarum, Inſtrumentorum, aliarumque rerum ſimilium, quæ in Judæorum quoque ignoratione verſantur, ex quo Linguæ Hebraicæ uſus apud illos obſolevit. Quoties verborum iſtorum ullum ignotum omnino erit, neque ad hanc potius quam ad illam ſignificationem adduci poterit, verbum idem, quod in Textu eſt, in Verſione ſervabitur, expoſitis in Lexico de verbo illo Interpretis conjecturis. Hac ratione parabitur Bibliorum ſanctorum Verſio, in qua diſcrimen erit eorum, quæ certa, quæ dubia, quæque penitus ſunt incomperta. Poſtremo loco non eſt omittendum ſtudium conficiendi Tabulas Geographicas & Chronologicas cum rerum difficiliorum illuſtrationibus.

pag. 362. col. 1.

pag. 363. col. 2.

Ecce præcipuas Simonianæ Criticæ præſcriptiones, viamque & rationem ſectandam; ut divinarum Litterarum Verſio feliciorem exitum reperiat, ac omnium Linguarum & ſæculorum Interpretibus hactenus datum eſt. Fatemur ultro ſine ulla dubitatione pleraſque illarum exquiſito ingenio eſſe ſummaque accuratione; qua de re omnes ſingillatim excutiendas nequaquam ſuſcipio; longius enim, quam par ſit, protraheretur oratio mea; ſed aliquibus in earum præcipuas, quæque ceteras complectuntur, animadverſionibus contentus ero; atque effata illa diligenter perpendam, quæ ſuper Verſionum autoritate, & Interpretatione ſua Novi Teſtamenti protulit Simonius.

ARTICULUS III.

Num interſit inſtituendam Verſionem ad Textum Hebraicum accommodare.

UNA ferme ratio eſt principiorum Diſciplinæ alicujus, & Ædificii cujuſdam fundamentorum; ut niſi utrinque ſolida ſint & inconcuſſa, corruat res univerſa. Nonne principia Simonianæ inſtitutionis multum habent firmitatis? In id demum omnia recidunt: ***Intereſt novam Verſionem ad Textum Hebraicum accommodare***. Opus ſane eſt, enunciationem hanc admodum virium habere, ut ipſi tantum Ædificium, quantum ille reputat animo, ſuperſtruatur!

Ii omnes, qui contendunt, deficiente primo & germano Archetypo, non eſſe a Septuaginta Verſione recedendum; quique ſibi perſuadent, nullam Scripturam Sanctam ætate hac admittendam eſſe præter antiquam Verſionem Latinam, cui nomen Vulgatæ † aut communis, hi ſane Autoris hujus principium minime probabunt; ſique Proteſtantes, qui Textum

† Κοινή.

 He-

Hebraicum Veteribus Verſionibus anteſerunt, ſumma novum hunc Interpretandi modum exiſtimatione, magniſque laudibus proſequuntur; * non eſt cur Simonius Operi ſuo ſuffragium idem a Catholicis præſtoletur.

Si documenta eadem ſervare præſtat Scripturæ Verſionem antiquam corrigentem, & novam adornantem; nemo erit, qui reperiat, Origenem, ubi Septuaginta Verſionem retractavit, & Pontifices, cum in Vetuſta Vulgata inſtauranda laborarunt, ad hujuſmodi pronunciatum confugiſſe. Si fidem adjicimus Rufino, Origens non Textus Hebraici, ſed antiquarum Verſionum ſubſidio Græcam Septuaginta Interpretationem emendare exorſus eſt. Idemque Origenes nos docet, ſe, menda innumera in communibus Septuaginta verſionis exemplaribus animadvertentem, ea ſuſtuliſſe Græcorum veterum exemplorum auxilio, & aliarum Interpretationum luce. Ubi vero ait, ſe Textum quoque Hebraicum conſuluiſſe, de Aquilæ verſione intelligendus eſt, quæ Hebraica apellabatur, quod Hebraici Textus verbum a verbo redderet.

Origenes Tomo 8. in Joam.

Sapientibus Viris pariter, qui ſub ſummis Pontificibus Sixto V., & Clemente VIII. operam ſuam ad Vulgatæ inſtaurationem contulerunt, diverſam plane a Simonio rationem inire placuit, ut ab eodem didicimus: „ Quod magnopere attinet, inquit, animadvertere in Vulgatæ correctio„ ne illud eſt, hanc non ad Hebraicum exemplar Archetypum, quod la„ tine reddiderat Sanctus Hieronymus, revocatam fuiſſe, ſed ad vetu„ ſtos ejuſdem Interpretationis Codices; & ad Hebraicam fidem tum ſo„ lummodo eos appellaſſe, cum Latinus Interpres in ſenſis verborum flu„ ctuabat „. Eadem pariter proviſione cautum erat, ne quis auderet errata Interpretis Latini Archetyporum ope tollere. *In his tandem, quæ neque Codicum, neque Doctorum magna conſenſione ſatis munita videbantur, ad Hebræorum Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut inde Latini Interpretis errata corrigerentur.*

Hiſt. Crit. l. 2. c. 33. p. 263. col. 1.

Sixtus V. in Bull. pro Reform. &c. 1689.

Verum potuiſſet Simonius initium illud ſuum auctoritate exemploque

* Theologi noſtri *Proteſtantes*, inquit Autor Præfationis, quæ in „ limine eſt Hiſtoriæ Criticæ, Edi„ tionis Leers 1685., majorque præ„ ſertim eorum numerus, qui Lin„ guarum peritia & Criticees Arti„ bus excellunt, Simonii opus in „ pretio habent, il'odque celebrant „ in Libris, quos in vulgos edunt „ . . . . . Mihi quidem perſuaſum „ eſt, ſi rationem ab ipſo traditam „ in Bibliorum interpretatione tene„ remus, magna inde conſecutura „ tanto Operi navando adjumenta. Nonnullis inſedit opinio, Simonium hoc Proœmium ſcripſiſſe, at nullam veritatis ſpeciem habet commentum iſtud; ſiquidem ſe Proteſtantem Autor declarat. Alii Simonii conſilium de nova Verſione *Summi ingenii conſilium vocant; magnum & Criticø dignum, excellen & utiliſſimum; Si modo urgeat in incepto citra omnem licentia notam*. Reſp. ad Hiſt. Crit. Petri Ambruni. pag. 14.

Do-

Doctorum, qui Editionem Complutenſem curarunt, confirmare; quandoquidem Græcum Septuaginta collatione ad Textum Hebraicum reſtituerunt: niſi ſentiret „ hanc corruptionem potius quam reformationem „ nuncupandam eſſe; cum per ipſum hæc ad Hebraicam veritatem con- „ formatio neceſſaria tantum ſit iis locis, in quibus ſive manifeſti de- „ prehenduntur Amanuenſium errores, ſive Autores, licet minus Græ- „ cam Septuaginta Verſionem intelligentes, auſi ſunt pro libidine cor- „ rigere. „ Si Verſionem ad Hebraici Textus normam redigere pura corruptio eſt, quid de ratione illa dicendum, quæ integram Verſionem eodem Textu dirigit; cuique in exemplar & fundamentum futurus eſt?

Hiſt. Crit Vet. Teſt. l. 2. c. 3. pag. 295. col. 1.

Autor Hiſtoriæ Criticæ, condens novæ rationis ſuæ leges, putaverat Sapientum de jacto a ſe principio exprobrationes prævertere, cum dixit, S. Hieronymum in ſuam Interpretationem nihil retuliſſe, niſi quod magis Archetypo Hebraico, a ſe reddito, appropinquare cognoſcebat: at ubi intellexit, proviſionem hanc juſtas Criticorum querelas haud reſtinxiſſe, denuo exemplum hoc Sancti Hieronymi refricat in Epiſtola Pariſiis data anno 1679. nomine Theologi Pariſienſis, ut valeret reſponſi loco ad Spanhemium. „ Spanhemius, ita Theologum ſuum loquentem inducit, in eo accuſat Simonii ſententiam, quod ab opinione inter Eccleſiæ Romanæ Doctores acceptiſſima diſcedat, qui ut plurimum „ primas deferunt Vetuſtis Verſionibus non vero Hebraico Archetypo. „ Reſpondet Theologus: *Sanctus Hieronymus novam Verſionem ſuam ex Hebraico Textu confecit: quocirca Simonius in hoc Hieronymi viam & rationem ſectatur.*

Simon. l. 3. c. 2. p. 318. col. 1.

Reſp. ad Epiſtolam ſpanhem. p. 651. col. 1.

At non video, quid emolumenti ab exemplo Hieronymi capere poſſit; niſi ſi argumenta proferat, Interpretem ætatis hujus iiſdem ſubſidiis præditum fuiſſe, quæ ſibi comparavit Sanctus Pater; ut novam Bibliorum Verſionem ab Hebraico Textu depromeret. Nullam mentionem facio ſingularis afflatus, quem non omnes ipſi concedunt; ſed exemplorum Hebraicorum ita emendatorum, minuſque vitioſorum, ut Hieronymo præſto fuerunt; cognitionis adeo abſolutæ Linguarum Græcæ Hebraicæ Chaldaicæ &c., auxilii præſtantiorum ejus ſæculi Rabbinorum, ipſiuſque celebris Academiæ Tiberiados; * Hexaplorum Origenis, ** quæ utili-

* S. Hieronymus a Schola, ſive Academia Tiberiadis Doctorem Judæum accerſivit, a quo Ling a ſancta imbueretur, quoque ad nonnullos Bibliorum vertendos Libros veluti Socio uteretur.

** S. Epiphanius *de Ponder. & Menſ. l. 7. c. 19.* explicat perſpicuitate ſumma magni hujus Origenis Operis æconomiam. Tradit *Tetrapla* Verſiones Aquilæ Symmachi, & Theodotionis continuiſſe; *Tetrapla* vero nominavit, quod per quatuor columnas diſpoſita eſſet. Deinde addidit columnas duas in quibus Hebræum legebatur characteribus Hebraicis & Græcis, & *Hexaplorum* nomine donavit. Cum denique *He-*

ter

ter ſane in ſuos uſus convertiſſe puto ; & inſtinctus peculiaris Sancti Spiritus ad opus hujuſmodi ſuſcipiendum, quem ipſi tribuit Clemens VIII. *divinitus* excitatum.

In Præf. Bibl.

Quid quod ſi daremus ultro egregio Critico Simonio majora fore ipſi, quam S. Hieronymo, adjumenta? ut ad ſe pertinere arbitraretur excogitatam Verſionem ſuam Textu Hebraico formare, opus præterea eſſet, ut iiſdem momentis, quibus adductus fuit S. Hieronymus, ad interpretandum adduceretur. Præterquamquod etenim labori huic non ſe dedit, antequam ſibi a Pontifice Damaſo delegaretur, ut ab eodem accepimus; * Eccleſia certe ſancti illius Interpretis tempore diverſo plane modo, quod eſt Bibliorum Textus, ſe habebat, ac ſe habeat ætate noſtra.

Cum S. Hieronymus ad Verſionem ſuam faciendam aggreſſus eſt, corruptiſſima erant Latina exemplaria: unuſquiſque aſſumta ſpecie caſtigandi Vulgatam, quæ ad Septuaginta normam redacta fuerat, pro libito addebat non pauca, & detrahebat: *Apud Latinos*, animadvertit illuſtris hic Doctor, *tot ſunt exemplaria, quot Codices, cum unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt*. Innumera menda in illam invexerat negligentia vel inſcitia Librariorum: Verſionis Septuaginta Codices neque puriores erant, neque emendatiores; etenim præter ſublatos, aut alio translatos *Aſteriſcos*, ſive Stellas, *obelos* ſive lineas parvulas, in Græcia, in Palæſtina, atque in Ægypto diverſa Exemplaria adhibebantur. ** Magna itaque Scripturæ Codicum cum Græcorum tum Latinorum confuſione factum eſt, ut Sanctus hic Doctor ad parandam novam Verſionem ſuam cogeretur; *** & fontem ipſum adiret, quoniam rivuli lutulenter fluebant. *Decet enim*, inquit appoſite ad inſtitutum noſtrum Caſſiodorus, *ut unde ad nos venit ſalutaris translatio, inde iterum redeat decora correctio*. Idque præſertim, cum certo conſtat, minus interpolata eſſe archetypa, quam Verſiones.

Præf. in Joſue.

Aug. l. 2. de Doct. Chriſt. c. 11.

Cap. l. 1. Divin. lect. c. 15.

xaplis iſtis acceſſio per eum facta eſt aliarum duarum Verſionum, quæ non alio, quam quintæ & ſextæ Verſionis vocabulo ſignabantur, univerſum hoc Opus *Octapla* nuncupavit.

* *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut poſt tot exemplaria Scripturarum toto Orbe diſperſa quaſi arbiter ſedeam . . . . pius labor, ſed laborioſa præſumtio, judicare de ceteris ipſum ab omnibus judicandum .... tu, qui ſummus Sacerdos es, fieri jubes*. Hier. Præf. in Evang.

** A Conſtantinopoli ad Antiochiam Editio Luciani legebatur: in Ægypto Heſychii. Mediæ inter has Provinciæ Palæſtinos Codices probant, videlicet Origenis correctionem ab ambobus Euſebiis Cæſareenſi & Pamphilo ex *Hexaplis* elaboratam. Hieron. Præf. in Paralip.

*** Satis aperte ſuper hac re loquitur Hieronymus idem in Præfatione ad Paralipomena. *Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperflue me, Chromati Epiſcoporum SS. atque doctiſſime, impelleres, ut Hebræa volumina Latino Sermone transferrem.*

At,

At, divino favente numine, in præſens graviſſimis hiſce incommodis non afficimur. In promtu nobis eſt Sacrarum Litterarum interpretatio, autoritate Patrum Concilii Generalis firmata, qui jubent, adhærere omnes veteri Latinæ Interpretationi, ab Eccleſia tot retro ſæculis acceptæ, quamque autographam pronunciant, dignamque quæ aliis latinis Verſionibus antecellat, & ex qua pendeat univerſa tum diſputantium, tum Oratorum ſacrorum, tum demum Actorum publicorum diſceptatio. Quare Simonium tot cauſſæ, quot Hieronymum, urgere non potuerunt, ut novæ Interpretationis Bibliorum juxta Hebraicum Textum conſilium iniret.

Conc. Trident. ſeſſ. 4.

Verum, inquiet fortaſſe aliquis, non eſt itaque fas impoſterum novas Verſiones ad Textum Hebraicum referre? Periculoſum itaque cenſendum erit, & vituperatione dignum tot Virorum pietate & doctrina præſtantium ſtudium, qui poſt Tridentinam Synodum Sacrorum Librorum Verſionibus perficiendis in omnia Linguarum genera animum applicuerunt? Quem latet, opinari ſapientes Criticos, Patres Concilii Tridentini, dum Vulgatæ Editioni ſuffragium autoritatis ſuæ addiderunt, alias Interpretationes, multoque minus Archetypum Hebraicum haud rejeciſſe? Demum „ utrum ne quem piam fugere poteſt, quamvis Concilium Tridentinum „ ſanxerit, non eſſe ab explicatione Patrum in Scripturis interpretandis „ recedendum, cautum tamen illius juſſu non fuiſſe privatis hominibus, „ alias explicationes conſectari, quoties fidei caput aliquod non contro„ vertitur? Immo ex adverſo aſſerere commode poſſumus, nunquam, „ atque poſt Concilium illud factum eſt, Litteratos viros in novis Textus Biblici ſenſis aucupandis tantum operæ ſtudiique poſuiſſe.

Pallav. Hiſt. l. 6. c. 17. Marian. pro Edit. Vulg. Simonius Præf. ad Hiſt. Crit.

Non inficior, diverſas Scripturarum Verſiones, præſertim a Catholicis elaboratas, utiliſſimas eſſe, atque ex illis commoda multa magnaque percipi poſſe, quæ paucis exequitur Morinus in ſuis Biblicis Exercitationibus. * Neque crimini verto novas Verſiones, ad Textum Hebraicum accommodatas. Quod autem probare nullo modo, illud poſſum eſt, eo animo hæc præſtari, ut fucum faciant vetuſtis Eccleſiæ Verſionibus,

* 1. *Ut poteſtas & energia dictionis cujuſdam exprimatur, quæ Latine non ſatis expreſſa eſt, aut non potuit exprimi*. 2. *Ut varia vocis, aut Phraſis ſignificationes cognoſcantur, quæ peregrina Lingua unico verbo, aut unica phraſi omnes repræſentari non poſſunt*. 3. *Ut emphaſim, aut genium Linguæ ſine quorum cognitione ſenſus Autoris interdum obſcurus eſt, variarum Lectionum comparatione Sacræ Lectionis ſtudioſus percipiat & imbibat*. 4. *Ut Judæi propriis armis confodiantur*. 5. *Ut diſſentientibus ex utraque parte variis Latinorum codicibus, fons, velut arbiter, conſulatur*. 6. *Ut manifeſtus error, cui varii Codices conſulti non medentur, fontis autoritate corrigatur*. 7. *Ut Archetypi corruptio ex tam inſigni eclypi ſinceritate cognoſcatur, & plerumque ſanetur*. Morin. Exerc. Bibl. l. 1. Exerc. 5. c. 1. pag. 180.

nibus, idque conſilii, ut fertur, cœpit Simonius in ſua, quam adumbravit, Bibliorum Interpretatione. Profectò namque in rem erat, ut magnificam novæ rationis ſuæ ſpeciem animis hominum informaret, eam, quæ de duabus antiquis Verſionibus ab Eccleſiæ exordio vigebat, exiſtimationem imminuere. Verum, ut Lectoris ſit judicare, num Critico iſti imponamus, nonnulla ipſius hac de re dicta referre pergimus.

Ab ipſa Operis ſui Præfatione habet, „ Criticen, a ſe in præcipuas „ Bibliorum Verſiones inſtitutam, clariſſimo eſſe argumento, quam ve„ rum ſit, Sanctarum Litterarum Interpretationem pene fieri non poſ„ ſe. „ Capite primo Libri primi Hiſtoriæ Criticæ gloriatur, ſe viam & rationem oſtendiſſe, quam ſequi neceſſe eſt, ut interpretatio omnibus ad hanc diem editis accuratior habeatur: quod deinde repetit crebris locis. „ *Criticis*, inquit alibi de Vulgata, a Tridentino Concilio probata diſputans, *jus eſt dijudicandi, utrum recta ſit Vulgata; ſique melius Hieronymo Textum Hebraicum interpretari quis poſſit*. Poſſem quidem innumera loca, in quibus idem ait Simonius, recitare; at unico rem expediam. Audi quibus mentem ſuam verbis aperiat. „ Verum eſt, Tex„ tum Hebraicum nunc exſtantem graviſſimis erroribus vitiatum eſſe; at „ contra longe imperfectiores ſunt antiquæ Verſiones cum Græcæ cum „ Latinæ. „

Libro 2. c. 21. p. 449. col. 1.

Libro 3. c. 1. p. 351. col. 2.

Ceterum ne cavillari videamur, rem traducamus ad momenta, quibus motus eſt eruditus noſter Criticus, ut novam Verſionem ſuam Textu Hebraico dirigeret. At quid inde commodi comparabit? quandoquidem ipſo teſte Fontes Hebraici ab Eſdra deinceps infinitis locis contaminati ſunt, quod in Hiſtoria Critica confirmare curat, noſque proximo articulo demonſtraturi ſumus.

ARTICULUS IV.

De Textu Hebraico a Moyſe ad nos uſque.

§. I.

Textus Hebraicus ſub ea ratione, qua cum ante tum poſt Captivitatem erat, ineptus eſt, qui ad novam Verſionem Archetypi loco adhibeatur.

SI ad eam rationem animum adjiciamus, qua nobis in conſpectu ponitur Hebraicus Textus a Moyſe ad reditum uſque Judæorum Hieruſalem poſt Captivitatem Babylonicam, non ſecus atque ad illam, in qua ver-

verſabatur alterius Templi tempore ad exortam uſque Chriſtianam Religionem; perſuaſum continuo nobis erit, tametſi ad hanc diem exiſteret Textus ille, nulli tamen uſui Simonio futurum ad novum ipſius cogitatum opere implendum. *Hiſt. Crit. l. 1. c. 8.*

Silentio prætereo mutationes haud paucas, quibus ante captivitatem obnoxius fuit Textus hic, quaſque Autori noſtro vitio dare placet cum Amanuenſium libertati, tum inſcitiæ, qui Litteras multas ipſi addiderunt, vel ab eo detraxerunt, magna propterea facta eſt in Hebraico Textu perturbatio. Porro Judæi Babylonem tranſlati ſenſim Chaldæorum loquendi & ſcribendi rationi eo aſſueverunt, ut exacta Captivitate, cum Chaldaica, aut Syriaca, quam uſurpabant, Lingua vocibus Hebraicis permixta ad Hebraicum Idioma non parum accederet, anſam Librariis dedit exarandi complures Hebraicas voces Orthographia Chaldaica. Iidem Librarii elementa pro elementis collocabant, invertebantque multa, * uti Aleph in Ain, Beth in Phe, Koph in Caph, & Scin in Samec varietate tanta, ut ob eam ab antiqua integritate Hebraica Lingua defecerit. *ibidem c. 16.*

Doctores Scripturas Sanctas populo differentes, quæ ſemper Hebraicis litteris ſervatæ ſunt, nihilo ſolliciti de Codicibus ſuis reparandis, Traditioni citius Patrum ſuorum, quam Bibliorum Textui inſtiterunt. Allegoriæ poſt reditum e Babylone in conſuetudinem venire cœperunt: ** Doctores voluptate ducti ſunt novos in Scripturis ſenſus excogitandi, ſuiſque exquiſitis acuminibus aliorum exiſtimationem captandi; diligentiam omnem operamque converterunt ad diſciplinas ſuperſtitioſas a Chaldæa ſecum revectas, atque inter alias inanibus Cabalæ *** figmentis

* Ex א reddebant ע, ex בפ, ex ק כ, atque ex שס.

** Commode ad Allegorias confugimus 1. cum ſenſum tantum Litteræ ſectanti error ſubrepit. 2. Cum nonnihil abſurdi emergit in ſenſu Grammaticali. 3. Cum idem ſenſus Grammaticalis Fidei veritati aut bonis moribus adverſatur. Matth. Flaccius Illiricus.

*** Pater Kirkerius his verbis Cabalam definit: *Cabala eſt divinarum humanarumque rerum arcana per Moyſen Legis typum allegorico ſenſu tradita & inſinuata facultas*. Trifariam divividit Cabalam. Priorem appellat *Gametriam*, quæ fit elementorum alicujus verbi inverſione: alteram *Notaricam*, quæ ex unaquaque littera verbum conficit, ſive verbum ope alterius, eodem numero conſtantis. Tertiam *Themuram*, quæ ſita eſt in mutatione Litterarum, quarum una adhibitis quibuſdam colligationibus pro alia valet. Animadvertit, Cabalam iſtam tribus ſuis partibus eſſe tanti, ut exigua ſolum ingenia detineat. Sunt quoque, qui Cabalam in duo membra partiantur, alterum *Mercava* dictum, quod eſt Scientia Currus, quæ mundum intelligentem conſiderat; alterum vero *Bereſith*, ſcilicet Opus Creationis, quod ad Orbis hujus ſpectabilis circumſpectionem intendit animum. Cabaliſtæ dividunt Scientiam ſuam in *Theoricam* & *Practicam*. Illa ſpeculando procedit, ſcrutaturque Myſteria veteri Lege comprehenſa, ineffabilia Divini nominis Arcana, Hierarchias cœleſtes, Scientias numerorum &c. Cabala *Practica* complectitur Taliſmata, Aſtrorum peri-

Digitized by Google

addicti ſunt. Delectari cœptum eſt Hiſtoriis deſcribendis, ſive potius fabulis ad Angelos ſpectantibus, * quorum nomina & munera accurate exequebantur. Poſtremo neglecta prorſus a Judæis Critica doctrina, quæ ad cuſtodiendam Textus Biblici integritatem erat magnopere neceſſaria; nihil eſt quod miremur, Exempla Scripturarum Hebraica mutationes viciſſitudineſque tantas ſubiiſſe iis Doctoribus, qui ut plurimum, futilibus duntaxat ſubtilitatibus vacabant.

Quo tempore confuſio, quæ tum in Bibliorum Codices irrepſerat, univerſalis adeo facta eſt, ut, ſi fides Simonio, ne exempla quidem, unde hauſerunt Septuaginta, fuerint innoxia, ipſaque non modo iiſdem, quibus nunc Textus Hebraicus, mendis ſcaterent, verum etiam fortaſſis eſſent illo imperfectiora.

Hiſt. Crit. l. 1. c. 26. parte 96. col. 2.

Simonium loquentem audiamus. „ Exemplar Hebræum, quo Septuaginta Interpretes uſi ſunt, nihil nobis præbeat documenti, quoniam illa tempeſtate undique vitioſum erat. Abſtinebimus itaque ab hodierno Divinarum Litterarum Textu ſine diſcrimine ſecundum Septuaginta exemplar corrigendo; caruerunt ſiquidem æque ac nos genuino Archetypo; Ipſorum Textus Hebraici codex, non aliter ac noſtri, mendis ſuis notabatur, & forte multis locis vitioſior erat. „

Quæ cum ita ſint, non apparet, velle Simonium, meditatam Interpretationem ſuam repetere a Codice tot mutationibus turpiter admodum depravato. Quæ nanque via & ratio eſſet, his ſubſidiis ordiri Verſionem Scripturarum, quæ accuratior futura ſit, magiſque Archetypum referat, ac ceteræ Interpretationes hactenus elaboratæ?

Qui Interpretationem iſtam ad illius Textus normam revocare, cujus præſcripto nolumus hodiernum textum reſtituere, cujuſque exempla, ne iis demtis, quibus uſi ſunt ſeptuaginta Interpretes, *non aliter ac noſtra, mendis ſuis notantur, & forte multis locis vitioſiora ſunt?*

Atqui ſi jam tum corruptus adeo erat Textus Hebraicus, quare nunquam Filius Dei Judæos & Scribas de ſocordia in Sanctis Litteris ſervandis reprehendit, contra vero ad Libros illos conſultum mittit: *Scrutamini Scripturas*, cum tamen eos eodem tempore, Origenis & Hiero-

Joann. 5 v. 19. Orig. l. 8. in Iſaiam.

tiam &c. Non deſunt, qui exiſtimant a Cabala ortum duxiſſe quotquot commenta inania Magicæ Arti fundamentum poſuerunt.

* R. Abrahamus Ben-Dior in Præfatione præfixa Commentario ſuo in Librum Creationis, Angelorum nomina narrat, qui Primos Patriarchas inſtituerunt. *Fuerunt*, inquit, *Patrum noſtrorum Angeli Præceptores noti: Angelus Magiſter Adam Raziel, Semi Jophiel, Abraha Tſathiel, Iſaac Raphael, Jacobi Peliel, Moiſis Mytraton, Davidis Michael, &c.* Unuſquiſque Angelorum iſtorum diſcipulo ſuo ſive ſcripto, ſive oretenus Cabalam, hoc eſt Traditionem docet; qua ratione in populo Dei ſervata ſemper eſt. Leguntur inibi alia plura hisſimilia de Angelis deliramenta.

nymi

nymi teſtimonio, de multis, ut videtur, levioribus culpis redargueret?

Si Textus Hebraici codices, quo tempore Verſionem ſuam Septuaginta perfecerunt, tot interpolationibus diſtorti erant, tum, quando Judæi tanto eum honore Sacros Libros venerabantur; * tum, quando exempla non admodum aucta fuerant; tum, quando ab Hebraicæ Linguæ peritiſſimis ſcribebantur, neque adhuc ad exteros migraverunt: ſi Libri, inquam, iſti ætate illa ita erant contaminati, ut modo in ipſos veluti in regulas intendere nequeamus, noſtrumque Textum illorum Interpretum codicibus emendare; ubi nam, cedo, reperiet Simonius in præſentiarum Textum hunc correctiorem & accuratiorem poſt annos circiter bis mille, poſtquam innumeris ferme manibus tractatus eſt, totque mutationes viceſque ſuſtinuit? Denique ſi exemplar Septuaginta, quod fieri non poterat, quin autographum eſſet, quippe ipſis publica traditum autoritate, ſi hoc, inquam, Exemplar integrum non erat, dici poteſt, tum hujuſmodi non extitiſſe, adeoque neque ab Eſdra impoſterum unquam.

Quamquam ultro Simonio dederimus quidquid de Textus Hebraici viciſſitudine poſt reditum Babylone, immo quoque ante, produxit, ut oſtenderet Textum hunc, qua ratione tum temporis exſtabat, non poſſe novæ Interpretationis exemplar eſſe; nihilominus additum volumus, inter Eruditos multos de his omnibus non convenire, quæ ipſe pro certo ponit ad Textus Hebraici corruptionem contuliſſe. Satis enim ſimile vero fit, Codices Synagogarum uſui delectos, non fuiſſe vulgarium Librariorum opera deſcriptos, ſed a Sacerdotibus in Hebraica Lingua verſatis; ore quidem populi a Tranſmigratione Babylonica periiſſe germanum ſermonem, ſed in Synagogis & Scholis, in quibus Lex legebatur & tradebatur, fuiſſe ſervatum. Non diffitemur pariter, Judæos in Chaldæa diſciplinis ſuperſtitioſis imbutos, Doctoreſque ad ſenſum allegoricum, vanaque acumina in primis inveſtiganda plus ſatis converſos; id tamen non oberat, quominus ſtudioſi aliqui viri ſemper extiterint, intelligentiæ divinarum Scripturarum litterali mordicus addicti, deque illius integritate mirifice ſolliciti.

* Si vitio alicujus humi cecidiſſent Sacri Libri, Crimen, tanquam graviſſimum, publico indicto jejunio Judæi expiabant. Auguſt. de Civit. Dei l. 15. c. 13.

§. II.

Non video, qui poſſit aliquis, curandam Verſionem ex Hebraico Textu, qualis erat primis Chriſtianæ Religionis ſæculis, depromere,

EI videbitur, qui rem deferat ad Simonium, Textum Hebraicum nihilo perfectiorem & emendatiorem fuiſſe prioribus Fidei Chriſtianæ ſæculis, quam fuerit Septuaginta Interpretum Ævo, atque ante Servatoris noſtri adventum. Ab hoc erudito Critico certiores efficimur, eaſdem cauſſas, quæ ad eum invertendum conduxerant ætate illa, hac quoque extitiſſe, immo novas aliquas in medium protulit: „ Judæi, „ inquit, tempore Domini noſtri nihil ferme ſtudii operæque ponebant „ niſi in ſuis Traditionibus, Allegoriis, & Parabolis. Jacebat omnino „ contemtui habitus ſenſus Scripturarum Litteralis .... Phariſæi, qui „ ceteros inter Judaicos Doctores tum eminebant, in difficultatibus Legis paſſim obviis, non Scripturæ Textum, ſed Traditiones Patrum „ ſuorum conſulebant. Omnia præjudicatis opinionibus dirimebantur .. „ ... Chriſtus Dominus, & Apoſtoli loca Veteris Teſtamenti citabant „ ad modum Phariſæorum, qui dum recitarent, Textus verba minime „ percenſebant, rati, pendere Religionem non ſimplicibus Sacrorum Librorum vocibus, ſed anteceptis animo Traditionis judiciis. „

Hiſt. Crit. l. 1. c. 17 p. 97.

Ibidem p. 98. col. 2.

„ Sanctus Paulus, ex Phariſæorum ſecta profectus, divinas Litteras „ ex Traditionis præjudiciis eſt interpretatus .... Apoſtoli teſtimonia, „ a veteri Teſtamento deſumta, ad explicationes traditione receptas & „ confirmatas accommodabant, ipſorumque argumenta alluſionibus quoque aliquando & allegoriis duntaxat conſtabant .... Libris etiam Philonis & Joſephi poſſumus oſtendere, Allegorias apud Judæos Chriſti „ Domini ætate maximo in pretio fuiſſe, neque illos magnopere ſenſum Bibliorum Litteralem cordi habuiſſe, aut exempla emendata comparare ...... Eoſdem minorem diligentiam fidemque in Scripturas „ ſanctas indicaſſe .... Plerique item Patrum non videntur ad Scripturam interpretandam ex vera ſtrictoque Litteræ ſenſu incubuiſſe. In „ Commentariis itaque Primorum Patrum præſtat Religionis Chriſtianæ „ veritatem, quam Litteralem Textus Biblici expoſitionem requirere. * „

Ibid. p 97. col. 2.

Ibid. p. 98. col. 1.

Ibid. col. 2.

Ibid. p. 100. col. 1.

Libro 3. c. 8. pag. 386.

* Ratio interpretandi Scripturas non una fuit ſecundum temporum hominumque varietatem. Prioribus ſæculis dabant operam Chriſtiani, ut Sacras Litteras intelligerent germanumque illarum ſenſum ex Apoſtolorum, hominumque Apoſtolicorum doctrina extricarent. Temporibus magis pacificis, in quibus Chriſtiana Religio, falſis devictis, caput erexerat, laborem inſuper impenderunt in edendis Commentariis, atque

De-

Denique, Simonii ſententia, Exempla a S. Hieronymo adhibita non fuerunt Archetypum Hebraicum, ad quod redigenda erant exempla cetera; neque periculo vacaret ſi quis univerſum Textum Hebraicum ætatis noſtræ ex ipſius Interpretatione reficeret. Eſſet item abs re omnibus locis ejus veſtigiis hærere, in quibus Codicis ſui Lectionem Septuaginta Interpretum Codicibus antetulit: quaſi vero Judæi ipſius Ævo meliora exemplaria penes ſe haberent, ac Veteres Interpretes Græci, *Libro 1. c. 16 p. 94 col. 1.* *Libro 2. c. 13. p. 260. col. 1.*

Ex hac Simonii doctrina, juvat me duas conſecutiones elicere. Prima ſit, etiamſi exſtaret hodie Textus Hebraicus illorum Temporum, non poſſe illius, quam molitur, Interpretationis typum eſſe, ſi modo hujuſmodi vitiis affectus tum erat. Altera, ſatis operoſum eſſe, omnes Critici ipſius ratiocinationes cum Principiis ſuis conciliare: in adverſam namque partem firma affert momenta in reſponſis ad Voſſium, ubi oſtendit, *l. 1. c. 18.* in Judæorum Synagogis lectum ſemper Hebraice fuiſſe Scripturæ Textum, atque apud Judæos tantum Helleniſtas Chaldaice, aut Græce interpretari ſolitum: Codices Bibliorum, præſertim Synagogarum uſui futuros, a Sacerdotibus, aliiſque Hebraicæ Linguæ peritis, exarari conſueviſſe. *Libro 2. c. 17. p. 293. col. 2.*

Præter haſce a Simonio adhibitas probationes, alias quoque a Samaritanis, * Judæorum hoſtibus, ipſorumque Traditiones averſantibus de-

Inſtitutionibus pro Scripturarum explicatu condendis. Vergentibus autem ſtudiis ad octavum & nonum ſæculum, explicationes Scripturarum morales & *Spirituales* crebrius quam antea colebantur, omnia ferme ad Myſticam intelligentiam atque Allegoricam referebantur, neque in alio pene ſtudioſorum cura verſabatur præterquam Catenis Synopſibuſque Patrum in Sacra Biblia conficiendis. Ad duodecimum ſæculum, quo Theologia diligentiori via & ratione coli cœpta eſt, non admodum diſſimili commentabantur modo divinas Litteras, quo Theologiam tradebant, acutis quæſtionibus quoad Dogmata diſcuſſis, allatiſque locis communibus compluribus. Neglectum exinde graviter Bibliorum ſtudium, donec poſtremorum temporum hæreſes ortæ ſunt, cum Novatores, Traditione poſthabita, unam Scripturam ſimplicem nudamque tanquam Fidei ſuæ regulam venerarentur. Hinc revocati animi ad Librorum Sanctorum doctrinam, ad Litteralem ſenſum, Linguarumque peritiam, novis Interpretationibus ſe dediderunt, ea contentione, ut centum quinquaginta annorum ſpatio plura prodierint in Sanctam Scripturam Opera, quam quingentis antea annis præſtitum fuerit. Ceterum licet variatis Fidelium eruditione & pietate, varius pariter in Eccleſia fuerit divinas Litteras interpretandi modus, in omnibus tamen ſæculis Controverſiarum Quæſtiones, apertis, atque e Scripturarum Littera ſumtis argumentis, diremtæ ſunt.

* In Opere, cui titulus: *Antiquitates Eccleſiæ Orientalis clariſſimorum Virorum &c.* Londini edito an. 1682., & colligente Epiſtolas Sapientum præteriti ſæculi multorum: Epiſtola 14., quæ a Petro de Valle ad Morinum mittitur, nobis originem tradit Samaritanorum. Inquit enim, populo in Aſſyriorum Captivitatem ducto Sennacheribi, aut Salmanazaris juſſu Aſſyriorum Coloniam Samariam commigraſſe, a quibus profecti ſunt poſteriores Samaritani. Narrat inſuper, Leonibus novo illorum Domi-

pro-

promit; quamvis magno non ſit faciendum inter Samaritanorum & Judæorum Codices diſcrimen.

Ecce tibi egregia teſtimonia pro Textu Hebraico Judæorum, quæ ſatis indicio ſunt, ſtudium ſenſus Litteralis Scripturarum adeo primis Eccleſiæ ſæculis minime neglectum fuiſſe, uti nobis perſuadere nititur Simonius. Momenta hæc omnia eum faventia tum contraria, ab iiſdem ipſius principiis, quæ in Hiſtoria Critica jecit, ducuntur; ubi a ſe firmiter quodam loco conſtituta, alio deſtruit, quod Criticis familiare eſt.

Fortaſſis quidpiam audaciæ nimiæ reperies in eo, quod de prioribus Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus pronunciat; atque ad Chriſtum uſque & Apoſtolos producit: nimirum eos plus ſatis morali & allegorico intellectui addictos fuiſſe; & ex Traditionis præjudiciis explicaſſe. Si vero hinc intendas aciem in Chriſtianorum Apologias, in Celſum Origenis, & Apologeticum Tertulliani, atque in alia cum duorum iſtorum magni nominis, tum aliorum multorum Eccleſiæ Patrum ſcripta adverſus Judæos aut Paganos elucubrata; plane perſpicies, eos æque inſtituere, & probare, funditusque ſenſum Scripturarum litteralem & hiſtoricum cognoviſſe. Illinc autem ſi diligenter mira facta conſideres, quibus Jeſus Chriſtus & Apoſtoli prædicationis ſuæ veritatem roborarunt, illud ſane affirmare poteris, nullum unquam fuiſſe ſenſum veriorem, magiſque eum litteræ, tum menti ejus, qui in Scripturis Sanctis locutus eſt, reſpondentem, quam illum, cui argumentis hujuſmodi autoritatem addiderunt. Non eſt melior Legis interpretatio ea, quæ ab ipſo Legiſlatore fit, ad quem ſolum pertinet Legem interpretari: atque adeo non eſt divini Verbi explicatio accuratior illa, quam adhibuit Deus ipſe; & tum ſuis tum Apoſtolorum ſuorum prodigiis confirmavit.

cilio acriter infeſtis; Oracula edixiſſe, deſerenda eis eſſe Idola, Deumque Iſraelis colendum, ſi modo vellent ærumnam tantam evadere; qua de re miſſos ab Aſſyriorum Rege Levitas, qui eos Moſis Lege inſtituerent, a qua nunquam in poſterum defecerunt. Verumtamen cum reliquias Idololatriæ retinuiſſent, Hæretici ſemper habiti ſunt a Judæis. Veteres Characteres Hebraicos perpetuo ſervant; Eſdras nanque poſt Captivitatem Babylonicam novos alios Judæis dedit; diverſa elementorum ſpecie conſtantes.

§. III.

§. III.

Hujuſmodi eſt Textus Hebraicus a Quinto Eccleſiæ ſæculo ad nos uſque, ut integrum non ſit, illo ad novam Interpretationem faciendam uti.

CUM univerſa Hebraici Textus exempla; quæ a S. Hieronymi ætate ad nos uſque prodierunt, ex iis confecta fuerint, quæ ante Chriſtianæ Religionis ortum, & quatuor vel quinque priorum ſæculorum intervallo in Eccleſia verſabantur; non fit credibile, accuratiora ea eſſe minuſque vitioſa, quam illa ipſa Archetypa, e quibus depromta ſunt.

Duo exemplorum MSS. Textus Biblici genera apud Judæos præſto ſunt, alterum eorum, quibus in Sinagogis paſſim utuntur, alterum eorum, quæ privati homines adhibent: Generatim fas eſt dicere, neutrum horum Codicum MSS. genus, ut modo Textum Hebraicum referunt, huic *Hiſt. Crit. l. 1. c. 21.* parandæ Interpretationi Archetypum aptum eſſe. Quod etenim attinet ad Bibliorum MSS.*, Synagogæ uſui haud conſecrata, "pauca horum bo- *Pag. 120. col. 2.*
„ na ſunt, uti nos monet Simonius; quoniam difficile eſt induſtrios &
„ accurratos Amanuenſes reperire: alibi autem dicit: „ Codices MSS., *c. 22. p. 121. col. 2*
„ qui pro privatis hominibus exarati fuere, minus ſunt emendati. „
De aliis porro MSS. habeto qui loquatur. „ Nemo eſt, qui ad religio-
„ ſam accurationem attendens, * qua deſcripta ſunt, ſtatim non effi- *c. 21. p. 119. col. 2.*
„ ciat, Judæorum exemplaria, vel certe ea, quæ uſus habent in Syna-
„ gogis, minimis etiam mendis carere: verum falluntur; quandoqui-
„ dem omnes iſtæ diligentiæ præſcriptiones non admodum vetuſtæ ſunt;
„ neque ullum mihi dabis MSS. quantumvis accuratum, in quo varie-
„ tas aliqua non appareat. „

Exemplar Textus Hebraici majori exiſtimatione dignum, quod exſtet, illud eſt, quod Maſorethicum appellant, cujus Lectio ita circumſcripta eſt, uti conſpicitur. Tametſi etenim modus legendi Hebraica Scripta per ſe ſe definitus nunquam fuerit, uſus tamen illum præſcripſerat; & propte-

* Characteres v. g. MSS. iſtorum Synagogæ quaſdam litteras habent punctis, ſive cornuis, quæ *Thagin* ſcilicet coronas vocant, ornamenti loco diſtinctas. Cautum eſt, ne Libros iſtos ſuper immundi animalis pelle deſcribant, ſecus profani cenſerentur. Oportet, pellem hanc peculiari quodam artificio paratam eſſe Judæi alicujus opera, qui neque Apoſtata ſit, neque Hæreticus Attramento quod Scriptioni illorum uſui futurum eſt, Chalcanthum non ſit permixtum: pellis item juſtos quoſdam altitudinis & longitudinis terminos habeat neceſſe eſt: quæcumque linea item triginta litteris conficiatur, & certum ſpacium inter eas interjiciatur. In Hiſtoria Critica plures hac de re ſcitu dignas animadverſiones require.

tatio-

rea ut mos inveteraret, & tollerentur omnes, quæ irrepere poſſent, mutationes, viſum eſt Maſorethis, * intereſſe rei, priſcam legendi Textum Hebraicum rationem ſtatuere, appoſitis quibuſdam notis, quas in Textum invexerunt, & propterea *Sepem Legis* nuncupatas voluerunt. Critica hæc Textus Hebraici magnopere pendenda eſt, ut poſt a Judæis profluens, qui meliora pro viribus eorum Exemplaria conſuluerunt; nomenque *Maſoræ* ** ipſi impoſitum non parum monet, Traditionem illos, tanquam regulam, diligenter ſecutos fuiſſe.

Libro 1. c. 1. pag. 353. Quamquam contendat Simonius adverſus Eruditorum multorum ſententiam, *** Textum Maſorethicum habendum eſſe, veluti egregium Bibliorum Exemplar, a Judæis Tyberiadis, vulgo Maſorethis Linguæ Hebraicæ callentiſſimis emendatum; hic tamen abſolute exiſtimari nequit primum verum Archetypum, atque adeo Textus ille, ex quo moderari poſſit nova Interpretatio. 1. Quia, Simonii placito *Maſora* nihil divinum continet, Doctoreſque Tyberiadis innumeris locis offendere potuerunt; cum neque Prophetæ fuerint, neque in ipſorum Critice, aut Hebraici

* Controverſia graviſſima inter Sapientes eſt de Maſorethis. Opinio fuit aliquorum, Collegium horum Rabbinorum ab Eſdra Sacerdote Judæorum, Legiſque Doctore fuiſſe coactum: eoſque Scripturarum Canonem in Libros viginti duos, & unumquemque Librum in ſectiones & verſiculos diviſiſſe. Maſorethæ iidem voces omnes, & elementa ipſa cujuſque lectionis numerarunt: Notas etiam appinxerunt in ora Textus, vocantes *Cethib* modum ſcribendi quædam verba, eadem vero legendi *Keri*; quod ſignatum eſt Littera ק Koph in ora Textus Biblici. Creduntur item Autores Punctorum, quæ vocalium & Accentuum loco ſunt ad orationis partes diſtinguendas. Fertur, Rabbinorum iſtorum Collegium centum & triginta duntaxat annis ſtetiſſe, & multis ante Chriſti adventum ſæculis ſublatum fuiſſe. Alii contra & probabilius propugnant, Maſorethas, qui Punctorum vocalium & Accentuum Auctores cenſentur, V. tantum Sæculo exeunte floruiſſe.

** Nomen *Maſora* Traditionem Hebraice ſignificat; verum hoc vocabulo proprie intelligimus Criticam in Textum Hebraicum doctrinam, a veteribus Judæorum Doctoribus excogitatam, cujus ope Textus verſiculi, voces, & Litteræ recenſitæ ſunt, & varietates earum omnes indicatæ; ut vera Lectio ſervaretur, & via hac a quibuslibet mutationibus in tuto poneretur. *Meſora* Chaldaice conſcripta eſt, & communiter in magnam & parvam bipartitur. Magna diſtributa eſt ſuperius & inferius in margine Textus; Parva ſita eſt in interiore Bibliorum margine, & Synopſin exhibet majoris, minutis litteris confectam, vocibuſque contractis, & ſymbolicis non paucis reſperſam.

*** Morinus in *Exercitat. Bibl.* & Ludovicus Capellus in ſua Critica Sacra *Meſoram* flocci faciunt; & Morinus in eo eſt, ut probet, Thalmudis ſuffragio, Judæos Tyberiadis aliis omnibus, quod eſt præſertim Hebraicæ Linguæ, indoctiores & rudiores fuiſſe. R. Aben-Eſra in Libro inſcripto *Jeſud Mora* Maſorethas ſupputantes verſiculos, voces, ipſaſque Textus Biblici Litteras ei comparat, qui alicujus Medici Libri paginas percenſeret, quin remedium aliud ægroto adhiberet. Idem Rabbinus Maſoretharum ratiocinationes cum puerilibus nugis componit.

Tex-

Textûs cenſura errores irrepere repugnaret 2. quia Judæi iſti nimium Textum Hebraicum circumſcripſerunt, neque ſatis amplam ei ſignificationem dedere. 3. quod Textui huic hærendum non eſt nimis ſtudioſe aut anxie. 4. Cum Maſorethæ Textum Hebraicum inſtaurarunt, Exemplaribus carebant ſatis emendatis. 5. Traditio, ad quam cenſuram ſuam direxerunt, non ſemper conſtans fuit & uniuſmodi; immo diverſis temporibus aut locis diſſimilis ipſa quoque effecta eſt. 6. Prætermiſerunt Judæi in Textu menda innumera, & conjecturis potius ſuis, quam germanæ Traditioni inſtiterunt. 7. Regulas ſuas, cum oſcitanter antiquas Verſiones examinaverint, haud recte accommodaverunt. 8. Fas eſt cuivis Interpreti Leges Maſorethicas diverſa plane ratione digerere, amplificare, aut coercere ex variis veterum Exemplorum Lectionibus, cum meliorem intelligentiam ſuppeditant. Denique *Maſora* confuſa non parum eſt & involuta, convenitque inter omnes, eum, qui in compendium illam redegit, non omnia inde vitia ſuſtuliſſe. Argumenta hæc omnia e Simonio decerpta efficiunt *Libro 1. c. 24. & 25. & l. 3. c. 1. &c.* manifeſto, neminem obſtringi, ut præſenti Textui Hebraico fidem adhibeat, tanquam genuino prototypo; neque hujuſmodi illum eſſe poſſe ad novæ Interpretationis opus movendum.

Inter præclariora Bibliorum exempla memorat Leuſdemus Profeſſor Hebræus Trajectenſis MSS. quoddam anni 1299., in quo ſunt magna & parva *Maſora*; & MSS.[a], in quibus Magna *Maſora* objicitur nobis, adiectis imaginibus Urſorum, Canum, Boum, aliorumque animantium; uti eſt *c. 22. pag. 121. col. 22.* MSS. hoc, Simonio fidem non merentur.

Lauſdemus idem meminit alterius Codicis Manuſcripti, quem ante an- *pag. 1. 23. col. 4.* nos mille exaratum Toleti, nunc vero Hamburgi ſervatum teſtatur; at ſuppoſititium eſt; & licet illum Judæi Hillelo tribuant, recens tamen admodum eſt. * Præter Exemplar Hilleli Judæi magno habent in honore Codices Rabbinorum Ben-Aſcer, & Ben Nephtali. ** Porro Judæi Hieroſolymitani ſunt a Codice Ben-Aſcer; Babylonii vero a Codice Ben-Nephtali.

In univerſum de MSS. hiſce omnibus, ceteriſque Textus Hebraici Editionibus affirmare poſſumus, Textum hunc ea integritate præditum nullatenus reperiri, quæ novæ Interpretationi neceſſaria eſt; quoniam

* Plures Judæorum Hilleli nomine uſi ſunt, quo factum eſt, ut in errorem inducerentur non pauci ætatis hujus Sapientes, qui crediderunt, Exemplum MSS. Bibliorum Hilleli, vetuſti cujuſdam eſſe. Schikardius ſub reditum Captivitatis conſcriptum exiſtimavit. Cunæus alii adjudicat Hillelo, ſexaginta ante Chriſtum annis florenti. Judæi pariter vetuſtiſſimum faciunt. Morinus vero nihilo quingentis annis antiquius.

** Latet in obſcuro quo revera tempore vixerint duo iſti Rabbini: Vulgata tamen opinio eos ad XI. ſæculum ævum egiſſe tradit.

Simonio docente 1. Judæi poſtremorum ſæculorum paſſim Talmudis * &
p 120. col. 2. Traditionum ſuarum inſtituta Linguæ ſuæ, & Sacrorum Bibliorum ſtudiis anteferunt; Grammaticen & Criticen contemnunt adeo, ut *Maſora*,
p 126. col. 1. quæ Textus Hebraici eſt Critice, pleroſque Judæorum lateat. 2. Judæi de ſuis Codicibus maxime diſcrepant; alii aliis primas dantes, unde fit,
p. 128. col. 1. Textum Hebraicum non eſſe omnino mendorum expertem. 3. Quamvis
p. 150. col. 1. apud Judæos exſtent exemplaria diligenti accuratione deſcripta, non poſſunt tamen inſtar eſſe certæ regulæ ad correctionem aliorum; cum multo ante Judæi incurioſe Libros ſuos verſaverint, & in omnia MSS. alias perturbatio manaverit. 4. MSS.a præſentis temporis ad *Maſoræ* leges retractata ſunt, & nihil faciunt ea, quæ *Maſoræ* non reſpondent; cumque *Maſora* ab Exemplaribus vitioſis deſcenderit, nullo modo tanquam
pag. 121. col. 1. germanum Archetypum, a quo cetera pendeant, judicanda eſt. Denique nunc certe nullibi reperire eſt optima Bibliorum MSS.a, præterquam Conſtantinopoli, Theſſalonicæ, aliiſque Orientis partibus, quo Judæi Hiſpani iis Regnis pulſi confugerunt; adeoque neceſſum erit novo Interpreti illuc ſe conferre, ut illarum Bibliotecarum angulos pertentet, ſi Textum Hebraicum perfectum quærit, quo meditatam Verſionem regat. Ne verbum quidem hic facio de Textu Hebraico Librorum Typis emiſſorum, quippe nihil minus, quam in MSS. codicibus, corrupto.

Verum, inquit aliquis, anne Simonium fugit, Textus Hebraici Exempla cum edita tum MSS.a, quæ in præſentia ſuperſunt, graviſſimis vitiis notari, depravata tantummodo ad nos perveniſſe, illumque mutationes innumeras ſubiiſſe? De his omnibus non diſſentit; quandoquidem documentorum ſuorum unum eſt, ante omnia oportere Textum Hebraicum reſtituere. Totum hoc exploratum habet; at illud certe percunta-

* Talmudes, hoc eſt, doctrina, complectitur Legis explicationem ab antiquis Doctoribus traditam, cæremonias religioſas, & Jus Civile Judæorum. In duas partes dividitur, quarum primam, quæ Textus vices gerit, *Miſna* appellant, altera Gloſſæ loco poſita, *Guemara* dicta eſt, at ipſo Textu minus comprehendi intelligentia poteſt. Duo quoque Talmudis genera ſunt: primus eſt Hieroſolymitanus, ea in Urbe collectus anno circiter 469. a R. Jochanam, aſcitis in ſocios nonnullis aliis Hebræis. Alter, & præclarior priore Babylonicus vocatur, lucubratuſque Babylone eſt ad an. 476. Sunt ex Judæis qui R. Judæ Hakkadoth primam Talmudis collectionem tribuant. Vivebat Rabbinus hic per aliquos Antonino Imperatore, cujus præceptor fuerat anno circiter 188. Collegit hic Rabbinorum Conſtitutiones & Traditiones, qui ipſum præceſſerant in Librum *Miſna* nuncupatum, hoc eſt, repetitionem, ſive Lectionem repetitam. Tametſi apud Judæos ſumma ſit in exiſtimatione Talmudes, illumque haud raro Scripturis Sanctis anteponant, nihilo ſecius peſſimus liber dicendus eſt, mille falſis Traditionibus, ridendis fabulis, horribilibuſque blaſphemiis oppletus; proindeque merito a multis Pontificibus damnatus.

ri a Simonio poſſumus, ut indicet nobis, quiſnam ſingillatim ſit Textus hic reſtituendus, cui Verſio nova inniti queat? Textus hic Hebraicus non erat ſane in exemplaribus, Septuaginta Interpretum & S. Hieronymi tempore exiſtentibus; præterquamquod etenim impefecta admodum erant exempla illa, Autore Simonio, ea ipſa perierunt. Neque item erit Textus Maſorethicus; ſiquidem ipſius monito cavere debet unuſquiſque, ne illum accurate ſequatur. Erit autem fortaſſe Exemplar Hilleli, ſive aliorum Rabbinorum? Nemo tamen illorum ſatis amplam Hebraicæ Linguæ ſpeciem effingere potuit Textu illo, quem Maſorethæ circumſcripſerunt, omneſque ipſorum codices erratis graviſſimis affecti ſunt. Principem forte, inquies, locum dabimus alicui eorum, qui Conſtantinopoli, Theſſalonicæ, aut in regionum Orientalium ulla reperiuntur; quoniam alibi nequeunt optima Bibliorum MSS.a nanciſci? At qui certior fiet Simonius de ipſorum integritate, cum nullum adhuc ex eis ad trutinam revocaverit? Atque delecto, ut ipſi libuerit, parendæ Verſionis gratia Codice aliquo, qui ratum ipſi faciet, alios minus vitioſos alibi non exſtare?

Tandem Si Critici hujus animo inſedit opinio, non eſſe quidem adumbratæ Interpretationis ſuæ prototypum aliquem illorum Codicum, qui nunc in manibus hominum verſantur; ſed illum, qui habita omnium collatione, effici inde poſſet; ſatis erit dixiſſe, non poſſe Textum Scripturarum comparari iis omnibus, qui ſuperſunt, accuratiorem emendatioremque, niſi ſi Criticus hic tanta polleat mentis acie, ut rectum inſtituat diſcrimen omnium locorum, quæ in corruptis omnibus Exemplaribus incorrupta ſunt, ut ex iis novum Textum conflet. Id autem difficultatis inſuperabilis videtur opus. Nihilominus, quamquam pro certo poneremus exemplar hoc, qui pro certo ponet, nullam in illud Textuum corruptorum interpolationem irrepſiſſe, idemque germanam eſſe Scripturam Sanctam? Cum quo Codice illorum comparationem inſtituemus, ut non ſecus eſſe argumentis conficiamus; quandoquidem ab Eſdra ad nos uſque nullus prorſus ſuppetit haud interpolatus?

ARTICULUS V.

De regulis Critices, ut Verſionum antiquarum ope, Textus Hebraicus inſtauretur.

CUM illud ſit primum Simonii initium, opus eſſe novam Interpretationem ad Textus Hebraici exemplum exigere, noſque oſtende-

rimus, hunc nonnullis locis eſſe vitioſiſſimum perſuaſum omnibus eſſe debet, id præcipue intereſſe rei, ut ex criticorum dogmatum præſcripto Textus hic reſtituatur.

Inter ceteras autem præſcriptiones, illa eſt non poſtrema, qua conſtituitur, vocandas eſſe in deliberationem antiquas Verſiones Græcas, Latinas, Chaldaicas, Arabicas, Syriacas, aliaſque. Nihilo ſecius monet eruditus iſte Criticus, quamquam Textus Hebraicus ætatis hujus errata non contemnenda contraxerit, has veteres verſiones multo eſſe vitioſiores. Verum quidem eſt, contendere illum, ſe huic incommodo occurrere addendo Textui Hebraico vetuſtas Verſiones, comparando invicem cum Textum Hebraicum, tum antiquas Verſiones ad ipſum exactas, & viam rationemque inveſtigando, qua, ut magis fieri poterit, Interpretationum iſtarum Archetypa reficiantur, quod aſſequi poterit, qui ſuper quibuſdam difficultatibus Textum Hebraicum conſulet. Hoc pacto, concludit Simonius, *aliquo ſaltem modo primum Archetypum inſtaurabitur*.

Hiſt. Crit. l. 3. c. 1. p. 373. col. 2.

Si profecto id poſſet conſtare certo nobis, iis tantum locis deficere Textum Hebraicum, quibus integræ ſunt Verſiones; contra vero has iis tantum locis mutatas, quibus Textus eſt incorruptus, nemo in dubium revocaret, Textum & Verſiones mutuo ſubſidio poſſe reparari. Attamen, quamvis conſtans ſit, non ſiviſſe Deum Exempla cum Textus tum Verſionum omnia omnibus item locis eſſe depravata; Textumque Archetypum non ſecus ac veteres Interpretationes, quæ in quibuſdam exemplis errant aliquibus in locis, aliis in exemplis iiſdem locis eſſe inviolata; illud perſuaſum habemus, non poſſe, ut eſt hominum natura, fieri, ut Vir ſingularis multos Textus Verſionumque Codices evolvat, in quibus eadem loca incorrupta ſint apud omnia, quæ ad nos pervenerunt, cum Archetypi tum Interpretationum exempla. Propterea ad magnificatam hanc correctionem Textus Verſionum auxilio, Verſionum vero Textus ope abſolvendam, oporteret, præſto alicui eſſe non modicum Exemplorum numerum, quæ ſimul poſſent Textum Verſioneſque ad priſtinam integritatem revocare. Oporteret inſuper multa ingenii vi pollere Interpretem, ut univerſa loca contaminata adnotaret, quæ deinde per ſana & integra redintegrarentur. Hoc autem eſt quod præſtantioris Critices documenta aſſequi nequibunt, quodque Sapientioris Interpretis induſtriam ſuperat.

Quem præterit, inquies, non poſſe uſque eo Textum Archetypum Verſionibus, Verſioneſque Textu, reficere, ut veterem integritatem undequaque recipiant? Id unum contendimus, non evadere hominum diligentiam, Textus Verſionumque conſulto, & Critices præſidio, Textum Hebraicum nanciſci ſatis emendatum, Verſioneſque antiquas ſatis caſtigatas,

gatas, ut eorum habita collatione, nova inſtitui poſſit Textus hujus Interpretatio, quæ propius omnibus hucuſque editis ad ipſum accedar.

His reſponſio eſt: uſque dum in promtu non erunt Archetypi Textus Verſionumque vetuſtarum exempla minus vitioſa, quam ea, quibus uſi ſunt priſci Interpretes Græci, Latini, aliique (de quo adimitur nobis, ita noſtra ſunt, opes omnis.) Uſque dum ſingillatim non cognoſcentur loca omnia in Textu Archetypo, atque in Verſionibus vitiata; & argumenta certa minime parata erunt, quæ nos certiores efficiant, Textum & Interpretationes iiſdem locis minime labi, quod ſingulari homini aut factu nullo modo eſt, aut difficillimum eſt: nunquam acrior Critice Textum Archetypum ſatis emendatum, præſertim ſublata Traditione, nobis ſuppeditabit. Nunquam Eruditus aliquis ad eam perfectionem Verſiones antiquas adducere poterit, ut collatis illis, & junctis una, Criticeque adjuvante, Scripturarum Interpretatio, hactenus elaboratis abſolutior, emergat.

Ad extremum inquies: Textum, quantumvis variatum, corrigendis Verſionibus aptum eſſe poſſe; quoniam nihil obeſt, quominus vitio vacare queat iis locis, in quibus peccant Verſiones: & ſimiliter Verſiones, quantumvis pluribus mancas, Textui corrigendo uſus afferre poſſe; quoniam multa ſunt loca, ex quibus facile percipitur, qua ratione olim Textus legeretur. Nihil etenim attinet hic, niſi rem re illuſtrare haud aliter, ac in duorum MSS. comparatione fit, quæ Tametſi ſingillatim vitioſa habeantur, commoda tamen non pauca ferunt ad tertium quoddam emendatius & accuratius conflandum.

Non eſt qui ambigat, duo MSS.[a] poſſe invicem inſtaurari, ut in noviſſimis Veterum Scriptorum Editionibus paſſim fit: immo in rem hanc inſtitutiones aliquæ traditæ ſunt, quas alibi memoravimus: verum non eſt æqua illorum, atque Textus Verſionumque Biblicarum ratio. Ibi aliquid augurari conjectura poſſumus, & rebus vero ſimilibus acquieſcere. Hic vero incumbit Textum autenticum, certiſſimæque autoritatis comparare. Quapropter tutum principium poſtulat res; quo loca in Textu & Verſionibus mutata diſpiciantur, rectumque diſcrimen fiat locorum Textus ad Verſiones caſtigandas, locorumque Verſionum ad Textum reficiendum.

[a] *Joannes Clericus de Arte Crit. Tomo 2. c. 16. p. 335. & ſeq.*

AR.

ARTICULUS VI.

Regulæ Criticæ Simonii, quibus ad veritatem Verſio Septuaginta Interpretum adducatur.

Hiſt. Crit. l. 3. c. 3. p. 356. col. 2.

VErſio Septuaginta Interpretum ex Simonii ſententia corrigi poteſt 1. conferendo Græca omnia, quotquot reperire erit, exempla. 2. Patrum Opera iis addendo. Denique Textum Hebraicum ampliori, quam in præſens eſt, conſideratione acceptum conſulendo. Hæc ſunt præcepta Critica, quæ Græcæ Septuaginta Verſioni reſtituendæ dedit Autor noſter.

Univerſæ, quæ ad hanc diem exſtent, * Verſionis Septuaginta Editiones, variæ tribus præcipuis comprehenduntur, unde manarunt ceteræ. Prima eſt Complutenſis edita anno 1515. Altera Veneta anno 1518. Tertia Romana anno 1587.

Quam maxime diſſident inter ſe Critici de trium iſtarum Editionum autoritate. Principem locum aliqui, uti Morinus & Vvaltonus, Romanæ tribuunt; quam tamen corruptiorem eſſe cenſet Voſſius. Alii primas dedere Complutenſi, utpote accommodatius Archetypum Hebraicum referenti. *Libro 2. c. 3. p. 392. col. 2.* „ Id certe conveniat neceſſe eſt, inquit Simonius, nullam earum accuratam eſſe, turpiſſimiſque maculis omnes ſcatere. Quocirca, „ ut vera & fidelis erui poſſet, opus eſſet ſingulas ad Criticas leges examinare. „

Prima Legum iſtarum, quod animadvertimus, eſt, *conferre Græca omnia, quotquot reperiri poſſunt exempla*. Verum ſapientis hujus Interpretis eſſet indicare, cui exemplorum iſtorum immorabitur, ut correctionem ſuam moderetur. Quo ſublato nullius frugis videbitur eſſe Lex iſta. Neceſſum, nanque, ut videtur, eſſet, Textuum iſtorum meliorem ſeponere, atque ex eo loca in aliis exemplaribus emendanda notare. Ita porro ſe geſſerunt Autores novæ Editionis Græcæ Novi Teſtamenti ſub Urbano VIII. anno 1673. ** At non video Simonium poſſe viam hanc, quæ

* Opinio fert, Archetypum Verſionis Septuaginta ſervatum in Ptolemæi Bibliotheca fuiſſe ad Julium Cæſarem uſque, quo regnante conflagravit.

** Cenſores iſti ſelegerunt Textum Græcum Bibliæ Regiæ Philippi II., in quo loca ſignarent, quæ viginti duorum MSS. Codicum conſulto reparanda erant. Decem iſtorum Evangelia continebant; octo Acta Apoſtolorum & Epiſtolas omnes; quatuor vero Apocalypſim. In hunc modum autem Textum re-

me-

melior eſt, tenere; quandoquidem per eum, nulla eſt iſtarum præcipuarum Editionum Verſionis Septuaginta, quæ accurata ſit, maculiſque gravibus non aſpergatur, adeoque Correctionem aliarum dirigere queat. Aut ſaltem ad ipſum ſpectaret, aliud, quod ſequamur, caſtigatius Exemplum proponere. Nos etenim docet, maximis difficultatibus obnoxia eſſe Græca, quæ nunc exſtant, Exemplaria; cumque Veteres Critici, Origenes nimirum, Lucianus, & Heſychius, ipſorum emendatores, tanta non fuerint doctrina præditi, quanta opus erat ad accuratam Bibliorum Sacrorum Criticen, multa in cauſſa eſſe, cur viæ & rationi, quam in illorum inſtauratione ſectati ſunt, fidem noſtram derogemus. Lib. 2. c. 3. p. 201. col. 1.

Subſidium vero, quod a patrum Operibus in rem ſuam putat aſciſcere, leve ſatis videtur eſſe & ſupervacaneum. Ipſius nanque pronunciatum eſt, p. 192. col. 2.
„ non eſſe ſatis ad antiquam Verſionem Græcam renovandam Patres conſule-
„ re, qui non ſemel memoriæ ſuæ confiſi Scripturam Sanctam recitarunt; ne-
„ que magnopere ſunt veriti quin eam hypotheſibus ſuis accommodarent:
„ præterquamquod hæc eadem Verſio ante Patres vetuſtiores corrupta erat.„
Hæc omnia perſpicue evincunt, Patrum Opera non admodum Textus Græci Septuaginta Interpretum inſtaurationi ſuffragari poſſe; ſi illud addas cum Simonio, Patres hac Verſione utentes, cum ſuper obviis difficultatibus ad Archetypum Hebraicum ſe referre nequirent, plura verba immutaſſe, ut alia redderent ſenſa, quæ commodiora videbantur. p. 163. col. 1.

Quæ tamen via & ratio hæc eſt, Textum Hebraicum conſulere, ſive illum in tota ſua latitudine, ſive ut eſt in præſens, conſideres, quo Græca Septuaginta Interpretum Verſio reſtituatur; ſi non potuit ſe cohibere Simonius; quominus Autores Editionis Complutenſis redargueret, quod nimirum hanc regulam ſectati fuerint; ſique dicenda illa ſit *corruptio potius quam inſtauratio*? Ecce ad ſummum quam ſint exquiſitæ ſapientis hujus Critici leges, ad veterem hanc Verſionem reſtituendam latæ! Quibus addere poſſumus, Verſionem Septuaginta ab ipſo fonte vitiatam eſſe; cum Interpretes illi, Simonii ipſius confeſſione, Codicibus Textus Hebraici Satis emendatis caruerint. Textus pariter Hebraicus, cum, ut in præſens exſtat, tum in tota ſua latitudine acceptus, minime huic

ſtituerunt. 1. Quoties major MSS. Græcorum pars cum Vulgata congruebat, emendabant Textum Græcum Bibliæ Regiæ Lectione Editionis Latinæ. 2. Quoties omnia MSS. Græca a Vulgatæ Textu diſcrepabant, Textus Græcus his MSS. inſtaurabatur, rejecta ad calcem Capitum veteri Lectione. 3. Quoties pleraque MSS. Textui eidem non concinebant, eaque varietas ad Vulgatam haud pertinebat, negotium ex majori MSS. numero dirimebatur, appoſito in extremis capitibus, quem mutaverant, loco. 4 Quoties unum duntaxat MSS. Vulgatæ Lectioni favebat, id in adnotationibus ad Cap. finem ſignificare non omittebant. Præt. coll. Context. Græc. cum 22. Cod. MSS. Romæ anno 1673.

Vet-

Verſioni retractandæ idoneus eſt; niſi ſi reperiantur accuratiora Textus Archetypi exempla, quam ea, quibus in ſua Interpretatione uſi ſunt Septuaginta: alioqui Verſio hæc quamvis refecta, conſentanea non eſſet, ut illius præſidio ſecundum Simonii placitum Textus Hebraicus caſtigaretur.

Quod ſi ratum quoque nobis eſſet, rectas fore ad explendum ipſius conſilium univerſas regulas iſtas; reliquum eſſet inſuper Criticum aliquem reperire, qui ſatis ingenii haberet & facultatis ad illas ſcite accommodandas. Hic autem erit ne Simonius? An vero alius? Quicumque ille ſit, oportet hunc eſſe Origene eruditiorem, minuſque iſto præjudicatis opinionibus addictum. Summus etenim Vir iſte, Patrum omnium primus, qui diligentius animum ad Librorum Sanctorum ſtudium contulerit; qui præ omnibus laboraverit in Textus Biblici cum emendatione tum explicatione; qui apprime Linguarum Sanctarum peritia inſtructus, in Litterarum Sacrarum, Autorumque profanorum cognitione verſatus, ingenio adeo acuto ſolido acrique præditus, ut a S. Hieronymo *poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſter* fuerit appellatus: „ Hic

Ibidem. Hieron. Praef. Interp. nominum Hebraic. Sim. ibidem. p. 194. col. 1.

„ ſummus inquam Vir, ſi fidem Simonio adjungimus, aſſumpta ratio„ ne reddendi Verſionem Septuaginta accuratiorem, aut utiliorem Ec„ cleſiæ operam navandi, multarum mutationum cauſſa fuit ..... Si at„ tentius expendatur modus, quo veterem Editionem Græcam Origenes „ emendavit, eſt ſane, ut credamus, eam nonnullis locis depravaſſe, „ cum ſibi ſpeciem prætexiſſet, illam reddendi archetypo accommoda„ tiorem ..... Non multi operis negotium eſſet oſtendere, Origenem „ liberius, quam par erat, veteris Verſionis Græcæ Textum refeciſſe at„ que inculcaſſe, cum tantæ rei non eſſet prorſus idoneus. Atque ali-

p. 199 col. 2.

„ bi: Origenes Hebraica Lingua mediocriter tinctus erat, & compluri„ bus præjudicatis opinionibus laborabat. „ Jam vero ſi Origenes Verſionem Septuaginta Interpretum caſtigaturus vitiavit, ſi eruditione tanta non fuit, ut eam reſtitueret; aliiſque rei huic neceſſariis adjumentis caruit: locus ſane conjecturæ eſt, futurum haud levis negotii opus quempiam reperire, qui Verſionis hujus inſtaurationem audeat ſuſcipere. Opus eſt itaque Simonium ipſum eſſe: Opus eſt, ut ad id emolumentum Eccleſiæ præſtandum, legeſque ſuas re ipſa adhibendas ſeſe inſtruat.

Monum. Trevol. Junii 1709. Art. 72.

Legimus in Monumentis Trevoltienſibus Epitomen Epiſtolæ Theologi cujuſdam Salmanticenſis de inſtauratione Textus Biblici Septuaginta Interpretum. Cum audiviſſet Theologus hic, Bernardum Montfauconium meditari Editionem Hexaplorum, hoc eſt, fragmentorum Veterum Græcarum Verſionum, Grabiumque eruditum Pruſſianum in Anglia Editionem

nem Verſionis Septuaginta curare, induxit in animum, ut monito aliquo Operum iſtorum commodis utilitatique ſerviret; ipſius autem conſilium erat, ut præcipuum ipſorum Studium ad Septuaginta Verſionis correctionem incumberet, eamque ad Textus Hebraici normam revocarent. Verum cum ipſius Criticæ præſcriptiones eo demum recidant, quo a nobis ſuperius allatæ, illis in præſentiarum excutiendis ſuperſedemus; non modo quia, licet Simonii non ſit Epiſtola hæc, principia tamen, ſpecies rerum, notiones, atque conſilia operi mandanda, eadem ſunt, atque illa Autoris Hiſtoriæ Criticæ Vet. Teſt., verum etiam quia Turneminus in hane Epiſtolam ingenioſas animadverſiones confecit. Poſtquam etenim *Ibidem art. 7.* Sapiens hic Jeſuita probavit, conſilium larvati hujus Theologi ad rem inſuperabilem tendere, & mutationes cum Textus Hebraici, tum Verſionis Septuaginta leves eſſe, minoriſque faciendas: Poſtquam Origenem de eo purgavit, quod ait Theologus ille, ipſi in Verſione Septuaginta caſtiganda rem proſpere non ceſſiſſe; contendit Verſionem Septuaginta inſanabilem eſſe, ſi modo uſque eo corrupta ſit, ut exiſtimat hic Salmanticenſis Theologus; „ neque ipſe ſane poteſt hinc ſe ſubducere, ſi tamen, quod „ ait, corruptio hujuſmodi ad omnia MSS., & Scripturarum loca in Pa„ trum Operibus diffuſa manaverit. Qua etenim ratione, inquit pru„ denter clarus hic Societatis Jeſu Criticus, utemur, ut Verſionem hanc „ ad priſtinam integritatem reducamus? Conjecturis ſcilicet, & conje„ cturis, qualibet probatione deſtitutis. Corrupto Archetypo, cuinam „ principio hærebimus, ut ſive Archetypum ad Verſionem reſtituendam, „ ſive Verſionem ad Archetypum reparandum ſeligamus? Unde perci„ piemus utrum eorum depravatum ſit? „ His addit nonnullas animadverſiones ad tollendos lapſus, de quibus Septuaginta Interpretes accuſat. Sucietus item ex eadem Sociate Epiſtolam, qua eum confutat, ad Theologum hunc, ut fertur, Salmantinum dedit.

ARTICULUS VII.

Regulæ de Punctis Vocalibus & Accentibus.

TAmetſi diſſidium inter Autores ſit, * quo primum tempore Punctorum Vocalium, Accentuumque uſus incœperit; illud tamen apud omnes eſt in confeſſo, ob id unum inventa fuiſſe, ut conſtantior fieret lectio & pronunciatio Linguæ Hebraicæ, & minus exercitatis facilior redderetur: eaque eandem Textui Hebraico opportunitatem afferre, quam Puncta & Inciſa Latinis Græciſque afferunt Libris, partim ſcilicet Orationis diſtinctionem; ** quamquam alteri quoque ſint uſui

* Diſtracti ſunt ſuper hoc in quatuor placita Scriptores. Primum eſt R. Azariæ in Libro ſuo *Nur biri* aliorumque Rabbinorum, putantium nihilo recentiores eſſe in Alphabeto Hebraico Puncta Vocalia aliis Litteris Hebraicis; quoniam in quolibet Linguarum genere vocales ſimul conſonanteſque repertæ ſunt. Alterum ex Joanne Reuclino, ſive Capnione Libro 3. de *placitis Cabala*, aliiſque Doctoribus Judæis eſt, Puncta Vocalia Moſi cum Lege divina fuiſſe revelata. Tertium, atque apud Judæos vulgatius: ferr, Eſdram, Doctoreſque Concilii magni ab ipſo celebrati Autores eſſe, vel certe Punctorum Vocalium Accentuumque inſtauratores. *Veritas eſt*, ait Rabinus quidam, *Deum dediſſe Scripturam compunctam, ſed oblitos Judaos uſque ad Eſdra adventum*. Poſtremum denique certinſque probat, Doctores Tyberiadis, vel dicas, Traditionis Magiſtros Puncta Vocalia cogitaſſe anno circiter Chriſti quingenteſimo, atque ad quinquageſimum obitus Hieronymi. 1. Quia Characteres Hebraici, in Siclis Nummiſque Judæorum veteribus ſculpti abſque Punctis Vocalibus conſpiciuntur. 2. Exempla, quæ adhibent Synagogæ, ſine Vocalibus Accentibuſque conſcripta, ipſorum indicant novitatem, qua in Libros publicos adhuc invecti non ſunt. 3. Samaritæ, queis nulla tum inerat cum *Judæis* cognatio, inventa huic in Exemplaribus ſuis locum non dederunt. 4. Sufficit Commentaria Hieronymi in Scripturas volutaſſe, ut compertum ſit ipſius ætate puncta, nunc pro Vocalibus uſurpata, tum ignota fuiſſe.

** Elias Levita in Præf. 3. Maſor. animadvertit, Legem univerſam fuiſſe olim, ut ita dicam, unico verſiculo concluſam פסוק Paſuch, ſive aliqua ratione unicum verbum: quoniam nulla tum erat verſiculorum, capitum, neque vocum in Libris Moſis, aliiſque Bibliorum diſtinctio. *Magiſtri Cabaliſtici*, inquit Rabbinus iſte, *afferunt totam Legem eſſe quaſi Paſuch unum, atque periodum unam ſecundum alios ut dictionem unam exceptis nominibus divinis*. Morinus obſervat, MSS. multa Græca & Latina nulla Periodorum diviſione conſcripta eſſe. Quo plane modo exaratum eſſe antiquum Novi Teſtamenti Exemplar, quod Bezæ MSS. dicitur. Proſtat in Bibliotheca Regia vetuſtum S. Gregorii Nazianzeni MSS. haud aliter confectum, pariterque Quatuor Evangelia Lingua Ægyptiaca aut Cophtica, quæ in Bibliotheca Patrum Oratorii Pariſienſis ſervantur. Morin. Exerci. Bibl. l. 1. Exercit. 6. c. 2. p. 197. Beatis tamen Græcæ & Latinæ anti-

apud

apud Judæos. * Quæ, a nobis dictæ Punctorum & Accentuum, notæ adeo, ut ita dicam, ad Textus verborumque naturam pertinent, ut ſi immutentur, invertatur etiam, atque immutetur ſenſus, viſque ſententiæ. His pariter diſtinguunt genera, tempora, numeros, aliaque plura.

Ex præcipuis tamen Simonianæ Inſtitutionis regulis una eſt: *integrum eſſe debere Sanctarum Scripturarum Interpreti, crebrius nova apponere Puncta Vocalia, & ampliorem vocum Hebraicarum ſignificationem facere, quam Sapientiores Chriſtiani Linguæ hujus periti, iidemque Rabbini conſuèverint*. Quod commune accentibus eſſe debet. Documentum hoc optime eſt Sapientis Viri hujus principiis appoſitum; ſcilicet cum affirmat, poſſe locis aliquibus melius, quam præſtiterint Maſorethæ, oppingi puncta: neminem teneri Hebraico Textui, ut poſt illorum inſtaurationem eſt, fidem præſtare; neque eos eſſe in Critica diſciplina Prophetas, aut falli neſcios. *Hiſt. Crit. l. 3. c. 1.*

Si argumenta a Simonio adverſus Capellum allata tanti ſunt, ut probent, Proteſtantem hunc aliquo ſaltem modo, certam Bibliorum veritatem deſtruxiſſe, cum licere dixit, Punctorum rationem a Maſorethis inventam pervertere, eamque deſerere, quoties melior ſenſus deprehendatur: non ſatis video, qui regula a Simonio hic conſtituta eundem non ſimiliter præcipitem agat. Ipſe ſuam mentem aperiat: „ Vereor, in- *Ibidem l. 3. c. 20. p. 459. col. 2.*
„ quit, ne funditus Capelli Criticen expendenti compertum ſit, ipſum
„ aliquo ſane modo certam Scripturarum veritatem dextruxiſſe: etenim præ-
„ ter variantes Lectiones liberum cuique facit, ea puncta Vocalia addere, quæ
„ ſenſum meliorem referunt, nulla eorum ratione habita, quæ nunc in Tex-
„ tu leguntur. Quod hoc momento firmat, nimirum Judæos eſſe, qui Pun-
„ cta hujuſmodi appoſuerunt, neque iis omnem fidem adhibendam eſſe.
„ Verum videtur contra in hoc illis potius credendum, quam aliis; cum
„ Textus Hebraicus ab ipſis profectus fuerit, & de Bibliorum uſu ne-
„ gotium ſit, qui inter ipſos duntaxat ſervari potuit. „ Habes quibus Simonius eodem judicio de Capello pronunciet, & ſemetipſum condemnet.

Si jus eſt novo Interpreti alia Puncta Vocalia collocare, ampliоremque vocum Hebraicarum ſignificationem facere: Puncta hæc vocalia ab Interprete immutata, latiorque iis comparata amplitudo, uſu haud robo-

quitatis temporibus voces cunctæ totidem punctis ſejungebantur: ut videre eſt in vetuſtis Gruteri & Lypſii Inſcriptionibus.

** Præter Accentus, ad partes Orationis diſtinguendas adhibitos alii ſunt, qui ad Cantum ſignandum ſpectant, eodemque pene in uſu ſunt, atque apud nos Muſicæ notæ. Doctores Judæi notas haſce accentuſque cogitarunt, ut rationem canendi divinam Legem accuratius indicarent; & propterea Judæi cantum quibuſdam capitis geſtibus proſequuntur.

rata, ſed ab ipſius tantum delectu orta argumento erit, ut colligamus; ex Simonii principiis, Verſionem ipſius non futuram undequaque verbum Dei, pars nanque illius ſemper Inventum Interpretis dicenda erit.

Si propius Doctorum Tyberiadis labor introſpiciatur, eum Textui Hebraico Puncta Vocalia Accentuſque addiderunt, comperiemus, eos nihil ulterius præſtitiſſe, quam notarum iſtarum præſidio id ſtatuere, quod uſu, ab antiqua Traditione manante, ipſorum temporibus invaluerat. Porro contendit Simonius, majori habendam in pretio hanc Maſoram, quæ ab Judæis deſcendit, quam ſi ab aliis deſcendiſſet; quatenus ratio ſcribendi & pronunciandi alicujus Linguæ ab aliis addiſci nequit, quam ab iis, qui eam ſcribendi pronunciandique conſuetudinem habent. Non fit credibile, ſubjungit, Maſorethas aliter Libris Legis Puncta affinxiſſe, ac in Synagogis per ea tempora legebantur: neque hac ſuper re Judæi in ſuſpicionem cadere poſſunt; quemadmodum ſuper aliis Fidem attingentibus caderent. Et profecto Aben-Eſra Sapiens Judæus animadvertit, nihil Doctores Tyberiadis præſtitiſſe, quam id ſtatuere, quod diuturna Traditione multo ante receptum erat; atque non ſecus Textum Hebraicum diſtinguere, ac ab Eſdra, & Magni Conſilii Senatoribus tum lectum erat, atque diſtinctum. Hoc tantum uno utrique differunt, quod illi Puncta Accentuſque poſuerunt, ut conſtans eſſet ab his primo conſtituta moderatio. Hæc denique Traditio, concludit Simonius, quæ ad Puncta pertinet, adeo certa & firma videtur, ut Secta Caraitarum ſive Judæorum purorum, * qui univerſas Judæorum falſas Traditiones tanquam deliramenta rejiciunt; Maſorethica tamen Puncta recipiat, & præſentem Lectionem non minori, quam Judæi ceteri, accuratione ſequatur.

Lib. 1. c. 77. p. 248. col. 2.

* Hæc Judæorum ſecta Rabbiniſtarum Sectæ adverſatur. Caraitæ Textui duntaxat Bibliorum adhæreſcunt, Traditioneſque flocci faciunt, quas alii veluti Religionis fundamentum venerantur. Caraiſmus, ut tradunt Morinus & Simonius, ad VIII. tantum ſæculum exorſus eſt. Vox *Karai* hominem eruditum ſignificat, atque in Textus Sacri diſciplina verſatum, & propterea Caraitas eos appellant, qui fidem ſuam Scripturis ſolis committunt. Ex Caraitis alii Conſtantinopoli degunt, alii Babylone, non pauci in aliis Orientis regionibus, atque apud Moſchos ipſos, ubi proprias habent Synagogas, ſeque veros nuncupant Moſaicæ Legis obſervatores. Scupartius Opus edidit Jenæ anno 1701., in quo de Origine, progreſſu, & præcipuis Dogmatibus Caraitarum diſputat, Librorum ſuorum indicem texit, quorum in Occidente pauciſſima ſunt exempla, cum neque ſint Caraitæ. Anno 1703. Triglandius in eandem rem Diſſertationem fecit duobus voluminibus in 4. comprehenſam. Opinatur hic eo loco intelligendos eſſe Caraitas, quo narrat Joſephus, Joannem Hircanum a Phariſæorum ſecta ad Sadducæorum partes tranſiviſſe. Scaliger quoque, duo Buxtorfii, nonnullique alii Litterati Viri crediderunt, Caraitas poſteros eſſe Sadducæorum.

Ex

Ex initiorum iſtorum doctrina, quæ utpote ab Hiſtoria Critica depromta, nequit Simonius difficeri, conſequens erit, novum Interpretem, diſſimilia Puncta, Accentuſque his, quæ modo in Textu ſunt adſcribentem, legere & ſcribere longe ab uſu, vetuſta Traditione accepto atque firmato. Aliunde vero, quoniam ſatis eſt ſimile vero, illum minime ſcripturum & pronunciaturum ſcite adeo perfecteque Linguam Hebraicam, ut Hebræi ipſi, perpetua conſuetudine ſtudioque imbuti, metuendum eſt, ne ſæpius Interpres novus a Scripturarum Textu deflectat, & pro Verbi Dei ſua nobis cogitata, recenteſque conjecturas obtrudat. Et vero uſque dum non efficiet perſpicue, ſe melius Judæis ipſis Hebraicam Linguam callere, ſuamque inſtaurationem propius ad antiquam legendi & pronunciandi Hebraice Traditionem accedere, erit ſemper, cur ipſius Puncta collocandi rationi fidem abrogemus.

Non inficior, nunquam docuiſſe Simonium, quemadmodum Capellus aliique docuerunt, abiiciendum eſſe Maſoræ teſtimonium, quod a Judæis proficiſcatur: contra vero centies monet, non niſi caute admodum & circumſpecto judicio Maſoretharum puncta prætermitti poſſe, & præſertim *Libro 3.c.1.pag. 355 col.1.* niſi innitatur quis 1. autoritati veterum Interpretum; 2. aliquibus Codicibus; 3. optimis rationibus; aut demum niſi meliorem ſenſum deprehendat. Verum enim vero ſi Chriſtianorum Sapientiores in Hebraica Lingua Interpretes, iidemque Rabbini præclariores ſatis amplam, Simonii ſententia, *Ibidem col.2.* verbis Hebraicis ſignificationem minime dederunt, vel Punctis vocalibus Accentibuſque Lectionem circumſcripſere: Si inter Eccleſiæ Patres pauci extiterunt, qui ad Bibliorum Criticen ſe dederent: Si inter Latinos unus inventus eſt Hieronymus, qui huic muneri idoneus eſſet; *Hiſt.Crit.Præf.* ſi plerique uſque eo pro vetuſtis Eccleſiæ Verſionibus præoccupati fuere, ut Textum Hebraicum omnino negligerent, neque omnibus inſtructi erant ſubſidiis, ad rem Bibliorum Criticam funditus expendendam neceſſariis: ſi denique ii, qui Septuaginta Interpretum Verſione uſi ſunt, ea *Lib.2.c.3.p.193. col.1.* facultate non fuerunt, ut ad Archetypum Hebraicum ſuper difficultatibus obviis ſe conferrent: ſi hæc univerſa ita ſe habent, non fit veroſimile, poſſe Interpretem, novam Verſionem adornaturum, ad alterutrorum autoritatem appellare, cum placebit ipſi alia Puncta Vocalia, alioſve Accentus eorum loco, qui poſiti modo ſunt, interſerere.

Nihilo magis liberum eſt Interpreti huic in nonnullorum Exemplorum autoritatem ſe recipere, ubi ſuccurrat mutationes facere, de quibus in præ- *Lib.3.c.1.p.354 col.2.* ſens: quandoquidem perſuaſum Simonio eſt, nunc deeſſe nobis vetuſta Exemplaria Hebræa, & raro eorum bona reperiri. Quare huic memoratæ libertati alia Puncta vocalia, alioſque accentus apponendi, locus non

erit

erit; niſi quoties gravia momenta Interpreti præſto erunt, aut ſenſum meliorem deprehendet.

At quantumvis recta rationique conſentanea Interpreti videatur mutatio iſta, metuendum eſt, ne Viris aliis Criticis, de Hebraieæ Linguæ peritia eum ipſo certantibus, alia ſuppetant æque firma argumenta, quibus inducantur, ut credant, ſenſum ab eo editum meliorem non eſſe, Textumque eas Punctorum Accentuumque inverſiones non ſuſtinere.

Quod ſi contingat, erit ſane, cur in ſpe habeamus, eruditum hunc Interpretem æqui bonique facturum; ſi mutationes ſuas minime tenebimus, eaſque ut tutiores, magiſque Textui archetypo reſpondentes, haud exiſtimabimus.

ARTICULUS VIII.

Regula de Vocibus Hebraicis ambiguis.

Hiſt.Crit.l.3.c.2.p.357.col.1. ILlud Initio pro certo habendum eſt, pleraque verborum Hebraicorum in ambiguo eſſe, * eorumque ſignificationem prorſus incertam. Eapropter quoties Interpres ad Verſionem ſuam Interpretationem adhibet ſuo judicio meliorem, non eſt abſolute dicendum, illam ad vivum res in Archetypo comprehenſas referre. Dubitandi nanque ſemper locus eſt, utrum ſenſus vocibus Hebraicis appoſitus ſit revera germanus, quoniam alii non deſunt eadem probabilitate præſtantes. Cui incommodo fieri non poteſt, ut provideamus, inquit Simonius, niſi præceptorum aliquorum uſu. Primum eſt, invicem conferre meliores Librorum Sacrorum Interpretes cum Judæos tum Chriſtianos. Alterum in contextu Verſionis eam vocum Hebraicarum Interpretationem ſeligere, que rei proprior videatur. Demum ad Marginem ablegare ceteras Interpretationes, quæ remotiores videbuntur.

Ante omnia doctum hunc Interpretem interrogamus, an accuratiſſime excuſſa in partes omnes Verſionis melioris præſtantia, poſſit ipſe ſibi perſuadere, eam, quam delegit, ut ad Verſionem aſſumeret, eſſe Textui magis affinem; an vero poſt examen illud dubitatione adhuc æſtuet, ſubjectam eſſe verbo illi ſententiam veriorem? Si anceps nullo modo ſit de

* Voces Hebraicæ ambiguæ ſpectant præſertim ad nomina Animalium, Arborum, Plantarum, Menſurarum cum ſolidorum corporum, tum rerum liquidarum, gemmarum, ornatus feminei; & inſtrumentorum; ad ſummum verba alicujus artis, aut morum, aut conſuetudinis.

opti-

optimò delectu, reliquum ſit, perſpicuam eſſe Regulæ ſuæ falſitatem, affirmantis, in dubium vocari ſemper poſſe, *utrum ſenſus vocibus Hebraicis appoſitus ſit revera germanus*. Quod ſi ratum non habeat, ſe recte conjeciſſe, nobis nequaquam Verſionem dabit, quæ genuinis Dei verbis certo conſtet.

Huic incommodo conſultum erit, inquies, collatis invicem melioribus Librorum Sacrorum Interpretibus. At rurſus adhuc Criticum noſtrum exoramus, ut nobis aperiat, num hac collatione habita, exploratum ſit ipſi, ſenſum, a ſe verbis Hebraicis accommodatum, eſſe meliorem; num autem ambigat ſuper hoc? Næ ille haud audebit propugnare, ſibi eſſe exploratum; quoniam ſcriptum nobis reliquit, *alios non deeſſe eadem probabilitate præſtantes*. Si vero minime dubius revera ſit, anne de eodem convenient ceteri Sapientes? Si vocatis in conſilium præclarioribus tum Judæorum tum Chriſtianorum Interpretibus, hæreat adhuc in incerto ſuper vero ſenſu, voces Hebraicas explicante; inutilis videtur eſſe conſultatio hæc ad ſtatuendam vocum Hebraicarum ambiguarum ſignificationem.

Præterea ut abſurdum hoc, quod a multiplici Hebræorum verborum poteſtate proficiſcitur, tolli poſſet ſapientiorum cum Judæorum tum Chriſtianorum Interpretum conſulto; oporteret, Interpretes iſtos vocibus Hebraicis ambiguis Interpretationem dediſſe certam, non dubiam tantum aut probabilem, atque affirmare poſſe conſtanter, eam purum putum Textus Archetypi ſenſum referre. Nihilo tamen ſecius animadvertit Simonius, Origenem aliosque Patres profiteri, ſe nullatenus certos eſſe, ſignificationem ab ipſis adhibitam vocibus Hebraicis veram eſſe, cum earum pleræque ambiguæ ſint, & poteſtatis prorſus incertæ. Unde ſit pariter, Septuaginta, & S. Hieronymum ſæpe eandem vocem diſſimillima ratione interpretari. * *Libro 3. c. 2. pag. 358. col. 1.*

Aſſerit inſuper Simonius, Veteres Judæorum Interpretes, utpote Religionis hoſtes, Verſionem ſuam præjudiciorum ſuorum finibus circumſcripſiſſe: Veteres Interpretes Chriſtianos nonnunquam inconſulto eorum Exemplaria correxiſſe: opus eſſe diligentius variantes eorum Interpretationes ad trutinam revocare: deque illis ex Criticarum le- *Libro 1. c. 19. p. 211. col. 1. & 2.*

* Exempli gratia verbum אחים *Ochim* Iſaiæ c. 13. v. 22., quod Septuaginta *Sonitum* reddiderunt, Vulgata explicat *Dracones*. Apud eundem Iſaiam 34. 14. לילית *Lilith* Septuaginta interpretantur *Onocentaurum*, & Vulgata *Lamiam*, Cant. 7. 13. מגדים *Megadim* Septuaginta ſunt *nuces*, Vulgatæ *Poma*. Ezech. 28. 13. יהלם *Jahalom* vertunt Septuaginta *Smaragdum*, Vulgata *Jaſpidem*. Exodi 35. 22. חח *Ehach* Septuaginta ſignificat *Sigillum*, Vulgatæ *Armillam*; ſicque alia nonnulla.

gum

gum documentis judicium ferre, quin ſatis magna antiquitatis ratio habeatur.

Quid igitur emolumenti capiet novus hic Interpres, antiquos alios cum Judæorum tum Chriſtianorum conſulens; ſi modo illi, *utpote Religionis hoſtes, Verſionem ſuam præjudiciorum ſuorum finibus circumſcripſere*; ſique iſti *inconſulto eorum exemplaria correxerunt*; ſi nefas eſt, eorum Interpretationes ſequi, quin ex Criticarum legum documentis expendantur; neque *Satis magnam habendam eſſe antiquitatis rationem*?

Atqui ſive Simonius verbis iſtis ambiguis ſenſum reddat, alicui veterum Interpretum, Judæorum tum Chriſtianorum ſimilem; ſive novum aliquem cogitet, æque erit ſemper incertus; & propterea verum Dei verbum eſſe non poterit.

Neque quidpiam proficiet, ſi dixerit, ſe intra Verſionis contextum meliorem vocum Hebraicarum Interpretationem collocaturum, atque in ora alias Verſiones, quæ remotiores videbuntur: Quoniam haud raro, quæ ipſi meliorem ſenſum efficere videbitur, magiſque rei eſſe, ad ſummum probabilis erit; quamque ipſe ſelegerit veluti præſtantiorem, magis a Textu Archetypo diſtabit; contra vero quæ in margine erunt ſepoſitæ, eidem Textui magis reſpondebunt. Denique quocumque ſe vertat Simonius, verba certe Hebraica nunquam interpretabitur niſi incerte, quandiu Interpretationem ſuam Criticis duntaxat præceptis accommodabit, Traditionemque non audiet.

Qui fiet igitur poſt hæc, ut Simonii Interpretatio propius ad Textum Hebraicum accedat, quam priſcæ Eccleſiæ Verſiones, quæ traditione conſtitutæ & moderatæ ſunt? Cui dubium eſſe poterit, magis autographum referre Interpretationem vocis ambiguæ Textus Hebraici, ut legitur apud Vulgatam, Traditioniſque autoritate firmatur, quam referat Simoniana, & Criticis legibus innixa? Aliorum judicium ſit, utrum inſtitutio ejus ſatis a Proteſtantium ingenio recedat; atque iiſdem
Lib. 3. c. 1. p. 357. et. 2. homines laqueis irretiat, quibus ipſi obſtricti ſunt. Pleriquc Proteſtantium, inquit, non omnino inſtitutionem hanc ignorarunt, collocandi nimirum intra Verſionem vocum Hebraicarum Interpretationem; quæ, ut videtur, præſtat aliis, atque in ora Libri ſeparandi ceteras, ſpecie remotiores. Huic præcepto aliquando in ſuis Interpretationibus obtemperarunt, ſed raro. Etenim cum affirment, Scripturam ſanctam unicum eſſe principium, a quo pendere debet Religio univerſa; jure in Interpretationibus ſuis diverſas verborum Hebræorum ſignificationes haud indicarunt. Via nanque hæc & ratio id unum præſtitiſſet, ut de Religionis ſuæ certa veritate populus in dubitationem veniret, cum deprehendiſſet, eam nutanti adeo fundamento fulciri.

Quod

Quod ſi varias vocum Hebraicorum ſenſa aliqua in unum conferre id maxime præſtare poteſt, ut populus de ea dubitet Religione, quæ tam incertis dubiiſque innitatur fundamentis, quid nobis a Simonio aſſignata Regula proficiet? Verum cum addit, id eſſe a Sacrorum Bibliorum Interprete ſervandum; ut eorum diſcrimen fit, quæ certo verba Dei ſunt, quæque ipſius Verſio, probabilitatis fines plerumque non excedens; cumque alibi tradit, apponendas eſſe in Margine adnotationes, de ambigua vocis Hebraicæ ſignificatione Lectorem monentes: nunquid non Leges iſtæ nos poterunt de certa Scripturarum veritate in dubitationem adducere? Si Verſio ab Interprete in Orationis contextu poſita; quamvis melior & congruentior ipſi videatur, nihilominus perſæpe probabilis tantum eſt; ſi Interpretationes alias, ipſius judicio a veritate remotiores, in ora Libri ſeponat; ſi adjungat Margini adnotationes, de vocum hebraicarum non prorſus certa ſignificatione Lectorem monentes: ubinam erit germanum Dei verbum? Non quidem in Margine, in quo Verſiones tantummodo collocantur, quæ videntur magis a veritate diſtare: Neque item in contextu Verſionis; quoniam Interpretatio in eo poſita plerumque probabilitatis fines non excedit: Qua de re præceptum, ab Interprete per Simonium ſervandum, nullum uſum habet ad verba divina ab ipſius Verſione certo ſecernenda. Contra vero nihil in Scripturis non incertum reddet, quodque in animis non populi ſolum, verum Sapientum quoque dubitationem haud injiciat; qui, ſi deſint præceptiones aliæ, certam Scripturarum veritatem oſtendentes, animadvertent, eas levibus adeo inniti principiis, ut ſunt regulæ Critices duntaxat humanæ. pag. 358 col. 2. & 362. col. 2.

Enim vero quid prodeſt contendere ſe ab Hæreticorum indole alienum eſſe, & profiteri, ſe minime ea, qua Proteſtantes, opinione imbutum, Biblia nimirum unicum eſſe principium, a quo pendeat Religio univerſa: Eccleſiam ex adverſo Catholicam præter Scripturam, germanas Traditiones, veluti Religionis fundamentum amplecti: ipſam denique non erubeſcere, dum fatetur, Textum Hebraicum Bibliorum ex verborum Hebraicorum ambiguitate non una ratione interpretari poſſe? Quid nanque certæ Scripturarum veritati favet Traditio hæc, quandiu eam in ſtatuendis Critices regulis non tenebimus? Num Eccleſia, quæ in Textu Hebraico voces ambiguas eſſe confitetur, eas minime Traditionis ſubſidio deſignabit atque definiet, dabit autem Interpreti, Verſionem ipſius judicio meliorem, quantumvis ſemper incertam ſolumque probabilem, ſeligere, atque in contextu collocare? An vero Eccleſia Catholica, quæ ſacris Litteris, & Traditioni innititur, paratam non habebit Verſionem aliam ab ea, quæ Critices minus accuratæ inſtitutionibus erit conſtitu- p. 337 col. 2.

ta? Quid prodeſt denique Eccleſiæ huic, Scripturis & Traditione pendere, & fateri in ipſius Textu voces ambiguas reperiri; quandiu filii ejus, contemtui habentes leges, ab hac conditas Traditione, ut ambiguas Textus Hebraici voces definiret, fallaces duntaxat ſequuntur humanæ radios rationis, audaciori Critice munitæ, quæ ſanctæ & colendæ antiquitatis deſertores præcipites ſemper agit?

ARTICULUS IX.

Regulæ Criticæ ad Linguam Hebraicam ſpectantes.

NON eſt ſatis præſto habere Textum, in quo hæreat curanda Interpretatio; illud quoque intereſt rei ex Simonio, ut Linguam Interpres perfecte caleat, in qua Textus deſcriptus fuit. Cum tamen pleræque voces Hebraicæ incerta explicentur ſignificatione, huic incommodo conſultum non erit, ſubjungit Criticus iſte, niſi operam det Interpres Hebraicæ Linguæ alia plane ratione, quam qua ſolent ut plurimum in Scholis uti, & niſi obtemperet monitis illis, quæ ad perfectam Hebraici ſermonis intelligentiam tradidit. Super qua re plura ſunt, quæ nobis afferunt dubitationem. Num 1. Interpres Sanctorum Librorum, ſecundum propria Simonii principia, poſtquam ita hauſerit Hebraicæ Linguæ inſtitutionem, ut in præſens mos eſt hauriri, abſolvendæ Verſioni iſti idoneus non ſit, ſi modo fieri poſſit: aut ſaltem ſi Textus Hebraici Interpretationem nequeat perficere ita accuratam, ut pro præſenti rerum ſtatu deſiderare eſt. 2. Num ſatis concludant momenta Simonii, quibus Hebraicæ Linguæ, ut in novis Grammaticis & Lexicis percipitur, ambiguitatem nititur confirmare. Num denique regulæ, quibus nos imbuere contendit, ut ſermonis Hebræorum diſciplinam cumulate accipiamus, accuratiſſimæ videantur, vitiiſque illis, quæ in communem Linguam iſtam diſcendi rationem derivat, haud inficiantur.

Lib.3.c.p.358. Ibid.2.p.359.c.1.

§. I.

Ad bonam Litterarum Sanctarum Verſionem faciendam, ſufficit Hebraicæ Linguæ ea ratione incubuiſſe, quæ in Scholis communiter tradi ſolet.

ID in confeſſo apud omnes eſt, poſt reditum Judæorum a captivitate apud eos Linguam Hebraicam obſoleviſſe. Cum autem Chaldaica, quæ tum invaluerat, Hebraicæ proxime accederet, anſam dedit hoc Exemplorum Scripturæ Hebraicorum Amanuenſibus, ut Chaldaicæ Linguæ elementis uterentur, atque iſta pro illis non ſemel ponerent. „ Cre-
„ di-

„ diderim, inquit Simonius, ætati illi præcipue tribuendam eſſe magnam „ perturbationis partem, quæ in Textu Hebraico nunc apparet, expli„ catu ſane propterea difficili; niſi omnem mutationum iſtarum noti„ tiam habeamus. „ Porro præceptorum illorum ſubſidio, quæ ex recentioribus Grammaticis comparamus, inverſiones iſtæ reſtitui poſſunt quatenus fieri poteſt, & optima Bibliorum interpretatio requirit. *Lib. 1. c. 16. p. 92. col. 1.*

Ex doctrina Simonii ad accuratam Textus Hebraici Interpretationem opus eſt. 1. apprime noſſe duo illa Litterarum genera quorum priores Hebraice dicuntur *Otiothaſſeter* ſubductæ; aliæ *Vehammeſcec*, hoc eſt additæ. *Lib. 1. c. 3. p. 170. col. 2.*

II. Interpretis eſt ſcire, quoties Litteræ quas vocant אהוי, videlicet *Aleph* א, *He Vau*, & *Jod*, ſupprimendæ ſunt, & cum aliis mutandæ.

III. Quoniam Codicum Hebræorum Librarii miſcent haud raro *Aleph* cum *He* ה, ad egregium Interpretem attinet diſtinguere, cum Littera ה *He*, in verborum fine poſita; collocanda ſit in Litterarum numero, quas *quieſcentes* nuncupant, quando vero habenda loco Litteræ *Aleph* א.

IV. Peritus ſit oportet, in more Judæorum eſſe *Aleph* א cum *He* ה mutare; & propterea Hieremiam Prophetam c. 25. ſcripſiſſe *Aſcem* אשם cum א, loco השם cum *He* ה.

V. Urget pariter noviſſe, Litteram י *Jod*, in *Aleph* א verti, ו *Vau* in *Aleph* א, & *He* ה; quæque ſint verba, in quibus *Aleph* א quieſcit, & in quibus veluti futilis deletur, licet in verborum illorum contextu ſit. * Mutationes hæ omnes, aliæque, quas nihil attinet memorare, ſuntque referendæ in libertatem, quam ſibi vendicarunt Amanuenſes, id Litterarum genus addendi aut detrahendi, miram confuſionem, atque Interpreti perincommodam in Textu Hebraico pepererunt.

Aliæ multæ ſunt Grammaticæ Inſtitutiones, a ſapienti Scripturarum Interprete non ignorandæ. Siquidem ut ſuperſedeamus quamplurimis Grammatices levitatibus, ut de *Sceva*, de *Dagueſc*, de *Hatephpatach &c.* iiſque omnibus, quæ ad nominum verborumque inflexionem pertinent, Interpres artem tenere debet, revocandi nomina & verba ad radices ſuas; explicandi mutationes punctorum, quæ ab accentibus proficiſcuntur: ſcire proprietates ſingulas, diverſoſque litterarum cum verbis nexus, & diſtinguere ea, quæ ad radicem & Alphabeti neceſſitatem pertinent, ** quæque adjuncta, & ex accidenti ſunt.

* Hinc fit, alia eſſe verba plena & integra, alia manca & mutila. Plena dixeris, quibus appoſitæ ſunt Vocales antiquæ: mutila, quando in ipſis deſiderantur.

** Litteræ, ad Alphabetum e rei natura ſpectantes, ſunt ſecundum doctrinam R. Jonæ Grammatici præſtantis ג, Guimel ד, Daleth ז, Zain ח Cheth, ט Teth, ס Samec, ע Ain, פ Phe, צ Tſade, ק Quoph, ר Reſch: aliæ vero Litteræ ex accidenti ſunt, ſive additæ.

Abſit pariter ab Interprete bono, perſpectas non habere quaſdam Grammaticæ facultatis regulas, quæ non parum ad tollendam Textus Hebraici perturbationem conducunt, eoque præſertim recidunt, conſueviſſe Scripturam res eaſdem, eademque non ſemel verba repetere. Cognoſcat neceſſe eſt, deeſſe in ea multa, redundare, transferri, pluralia ſingularibus addi, ſingularia pluralibus; voces diverſa ratione ſcribi, nomina fœminini generis cum verbis maſculino moreconſtructis, item maſculini cum verbis fœminineo genere compoſitis, alioſque ſimiles uſurpari a communi lege remotos dicendi modos, quorum exempla Grammatici homines non ſubtrahunt.

Oportet denique, egregium Interpretem, ut fieri poteſt, de quorundam verborum pene ignotorum interpretatione erudiri, uti ſunt nomina menſurarum, ponderum, animalium, gemmarum, aliorumque ſimilium.

Ecce tibi præcipuas regulas, a perfecto Textus Hebraici Interprete ſciendas. Non inficiabitur ſane Simonius, eas omnes percipi poſſe a Grammaticis Libris cum manuſcriptis, tum in lucem editis, atque a Lexicis celebriorum ſapientiorumque Rabbinorum, uti R. Judæ Chiug, * Rabbi Jonæ, Aben Eſſæ, ** Davidis Kimhi, *** Eliæ Levitæ, **** aliorumque multorum Grammaticorum, ſive eorum, qui illos ſunt conſecuti.

* Judas Chiug inter Judæos Grammaticos omnium opinione ſapientiſſimus, quem propterea appellant *Grammaticorum primum & Principem*. Cum Rabbinus hic non vixerit niſi Sæculo XI. ad annum Jeſu Chriſti 1030., id induxit Morinum, & Voſſium, ut crederent, vetuſtiorem non eſſe apud Hebræos artem Grammaticam. Verum non eſt ille quidem primus Grammatices Hebraicæ Scriptor, quamvis ei maximam dederit perfectionis acceſſionem. Quod efficitur verbis Davidis Kimhi: *Jam certe*, inquit, *qui præceſſerunt nos, ad eam* Linguam Sanctam *attenderunt, docueruntque vias & regulas ejus ſapientes, qui vixerunt ante nos. Caput autem & dux Doctorum & Inſtauratorum Linguæ fuit ſapiens Jehuda Paſſi, cognominatus Chiug; in cujus tempore perverſa erat in ore hominum corruptaque admodum*. Kimhi in Præf. Libri Michol. Judas Chiug Arabice Opera ſua ſcripſit, inter quæ magni nominis Lexicon, non tamen impreſſum; quemadmodum Grammatice R. Jonæ qui inter meliores vetuſtioreſque Grammaticos Judæos recenſetur.

** Autor hic ex Judæis eſt, quotquot extiterunt, litteratiſſimis, nomenque *Sapientis* adeptus eſt. Ejus in Scripturam Commentaria edita ſunt in Maximis Bibliis Veneta, & Baſileenſi. Grammatice vero Hebraica Typis tradita eſt Venetiis 1546. Aben-Eſra natione Hiſpanus Sæculo XII. exeunte, & XIII. ineunte floruit. Commoratus aliquandiu Romæ Rhodium conceſſit, ibique anno circiter 1217. deceſſit.

*** Præſertim in pretio eſt Davidis Kimhi via & ratio docendi, ejuſque dictionis perſpicuitas. Judæi recentes eum omnibus aliis Grammaticis anteferunt; iidemque Chriſtiani ferme in omnibus ſequuntur tum in Bibliorum Verſionibus tum in Lexicis. Superſtes erat adhuc XII. Sæculo occidente, & latet verum ſuæ mortis tempus.

**** Quamquam R. Elias Levita eſſet Gente Germanus, longius ſuæ vitæ ſtudium Romæ & Venetiis tranſegit: ubi Hebraicæ Linguæ di-

At Simonius ipſe per ſe ſatis ſuper hac re aperit mentem ſuam. Neceſſe eſt, inquit de Calvino diſputans, optimam Scripturarum Verſionem cogitanti Grammaticen Hebraicam plene calere, quod omnino deerat Calvino. Aliquantò poſt ſubdit: Cum dico ad habendam Bibliorum „ Verſionem bonam neceſſum eſſe, Grammaticen Hebraicam tenere, ani- Lib.2.c.24.pag. 346.col.1. „ mus non eſt, Grammaticen iſtam regulis, paullo ante inventis coer„ cere. Sive nanque ex regulis, ut modo fit, ſive uſu ipſo citra artem, „ ut Septuaginta & Hieronymus præſtiterunt, percipiatur, utroque mo„ do ad rectam verſionem faciendam idoneus Interpres erit.

Quo principio ſuadente, quamquam pleraque verba Hebraica ambigua ſint, atque incertæ omnino ſignificationis, poterit quis excellentem Textus Hebraici Interpretationem inſtruere, quin Linguam Hebraicam didicerit alia ratione, atque diſcitur in ſcholis, & Lexicis, Hebraice conſcriptis. En itaque doctus iſte Criticus ſubvertens hoc loco magnum initium illud, quod alibi ſtatuerat ſuper neceſſitate diſcendi Linguam Hebraicam ſecus, atque in Scholis traditur; quod nimirum Idioma iſtud multis verbis, dubie ſignificantibus conſtet. Immo videtur quoque principium iſtud ſatis inanes reddere præceptiones illas, quas aggreſſus eſt exhibere nobis, ut perfectam Hebraicæ Linguæ intelligentiam aſſequeremur. Quorſum etenim tot præcepta ſatis incerta, ſi abſque illorum ſubſidio recte poteſt Textus Hebraicus interpretari?

Denique licet ad Hebraicarum Litterarum ſtudium ſe conferret quis ea ratione, quæ arridet Simonio; modus hic vocum Hebraicarum ſignificationem nunquam ſtatueret: quocumque etenim te vertas, ut Linguam ullam perdiſcas, verba illam conflantia, ſi modo ambigua ſunt, erunt quoque ſemper. Comprehendes, ſi placet, omnes eorum notiones, cognoſces; at ſemper varia poteſtate interpretabuntur.

§. II.

Argumenta Simonii, quibus oſtendit neceſſitatem ſtudendi Linguæ Hebraicæ aliter, ac fit in Scholis, rem nequaquam concludere videntur.

INitio Simonius pro certo poſuit, quidquid artis Grammaticæ nunc traditur in Scholis, depromtum fuiſſe a Libris R. Kimhi, Aben-Eſſæ, Eliæ Levitæ, aliorumque recentium Judæorum; cumque eruditi Gram- Lib.3.c.p.358. col.2.

ſciplina Chriſtianos multos, eoſdemque Cardinales inſtituebat. Judæorum Criticus præclariſſimus exiſtimatur, quique nutantibus Traditionibus ſuis minus adhæreret. Plura lucubravit, fertque opinio, eum funditus Chaldaicas Paraphraſes intellexiſſe: ante omnia vero in Grammatice Hebraica excelluit, de qua libros multos compoſuit, quorum aliqui latine converſi ſunt. Claruit Sæculo XVI.

mati-

matici iſti conſtituerint regulas ſuas ſuper Scripturarum Codice a Maſorethis circumſcripto, contendit Simonius, non potuiſſe illos ſpeciem Hebraicæ Linguæ ſatis amplam animo informare. Quare cum Grammatice, quæ in præſens adhibetur, per ipſum expleta omnino non ſit, * neſciret ſane diverſas, quæ pleriſque vocibus Hebraicis accommodari poſſunt, ſignificationes diligenter indicare, quicumque Litteris Hebraicis operam haud navaret aliter, ac inſtitutione Grammaticarum Rabbinicarum, & paſſim in ſcholis diſcuntur.

Quod ſi Rabbini ſapientes iſti cognitionem ſatis abſolutam Grammatices Hebraicæ non habuerunt, ut inde interpretari poſſent Sacra Biblia adeo cumulate, ut ex Simonii conſilio fieret: fateri non deſino, ægre admodum perſuaderi quemque poſſe, Interpretem Chriſtianum, Criticumque natione Gallum magis Hebraicam Linguam calere funditus, quam perdocti præceptores iſti, qui ſtudium omne contentionemque ſuam in ea poſuerunt; quibuſque, ut illam addiſcerent, adjumenta plura præſto fuerunt, quam Chriſtianis diſciplinæ illius ſtudioſiſſimis.

At quem fugit, inquies, poſt Regulas Grammatices univerſas, de quibus hactenus, e celeberrimorum Criticorum iſtorum Libris decerptas, aliaſque deinceps ſuper Hebraicæ Linguæ inſtituto excogitatas, non abſuiſſe, quominus Grammaticorum cum Judæorum tum Chriſtianorum Principes ad hanc quoque diem digladientur invicem de Litterarum mutatione, de illarum vi, de multarum radice, ipſarumque punctis &c. adeoque de vera illarum ſignificatione? Et propterea ipſorum de Lingua Hebraica præcepta non ſemper certa ſunt, neque item eſſe poſſent. 1. Quia Exempla Hebræa, quibus Sapientes iſti Magiſtri uſi ſunt, differunt pluribus ab antiquis, quod incertiſſimam Textus lectionem reddit. 2. Viæ & rationes illæ, quibus hanc Linguam inſtaurarunt, nequaquam ſunt adeo tutæ ut ambiguitatem omnem de medio tollant. 3. Difficillimum eſt certas præſcribere regulas ad Linguæ inconſtantis, ut eſt Hebraica, intelligentiam. Inficiari denique nemo poterit, Grammaticas regulas, a Rabbinis vetuſtioribus acceptas, ſatis recentes eſſe, quippe VII. Sæculo poſteriores, in quo Lingua hæc ad nihilum pene redacta erat. Ipſarum itaque ope nemo poterit certa efficere pleraque verba Textus Hebraici.

Hæc Simonii momenta nimis æqua ſunt, ut in quæſtionem revocare

* R. David Kimhi primus fuit, qui Grammaticen ederet, eamque *Michol*, ideſt, *Perfectionem* nuncupavit. Hinc opus ſane erat, Librum eſſe genere illo perfectum. Judæi Chriſtianique ſequentium temporum alias iis, quas tulerat, regulas addiderunt. Buxtorfius vero Pater eo ſucceſſu rei tantæ operam navavit, ut ſuis omnibus deceſſoribus anteiverit.

que-

queant. Nihilominus ſi verum eſt, quod contendit ipſe, animadvertit Forſterus, * leviter in Hebraicis litteris tinctos eſſe Rabbinos, neque tutum ſemper eſſe, Interpretationem ſequi per eos verbis Hebraicis adjectam; ** illud aperte conſequens eſt, quæcumque hic objecta a Simonio ſunt, ſpem omnem præcidere nobis, hac aliquando fruendi felicitate, ut Verſionem hactenus editis emendatiorem habeamus. Si nanque ſentit Criticus hic, conſilio huic, opere præſtando, ſatis non eſſe præceptorum Grammaticorum ſtudium, ut paſſim in ſcholis colitur: alii quoque fortaſſis Sapientes dicent in rem ſuam, Criticas leges ſuper hoc negotio ab iſto Scriptore traditas nihilo videri ſolidiores, aut minoribus incommodis obnoxias. Quod ſequenti §. nos probaturos eſſe confidimus.

§. III.

Criticæ Simonii præceptiones ad perfectam Hebraicæ Linguæ intelligentiam non ſunt undequaque accuratæ.

ILlud profiteamur neceſſe eſt, perbeatum, eundemque ſatis eruditum fuiſſe Simonium qui Linguam Hebraicam, Rabbinorumque libros non modo ipſorum inſtar intellexerit, in iiſque, quæ hujus Idiomatis Magiſtorum aciem fugerant, introſpexerit; verum etiam ætate noſtra, ut fert ipſe, Linguam tot ſæculorum intervallo deperditam invenerit, nobiſque ad eam perveniendi ſemitam certiſſimam ſtraverit. Quæ ſi ha-

* Theologus hic proteſtans Lexicon Linguæ Hebraicæ concinnavit, Simonii judicio probatiſſimum. In Præfatione conſiderat, ſe ſatis mirari non poſſe, Chriſtianos tanti facere Judæorum Commentaria, in quibus neque via ingenii lucet, neque Dei cognitio, neque Artium, vel Linguarum, ne demta quidem Hebraica, intelligentia: quibus addit: *At quod ad Sacræ Scripturæ intelligentiam atque etiam Hebrææ Linguæ cognitionem attinet, præſtiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil. Nam Dictionaria & Commentaria ipſorum plus obſcuritatis & erroris in Eccleſiam Chriſti invexerunt, quam lucis & veritatis.* Joannes Forſterus ex Proteſtantibus Theologus diem ſupremum obiit Vvirtembergæ 8. Decembris 1556.

** Si fides eſt Davidi Kimhi, & Talmudis Auctoribus, celeberrimi Rabbinorum verba multa Hebraica ex Arabica & Græca Lingua promſerunt, vel fortuito ab advenis, iiſdemque Mercatoribus, & Ancillis. *Deprehendimus*, inquit Rabbinus hic, *Magiſtros noſtros Linguam de Lingua didiciſſe, cum dicunt in Talmude neſciebant Magiſtri noſtri quid eſſet* טאטיתא *tatitha, audierunt ancillam cujuſdam Rabbini dicentem cuidam mulieri: accipe tatitha, ideſt ſcopas, & ſcopa domum. Neſciebant quoque Magiſtri noſtri, quid eſſet* יהבך *jehabca, audierunt quendam Arabem mercatorem dicentem cuidam homini: accipe onus tuum, & impone camelo. Præterea ſtabilierunt nonnulla præcepta ſupra linguam alienam, ut cum dicunt, quis eſt ſenſus iſtius dictionis* יובל *jobel? ſignificat illa arietem. Dixit enim R. Akiba, cum ambularem per Arabiam vocabant Arietem Jobela &c.* Morinus bene longum Talmudis locum recitat, in quo dicitur, unde hauſerint Rabbini multarum vocum Hebræarum poteſtatem. Exerc. Bibl. Exerc. 6. c. 5. pag. 226.

ſi habeamus explorata, quis infieias ibit, felix inventum hoc ad Sæculi noſtri dignitatem pertinere, atque inter illuſtriores egregioſque, a Critice per hæc tempora partos, fructus eſſe collocandum?

Poſtulat itaque in præſenti res, ut diſpiciamus anne ſatis tuta & accurata ſit nova hæc via & ratio diſcendi, vitiiſque illis careat, quæ in communibus Grammaticis emergunt. Quicumque itaque cumulatam Hebraicarum Litterarum notitiam aſſequi ſtudet, ab his, ait Simonius, ne flectat. 1. Intereſt conſulere veteres Interpretes Græcos, & Judæos in Lingua Hebraica peritiſſimos; 2. His addi poterunt S. Hieronymus & Maforethæ. 3. Se referat ad antiquarum Verſionum interpretationem; quin prætereat alias Linguas, ad earum cum Archetypo collationem habendam appoſitas. Denique adhibebit Concordantias Corradi Kirkeri; & Marii de Calaſio.

pag.359.col.2. pag.360.col.1. & 2.

Porro illud nobis commode accidit, non urgeri nos, ut adoſtendenda præceptorum iſtorum vitia aliunde argumenta mendicemus; cum nihil requiratur ulterius, quam ea cum ipſis Simonii principiis comparare.

Si ex ejus mente a primis Sæculis innumeris locis interpolatus fuit Textus Hebraicus; ſique Verſiones omnes ſunt mendoſiores; ſi Græci Interpretes, Doctiſſimi Rabbinorum in Lingua Hebraica; Origenes, S. Hieronymus, aliique Patres, & Maſoræ Scriptores iis in erroribus verſati ſunt, quos alibi retulimus, iiſque tribuit Simonius; non erit facile perſuaſu, poſſe quem Scriptorum iſtorum conſulto perfectam intelligentiam, intimamque Hebraicæ Linguæ vim aſſequi, & conſtantem certamque vocibus Hebraicis ambiguis ſignificationem accommodare. Idque eo magis, quo Autorum illorum nemo, Critici hujus confeſſione, Linguam illam plene perſpectam habuit, neque ſatis amplam ipſius ſpeciem animo informavit. Contendit denique, hoſce omnes doctos Scriptores corruptiſſimas tantum Verſiones feciſſe, præjudicatiſque citius opinionibus ſuis, quam Textus Hebraici Litterali ſenſui adhæſiſſe.

Quamquam autem Græca veteris Teſtamenti *Concordantia*, a Conrado Kirkero Cl. Proteſtante Auguſtenſi edita Francofurti anno 1607. duobus vol. non mediocris utilitatis ad ſacros Libros intelligendos opus ſit, & Lexici Hebraici loco haberi poſſit; gravem tamen in ea culpam notant, quod nimirum in Græco Septuaginta Interpretum ab Editione Complutenſi, quæ germana ipſorum Verſio non eſt, haud receſſerit.

Concordantia Marii de Calaſio, * quæ revera vocum Hebraicarum Biblio-

* Marius de Calaſio, Ordinis Minorum, Hebraicæ Linguæ Profeſſor Romæ, prelo ibidem dedit *Concordantiam* ſuam 4. Volum. in fol. anno 1621. In Margine poſitæ ſunt Verſionum Septuaginta & Vulgatæ varietates, ut obtutu uno pateat, in quibus tria Biblia hæc diſcrepent, & in quibus concinant. Inſuper præfefert quoddam Lexici genus, in quo

rum

rum, quæ in Libri contextu ſunt cum Verſione Latina, *Concordantia eſt*, ad perfectam verborum Hebræorum vim intelligendam magno erit emolumento. Nihilo ſecius cum Hebraicæ hujus *Concordantiæ* ſumma a *Concordantia* Judæi R. Nathan manaverit, atque a R. Mardochæo aucta deinceps fuerit, non putamus eam Linguæ Hebraicæ ſatis amplam notionem imprimere. Quamobrem neque iſta, neque Conradi Kirkerii *Concordantia* tanti eſſe poſſunt, ut vocum Hebraicarum ambiguam ſignificationem conſtituant, certam reddant, diverſaſque, quæ plerisque verbis Hebraicis apponi poſſunt, interpretationes ennumerent accurate.

Id quidem ultro datum volumus Simonio, præcepta ipſius de abſoluta Linguæ Sanctæ peritia ad definiendum non prorſus certum alicujus vocis Hebraicæ ſenſum non parum poſſe conducere: verum via hæc & ratio omnem ne ſcrupulum evellet, qui oriri poterit ſuper ea, quam habet, Linguæ Hebraicæ eruditione, ſuper novæ Grammatices ſuæ regulis, & ſuper excogitati ab eo Lexici accuratione? Utrum inducet omnes, ut cum eo ſentiant aut de Textus Archetypi Lectionibus, aut de explicationibus a nova Grammatice petitis; aut eo trahet, ut credant, tutum ſemper fore ipſum ſectari? Confidimus ſane, non laturum gravate Simonium dubitantes nos, an quæcumque tradidit, traditiſque ſuperſtruere poteſt, de Hebraica Lingua præcepta, ita recta ſint, perſpicua, & accurata, ut univerſas Grammaticorum controverſias dirimant de Litterarum mutatione, poteſtate, punctis, multorum verborum radice, &c. Neque item moleſte accipere debet, nos haud omnino perſuaſum habere, ex ipſius inſtituto impleri poſſe omnibus numeris conſilium ſuum; neque illum leges ſuas ſuper Exemplaribus, quam fuerint Rabbinorum Codices, emendatioribus ſtatuiſſe, ut omnem Textus Hebraici ambiguitatem tollant; neque tandem poſt tot pronunciata & præcepta ſua minus inconſtantem eſſe Linguam Hebraicam, aut per ea ipſius inconſtantiæ mederi poſſe.

cujuslibet vocis Hebraicæ notionem indicat, & comparat ſimul cum aliis cognatis Linguis, Chaldaica videlicet, Syriaca, & Arabica, quod magnam habet ad verba Hebræa cognoſcenda opportunitatem.

Digitized by Google

ARTICULUS X.

De aliis nova hujus via regulis. In quam rem Spanhemii locus recitatur.

SUpereſſet quidem nonnullas ſuper aliis documentis a Simonio additis dubitationes ſigillatim afferre; verum quoniam præcipua, quæ in ea intentari poſſunt, objecta ſuperius attigimus, ſatis erit, ut moleſtiam repetendi evitemus, huc traducere quæ animadvertit Spanhemius in epiſtola ad quendam amicum data, & Pariſienſibus Typis 1678. vulgata, in qua ipſi Hiſtoriæ Criticæ rationem reddit. Hoc etenim ſcripto ſtrictim refert quæcumque in Simonianas urgeri poſſunt inſtitutiones, de quibus oratio eſt.

Epiſt. Spanhem pag. 601. col. 2. & ſeq. Gall.

„ Quis, inquit, pro Simonio ſpondebit de ea, quam prætulerit, ratio-
„ ne affingendi puncta, vel vocales Litteras mutandi adverſus Maſore-
„ tharum, aut Veterum Verſionum, aut Magiſtrorum Hebraicæ Lin-
„ guæ cum Judæorum tum Chriſtianorum autoritatem; quod ſtatim
„ novum in Textus hujus Sacri Linguam explicationis ſenſum invehit?
„ Quantumvis deferat Capelli Criticæ ſuper hoc Textu facultati; quam
„ dici poterit, præcipuum eſſe debere Operis ſui fundamentum; non
„ deſinit tamen multa quoque in ipſa reprehendere, & tueri, vel Ca-
„ pellum immodice varias Scripturarum Lectiones auxiſſe, vel perquam
„ modice Maſorethis tribuiſſe. Cumque nihil certi aut indubitati ipſius
„ opinione ſit, tum in præclara hac Judæorum ſuper Sacris Litteris Cri-
„ tice, tum in vetuſtis Verſionibus, ſive Græcæ ſive Latinæ Eccleſiæ pro-
„ batis, tum in intelligentia Linguæ Textus Archetypi, quæ in præſens
„ habetur, & multis retro ſæculis habita eſt; quid firmitatis, quid aucto-
„ ritatis ex hac nova Interpretatione redundabit? Integra ne res erit
„ judicio tuo, ſi dicas, eam Simonianis regulis accommodatam fuiſſe?
„ At dum propterea Patris hujus judicio & eruditioni ſubjicitur; non-
„ ne ſubditur pariter Critice cujuſvis alii, qui ſe aut ipſi parem, aut
„ doctiorem exiſtimet? Cui diſciplinarum Hebræarum ſtudioſo ratum
„ erit, Simonium ætate hac regulas apponendi puncta melius tenere,
„ intimumque jacentis hujus Linguæ ingenium aſſecutum fuiſſe, quam
„ antiqui illi præſtanteſque Maſorethæ, quam ceteri omnes Judæi Criti-
„ ci, qui curam omnem diligentiamque ad id contulerunt; patrum ſuo-
„ rum traditione ad eos manaverat: & antiquiora minuſque vitioſa Tex-

„ tus

„ tus hujus Exempla poſſidebant? Quis eorum, qui cum Morino, aliiſ-
„ que tum ante tum poſt ipſum plurimis, vetuſtas Verſiones Textui
„ Hebraico anteponunt, perſuaſum habebit, Textum hunc, a Simonio
„ ad Critices ſuæ præcepta revocatum, futurum Archetypo veteri ma-
„ gis affinem, ac Codices tot ante ſæculis, ſive a Septuaginta Interpreti-
„ bus, ſive a Vulgatæ Scriptore in deliberationem vocati? Nulla eſt, ſi
„ ipſum audis, Providentia divina, nulla Patrum aut Conciliorum au-
„ ctoritas, nulla Eccleſiæ his vel illis conſentiens Traditio, quæ huic
„ Criticæ arti reſiſtat. Ceterum quid inquiet Simonius, ſi Critice ipſius,
„ quantuncumque demum illam amplificet, non eſt tamen vel ad Au-
„ ctorum profanorum correctionem & explicationem admittenda? Illud
„ certe ignorare non potes, ingenioſiſſimos Operum Græcorum & Lati-
„ norum Criticos regulas ſeveriores afferre, neque tantam pati, aut
„ concedere licentiam, quantam largitur Simonius tum in Textu Libro-
„ rum Sacrorum inſtaurando, tum in nova Verſione inſtituenda. „

Verum enim vero licet Simonio daremus ultro, regulas Criticas, ab ipſo pro nova Interpretatione traditas, accuratas eſſe, aut firmas adeo, tutaſque, ut res poſtularet; reliqua tamen eſt aliqua de illis dubitatio. Videtur etenim Critici illius fuiſſe, alias adjungere leges, quibus rectus uſus fieret ante poſitarum. Atque illud non eſt abs re dicere, eum ſe gerere inſtar Hiſtorici, qui magnifice jactans ſe Chronologiam in ordinem aliis, quotquot Sapientes tenuerunt, accuratiorem redacturum, ut abſoluta habeatur annorum notitia, qui ab Orbe condito ad Chriſti adventum præterfluxerunt, hanc viam & rationem teneret. Unaquæque Chronologia ſupputationem quandam ponit, quam ſequitur. Porro illud neceſſe eſt ante omnia conſtituere, utrum ex Verſione Vulgata, aut Septuaginta repetenda ſit Scripturarum Chronologia. Quare cum Verſio Septuaginta ad Textus Hebraici normam facta ſit, Textus hujus ratio ſubducendi annos anteferenda eſt rationi Septuaginta. Quoties enim ſermo eſt de ſumma ineunda, ſtandum citius eſt ei, quam tradit Textus Archetypus, non vero illi, quæ oritur a Verſionibus ex eo comparatis.

Poſito principio iſto, diceret exinde Hiſtoricus hic, expendere præſtat annorum numerum, qui a condito Orbe ad Diluvium interceſſerunt, a Diluvio ad Abrahæ vocationem, quique ſignanter indicandi ſunt, non ſecus atque illi, qui exierunt a fuga Ægyptiaca ad conſtructionem Templi Salomonis. Nefas erit haud ſignificare, an interregna temporibus Judicum includantur nec ne in tempore Liberatorum iſtorum populi Iſraelitici. Calculis denique accurate ſubductis annorum, qui ab extructo Templo ad exitum e Captivitate Babylonica, atque deinceps ad nativitatem Jeſu

Digitized by Google

Chriſti præterierunt, ſervatis diligenter initio, fine, & Interregnis Regum Judaicorum, aliarumque Nationum, ut quæ deſunt in Scripturæ Chronologia impleantur; tum etiam numero Summorum Pontificum, annorumque, quibus Supremo Sacerdotio functi ſunt: his exactis, concluderet eruditus hic Hiſtoricus, emerget Chronologia hactenus inſtitutis accuratior.

Nemini revera dubium eſſe poteſt, rectiſſimam fore Chronologiam iſtam, quæ caret tantummodo legibus ad hanc rationem ineundam idoneis, Ecce, ut videtur, quo propemodum recidit via docendi Simonii. Primo loco Textum Archetypum ſtatuit; petit deinde, ut plures inter Textus hujus Lectiones melior in Verſionis contextu collocetur, ne Interpretatio eum varia Lectione miſceatur; ut omni animi diligentia Textus diſtinguatur ab iis, quæ Textus non ſunt; ut puncta mutentur, quoties rite poſita non videntur; ut Textus Archetypus Verſionum ope, Verſioneſque Archetypi ſubſidio reſtituantur; ut denique ceteræ Criticees regulæ non omittantur. At multis id conſtans erit & ratum, neceſſum eſſe, alias regulas cogitare, quibus hæ ſerventur. Quod a Simonio præſtolamur, ſive ab iis, qui conſilii ſui ſpecimen probant & documenta: ſi tamen amant nos veſtigiis eorum hærere.

At ponamus pro certo, edidiſſe in lucem Simonium Sacra Biblia; ad legum ſuarum præſcriptum efformata, exitumque revera notioni illi reſpondiſſe, quam animo adumbraverat: quis affirmare poterit, Verſionem ab eo elaboratam magis Textui Archetypo accedere, quam Verſio S. Hieronymi, Septuaginta, aliorumque accedat, qui Textum eundem
Hiſt. Crit. l. 3. c. 1. pag. 353. col. 2. interpretati ſunt? „ Quandoquidem per eum Archetypus hodiernus graviſſimis vitiis notatur, innumeris locis corruptus eſt; Verſioneſque „ cum Græcæ tum Latinæ ſunt multo mendoſiores. „ Servata ſane ratione iſta, tanti operis erit dicere, novam Interpretationem magis Hebræum Textum referre, ac Verſiones Septuaginta, S. Hieronymi, aliæque: quanti pronunciare, utrum Pictor imaginem aliquam feliciter ſit imitatus, cujus cum autographum tum exemplum perierunt. Poſtremo licet propugnare quis vellet, inſtitutam ab ipſo Verſionem apprime Textui Archetypo congruere; tum fas erit nobis Simonii conceſſione eo uti argumento, quod affert, ut oſtendat parum accuratam ſupputationem, quam ediderunt Rabbini, Punctorum vocalium, Accentuum, verbo-
Hiſt. Crit. l. 1. c. 26 pag. 140. col. 2. rum, & verſiculorum Biblicorum. * „ Quamquam, inquit, verum „ eſſet,

* Teſtatur nobis Simonius, ſe vidiſſe Perpiniani vetuſtum MS., in quo reperitur omnium rerum iſtarum enumeratio hoc pacto: *Parſcioth*: ſive magnæ Geneſeos Partitiones ſunt duodecim. Quæ vocantur *Sedarim*, hoc eſt Ordines, ſunt 43. Verſiculis conſtat 1534., verbis 20713., Litteris 78100. Continet Exodus *Parſcioth* 11. Sedarim 33., 1209 Verſiculos,

„ eſſet, Judæos univerſas Textus Hebraici Litteras recenſuiſſe, totidem-„ que eſſe etiam nunc appareret; nihil inde effici poſſet, niſi eos Exem-„ plorum ſuorum litteras numeraſſe, quod non indicit quidquam aliis „ Codicibus commune; quandoquidem apud Maſorethas nequaquam „ erant germana Archetypa, neque ullum eſt præter primum Archety-„ pum, a quo cetera dirigenda; eoque magis, quo Amanuenſes ma-„ gnum detrahendi addendique Litterarum numerum ſibi libertatem „ vendicarunt. „ Convenire igitur inter nos & Simonium poſſet, Novam Interpretationem ſuam futuram magis Textui hodierno Hebraico ſimilem, quam Verſiones antiquæ, at id nihil indicere eum vetuſtis Textus exemplaribus, neque item cum ejuſdem Textus antiquis Exemplis commune; quæ caſtigatiora præſentibus emendatioraque fuiſſe par eſt.

ARTICULUS XI.

Non apparet, Simonium in nova Interpretandi ratione ullum Traditionis autoritati locum dare.

UT quod æquum eſt Simonio tribuamus, libenter fatendum eſt, eum centies in Scripturarum Interpretatione Traditionis neceſſitatem cognoviſſe. Ab ipſo Hiſtoriæ Criticæ Proœmio declarat, „ nihil certi de Religione affirmare quem poſſe, niſi Traditionem cum Scri-„ pturis conjungat; ſique juris regulam a facti præſcriptione ſejungat. „ . . . . . . Ex Vetuſta hac Chriſtianæ Religionis Epitome difficilia Bi-„ bliorum loca interpretanda eſſe . . . . . . Propterea Concilii Triden-„ tini Patres juſſiſſe prudenter, neminem adverſus unanimem Patrum „ ſententiam Sacras Litteras explicare. „ *Conc. Trid. Seſſ. 4. Decr. de Script. Can.*

Alibi legere eſt verba hæc animadverſione digna. „ Extitit perpetuo „ in Eccleſia quædam Religionis Synopſis a Scriptura non pendens, ad „ quam redigendum eſt quidquid in ipſa Scriptura obſcurum eſt. Ordi-„ nem hunc ſecuta ſunt Concilia in Deciſionibus, in quibus Epiſcopi „ narrabant Fidem in ſuis Eccleſiis receptam. Non eſt viſum ipſis, „ confugiendum eſſe neceſſario ad Grammaticos, & in Critice peritos, *Hiſt. Crit. l. 3. c. 10. pag. 405. col. 1.*

63467. Litteras. Complectitur Leviticus Parſcioth 10., Sedarim 25. Verſiculos 859. voces 11902., Litteras 44989. &c. Animadverſum in Talmude eſt, Litteram *Vau* ו in Verbo *gehon* גחון Levit 11. 42. totius Pentateuchi mediam Litteram eſſe. Hiſt. Crit. l. 1. c. 26. pag. 139. col. 2.

„ ut

Ibid. c. 6. pag. 376. col. 1.

„ ut locus aliquis Bibliorum difficilis explicaretur. „ *Fieri nullo modo poteſt*, inquit alibi, *ut Libri divini explicentur, niſi ex notionibus quas de Religione invexit Traditio*. Demum neceſſitas Traditionis in Scripturarum Interpretatione ita eſt in univerſo Simonii Opere firmiter conſtituta; ut Proteſtantes, qui in illud arma verterunt, * in hoc præcipue doctrinæ capite vim poſuerint, tanquam eorum omnium fundamento, de quibus in Hiſtoria Critica diſputat.

Cui vero non inſediſſet opinio fore, ut autoritas Traditionis eſſe deberet, eſſetque unum novæ docti hujus *Rabbaniſtæ* viæ & rationis fulcimentum, ** unde perfectiorem hactenus editis Bibliorum Interpretationem compararet? Attamen non videtur verenda hac auctoritate uti velle; ſi de re hac ex ipſius principiis tranſigendum ſit, immo ex regulis in Verſionis ſuæ inſtituto latis.

Qui profecto invicem hæc componere? Hinc affirmare *fieri nullo modo poſſe, ut Libri divini explicentur niſi ex notionibus, quas de Religione invehit Traditio*: illinc vero in Scripturarum Interpretatione Critices luminibus, quod facit Simonius, deferre magis, quam Eccleſiæ & Patrum autoritati, ex quorum teſtimonio manat Traditio? Promptum eſſet plura loca recitare, in quibus ſuper hac re aperit mentem ſuam; at ſatis erit duo vel tria innuere.

Hiſt. Crit. l. 3. c. 27. p. 158. col. 2.

„ Sixtus Senenſis, inquit, novas omnes Litterarum Sanctarum Interpretationes rejicit; quod nequeant niſi perturbationem in Religionis negotium inducere, neque alius ſit diverſas opiniones conciliandi modus, quam Eccleſiæ judicio rem ſubmittere, ad quam unam pertinet veras Scripturarum Interpretationes a mendacibus ſecernere . . . un-

* Autor Procœmii Editionis Hiſtoriæ Criticæ a Leers inſtructæ, narrat, in quadam Synodo, apud Batavos celebrata, parum abfuiſſe Patres, quin libellum ſupplicem ad Belgii Provinciarum Proceres darent, ut Simonii Hiſtoria Critica ſupprimeretur, quam contendebant repugnare maxime Proteſtantium initiis, quippe eos Traditioni ſubjicere conaretur. Veilius Miniſter in Epiſtola ad Boylium Fulhamo datam 14. Maii 1678. probare nititur adverſus Autorem Hiſtoriæ Criticæ Veteris Teſtamenti unam eſſe Fidei regulam Scripturam Sanctam. P. Ambrunus Miniſter item in reſponſione ad Hiſtoriam Criticam typis commiſſam Rotterodami 1685. æque ac Autor Libri inſcripti: *Senſa nonnullorum Theologorum Batavorum de Hiſtoria Critica V. T. Gall.*, aliudque Scriptum, cui titulus: *Propugnatio eorundem Theologorum* reprehendunt acriter Simonium, quod omnia ad Traditionis autoritatem referat, atque hinc, ut videtur illis, Scripturarum dignitatem imminuat.

** Hoc pacto nuncupat ſemetipſum Simonius in Epiſtola 14. Septembris 1684. miſſam ad Fremontium de Ablancurtio, qui in Epiſtolis omnibus ad Simonium nullo alio, quam *Caraitæ* nomine ſignabatur; & propterea Simonius paſſim *Rabbaniſtæ* nomen uſurpabat in iis, quæ ad ipſum reddebat, ut alteri opponeret. Notatione 58. in Epiſtolam xix. Anecdotorum Simonii Rotterodami apud Leers 1702. pag. 168.

de

„ de colligit neceſſum eſſe in Traditione quieſcere, quam in id genus „ difficultatibus exhibet nobis Eccleſia. At videtur mihi nimis initium „ hoc ſuum amplificare, & occaſionem nactus omnia prorſus ad Eccle- „ ſiæ autoritatem redigendi, in iis, quæ Religionem attingunt, pote- „ ſtatem ipſi conferre, ut de rebus Criticis tantummodo & Grammati- „ cis pronunciet. * „ Audis clarum hunc Criticum, negantem Eccleſiæ facultatem varias de Scripturis opiniones componendi, videlicet internoſcendi germanas fallaceſque Interpretationes, cauſſamque prætexentem, quæſtiones iſtas ad Criticen ſolum & Grammaticen pertinere: ſive, ut melius dicamus, videtur ex ejus mente deciſio Quæſtionum ad Sacras Litteras ſpectantium eſſe potius e re Critica & Grammatica, quam Eccleſiæ, quod non convenit cum iis, de quibus nos ipſe ſuperius monuit. *Non viſum fuiſſe Patribus Conciliorum, confugiendum neceſſario ad Grammaticos, & in Critice peritos; ut locus aliquis Bibliorum difficilis explicaretur.* Lib. 2 c. 10. p. 405. col. 1.

Quod autem eſt Patrum Eccleſiæ, cujus unanimis ſenſus Traditionem parit, habeto qui loquatur. „ Non deſunt inter nos ad hanc diem Vi- In Præfatione. „ ri Litterati, qui id unum urgent, eoque contenti ſunt, ut colligant, „ quæcumque ſuper Bibliis Sanctis in Patrum Operibus reperiuntur; „ quaſi vero magis Patribus, quam aliis Interpretibus res proſpere ceſ- „ ſerit . . . . . Certum eſt Patribus pleriſque defuiſſe quædam neceſſa- „ ria ſubſidia, tempuſque ipſum eos defeciſſe, ne ſe altius in graviſſi- „ mas Quæſtiones Biblicas inſerrent. Commentaria novorum Interpretum „ Veterum Commentariis debent pluribus locis præſtare. „ Ulterius quoque alibi progreditur. „ Non ſemel accidit, dicens, Patres Biblio- Lib. 1. c. 13. p. 82. col. 2. „ rum Textum ad ſenſum ſuum accommodare; atque anceps conſilium „ eſſet, Codices ipſorum citationibus reficere. „

At enim, ſi hæc vera ſunt, inquies, non video, qui potuerit Simonius mandare Litteris. *Fieri non poſſe ut Divini Libri explicentur, niſi*

* „ Simonius, inquit Hæreticus quidam magni nominis, Critices ſuæ „ regulas in notum Sixti Senenſis „ opus exercens, aſſerit, nimis eum „ Eccleſiæ autoritati tribuere, cum „ tribuit poteſtatem ferendi judi- „ cium, de rebus ad Criticen & „ Grammaticen unice pertinentibus. „ Interea autem Criticen & Gram- „ maticen iſtam ſenſorum hujus San- „ ctæ Scripturæ Dominam & judi- „ cem renunciat, quibus in Opere „ univerſo jus ſtatuit Sacrorum Li- „ brorum Textum reſtituendi, ſeli- „ gendi explicationes vocum ambi- „ guarum, aut Punctorum, quæ in „ Bibliis verba mutant, inſtaurandi „ denique cum Textum archetypum „ tum veteres Verſiones: quod idem „ eſt ac dicere: Religionem per „ eum a Scriptura non pendere; „ hanc autem Scripturam Criticæ „ & Grammaticæ arti Patris hujus „ & ſectatorum ejus ſubmitti, eandemque Criticen & Grammaticen „ eſſe Eccleſiæ minime obnoxiam. „ Spanhemius in Epiſtola ſua pag. „ 609.

ex

ex notionibus quas de Religione invexit Traditio ad hanc redigendum eſſe quidquid in Scripturis obſcurum eſt ; quandoquidem Traditionis hujus aliæ ponit præter Eccleſiam & Patres fundamenta, quos non videtur, ut ferunt principia ſua, judices iſtorum idoneos agnoſcere. Eccleſia per ipſum facultate non pollet pronunciandi de rebus, quæ ad Criticen & Grammaticen ſolum attinent, atque in iſtas videtur omnes Bibliorum difficultates redigere. Sanctis Patribus, ſi eum attendimus, nihilo magis, quam aliis Interpretibus res proſpere ceſſit : idemque anceps conſilium eſt, Codices ipſorum citationibus reficere. Neque pariter comprehendere animo poſſumus qui dixerit, *Patres Concilii Tridentini juſſiſſe prudenter, neminem adverſus unanimem Patrum ſenſum Divina verba explicare ;* Sapientum erit decernere, utrum Doctrina hæc Simoniana Decreto huic Concilii Tridentini reſpondeat, cui tamen adeo honorifice ſubdi videtur. *

Nihil eſt, cur a flagranti hoc *Rabbaniſta* præſtolemur, cum hærere Traditioni in nova ſua Interpretandi ratione, qui univerſa ad momenta Critica traducit, quique cum Traditionem, tum Scripturas Critices ſuæ legibus videtur ſubjicere. Satis eſt oculos ad pleraſque ejus inſtituti præceptiones convertere. Intereſt ne Textum ſeligere, qui novæ Verſioni ſuæ fundamento ſit? rationis tantummodo conſulit intelligentiam. Oportet meliorem Lectionem ſtatuere, quam in contextu Interpretationis ponat, quæque ſine controverſia ad intimam Scripturam ſæpius pertinet, ipſiuſque pars eſt? Tanti Viri ingenio tribuendum eſt, cum hanc vel illam Lectionem anteferre, non vero Traditioni Eccleſiæ, quæ eam ſervaverit. Nonne quæſtio eſt diſpiciendi, quæ revera ad Textum ſpectent, quæque non? Negotium vertit ſuper punctis aliquibus, quæ Archetypi Textus ſenſum crebro mutant, * quemadmodum diverſa Accentuum &

* Decretum Concilii hoc pacto exaratum eſt. *Sancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia decernit ; ut nemo ſua prudentia innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia ; cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat ; etiamſi hujuſmodi Interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent.* Conc. Trid. Seſſ. 4. Decr. de Script. Canon.

* Animadvertit Morinus, vocem דבר *dabar* ſcribi, & enunciari poſſe octo modis, qui res apprime diverſas ſignificant. 1. דבר *dabar*, verbum, res, ſermo. 2. דבר *deber*, peſtis. 3. דבר *debir* aditum, oraculum. 4. דבר *babar*; cum a poſteriori brevi, dixit, locutus eſt. 5. דבר *dober*, loquens. 6. דבר *dabur*, dictum. 7. דבר *debor*, loqui. 8. דבר *daber*, loquere. Libro c. Exerc. Exercit. 6. c. 2. pag. 195.

In-

Inciſorum poſitio? Id omne, ut opinatur ille, quantumvis reipſa Scripturas attingat, liberum eſt Interpreti, qui jus habet mutandi, addendi, detrahendique a Textu, quæ magis libuerit, ubi meliorem ſenſum deprehendat. Id omne neceſſe eſt, Critices ſuæ regulis obtemperare, atque apud Tribunal ſuum diſceptari. Si Traditio, Eccleſiæ judicium, Patrumque autoritas minimam in hoc partem ſibi vindicaret, exclamaret veluti adverſus injuſtam occupationem Simonius, quæ in ſupremæ Artis ſuæ jura fieret, neque ceſſaret centies repetere; *non eſſe hoc loco negotium ad Fidem ſpectans*. Theologi revocent ad judicium, utrum in arbitrio ſit privati hominis invertere, addere, aut demere, ut fert animus, cum ipſi videbitur ſenſum meliorem offendiſſe, aliquid, quod ad ſummam cogitata, & ſenſa Archetypi Textus attineat; quin Eccleſiæ Fidem attingat. *Hiſt. Crit. in Præf.*

Nihilo ſecius quam eſt verendum, idem exprobratum in Simonio, quod exprobrat ille Proteſtantibus, ipſique nobis! „ Non providerunt, inquit, Proteſtantes, cum Traditiones Catholicorum perinde ac humanæ ſint, abjiciunt, ſe in idem vitium delabi, quod Catholicis crimini „ vertunt; quoniam ut genuinum Dei verbum admittunt Bibliorum Interpretationes, quæ plerifque locis nihil niſi humani præſeferunt. „ Porro Simonii Interpretatio, quandoquidem in nova ſua interpretandi ratione multis locis non ad Traditionem, ſed ad Critices ſuæ regulas ſe recipit; ut ſit veroſimile, non afferet undequaque purum Dei verbum, & nihil niſi humanum pluribus locis continebit. *Lib. 3. c. 4. p. 358. col. 2.*

Conſecutio hæc natura ipſa manat e principio, quod ſtatuit his verbis. „ Interpretis Bibliorum, inquit, eſt, in margine diverſas Interpretationes locare, quæ verbis Textus Hebraici ambiguis reddi poſſunt; „ ut diſcrimen eſſe poſſit eorum, quæ revera verbum Dei ſunt, quæque ipſius tantummodo Verſio, probabilitatis finibus circumſcripta. „ Hæc argumentatio nonne unumquemque certiorem efficere debet, abſque Traditionis lumine neminem poſſe inter multas Interpretationes eam ſeligere, quæ verum Dei verbum ſit? Quandiu Criticis eam ſtatues documentis, nihil niſi probabile complectetur Simonii ipſius confeſſione, neque certo erit ſincerum Dei verbum; & propterea inſtituta Verſio humanis tantum rebus conſtabit omnibus locis illis. Sapientis itaque Rabbaniſtæ hujus munus erat aperire nobis quid inter Verſionem ejus, & Proteſtantium intereſſet, cum utræque quidquid pene habent accurati, id Criticis regulis acceptum referre debeant. *Ibidem.*

Sed heus tu, dicere poſſet Simonius, nonne apertum eſt, in præſenti de Critice, non de Fide negotium tranſigi? Nonne animadvertimus in Præfatione Hiſtoriæ Criticæ, & centies iteravimus, quamquam Concilium

Tridentinum ſanxerit, non eſſe in Scripturarum Interpretatione a Patrum explicationibus recedendum, cautum tamen privatis hominibus non feciſſe, ne alias Verſiones quærerent, ubi Fidei caput non eſſet? Exciditne memoria reſponſum, quod in rem hanc Spanhemio dedimus, id genus Interpretationum privatorum hominum Opera eſſe, qui carent autoritate, ut ipſorum Verſiones tamquam authenticæ in Eccleſia recipiantur? Denique quis diſſimulabit, nos inter novæ rationis Interpretandi præcepta haud oblitos fuiſſe Traditionis; cum eorum quoddam doceat, conſulendas eſſe veteres Interpretationes, melioreſque tum Judæos tum Chriſtianos Interpretes, queis accedent Opera Patrum?

In Reſp. ad ejus Epiſtolam Gall. p. 650. col. 2.

Verum incommode cadit, reſponſa hæc obcæcantia in Simonium ipſum recidere. Si foret hic ſermo de Bibliorum Interpretatione magis ad Grammaticen exacta, elegantiori ſtylo utente nitidiori & clariori, haud ægre fateremur, Criticas Leges admodum huic conſilio collaturas. At quæſtio eſt, ut ſuperius probavimus, de Verſione quoad ſenſa & cogitata perfectiori, quod profecto rei Criticæ non eſt, niſi accedat ipſi Traditio, utpote per ſeſe ad fidem pertinens. Si vero inſiſtat rurſus Simonius, conſilium ſuum nullatenus ad Fidem ſpectare; exploratum ſemper erit, Interpretationem ejus incorruptum Dei verbum haud reddituram, & locis multis humanum opus tantummodo futuram; quoniam Scripturarum Divinitas, undecumque ſumatur, Criticis Legibus ſubmittenda non eſt.

Novæ explicationes, quas Tridentina concedit Synodus, non ſunt propterea genuinum Dei Verbum, quandiu a Criticis inſtitutionibus ſolum, remota Traditione, promentur. Neque ſane exiſtimamus fore, ut audeat quis aggredi ad confirmandum, Patrum Tridentini Concilii animum fuiſſe, privatis hominibus tribuere, ut novas Commentationes Scripturarum perſequerentur, quoad ſenſa & cogitata a Patrum commentationibus diſſidentes. Et tamen uſus documentorum novæ viæ & rationis Simonianæ ad ſenſa Bibliorum & cogitata, proindeque ad Fidem referuntur.

Atqui ſi nos inter & Simonium conveniret, redarguendum non eſſe Interpretem, qui longe aliter a Patribus vertat Biblia in rebus, a Fides & moribus alienis; illud certe dubium eſſe poſſet, anne integrum eſſet, eum temeritatis & arrogantiæ inſimulare, qui ſe ceteris omnibus præſtare arbitraretur: præſertim ſi illud attendas, eas quoque res, quæ in Sacris Litteris indifferentes videntur, nexus ſæpe maximos cum iis habere, quæ Fidem & Mores attingunt. Quamobrem præceps conſilium ſemper erit, in his omnibus a Patrum Sanctorum idem ſentientium mente ſe ſubducere.

Quam-

Quamquam Eccleſia Verſiones novas minime authenticis acceuſeat ; non tamen ſequitur hinc, licere privatis hominibus Traditionem non ſectari, quæ Scripturarum ſenſa in Fidei morumque negotio conſtituit. Propterea cum primum Interpres hos limites tranſgredietur, ſolis Critices regulis innixus, humanum opus tantummodo pariet. Magnificet quidem Simonius pro libidine, quamvis Eccleſia novæ Interpretationi ſuæ non aſſentiatur, niſi ut ſingularis alicujus hominis Operi, futuram tamen Textui Archetypo, quam Verſiones priſcæ proximiorem. Jus erit ſemper, ipſi reſpondere, excogitatam a ſe Verſionem, tametſi fortaſſe regulis magis Criticis, quam Traditionis luminibus congruentem, purum Dei verbum nullo modo fore, & crebris locis humanum tantummodo ingenium laturam ; adeoque minus, quam vetuſtæ Verſiones, Textum Archetypum imitaturam.

Poſtulat Simonius, ut in deliberationem vocentur antiquæ Interpretationes, meliores Librorum Sacrorum cum Judæi tum Chriſtiani Interpretes, quibus addantur Patrum Opera: non repugno. Verum eodem tempore liberum facit Interpreti ab eis deſciſcere, ubi in ſenſum incidat commodiorem ; cauſam prætexens, Veteres Interpretes præſto non habuiſſe Codices ſatis emendatos, neque ſubſidia omnia neceſſaria, neque tantum temporis, ut in quæſtiones Biblicas altius penetrarent : eos nimium Allegoriis deditos fuiſſe ; Scripturas ad ſua citius cogitata, quam cogitata ſua ad Scripturas accommodaſſe ; minus quam par erat Litteræ ſenſui adhæſiſſe ; nihilo melius rem illis, quam reliquis Interpretibus ceſſiſſe ; non paucis locis novos Interpretes veteribus eſſe anteferendos : verbo dicam, periculi plenam rem eſſe Codices Patrum citationibus reficere, qui non ſemel Textum archetypum ad propria ſenſa componunt. Si hæc omnia ſignificant, Traditionem in pretio habere, non eſt hic honos Simonio invidendus. Verumtamen an ipſi univerſa iſta daturi Simonio ſint, penitus ignoro. Illud certe magnam ſpeciem habet fore, ut Theologi ſecundum principia ſua deprehendant, id fucum aliquem facere, immo labefactare Traditionem poſſe, cujus in Hiſtoria Critica ſtudioſus adeo videtur eſſe Simonius ; quamvis ei in nova Interpretandi ratione nullam ſedem relinquat, cujus tamen fundamentum omne parare debuiſſet ; ne ſupereſſet locus redarguendi ejus, novam Interpretationem ſuam ab una humana Critice undequaque proficiſci, nihilque divinum locis haud paucis exhibere.

ARTICULUS XII.

Præcepta Critica Simonii de Verſionibus authenticis.

INter omnes, quæ extant, Bibliorum Verſiones, una eſt Vulgata, quam Synodus Tridentina authenticam declaraverit. Porro Simonius exiſtimavit, e re ſua eſſe, hanc Concilii declarationem ad omnes alias Verſiones propagare; ut ea, quam tum certe Novi Teſtamenti meditabatur, & in publicum emittere volvebat animo, hoc honorifico titulo non careret. Neque multum a vero abeſt, Criticum eundem credidiſſe, ſi ex inſtituti conſilii ſui præſcripto Veteris quoque Teſtamenti editionem curaſſet, futuram fuiſſe iſtam non modo *authenticam*, ſed potuiſſe eandem aliis omnibus antea editis firmioris certiorisque autoritatis haberi; quandoquidem per eum accuratior, perfectior, & Textui archetypo ſimilior evaſiſſet, in quo *authenticam* Verſionum ponit veritatem. Referre itaque pergo, quibus verbis ſuper hac re aperiat mentem ſuam. Præſtat enim eum audire; quoniam omnium Concilii Patrum perſonam ſumit, eorumque autoritatem induit; ut quænam ſint *authenticæ* Bibliorum Verſiones, pronunciet:

Hiſt. Crit. l. 2. c. 29. p. 264. col. 2. „ Si Scripturarum autoritatem, en verba Simoniani *Decreti*, poſitis „ omnibus præjudicatis opinionibus, remotoque partium tum Judæorum, „ tum plerorumque ſive Catholicorum ſive Proteſtantium Chriſtianorum ſtudio, ad trutinam revocemus, omnibus jus ſuum tribuemus, ſimul ac pronunciabimus, Textum Bibliorum Hebraicum eſſe revera

Ibidem p. 270. col. 2. „ *authenticum*; omneſque Verſiones ſive Græcis ſive Latinis Litteris factas, ſive veteres, ſive recentes, eſſe item modo ſuo *authenticas*, quæ „ fide ingenua ex Archetypis depromtæ ſunt. „ Paullo poſt *ſententiam* jamnunc pronunciatam confirmat his verbis: „ Omnes Bibliorum Verſiones a Viris idoneis, & a fraudis ſuſpicione remotis elaboratæ, per „ ſeſe *authenticæ* ſunt, tanquam exempla Acti alicujus, quod ex ſeſe „ authenticum eſt. „

Jam vero cum putaverit Simonius, integrum eſſe ſibi pro arbitratu ſuo Concilii Tridentini de Vulgata *Decretum* explicare; æqui bonique faciet, nos aliquas animadverſiones proponere in *Decretum*, quod de Verſionum authentica veritate modo interpoſuit. Prima verſabitur ſuper voce *authenticum*, cujus notio enucleanda eſt. Vox itaque *authenticum* ex

Ibid. p. 275. col. 2. & ſeq. vetuſtiori magiſque propria ſignificatione, ut tradit ipſe, primum germa-

manumque rei alicujus Archetypum indicat, ut illud ab Exemplo diſtinguat. Unde Teſtamenti alicujus archetypum idem Teſtamentum demonſtrat, qua ratione ab Autore deſcriptum eſt. Secundo: *Authenticum* ſumitur pro ſcripto, quod ipſum archetypum non eſt, ſed Exemplum fidele, quodque in nullam mutationis ſuſpicionem adduci poſſit. Denique appellat *authenticam* Verſionem alicujus Acti, quodcumque illud ſit, quæ accurate archetypum referat; cujus tamen Verſionis autoritas non inde in ipſam derivat, quod ſimpliciter Verſio ſit; ſed quod hujuſmodi Acti Verſio, aut Exemplum ſit. Varias haſce verbi *Authenticum* ſignificationes a Simonio comparavimus; quapropter nullum erit de his diſſidium.

Altera animadverſio in ea verba recidit. *Omnibus jus ſuum tribuemus, ſimul ac pronunciabimus, Textum Bibliorum Hebraicum eſſe revera authenticum*. Sciſcitamur itaque ante omnia, quinam ſit hic Textus Bibliorum Hebraicus, quem *authenticum* declarat? Non erit ille quidem, ut apparet, archetypum primum Scripturarum, quod ab ipſis Scriptoribus Sacris exaratum eſt; periit namque iſtud, & quidquid ætatem tulit, exempla ſunt. Idem Bibliorum Textus, quem dicit *authenticum*, ad alteram rationem pertinere non poteſt, qua verbum *authenticum* accepimus: hoc etenim ſenſu vox *authenticum* ſignat Exemplum fidele, quod interpolatum non fuit. Atqui ex Simonio nullum ſupereſt Textus Hebraici archetypi Exemplum, quod mendis graviſſimis vacet; quodque Amanuenſium incuria, aut Judæorum fraude pluribus locis corruptum non ſit. Secundum hæc ſtudioſum hunc Criticum flagitamus, ut narret nobis, quanam alia notione vocis illius Textum Bibliorum Hebraicum *authenticum* declaret; quoniam, ut perhibent ipſius initia, alterutro ſolum ex relatis modis Textus *authenticus* eſſe poteſt. Eſt itaque quod vereamur, non extare ullum Scripturarum Textum Hebraicum, qui ad præcepta Simonii revocatus *authenticus* dicendus ſit.

Lib. 3. c. 2. p. 375. col. 2.

Tertia animadverſio ad alteram *ſolemnis Decreti ſui* partem progreditur. *Omnibus jus ſuum tribuemus, ſimul ac pronunciabimus .... omnes Verſiones ſive Græcis, ſive Latinis Litteris factas, ſive veteres, ſive recentes eſſe item modo ſuo authenticas, quæ fide ingenua ex Archetypis depromtæ ſunt*. Verba hæc pro certo ponunt, Verſiones omnes ex Archetypis puris & incorruptis deductas fuiſſe; attamen id genus nulla eſt, ut ſuperius oſtendimus. Præterea non ſuppetit Verſio aliqua, quæ ex Archetypis depravatis, aut ex Exemplis interpolatis confecta non ſit. Denique verbum *authentica*, primo aut altero modo ſumtum, apud illos eſſe non poteſt, multoque minus tertio modo accommodari.

Quarta animadverſio tertiam regulam petit, quæ habet. *Appellanda eſt*

eſt authentica Verſio alicujus Acti, quodcumque illud ſit, quæ accurate Archetypum referat. Ecce conditiones neceſſarias, ut Verſio *Authentica* ſit: 1. perficienda eſt accurate, hoc eſt fideliter; ut perfecte Textum reddat, a quo ſumta eſt. 2. Opus eſt, Archetypum eſſe *authenticum*, videlicet, aut primum archetypum, aut fidele Exemplum, quod in nullam mutationis ſuſpicionem adduci poſſit.

Quod ſi oportet, has conditiones Verſionem comitari, ut *authentica* ſit: illud conſtans ſane & ratum eſſe poterit, nullam prorſus cum Græcam tum Latinam ſive antiquam, ſive recentem repertum iri, cui *authenticæ* titulus apponi poſſit eo ſenſu, quo accipitur a Simonio: Siquidem nulla eſt ex ipſius doctrina, quæ diligenter elaborata ſit, atque ad primum archetypum, vel Exempla *authentica* redacta, quibus inuri nequeat nota ſuſpicionis, aut revera corruptiſſima & vitioſiſſima non ſint. Quod paucis expendendum putamus.

Ordiamur a Verſionibus Græcis. Sive Verſionem Septuaginta, quæ primo loco collocanda eſt, ea ratione conſideremus, qua ex Autorum ſuorum manibus tum primum egreſſa eſt, ſive illa, qua extat in præſentia, nullo modo *authentica* eſſe poterit. „ Septuaginta, Simonius ait, nimium „ ſibi in ea Interpretatione arrogarunt: ſæpe pluſquam ſatis eſt Textus „ Hebraici Litteræ adhærent, aliquando etiam non habita ſenſus ratione. „ Non ſemper accurate genuinam ſententiam eligunt, & obſcuritate laborant, ut Litteræ plus nimio inſideant. In more poſitum habent verborum ſignificationem, ultra quam fert communis conſuetudo, dilatare. „ Id omne ſatis modicæ accurationis argumentum eſt. Hebræo Exemplari, „ ſequitur, quo uſi ſunt Septuaginta, abſit, ut veluti regula Interpretationem noſtram metiamur; cum per id tempus perverſus omnino eſſet „ Textus Hebraicus. Non ſemper itaque emendabimus Textum hodiernum ex Codice Septuaginta; caruerunt etenim æque ac nos vero Archetypo, eorumque Textus Hebraici exemplum ſuis ita ſcatebat vitiis, „ atque noſtrum, & fortaſſe crebris locis depravatius erat. „ Ad hæc cui perſuaſum erit, Exemplar Septuaginta Textus *authentici* conditiones habuiſſe? Eadem pariter Verſio, ut in præſentiarum eſt, in tribus præcipuis Editionibus reperitur, unde ceteræ ſunt depromtæ.

Hiſt. Crit. l. 2. c. 13 p. 258. col. 2. Item. c. 6. p. 221. col. 2.

Lib. 1. c. 16. p. 96. col. 2.

Prima eſt Complutenſis, altera Veneta, poſtrema Romana. „ Verum „ illud conveniat neceſſe eſt, inquit Simonius, nullam earum accuratam „ eſſe, atque omnes mendis graviſſimis affici. „ Erit itaque proculdubio aliud Exemplar *authenticum* Verſionis Septuaginta, uni Simonio exploratum.

Libro 2. c. 3. p. 192. col. 2.

Antequam de aliis Verſionibus judicium inſtituo, reminiſci oportet, ſi Exempla Hebraica, a Septuaginta Interpretibus adhibita, accurata non

fue-

fuere, neque emendata, neque citra errores, immo noſtris quoque, ſi Deo placet, vitioſiora, poſſe nos ſane ſtatuere indubitati principii loco, ceteros Interpretes Græcos, Latinos, alioſque, qui Verſiones ſuas multis a Septuaginta ſæculis adornarunt, nihilominus interpolata, & corrupta Exempla præ oculis habuiſſe. Hæc una conſideratio ſatis eſſet ſuperque ad oſtendendum liquido, nullam exiſtere vetuſtam aut novam Verſionem; quæ ſit *authentica*, quod attinet ad Textum, unde comparata eſt. Supereſt igitur planum facere, Verſiones iſtas neque item *authenticas* eſſe poſſe, quod intereſt accurationis & diligentiæ.

Præcipuæ Verſiones Græcæ ſecundum Septuaginta ſunt. 1. Verſiones Aquilæ tributæ, qui Adriano Imperatore claruit. „ At quamvis, inquit *Lib. 2. c. 9 pag. 235. col. 1.*
„ Simonius, animum præcipue adjecerit ad Textus Hebraici Bibliorum
„ verba e verbis reddenda, Lexicon potius vocum Hebraicarum, quam
„ Verſionem confecit; adeoque barbara evaſit Verſio hæc, ut locis haud
„ paucis ſenſus ipſius aſſequi intelligentia non poſſint. Propterea illam E-
„ piphanius contemtui habuit, & inutile ſatis Opus eſſe cenſuit ..... S.
„ Hieronymus eandem explodit, atque Aquilam excipit veluti ridendum
„ hominem, & inconſultum. „ Alterum locum obtinet Verſio Theodotionis, Commodo Imperatore florentis. „ Attamen ejus Scripturas interpre- *Ibid p. 237. col. 2.*
„ tandi ratio hallucinationibus obnoxia eſt, atque a Litteræ ſenſu nimium
„ recedit. „ Tertia a Symmacho elaborata tempore Severi Imperatoris, nihilo eſt aliis accuratior. Præterquamquod tres ſcriptores iſti in fraudis ſuſpicionem veniunt, cum ſcripſerint, ut Chriſtianæ Religioni adverſarentur. Quamobrem ex præſcripto Simonii nulla iſtarum Verſionum *authentica* eſſe poteſt. Sunt aliæ duæ Verſiones Græcæ * ignoti autoris, quas Origenes duabus columnis Hexaplorum ſuorum addidit, non ſecus atque tres aliæ nunc memoratæ. „ Verum cum, Simonii ſententia, perfectæ ſint tantummodo, ut de autoritate Verſionis, ab Eccleſia probatæ, *Ibidem col. 2.*
„ detraherent, &c. „ non auderem eas Verſionibus *authenticis* annumerare. Præter has omnes Verſiones extant tres aliæ Interpretationis Septuaginta correctiones, quæ in Eccleſia uſurpari conſueverant. Prior a Luciano retractata, altera ab Heſychio; tertia quæ in Hexaplis Origenis, ab Euſebio & Pamphilo ſeparatim in vulgus editis, continebatur. Teſtantur Hieronymus, & Auguſtinus, Autorum iſtorum Opus emendationem potius eſſe veteris Septuaginta editionis, quam novas Verſiones, qua de re nihil attinet illis immorari. Id verum monitum faciam, dixiſſe Simonium, Criticen Autorum iſtorum plus ſatis liberam videri. *Ibid. c. 10. p. 241. col. 2.*

* Altera ex his Verſionibus, quam dicunt quintam, Jerecunthe reperta eſt Caracalla imperante. Altera vero, quam vocant ſextam, inventa fuit Nicopoli ſub Alexandro Mammææ filio.

Tau-

Tandem in univerſum præſtat animadvertere, alias Verſiones, in Ecclesiis Orientis legi ſolitas, uti Syriacas, Arabicas, Cophtas, Æthiopicas, Armenas, aliaſque, quorum aliquæ ad Textus Hebraici, aliæ vero ad Verſionis Septuaginta normam exactæ ſunt, erratis non levibus vitiatas eſſe, ſenſumque Archetypi graviter aliquando in ipſis inverſum; qua de re Simonii judicio *authenticæ* haberi nequeunt: præterquamquod imperfectiſſimos Codices in exemplar habuerunt.

Lib. 3. c. 1. pag. 353. col. 2.

Sub ipſum Eccleſiæ exordium extitit quædam Verſio Latina, aliis nomine *Itala*, aliis *Vulgata*, ceteris *Vetus*; quoniam revera videbatur eundem cum Eccleſia Latina nactam fuiſſe ortum, ejuſque Autor latebat. Ut conſtet, eam nullatenus *authenticam* eſſe Simonii præſcriptione, ſatis haberemus monuiſſe, eam, quippe e Græco Septuaginta, quam probatum fuit, vitioſo traductam, atque ex corruptis exemplaribus concinnatam, nihilo eſſe poſſe exemplari ſuo præſtantiorem. Verum alia non pauca in promptu ſunt, quæ ſi Critico iſti fidem adjungimus, nos de modica illius accuratione certiores efficiunt. „ Autor Verſionis hujus, inquit, „ plus æquo contendit, ut Græcum Septuaginta totidem verbis redde- „ ret, ipſoſque illorum barbariſmos imitaretur; quo fit locis multis in- „ tellectu difficilis, adeo barbara eſt, & mente minus percipi poteſt: „ præterquamquod Interpres Hebraicæ Linguæ plane rudis, cum in am- „ bigua verba incidens, nequiret ad eam ſe recipere, offendit pluri- „ bus.

Lib. 2. c. 11. pag. 247. col. 2.

Inter Latinas autem præcipua eſt Verſio S. Hieronymi. Hic tamen „ Pater, per Simonium, Exemplaria magis emendata non habens quam „ Septuaginta, atque iner ſe admodum diverſa, nullam poteſt illis le- „ gem nobis præfinire. Alias cum ſibi Pater hic arrogaverit, Litteras „ Textus Hebraici aliis commutare, ubi meliorem edere ſenſum ipſi vi- „ debatur; nullam ſibi certam legem conſtituerit; non ſemper in Obſer- „ vationibus ſuis conſtans fuerit; uſuſque admodum varia ſcribendi ra- „ tione, ad ſenſa potius intenderit, quam ad ea, quæ ſcripta erant; „ defecerit accuratione ob minorem meditandi conſuetudinem; potue- „ ritque rem felicius gerere, quam geſſerit, niſi a Verſione Septuaginta „ adeo ſe ſubtraxiſſet; „ ſecundum hæc, inquam, difficile eſt ut mihi perſuadeam, ipſius Verſionem ex Simonii doctrina *authenticam* futuram.

Lib. 1. c. 16.

Lib. 3. c. 9. p. 394. col. 1.

Neque vero cuiquam ſit in ſpe, novorum Interpretum Verſiones majori diligentia præſtare, & conſequenter magis, quam Veteres, *authenticas* eſſe. Verſio Sanctes Pagnini S. Dominici alumni, quæ prima novarum Scripturæ Interpretationum eſt, Textum Hebraicum referentium, „ nom modo barbara eſt, obſcura, & ſolæciſmis ſcatens; verum Autor „ Textus ſenſa non ſemel invertit. „ Recitantur etiam exempla Verſio-

Lib. 2. c. 20. pag. 317.

nis

nis Pagnini, quibus contendunt, eum Myſteriorum noſtrorum veritatem ſubruere; ferturque, Genebrardum Verſionis hujus imaginem, non ſatis ipſi ſecundum nobis adumbrare. *

„ Arias Montanus, ** ſequitur Simonius, ſe concluſit in Verſione
„ Pagnini reficienda, atque iis locis inculcanda, in quibus eam non ſa- *Lib.2.c.20. pag.317.*
„ tis Litteræ hærere deprehendebat: fuit tamen cur diceret quis de
„ Ariæ Montani emendationibus loquens: *Quot correctiones, tot corru-*
„ *ptiones*.

Quod attinet ad Verſiones Cajetani, Iſidori Caſſinenſis, aliorumque recentiorum cum Catholicorum tum Proteſtantium, quas non vacat hic recenſere; ſunt hæc aliis etiam vitioſiores; cum Autores earum a præjudicatis opinionibus haud abhorruerint, aliaſque ſemitas iniverint, quam a Simonio in nova Interpretandi ratione adumbratas.

Eſſet itaque deſiderandum, doctum Criticum iſtum, ut *Decretum* ſuum ſtatueret, quo declarat, Verſiones omnes Scripturarum tum Græcas tum Latinas, quæ archetypa ſua referunt, *authenticas* eſſe; nos pariter doceret, quinam ſint Interpretes hi, qui fide ingenua, nulla fraudis ſuſpicione, fideliter, diligenter, abjectiſque præjudiciis interpretati ſunt; ſi nanque vitiorum iſtorum aliquo coargui poſſunt, nullo modo poterit quis, Simonianis regulis obtemperans, Verſiones illorum *authenticas* recognoſcere.

At certe, inquies, Simonius in Præfatione ad Hiſtoriam Criticam, alibique ſæpe fatetur, Vulgatam a Patribus Concilii Tridentini *authenticam* fuiſſe enunciatam: non repugno. Sed ea ratione de S. Hieronymi, ut oſtendimus, Verſione ſermonem habet, ut indicet, ſe illam nihilo magis intrinſecus *** *authenticam*, quam ceteras ſive recentes, ſive antiquas Interpretationes, exiſtimare. „ Quamquam, ait, aliis Bi- *Conc.Trid. Sep.4 Decr. de Script. Canon.*
„ bliorum Verſionibus haud acceſſerit publica & firma veritatis autori- *lib.2.c.14 pag. 266.n.1.*
„ tas, non deſinunt tamen per ſeſe hujuſmodi eſſe ..... Hoc uno dif-
„ ferunt Vulgata, aliæque Verſiones, quod nos ſcilicet devincti ſumus
„ ad Vulgatam in *authenticis* numerandam, quippe ita de illa, non

* *Minus diligens, nimis ambitioſa, nimis curioſa, nimis Grammatica, nimium Rabbinicarum minutiarum æmula ...., nec ſatis interdum cohæret cum veterum Hebræorum doctrina, nec cum fidei Catholicæ Myſteriis*. Genebr. Præf. in Orig. Opera.

** Non video, inquit Simonius, quamobrem Ariæ Montano congruat nomen *Fidiſſimi Interpretis*: contra vero æquum magis erit eum *ineptiſſimum Interpretem* nuncupare, qui Textus ſui omnem pene ſenſum ſuſdeque vertit. Lib. 2. c. 20. Hiſt. Crit. pag. 317.

*** Tradit Morinus, duobus modis aliquid *authenticum* eſſe poſſe, aut ex natura, aut ex accidenti; uti cum ſit, duas ejuſdem Textus lectiones veras eſſe atque invicem reſpondere: tum altera ex natura ipſius *authentica* eſt, altera ex accidenti. Exerc. Bibl. lib. 1. Exerc. 6. c. 12.

„ vero de aliis definitum eſt . „ Quod idem eſſet ac dicere, Exemplum alicujus Acti, Principis autoritate muniti, uſui futurum ad litem tranſigendam ; quamquam reipſa tam eſſet corruptum , quam alia exempla, eadem autoritate minime firmata . Quemadmodum etenim Principis declaratio, qui Acti illius exemplo ſuæ pondus adderet autoritatis, non illud quidem accuratum efficeret & fidele , niſi per ſeſe, atque ante Principis declarationem hujuſmodi eſſet ; haud aliter ſi Exemplum iſtud ad litem tranſigendam idoneum eſt , non ideo eſt , quod melius ac reliqua , archetypum exprimat ; ſed quod Magiſtratibus placuerit, eam fore regulam conſulendam in litibus diſceptandis , idque dignitatis aliis, etſi nihil vitioſioribus, tribuere negaverit.

Id ſane judicio meo ſignificat, Vulgatam reipſa non eſſe quidem majoris præ ceteris autoritatis ; ſed autoritatem ejus, qua antecellit aliis, autoritatem eſſe *extrinſecam, comparatam , & ex accidenti*. Ita proculdubio ſentit Simonius , cum dicit . „ Noſtra intereſt *pacis ſtudio* nullam

Ibid pag. 230. col. 2.

„ Bibliorum Verſionem publice adhibendam agnoſcere, præter eam , „ quæ nobis ab Eccleſia proponitur . Sive uti loquitur in Præfatione ad Verſionem ſuam Novi Teſtamenti , „ Decretum nimirum Concilii Tri- „ dentini de Vulgata eo tantum ſpectare, ut rectum ſervet ordinem, at- „ que univerſa diſſidia ſummoveat . „ Addit poſtremo , *Vulgatam Interpretes nonnullos in errorem induxiſſe*.

D. Auguſtini exemplum , quod uſurpat Simonius , dum ſuam Synodi conſulto reverentiam profitetur , ſatis de ipſius mente conſtare facit. „ Nos in eo Auguſtini conſilium ſequimur , inquit, qui cautum voluit , „ ne in Diœceſi ſua nova S. Hieronymi Interpretatio legeretur , quam- „ vis eam magni faceret . „ Id autem ſignificat , ſi recte vim habet exemplum Simonii ; quemadmodum Auguſtinus Hieronymi Interpretationem interdixit, etſi eam pluris penderet ; ita Simonium Vulgatam , veluti *authenticam* publica conſuetudine recipere, licet perſuaſum habeat, eam aliis Verſionibus reipſa autoritate minime præſtare. Quapropter, una dempta Concilii declaratione, omnes per eum Scripturarum Verſiones , quin eandem Vulgatam excipias, æque *authenticæ* habendæ ſunt.

Quo loco non video , undenam congruere hæc omnia poſſint cum ea Lege , quam ſecundum Cardinalem Pallavicinum rogavit Simonius :

Hiſt. Crit. l. 2. c. 21 pag. 248. col. 2.

„ Toties Acti alicujus , quodcumque illud ſit , Interpretatio admitten- „ da eſt , quoties fidem in interpretando ſervat : tumque idoneam dico „ ad dirimendas , quæ Actum illud ſequuntur, concertationes ; „ *Si interpretatio fidelis eſt , authentica dici poterit , & ſatis erit ad ferendum de litibus illis judicium , quæ a præcipua Scripti illius rudiorique complexione proficiſcuntur* . Si nanque omnes Bibliorum Verſiones *authenticæ* ſunt, illud

Card. Pallav. Hiſt. Conc. Trid. l. 6. c. 17. Italice.

illud efficitur neceſſario, eſſe illas bonas & fideles; quoniam ipſarum autoritas poſita eſt in accuratione, qua archetypum ſuum referunt; *neque ipſis tribuitur, quatenus ſimpliciter Verſiones ſunt, ſed quatenus hujuſmodi Acti Verſiones, aut exempla*. Quare ſi Verſiones univerſæ fideles ſunt, tanti pariter erunt, ut ipſarum ope controverſiæ ab Acto illo, ideſt Scriptura, ortæ dijudicentur. Et propterea divinarum Litterarum Verſiones omnes, nulla Eccleſiæ declarationis habita ratione, aptæ ad lites tollendas erunt, aut, quod melius, ad ipſarum normam Religionis diſceptationes & controverſiæ revocari poterunt. Declaratio Concilii Tridentini, Vulgatæ favens, nihil ipſi ponderis aut dignitatis addet ſupra ceteras Verſiones quoad uſum publicum; quandoquidem aliæ, utpote fideles, quod pro certo ponitur, aptæ ſunt ad lites tranſigendas; quo tantum capite fideles ſunt, quin ullam flagitent declarationem. *Si Interpretatio fidelis eſt, authentica dici poterit, & ſatis erit ad ferendum de litibus illis judicium, quæ a præcipua Scripti illius rudiorique complexione proficiſcuntur*. Aptum eſſe *ad controverſias dirimendas* idem mihi, ut videtur, eſt, ac Interpretationem illam aptam eſſe, ut ea publice utamur. Quod ſi æqua conſecutio eſt, viderit Simonius, eam cum regulis ſuis componere, & præſertim cum Decreto Concilii Tridentini, quod ſaltem Vulgatam ceteris Latinis Interpretationibus præfert.

Tametſi ex nonnullorum Theologorum mente * illud non fuerit Patrum Tridentinorum in Vulgata *authentica* pronuncianda conſilium, ut eam nimirum cum Textu Hebraico Veteris Teſtamenti, cum Græco Novi, neque cum Septuaginta Verſione conferrent, aut quidpiam de dignitate, qua tum florebant, detraherent; multoque minus ita eſſe *authenticam* ſtatuerent, ut nullo vel minimo vitio laboraret: nihilo tamen ſecius, ubi Patres Concilii declarant, Vulgatam *authenticam* eſſe, eamque omnibus Verſionibus Latinis anteferunt, id nos monet, eam maxime Textui archetypo congruere, nullo adverſus Fidem aut mores optimos in errore verſari, idoneam eſſe ad Religionis negotia expedienda, & nemini licere, eam quovis obtentu rejicere. Porro cum Patres Concilii Vulgatam *authenticam* enunciant, non ipſi vendicant præſtantiam tantum, quaſi vero eandem præterito tempore non habuerit; ſed pro certo poſito his omnibus jam ab initio excelluiſſe, nihil efficiunt de-

Alex. Hiſt. Eccl ſæc. 15. & 16. Diſſ. XII. Art. 2.

* Andreas Vega, Hiſpanus, e S. Dominici familia, & Salmantinus Theologiæ Profeſſor in Theologorum numero fuit, qui Tridentinæ Synodo interfuerunt. Melchior Canus, ejuſdem Inſtituti Vir, ex Oppido *Taracon* Diœceſis Toletanæ ad Concilium Tridentinum Pauli III. tempore miſſus fuit. Didacus *de Paiva d'Andrada*, Conimbricenſis Theologus magni nominis, a Sebaſtiano Luſitaniæ Rege ad eundem cœtum ablegatus eſt, ut ibi Theologi ſui perſonam ſuſtineret.

claratione ſua, quam confirmare fidem noſtram, cognitionem altius infigere, noſque docere, vetuſtam hanc Vulgatam, tot retro ſæculis Eccleſiæ conſuetudine probatam, germanum eſſe Dei verbum. Neque etenim verbum Dei Eccleſiæ indiget ſuffragio, ut revera Scriptura Divina ſit, ſed ut tantum nobis teſtatum ſit, Scripturam illam germanum eſſe Dei verbum. Quod fit non multo ſecus, atque declarat Eccleſia, Librum aliquem Canonicis accenſendum. Illud certe non facit declaratio hæc, ut Liber ille afflatu divino fuſus fuerit; ſed nobis oſtendit, illum hujuſmodi eſſe. Eccleſiæ teſtimonium Libro divinitatem non adſciſcit, ſed in eo eſſe pronunciat: autoritatem non addit, ſed pro certo ponit, eamque indicat nobis. Conſtans nanque eſt, quodlibet teſtimonium, pro quavis veritate aut facto dictum, ratum neceſſario prius habere, eam eſſe veram, illudve exiſtere.

Si Verſiones omnes Bibliorum, Simonio docente, etſi eas *authenticas* eſſe Eccleſia minime pronunciaverit, hujuſmodi tamen per ſeſe ſunt, nobiſque ob id unum præceptum eſt, ut Vulgatam *authenticam* agnoſcamus, quia hujuſmodi eam eſſe decretum fuit: cum Patres Concilii nullum ex recenſitis Privilegiis declaratione ſua ipſi adjunxerint, ſed eam illis antea pollere certum fuerit; ſiquidem citra ipſorum declarationem ex ſeſe, inſtar ſaltem aliarum Verſionum *authentica* erat: illud hinc conſequens fit, omnes Bibliorum cum Græcas tum Latinas, cum vetuſtas, tum recentes Verſiones, quippe per ſeſe, ut Simonius exiſtimat, *authenticas*, archetypum maxime relaturas, verum Dei verbum futuras, regulamque idoneam ad controverſias de Fide & Religionis negotio dirimendas.

Verum cui perſpicuum non eſt, quam ſit plena aleæ & periculi conſecutio hæc: *omnes nimirum Verſiones Bibliorum, ingenua fide ad archetypa redactas, ſive Græcis ſive Latinis litteris reddita ſint, ſive antiquæ ſive recentes, futuras genuinum Dei Verbum*; quandoquidem pleræque ipſarum omnibus pene partibus a Critice originem ducunt? obſtrictos nos fore, ut has omnes in Fidei regulis habeamus, idoneaſque cenſeamus ad Religionis momenta dijudicanda: ubi crebris admodum locis opus humanum tantummodo ſunt, ut ferunt præcepta Simoniana? Colloret Interpres in Verſionis contextu Lectionem ipſius judicio meliorem; invertat, quotieſcumque ſenſum commodiorem offendere arbitrabitur, puncta vocalia, accentuſque, haud raro interpretationem diſſimillimam efficientes: præeunte rationis lumine, quæ ad Textum pertinent, quæque non, quæ vera Lectio, quæque Librarii error, aut varia tantummodo ſunt interpretatio, ſecernat: ea ratione voces ambiguas interpretetur, ut in contextum Orationis meliorem inferat, ceteros vertendi me-

Digitized by Google

modos in ora Libri ſeponat ex animi ſui ſententia, quamvis probabilitatis ſæpe finibus concludatur: ſecundum hæc, poterit ne quis id Verſionum genus per ſeſe *authenticum* appellare, ad Religionis momenta definienda accommodatum, Scripturam denique divinitus immiſſam, purum putumque Dei verbum? Omnes hæ nanque conſecutiones ex hoc Sapientum Criticorum initio natura ipſa promuntur. *Si Interpretatio fidelis eſt, authentica dici poterit, & ſatis erit ad ferendum de litibus illis judicium, quæ a præcipua Scripti illius, rudiorique complexione proficiſcuntur.*

At illud non erat ſatis, Textum archetypum, vetuſtaſque Verſiones, acceptas Eccleſiæ, humanæ tantummodo Critice ſubdidiſſe; operæ pretium erat, Eccleſiam ipſam Criticis legibus ſubjicere; quoniam Ars hæc ad ſe revocat, judicii ab Eccleſia pro vulgata lati cenſuram. Abſit, ut quidpiam non confirmatum afferamus. Poſtquam Simonius nihil capite XI. alterius Libri de Hiſtoria Critica prætermiſit eorum, quæ ad exagerandos, atque in conſpectu ponendos Vulgatæ errores facere poterant, his verbis concludit. „ Liberum eſt Criticis examinare Vul- *Lib. 2. c. 11 p. 248. col. 2.*
„ gatæ accurationem; utrumve melius, quam Hieronymus præſtiterit,
„ poſſit quis Textum Hebraicum interpretari. „ * Ita ſane: *accurata* eſt Vulgata iſta; ſique hujuſmodi non eſſet, neque ante, neque poſt Concilium *authentica* dici poſſet. Ex natura ſua *authentica* fuit ante Concilii declarationem, ut perhibent Sapientis hujus Critici documenta; *accurata* igitur eſt, aut ipſius principia falſa ſunt. Ipſius enim doctrina, Verſio ulla nequit eſſe *authentica*, quin ſit fidelis & exquiſita, neque item fidelis & exquiſita, quin ſit *accurata*, videlicet archetypum ſuum referens in iis, quæ Fidem & mores attingunt, quamquam diligentia hæc & accuratio a mendis levibus illam non eximat. Ita ille ipſe. „ Satis *Ibidem pag. 248. col. 2.*
„ eſt, ut Verſio *authentica* ſit, eam data opera non fuiſſe vitiatam, li-
„ cet propterea erratis non vacet. „ Quod ſi hac ratione intendit Simonius Vulgatam non eſſe *accuratam*, nihil ipſe novum nos docet. Teſtatur enim Hieronymus idem, ſe non omnia, quæ in Verſione ſua emendari poterant, ſuſtuliſſe. *Ita calamum temperavimus, ut in his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* *Hier. Epiſtola ad Damaſum.* Idem compertum habuere Concilii Tridentini Patres, æque ac Pontifices Sixtus V., & Clemens VIII. Illi nanque juſſerunt: *Ut*

* Simonio relinquimus, ut curet doctrinam hanc cum iis conciliare, quæ habentur in Præfatione Bibliorum hoc pacto. *Non immerito Catholica Eccleſia Sanctum Hieronymum Doctorum Maximum, atque ad Sacras Scripturas interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat; ut jam difficile non ſit eorum damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus acquieſcunt, vel etiam meliora, aut certe paria præſtare ſe poſſe confidunt.*

Vul-

Vulgata Editio quam emendatiſſime imprimatur : iſti fatentur, ſe plura, quæ corrigi poterant, præteriiſſe : *Sicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt*.

In Præf. Bibliorum.

Ab Hieronymi vero exemplo momentum Simonius mutuatur, ut Criticos Vulgatæ accurationem lance veluti ſuſpendendi vindicet in libertatem. En ipſius verba. „ Qua in re exemplo, inquit, nobis erit S. Hie„ ronymus, qui Vetere abjecta Editione Vulgata, quam Univerſa Ec„ cleſia complexa fuerat, novam Interpretationem elaboravit: & tamen „ nihilo Septuaginta minus erant tum temporis *authentici*, quam nunc „ Vulgata. „ Ac ſi quis diceret: Hieronymus a Septuaginta, & Vulgata Editione vetuſta, Eccleſiæ accepta univerſæ, receſſit, ut novam Verſionem inſtitueret: integrum itaque Criticis erit, Vulgatæ accurationem diſpicere, ſive quod planius inde fit, a Vulgata recedere, ut novas Interpretationes conficiant. Quod ſi argumentatio hæc, judicio Sapientum Criticorum noſtrorum, eum non gerit Eccleſiæ morem, quem intereſt eidem gerere, ipſorum eſſet ſuas loquendi formulas moderari.

Ibidem pag. 238. col. 2.

Ecce quam in animum ingerunt Eruditorum iſtorum præcepta ſpeciem quandam aſperam aliquanto, minuſque caſtigatam; quam hinc ædificent; illinc deſtruant; & incenſi ſtudio oſtentandi (ſit venia verbo) exquiſitam eruditionem ſuam, Criticen latius, ac par eſt, vagari ſinant. Ecce quam irruant inviecm in ſemetipſos, quamque ſæpiſſime præcipua Religionis capita concutiant: quod plerumque in eos Eccleſiæ cenſuras retorquet, etſi ab ipſius ſententia ad Critices ſuæ Tibunal appellent.

ARTICULUS XIII.

Animadverſiones in Verſionem Novi Teſtamenti, a Simonio confectam.

QUandoquidem aggreſſus non ſum ad excutiendam Autoris Hiſtoriæ Criticæ doctrinam: utrum nimirum, quod eximius doctuſque Præſul Epiſcopus Meldenſis Boſſuetus in Decreto 29. Septembris 1702. nos docuit, petat ille ſcriptis ſuis: *firmam Librorum Sanctorum auctoritatem; eorum afflatum divinum; peculiarem, qua Chriſtianis ſervantur, providentiam; Traditionem & autoritatem Patrum, quos ipſorum armis oppugnat in rebus ſummis, ſimul atque Sanctum doctrinæ Eccleſiaſticæ conſenſum, qui Chriſtianæ Religioni dignitati & fundamento eſt*: cum

cum inquam non ſuſceperim uſque eo meas animadverſiones in hoc Opere ferre; ſed earum aliquas tantummodo in Regulas Critices intendere, quas edidit Autor noſter, ut iis conficeretur Veteris Teſtamenti interpretatio, hactenus vulgatis accuratior & fidelior; videtur flagitare inſtitutum meum, ut hoc loci ſubnectam nonnullas conſiderationes in documenta, quæ publici juris fecit, ut interpretari egregie quis poſſit Novum Teſtamentum, atque in earundem ſuarum Legum uſum. Verum quoniam ingenioſiſſime animadverſa multa ſunt a R. P. Cherubino a S. Joſepho, Carmelita Excalceato in Opere inſcripto: *Bibliotheca Critica Sacra Tomo* 4. *Diſſert.* 14. *Art.* 10., quo perſpecta fieret Criticorum præceptorum levitas, quæ in Verſionis illius Proœmio continentur, atque eruditione non mediocri cum Textus, tum adnotationum Verſionis illius errores retexit, idemque allata a Simonio in Apologia pro nova Novi Teſtamenti Editione argumenta convellit: iccirco ab iiſdem rebus pertractandis abſtinere commode poſſum. Id unum monitum velim, ſi de accuratione & diligentia excogitatæ Verſionis Veteris Teſtamenti, cujus conſilium in Hiſtoria Critica expoſuit Simonius, pronunciandum ſit ex illius exitu, quam Novi Teſtamenti edidit Trevoltii anno 1702. haud ita facile perſuaſum erit ulli, eam Textus Hebraici Interpretationem omnibus aliis, ne dematis quidem Septuaginta & Vulgata, fideliorem futuram, magiſque Archetypum redditurам.

Non itaque moleſte ferat Simonius, nos in eum hic regerere, quod ipſe in Patres antiquos animadvertit: „ Nonnulli, inquit, pro Textu *Hiſt Crit. l. 3. c. 8. pag. 386. col. 2.*
„ Biblico explicando regulas ſatis accuratas tradiderunt, ſed earum pleraſque uſu ipſo perficere nequiverunt: tantæ molis eſt Scripturas Divinas ex Litteræ ſenſu explicare. „ Verum quamquam ipſi daremus ultro, Patres ea, quæ ad Vebum Dei interpretandum tulerunt, non omnia præſtitiſſe documenta; eccur ipſe in Verſione ſua Novi Teſtamenti pleraſque ſuas regulas diligenter non eſt executus? Si per illum *Patres defecerunt non pauca ſubſidia neceſſaria, tempuſque ipſum,* *L. 3. c. 9. pag. 391. col. 2. &c.*
ut Scripturas funditus introſpicerent; Origenes, Auguſtinus, aliique, ſi unum excipias Hieronymum, hebraicis litteris admodum leviter tincti fuerunt; Patres Græci non ſatis intelligebant quoddam Græcum Synagogæ Dialectum, ſine quo, quemadmodum ſine Hebraica diſciplina, unuſquiſque erroribus obnoxius erit, Patres iidem non erant cuidam Critices ſtudio aſſueti, in quo ad plenam Bibliorum cognitionem momenta ſunt maxima. Quamobrem hic Autor poſtquam magnifice faſſus eſt in Præfatione Hiſtoriæ Criticæ, ſe Operi ſuo perficiendo adjumenta omnia neceſſaria habuiſſe parata: videlicet tempus, magnum MSS. aliorumque Librorum numerum, perfectam Linguarum Sanctarum peritiam, diuturnam Rabbinorum,

rum, Patrum, & Interpretum Lectionem: Quamobrem inquam tot præſidiis munitus, & commodis auctus optimam Novi Teſtamenti Interpretationem nobis haud comparavit? Propterea ſane quod arduum eſt Sacras Litteras feliciter vertere, quoties mittitur Traditio, aliaſque ſemitas inire placet ab iis, quas nobis ſtraverunt Patres, ut nimirum ingenii noſtri lumina, audacioriſque Critices inſtituta teneamus.

Atque ut Lectoris judicium ſit, utrum Simonius Leges accuratæ Verſionis ſervaverit in ea, quam Novi Teſtamenti lucubravit, in rem erit hic recitare particulas aliquas Decretorum duorum præſtantium ſapientumque Præſulum, qui jure ac merito Interpetationem hanc cenſoria ferula caſtigarunt.

„ Lapſus eſt, (judicio Cardinalis de Noailles Archiepiſcopi Pariſienſis „ in Decreto 15. Septembris 1702., damnante Verſionem Novi Teſta„ menti Trevoltii excuſam) in Præfatione, in Interpretatione, atque in „ Adnotationibus. Quamvis teſtatum fecerit jam inde ab initio in Pro„ œmio ſe Vulgatæ veſtigia perſequi, eum tamen de illa ſermonem ha„ bet, ut oſtendat, ſe neque Verſionem iſtam, neque Synodum Tri„ dentinam, a qua formam habet, autoritatem venerari. „

„ Sibi fas eſſe ducit ſæpenumero verba Sacra potius explicare, quam „ interpretari, ſenſum ſuum ejus loco collocans, quem offerunt natura „ ſua, quemque ipſis Interpretes ceteri dederunt. A quo non abhorret „ in Verbis Euchariſtiæ Conſecrationis, in quibus aliquid immutare cri„ minoſum eſt. „

„ Inaudito audaciæ genere emollire ſatagit quaſdam dicendi formulas, „ quæ videntur ipſi vehementiores; neque propterea Textum ipſum in„ vertere veretur. Aliis quoque locis non modo non verum Interpretis „ fide verborum ſenſum, ſed alium penitus adverſum reddit. „

„ In Adnotationibus autem tot ſunt nova, impudentia, & periculo„ ſa; ut nihil minus damnari mereantur. Coercet crebro in illis ſenſa, „ quæ Textus in ſuſpenſo relinquit, eique ſæpiſſime præ ceteris addit ſuf„ fragium ſuum, quod minus Patribus, & Scripturarum Commentato„ ribus innititur. Enervat adeo loca illa; quæ perſpicua atque inelu„ ctabili ratione Fidei capita ſumma confirmant, ut Viri Hæretici, iis „ adverſantes, facile poſſint ipſius adnotationibus animum adjicere: cu„ juſmodi ſunt de peccato Originis; de Prædeſtinatione; de Gratiæ ad „ recte agendum neceſſitate; de Sanctitate, ſive Juſtitia inhærente, de „ Mortuorum Reſurrectione; de Baptiſmate; de Extrema Unctione; „ de effectibus Sacramenti confirmationis; ſimulque alicubi de Jeſu Chri„ ſti Divinitate. „

„ Notatione ad v. 10. cap. 9. Epiſtolæ ad Romanos favet Doctrinæ pri-

„ primæ Propoſitionis, a Conſtitutionibus Pontificum Innocentii X., „ & Alexandri VII. * damnatæ; affirmans, Deum juſtis hominibus, „ neque apud ipſum, ut in illis eſt, male quidquam merentibus, Gra- „ tiæ ſuæ dona ſubtrahere. In errorem uſque Calviniſtarum rigidorum „ prolabitur, cum dicit, *Deum, uti Dominum ſupremum, reiicere Judæos* „ *potuiſſe, quamquam nullius omnino culpæ reos*. Quo fit, ut Deum in- „ juſtum pariter efficiat & Infidelem; injuſtum puniendo innoxios, infi- „ delem non ſtando promiſſis electo huic populo factis. „

„ Verum præter enunciationes audaces & lubricas, quibus redundant „ adnotationes ejus; dicendi non paucæ formulæ ſunt humiles adeo, & „ Scripturarum majeſtate indignæ, ut ipſæ ſint ſatis tantummodo ſuper- „ que ad opus illud improbandum &c. Quamobrem eum eltra prævari- „ cationem tantam Verbi Divini perverſitatem, novam adeo impuden- „ temque doctrinam, adnotationes abjectas adeo & ancipites, atque „ enunciata in Hæreſim inducentia ſuſtinere nequeamus: cautum apertiſ- „ ſime omnibus fuiſſe & eſſe volumus, ne dictam Novi Teſtamenti In- „ terpretationem, Trevoltii prelo ſubmiſſam, legant, aut apud ſe „ retineant. „

Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis in veſtigiis hæſit hujus magni Eccleſiæ Principis, Decreto adverſus eundem Librum edito die 29. Septembris 1702. „ Inhibemus explicate cunctis Chriſti fidelibus &c. ne impoſterum „ legant, aut retineant Librum ſuperius memoratum, Præfationem „ ejus, Interpretationem, Animadverſiones; quippe pro rata ratione „ Interpretatio infidelis eſt, inconſiderata, peſſimique exempli; Ani- „ madverſiones cum Præfationis, tum marginis explicationibus refertæ „ ſimiliter inconſideratis, peſſimi exempli, Traditioni unanimique Pa- „ trum Sententiæ contrariis, lubricæ Fidei, atque in errorem & Hære- „ ſim adigentibus. „

Hic autem Præſul non putavit in rem eſſe, cenſura ſimplici contineri, additque Decreto ſuo primam quandam Inſtitutionem anno 1703. de Autoris illius conſilio & ingenio. Trifariam dividitur Inſtitutio iſta. Prima pars conſiderationes ſuper Verſione illa complectitur in univerſum; aperit Scriptores Interpreti acceptos, ejuſque in ceteros Interpretes perquam lubricos animi propenſionem; vitio vertit illi, quod novas & ſingulares explicationes ſuas ex Socinianis depromſerit; redarguitque de lato pro ipſorum Commentariis in Hiſtoria Critica præclaro judicio. Altera pars in notandis cenſoria virgula quampluribus Verſionis locis verſatur. Ter-

* Simonius pag. 27. Supplicationis ſuæ fatetur ſe abeſſe longe a quinque Propoſitionum doctrina, quam veluti Mahumeticam impietatem ſe averſatum ſemper fuiſſe dicit.

Digitized by Google

„ tia tandem univerſa fertur recta in Grotium, quem poſtulat Soci-
„ nianiſmi; ictus tamen in Simonium recidit, qui explicationum ejus
„ nonnullas adoptavit.

Cum vero jam jam e formis ſubducturus eſſet Inſtitutionem iſtam Boſſuetus, ſupplicationem quandam ad Cardinalem de Noailles miſit Simonius, ab ipſo ſubſcriptam, inſcriptamque 12. Octobris 1702. In ea totus eſt, ut purget loca Verſionis, & Adnotationum, in Cl. illius Præſulis Decreto reprehenſa.

Supplicatio hæc anſam dedit Boſſueto; ut additamentum quiddam faceret Inſtitutioni ſuæ ſub anno 1703., in quo nova animadvertit ſuper præcipuis locis, quæ liberare culpa ſtuduerat Simonius.

Fidem omnem ſuperat, inquit doctus Præſul, *quot ſint*, *in quibus Religio aggreditur*. Conſtat hoc ſeptuaginta locis, quæ lance ſuſpendit Boſſuetus. „ Sufficit, ait, palam fuiſſe, Autorem pro libidine, ſine lege &
„ facultate, ſuſdeque vertere Textum Evangelicum, nullum gerere Tra-
„ ditioni morem; undique contemnere Tridentini Concilii Legem, quæ
„ nobis imperat, ut in Scripturis interpretandis ab ea non recedamus;
„ in eo ſolum Sapientiam jactare, ut perpetuas præcipiteſque interpre-
„ tandi novitates affectet; nunquam finem facere ſubjiciendi ſua Sanctis
„ Spiritus cogitatis; levitatibus plenam eſſe ipſius Criticen; alias vero
„ audacem, impudentem; licentiorem, imperitam, & Theologiæ ex-
„ pertem &c. „ Quibus abſolutis animadverſionibus, tribus offendere Simonium deprehendit in purgationibus ſuis. Primo, quod ab omni cenſura ſe ſartum & tectum exiſtimet, quoties de Fide, & moribus non eſt diſputatio. Secundo, quod evadere arbitretur reprehenſionem omnem cum in probatis Verſionibus aliquem reperit Catholicum, inſtar ipſius interpretantem. Tertio, quod credat, ſe Supplicatione illa interpoſita crimen omne removiſſe.

Ephem. Sap. 18. Decembris 1702. Lordii. Ephemerides Sapientum nos docent, „ non modo Catholicos Roma-
„ nos haud eſſe hac Simoniana interpretatione contentos; verum Cleri-
„ cum Ipſum in Articulis additis Monumentis Trevoltienſibus Editionis
„ Batavorum adverſus Librum hunc conclamare, & viribus omnibus
„ oſtendere, Simonium adeo non eſſe in Rabbinorum diſciplinis eruditum,
„ ut ſibi ipſe blanditur. Jacobus ſane Bernardus aliquanto liberalius de ea
„ loquitur in ſua Republica Litteraria. Ait nanque inter cetera, hactenus
„ nullam prodiiſſe Novi Teſtamenti Verſionem, cui commodius, quam
„ iſti, Geneva acquieſcere poſſit. Judicium ſatis idoneum, ut iis, qui-
„ bus Simonius in ſuſpicionem venit, opinio hæc altius inſideat. „

DIS-

DISSERTATIO VI.

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS CRITICES.
DE USU CRITICES,

QUO AD HISTORIAM ECCLESIÆ, & Opera Scriptorum Eccleſiaſticorum.

HActenus dubitationes noſtras de Critices regulis propoſuimus; urget in præſentia nonnullas animadverſiones ſubnectere in uſum egregiæ Artis hujus, cum habitum, tum etiam habendum. Verum intereſt in anteceſſum examinare pravos uſus a Critice partos primo in negotio Religionis, deinde in liberalibus diſciplinis.

ARTICULUS PRIMUS.

De malo Uſu Critices.

§. I.

Nonnulli Critici magna ipſorum arte ad invadendam Religionem uſi ſunt.

SI recta, qua Criticen adhibuerunt ingenioſi temperatique Critici, ratione egregios attulit fructus Ars iſta Reipublicæ Litterariæ, uti oſtenſum a nobis eſt in priori Diſſertatione; non minoris ſunt aleæ & peri-

Digitized by Google

periculi detrimenta, quæ Religioni intulit malo uſu immoderatorum, maximeque Proteſtantium, Criticorum. Laxatis etenim impudenti arrogantique ipſorum Critice habenis; neque circumſpectis quidpiam limitibus, quibus eam Fides & Religio circumſcripſere, adorti & conati ſunt eorum omnium convellere fundamenta, quæ majori ſunt in Chriſtiana diſciplina venerationi.

Quem fugit, audaces Criticos iſtos ad arbitrium ſuum fidem ſuam revocare, & quemcumque alium a ſe ducem removere præter rationis ſuæ lumina, contemtis etiam Verbi Divini luminibus? Id certe ſibi infeliciſſimi juris Critice occupavit, ut de omnibus judicium committeret, & pronunciaret. „ Scriptura, inquit Abbas quidam celebris, „ Critico videri deſinit emendata; Opus eſt ſine intermiſſione Textum „ Græcum, Hebraicum, & Syriacum adire. Patres & Doctores Eccleſiæ non ſunt ejus vim ſententiamque aſſecuti, ipſorum argumentationes propoſitum non conficiunt . . . . . noſtræ ætatis homines ſunt „ eruditiores. „

Abbas Trapenſis in Reſp. ad Tract. de Stud. Monaſt. p. 176. Gall.

Videbis revera impudentes iſtos non multò aliter aggredi ad excutienda Chriſtianitatis, atque ad profanæ antiquitatis monumenta aggrediuntur; rati ſolis fidere limati, ut putant, judicii ſui præceptionibus, cui Sacra omnia & profana ſubjiciunt.

Quot ne tenebricoſa Opera liberum eſſet in apricum producere, in quibus Critici veluti certatim audaciam ſuam uſque eo illuſtrarunt ipſius Religionis impendio, ut ipſa, quibus demonſtratur, argumenta ad quodam probabilitatis genus, in utramque partem propugnandæ, revocarent? Si indulſerunt homines, ut Critice ſubderent Divinæ arcana Sapientiæ; ſummæque ipſius Poteſtatis portenta mira incredulis dederent dubitationibus; ſi data opera ſtuduerunt, ut teſtimonia, Chriſtianiſmo magis faventia, inducerent in ſuſpicionem; id eſt crimini dandum fatali multorum conſuetudini, qui, ut eos exprobrat Voſſius, Criticam perſonam ſuſceperunt. Non poſſumus ſatis conqueri, eo gradatim ventum eſſe, ut habeatur Religio, quaſi Scientia Criticæ obtemperans facultati. „ Fertur ſane, inquit Cl. P. Mabillonius, certius de Dogmatibus & Religionis capitibus judicium, atque illud ferret Concilium.„

Voſſius Diſſert. de Sybillis.

Mab. de Stud. Mon. p. 2. c. 13. pag. 291.

Quot minus utiles concertationes excitavit Critice ſuper monumentis Chriſtianæ antiquitatis? Quique illorum auſi non ſunt, ea petere directe, repercuſſione quadam eadem extenuarunt, partim obſequium Sanctis Patribus gerendum diminuentes, per quos, veluti per canales, illa volvuntur; partim in eorum præſidium ſe recipientes, quo diverſas ab ſe imbibitas ſententias tuerentur; partim denique ipſorum verbis, quem magis libuerit, ſenſum accommodantes. Hic eſt fortaſſe, inquit Mabillonius,

Ionlus, quidam ſæculi noſtri morbus. Sæcula evoluta ſimplicitatis & credulitatis exceſſu peccarunt; in præſens ingenia, ut vocant, fortia admittunt nihil, quod ad ipſorum Tribunal delatum non ſit. Porro cum ſapientiſſimus quidam ſocietatis Jeſu Vir Religioſus hos omnes alioſque multo ſtrenue oppugnaverit malos uſus in Opere, quod non multo antehac in vulgus edidit; * non eſt cur hac in re ulterius progrediar; inito a me conſilio proponendi duntaxat dubitationes quaſdam, animadverſioneſque movendi in Uſum legeſque Criticas de Hiſtoria Eccleſiaſtica, Patrum Operibus, Actis Veterum Martyrum, & Hiſtoria Sanctorum; non autem malos ipſius in negotio Religionis uſus inſectandi. *Mabill. ibidem.*

Illud addam tantummodo, P. Laubruſſelum generatim multa animadverſum in Critices licentioris de Religione pericula, illorum errorem deprehendere, qui abſque nutu, & vocatione Critico Librorum Sanctorum examini ſe immiſcuerunt. Notat exquiſitam Criticorum diligentiam oſtentandi Linguarum & Rabbiniſmi peritiam; quaſi vero ab illis univerſa deſcenderent: Exponit prava dubia, in Textu Hebraici integritatem excitata; aperit ipſorum hallucinationes ſuper nonnullorum Scripturæ Librorum Autoribus, lubricas eorum novitates ob oculos ponit de Legum & cæremoniarum Hebraicarum origine; retegit denique errata nonnullorum de Canone cum Veteris tum Novi Teſtamenti, ipſorumque de Sanctorum Librorum afflatu mutationes.

Tranſitum deinde facit ad ſenſa minus temperata ſuper interpretatione Librorum Sanctorum, quæ confirmat exemplis, ab arrogantia Criticorum quorundam de Bibliorum intelligentia petitis; exquiſito contemtu præceptorum ab Eccleſia traditorum, ut germanum ſenſum diſpiceret; ab ipſorum licentia inducendi fallaces regulas, ipſiſque exiſtimationem comparandi, germanarum detrimento; ab uſu regularum ſuarum ſuper Prophetiis vitioſo, atque ab immoderato, quod præſeferunt, ſtudio ſubjiciendi cuidam polito limatoque judicio Sanctarum Litterarum difficultates; ab ipſorum, verbo dicam, audacia in innovandis Bibliorum Verſionibus.

Exagitat poſt hæc malos Critices uſus de Traditionibus, quorum fundamenta nonnullorum Criticorum licentia pene convulſa ſunt; aperitque novas vias ab ipſis inventas, ut Patrum & Traditionis autoritati derogarent, conatuſque ipſorum, ut ſanctiores conſuetudines Traditione invectas Chriſti fidelibus eriperent.

* Opus P. Laubruſſeli, Impreſſum Pariſiis anno 1711. duobus Tomis in 12. titulum habet: *Tractatus de malo Uſu Critices in negotio Religionis*. Gallice. Volumen primum inſtitutum eſt ad oſtendendos Critices malos Uſus ſuper Bibliis Sacris; alterum ad evertendos eos, qui ad Traditionem ſpectant.

Pla-

Placet hanc Epitomen abſolvere egregiâ docti hujus Jeſuitæ conſideratione de Critice noviſſimis hiſce temporibus inſtaurata. „ Compertum „ eſt quingentis retro ſæculis, innumeram Barbarorum multitudinem Occidentem univerſum occupaſſe, ſecumque barbariem adduxiſſe, quin „ ullum inde Fides caperet detrimentum. Vidimus autem rurſus Litteras floruiſſe; ſtatimque Criticen, & Hæreſim ſocias fideles, æquo greſſu eaſdem remotas ſemitas perſequi, pari audacia eoſdem fines prætergredi, eaſdemque Eccleſiæ leges proterere. „

Laubruſſ. Tom. 1. p. 88.

Experimento ipſo revera probatum eſt, primos, quos dicunt, *Reformatores*, * itemque *Proteſtantes* ** poſtremi ſæculi, audaci Critice protectos, in eo vim omnem poſuiſſe, ut ab imo Chriſtianiſmum ſuffoderent; ſive Scripturas dubitationibus & futilibus jurgiis redigentes eo, ut certa argumenta, minimeque controvertenda de re Religionis inde comparare non poſſent; ſive inſurgentes in Traditiones conſtantiſſimas, nulla alia ductos ratione, quam faſtidio ſuo; ſive curantes diruere ſenſim totum Fidei exterius ædificium, inter ſuppoſita rejiciendo ſcripta & facta probatiora; ſive demum ad pravam ipſorum Criticen confugientes, ut ſeſe expediant, cum ſuper quibuſdam factis autoritas Traditionis & Patrum ipſis objicitur. In ſuis certe diſputationibus ſolerter adeo Religionis & Grammatices negotia miſcuerunt, ut citra diuturnum validumque ſtudium, difficillimum ſit inter tot Criticas ambages veritatem ab errore ſecernere.

Lectio Patrum p. 2. c. 7. p. 158.

* Sub initium præteriti Sæculi Jacobus Verheiden edendum curavit Librum, cui titulus: *Præſtantium aliquot Theologorum, qui Romanum Antichriſtum oppugnarunt: Hagæ Comitis* 1602. Meminit Opus hoc quinquaginta Scriptorum, quorum præfigitur imago; Geſtorum texitur hiſtoria, Librorumque Catalogus. Nemini dubium eſſe poteſt, primos Religionis, quam dicunt *Reformatæ*, Sectatores egregios Criticos fuiſſe, & præcipuum Artis hujus uſum in Eccleſiæ Romanæ oppugnationem convertiſſe.

** Inter ſuperioris ætatis Proteſtantes, qui adverſus Catholicam Eccleſiam Criticen exercuerunt, numerari poteſt, Rainaldus Anglus, cujus præcipuum Opus eſt cenſura, quam fecit Librorum Sacrorum, quos hodierni Heretici apocryphos appellant, & *Tractatus de Idololatria Eccleſiæ Romanæ*. Blondelus quoque uſus eſt Critice ad Religionem expugnandam, uti videre eſt in Tractatu ipſius: *De Primatu Eccleſiæ* Gall. & in *Illuſtratione de Euchariſtia* Gall. Gata Kenius idem præſtitit in Libris Controverſiarum pro defenſione eorum, qui ex ipſius parte erant: Queis addi poſſunt Uſſerius, & Dallæus; qui potiſſime venenum ſuum effundit in Opere, cui titulus: *Uſus Patrum*. Jurius pariter & Clericus, ut ceteros prætercam, in eo laborarunt, ut Criticen ſuam in Eccleſiam intentarent, quorum poſtremus in ſua *Arte Critica*, & Epiſtolis Criticis nullam non captat occaſionem, qua impudentis Critices ſuæ regulas ad Religionem exagitandam adhibeat.

§. II.

§. II.

Malus Critices Uſus in Rebus, quæ Religionem non attingunt.

NON ſunt ii tantum, quos attulimus, mali Critices uſus; ſuperſunt alii multi. Videntur etenim Autores nonnulli id ſtudioſe exquirere, ut Critice nullam afferat opportunitatem, præterquam ad implicandam Hiſtoriam Eccleſiæ, ad ferenda dubia ſuper factis melius conſtitutis, eorumque momenta extenuanda. Alii vero Artem ſuam tantummodo referunt, ut opiniones magis deſtitutas, minuſque propugnandas tueantur, ut in Scriptoribus eorumque Operibus maculas culpaſque deprehendant, quæ vix ſincero, ſimplici, rectoque animo ſentiri & percipi poſſe videbantur.

Alia plane ratione Criticen uſurpavit Thierius, quæ ſane in malis revera Artis hujus uſibus numerabitur. Id accidit tum, cum Launojus typis commiſit Tractatum de autoritate negantis argumenti, in cujus altera Editione anni 1662. verbum aliquod Thierio inofficioſum ipſi excidit. Thierius alium Librum emiſit Pariſiis anno 1664., quo Launojo reſponderet, in eoque nugæ multæ leguntur majori, quam par erat, conatu actæ, quæque ad rectæ Critices uſum nullo modo pertinent. Exempli gratia, capitibus haud paucis id tantum inveſtigat, utrum Launojus ſtrenue ſui periculum fecerit in Theologico Experimento; ſique Cenſores eum laudibus honeſtaverint. Diſquirit etiam in aliis, anne ipſius nomen *Thiers* vertendum Latine ſit *Thierſus*, *Therſus*, *Thertius*, *Tertius*, aut *Thirſus*, uti reddiderat Launojus. Tria capita nihil complectuntur niſi Indicem errorum Grammaticorum Launoii; eumque reprehendit, quod *Joannis* vocabulum ſine *h* ſcripſerit *Johannis*, & *Sincerum* cum *y*. „ Incommode certe cadit, ait Hedouvillæus, Thierium ad meliora comparatum his tricis ineptiiſque detineri; „ & pulcherrimam artem Criticam ad minuta hæc peragenda detrudere.

Thierius in defenſione adverſus Appendicem Joann. Launoji c. 17., & ſeq.

Ephem. Sapientum 16. 1665. Martii.

Conſtat etiam, abuſum fuiſſe Criticæ Thierium, ubi eam uſurpavit, ut colligeret & expenderet magnum Superſtitionum lepidarum atque inauditarum numerum; * ex quo Scriptores Ephemeridum Sapientum, qui

* Super Præfatione Miſſæ teſtatum reliquit Thierius, ſuperſtitioſos quoſdam eſſe, qui putant, recitantes duas decades Coronæ, dum canitur Præfatio, non fore impoſterum *ſingultibus* obnoxios; alios item, Sacerdote canente, *ſurſum corda* munire collum ſigno Crucis, exiſtimantes hac ratione ſe ſuſpendium evaſuros: quaſi vero *corda* eo loci *funem* ſignificaret; non paucos opinari ſe non petitum in morſibus canum rabidorum, ſi ore hiante *Sanctus* Miſſæ pro Defunctis audiant; ſique *Triſagion* hoc angelicum ſcripſerint in particula Pergamenæ vir-

ter-

tertium & quartum Tractatus de ſuperſtitionibus hujus Doctoris Tomum in Epitomen redegerunt, nos docent, eum mira adeo diligentia & accuratione illas collegiſſe, quæ ſpectant ad Sacramenta, ut putent, ſe non hallucinari, ſi dicant, in iis reperiri non modo illas, quæ revera peractæ ſunt, ſed eas quoque, quæ peragi tantummodo poſſunt. Nolumus quidem inficias ire, eas Thierium primo cognoviſſe, nihilominus quamplurimas recitat ſine argumentis, & ſine ſponſoribus.

Ephem. Sap. 17. Decembris 1703.

Haud raro conſpicimus in Litteratorum plerorumque Operibus quendam Critices uſum, adulterinum ſane, & vituperatione dignum, qui certe a primæva ipſius inſtitutione minime invaluit. * Qua etenim ſpecie veritatis perſuaderi ſibi quis poterit, primos Critices Autores, eoſque, qui ad eam perficiendam vim omnem contulerunt, ea mente fuiſſe, ut adhiberetur ad declamandum; ad animi motus in illuſtri lumine collocandos, ad acria verba, dura ſchomata, injuriaſque jaciendas, idque pro privatis, & perſonam ipſam attingentibus querimoniis? Quod in cauſſa fuit, ut fierent minoris ſcripta plerorumque ſapientum Italorum, ** qui decimoquinto ſæculo exeunte floruerunt. Idem vitium detraxit de dignitate duorum Scaligerorum, *** Sciopli, **** Garaſſii, Greſſeri, Gruteri, *Fevardenginis*, ſe cumque detulerint; uberi piſcatu uſuros: aut oculos firmiter tempore Sanctus trium Miſſarum intendentes *unguium rigore* ſanari; denique *Pater noſter* recitantes ordine præpoſtero, dum attollitur Sacramentum in Miſſa, dentibus non laboraturos, &c. Thierius Tractatu de Superſt. Tom. 3.

* *Mos etiam obtinet in Republica Litteraria, ut homines Litterati ſibi invicem perfacile detrahant, & propter levem injuriam, aut quod interpretantur injuriam eſſe, convitiorum plauſtra in adverſarios conjiciant. Joan. Cler. Epiſt. Crit. Epiſt. 3. pag. 90.*

** Inter Italos, qui fama laborarunt, acrioris & mordacioris Critices, & Maledictorum cauſſa, ſunt *Poggius* Florentinus; *Laurentius Valla* Senator Romanus; *Merula* ex Alexandria Satiellorum; *Politianus*, *Pontanus* ex Neapoli. Animadvertunt item, Criticen Cl. Vives nonnunquam ſeveriorem eſſe, accuſarique ſolere improbitatis & detractionis; quod ad ipſius nominis exiſtimationem ſtatuendam non admodum confert.

*** Julius Cæſar Scaliger ea mordacitate & vehementia in Eraſmum ſcripſit contra fas & æquum, ut qui ſtudioſius ab eo ſunt, ipſius furentem Criticen purgare nequiverint. Aſſumta ratione quod Eraſmus ſuperſtitioſos Ciceronis imitatores damnaret, ita egregium hunc Criticum tradueit Scaliger, ac ſi horribiliores blaſphemias evomuerit, & criminum atrociorum, turpiorumque reus eſſet. Eum nanque appellat *Paraſitum*, *Ebrioſum*, *Brutum animans*, *Furiam*, *Carnificem*, *Avarum*, *Indoctum*, *Stultum*, *Scopulum Religionis*, *eloquentia maculam*; *& generis humani Viperam*. Jul. Scalig. Orat. in Eraſmum.

**** Qui non noverunt Scioppium, de Critices ipſius genere, ejuſque ingenio facile judicabunt, ſi tamen non detractent Librum evolvere inſcriptum: *Infamia Famiani Stradæ*, quem in Thuanum lucubravit: præſertim vero conſulant Scaligerum ſuum *Hypobolimæum*: nullum nanque eſt contumeliarum genus, quod in Cl. virum hunc eo libro non evomat. Quingentorum mendaciorum eum convincere jactat in quadam epiſtola, quam ſcripſerat, ut oſtenderet, ſe e generoſa Familia *della*

tii,

tii, Salmaſii, aliorumque multorum. Quamquam vero id ſit Proteſtantibus commune intemperantibus, effrenate in alios, maximeque Catholicos ferri, non poſſumus tamen diffiteri, iſtorum Criticen quoque in hanc levitatem incidiſſe, ſi ex ipſorum mutuis perpetuiſque querelis pronunciandum ſit.

Quot Sapientum Scriptorum expoſtulant cum Launojo, cum eum ipſis non ſatis liberaliter agere; quotque illorum contra Launojus inſimulat, immoderatius in ſe Criticen exercuiſſe! * Mabillonius merito de Thierii acerbitate & injuriis queritur: hic autem immerito idem exprobrat humaniſſimo illi Benedictino. Simonius & Petitdidierus contendunt, Dupini Criticen eos offendiſſe; Dupinus ex adverſo jure querelas habet in aſperiores loquendi modos Simonii; alteriuſque eruditi Religioſi Viri ex Congregatione S. Vvitonis, cujus tamen non ſunt adeo inofficioſa verba, ut Dupino perſuaſum fuit. Simonius quoque proſcindit Litteratos homines e Portu Regali, pro ipſorum Verſione, Montibus edita, & Martianæum; hi vero ea retorquent in Simonium, quæ nihilo ſunt humaniora.

Nonnullis Sapientibus viſum eſt, reperiſſe in Judiciis Eruditorum, a Bailleto latis, quædam loca aliquanto duriora, qua de re a querimoniis haud abſtinuerunt. At excellens iſte Criticus, qui ingenioſas adeo leges condidit, ** monentes nos, haud eſſe attendendum id genus rebus animum, cohibeat, ut maxime poterit, animi motus, quibus commoveri poſſit: ſenſaque odii, aut nimiæ voluntatis, quoties aliquem refutaturus ſcribit, aut propugnaturus, intercludat.

II. Qui vehementer ſcribit, eam ſponte præſtantiam amittit, quam ipſi cauſſæ ſuæ probitas ſupra adverſarios tribuebat

III Non dixerim, ſequitur Bailletus, utrum argumentum ſit mollitiei majoris, aut ſuperbiæ acutioris, non eſſe eo animo ſæculi noſtri homines, ut Scriptorum illiberalitatem inurbanitatemque ſuſtineant, quam præteritis ævis non admodum, ut apparet, moleſte ferebant. Niſi ſi Gallica Lingua non ſit ad contumeliarum ſordiumque iſtarum uſum facile compoſita, quibus Latina aut Græca Lingua minus erubeſceret.

IV. Opinio eſt præjudicata, non eſſe bonum, Librum Autoris ſui bili & felle ſuffuſum: quantumvis egre-

Scala deſcendiſſe, quæ tandiu Veronæ imperavit. Ephem. Sap. 5. Jan. 1665.

* Ex ipſa inſcriptione Libri, quem in Launojum edidit Thierius, quæ hæc habet. *In qua defenſione Launoii fraudes, calumnia, plagia, impoſtura, mala fides, & Linguarum Græca & Latina inſcientia aperiuntur, multipliceſque errores confutantur.* Ex hoc liquido ſit, qui celeberrimum Doctorem iſtum in Operis proceſſu Thierius accipiat in Defenſione adv. Append. Joann. de Launoj Pariſiis. 1664. Fatendum tamen eſt, Launojum ipſum, præterquamquod apprime Thierium contemnit, de illo totidem illiberaliter dicere in Append. ad Diſſert. de autor. negantis argumenti Pariſ. 1662.

** S. Autor, Bailletus inquit, qui pro ſui nominis exiſtimatione laborat, utque Operum ſuorum eos capiat fructus, quos ſibi ante oculos ponit, vitia infirmitateſque ſuas, ſi qua afficitur, abſcondat neceſſe eſt:

Planum facit, non fuiſſe illum hujuſmodi exprobrationibus omnino imperturbatum, ſi de re judicium ferendum ſit cum ex Illuſtratione, & Procœmio ad Collectionem Poetarum, quæ in fronte ſunt IV. Tomi de Judiciis Eruditorum; tum ex nonnullis aliis Operum ejus locis. *

Si vero cui in mentem venerit, viam hanc & rationem Criticorum noſtrorum purgare exemplo Hieronymi, Epiphanii, Luciferi Calaguritani, Hilarii, Bernardi, aliorumque Patrum, qui vehementius in Hæreticos locuti ſunt; nihil habemus, quod reſpondeamus, niſi momenta illa, rerumque adjuncta, quæ ad præſtantes Viros illos a culpa liberandos conducere potuerunt, nullatenus in præſens vigere, aut tanti non eſſe, ut minus temperatam ſcriptorum hujus ſæculi Criticen excuſare poſſe videantur.

Quod ſi opus eſſet aliquod in rem hanc ex Antiquitate exemplar aſciſcere, promtum eſſet dicere, diſſimili plane ratione ſe geſſiſſe Gregorium Nyſſenum cum Eunomio, cujus maluit citius injurias inulte cadere, quam eas aliis injuriis populſare. *Ego quando cuique*, ajebat Auguſtinus, *vel dicendo, vel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis, atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori Lectorive conſulens, non ago, ut efficiar homini conviciando, ſed errorem convincendo ſalubrior*. Verum quin ad ea uſque Patrum tempora regrediamur, præclarum moderationis hujus exemplum dedit nobis celeberrimus elapſi ſæculi Scriptor, ** cui accedat alius ejuſdem *** virtutis & dignitatis.

Aug. l. 3. contra Litt. Petiliani c. 1.

gium tractet argumentum, ordine utatur pulchro eruditoque, munuſque ſuum accurate exequatur.

V. Una eſt ad ſervandam augendamque ſui nominis famam, & adverſariorum extenuandam via, quoties in Scripta ſua inurbana verba irrepere ſinunt: adverſam conſtanter loquendi rationem tenere. Baill. Judic. Sap. Tom. 1. p. 2. c. 8.

* Si Tractatus Hiſtoricus & Criticus de Satyris, perſonas ipſas attingentibus, qui inſcribitur *Anti*, auctorem, ut fertur, agnoſceret Bailletum, non poſſem, quin crederem, Cl. hunc Criticum aliqua erga ſe affectione captum. Neque enim videtur alio referri poſſe, niſi ad quendam molliorem animi ſenſum, jocos illos facetiaſque, quibus Menagium petit ex occaſione *Anti-Bailleti*. Non plane contentus, illum eum *Anti-babau* Jacobi d'Auſoles-la-Peire comparaſſe, *Anti-babau* redivivum nuncupaſſe, dixiſſeque, ſi quis velit, *Anti-babaum* cognationem ſuam, & generationis ſuæ naturam in *Anti bailleto* cognoſcere, opus eſſe, ut ipſi invicem accedant, atque *Anti-bailletus* coram *Anti-babau* procidat: quo in eum, cui debetur, honos conferatur. Tom. 2. Art. 155. p. 243. Inſuper *Anti-bailletum* poſtremum appellat *Anti*, perſonas attingentium, & tot humanæ affectionis immoderatæ abortuum ſucceſſorem. Ib. art. 67. p. 288.

** Animadverſum eſt, omnes, quotquot in P. Cointium ſcripſerunt, prodeuntibus ipſius reſponſionibus, continuo calculum mutaſſe, atque in ejus ſententiam deſcendiſſe. Dixerim ſane, tam iis in viam revocandis conduxiſſe moderationem adverſarii reſpondentis, quam ſolida argumenta refutantis. Inauditum eſt, Cointium aliquando in eos, quos adorſus eſt, vocem contumelioſam intentaſſe. Ephem. Sap. 3. Martii 1681.

*** Convenit inter omnes, Tillemontium habendum eſſe Exemplar

Porro

Digitized by Google

Porro quo hæc Critici modeſtia Lectorum amorem allicit atque exiſtimationem, eo inurbanitas atque obtrectatio non modo ſatietate afficiunt, verum Criticen ipſam in contemtum adduxerunt. Huic verbo *Critice* ſubjicitur plerumque vis & ſententia, quæ non paucos offendit; cum primum illud aut audiunt, aut legunt, hæret ſtatim in mentibus notio effingens rude ingenium, contumeliaſque in alios jactas, aut errata acrius, quam par eſt, animadverſa. Quamobrem malus Critices uſus ejus nomen in invidiam vocavit, inſtitutum, exercitationemque jacere fecit.

Non eſt itaque Critices Uſus, cum pravo uſu permiſcendus, aut, ſi placet, bona & mala Critice; ex quo etenim ea ſecreta fuerint, quibus confunduntur, una erit reliqua Artis hujus, quæ in animo defixa ſit, ſpecies excellens, utilis, atque jucunda. Perſpicuum fiet, eſſe illam inſtrumentum veluti generale, ſine quo nemo poteſt revera Litteras profiteri; clavem ipſam, progreſſum, & abſolutionem ſcientiarum humanarum; Hiſtoriæ denique Eccleſiaſticæ, Operumque Patrum murum & clypeum; illudque ferme de Critice dici poteſt, quod de humanarum Litterarum ſtudiis faſſus eſt Mabillonius, " eam non modo neceſſariam ad Patres " intelligendos eſſe, verum etiam viam & rationem oſtendere, qua Do- " gmata Religionis adverſus adverſarios tueantur; quod non præſtat Scri- " ptura, a qua argumenta duntaxat, remque comparamus. " Ullus ne fieri poteſt excellentior magnæ hujus artis uſus? Ad hunc ſane unum eam ſapiens & ingenioſus Criticus revocavit.

Mabill. de ſtud. Monaſt. p. 2. c. XI. pag. 269.

moderationis, quæ in cunctis ejus Operibus refulget. Si nanque Scriptores ex adverſo lucubrantes urbanitatis tum ſervandæ abſolutum ſpecimen flagitant, evolvant per me magni hujus Viri Epiſtolam ad Lamium ſuper iſtius Tractatu de antiquo Judæorum Paſchate, quæ ſita eſt in Calce Monumentorum. Spec. Vitæ & Ingenii Tillem. art. XI.

ARTICULUS II.

Uſu Criticarum Regularum, adhibitiſque Sapientum initiis; Opera omnium opinione ſuppoſititia, ab ea nominis fama vindicari poſſunt; aliaque explorate legitima falſitatis argui.

§. I.

Ex uſu earundem legum, quibus Ignatianas Epiſtolas authenticas eſſe ſtatuit Dupinus, poſſet quis efficere, cum Carmina Sibyllarum, tum Epiſtolas Abgari & Jeſu Chriſti apocryphas eſſe.

TAmetſi ſolidiſſimis momentis planum fecerit Dupinus, Epiſtolas, S. Ignatio adſcriptas, germanas eſſe reipſa Sancti illius Martyris lucubrationes; carmina vero Sibyllis tributa, atque a Patribus recitata * certo ad illas non pertinere; nihilominus haud eſſet factu difficile demonſtrare, eum, qui pro Carminibus Sibyllinis argumenta uſurpare vellet, quibus ratam facit Dupinus Epiſtolarum S. Ignatii autoritatem, probaturum, eadem, qua Sancti illius Epiſcopi Epiſtolæ, Carmina quoque gentilium Prophetarum iſtarum veritate muniri.

Ante omnia autem illud eſt animadvertendum, has eſſe firmiores magiſque concluſas, ut Autori cuipiam Opus aliquod accenſeas, Criticas præceptiones. 1. Attentius evoluto Libro, de quo accidit dubitare, te recipias ad Scriptores, aut ejuſdem, aut ævi propioris. 2. Opus eſt; allata teſtimonia clara eſſe, affirmantia, atque e legitimis eorundem ſcriptorum Operibus depromta. 3. Teſtimonia Veterum excipiant conjecturæ ad Critica

* Antequam laberetur ſæculum XVI. nemini in mentem venerat, de Sibyllinorum Oraculorum veritate, multoque minus utrum extiterint aliquando, ancipitem eſse. Poſſevinus Jeſuita, & Caſtalio primi fuerunt, qui hac de re dubitationem injecerint. Blondelus deinde male in Sibyllas animatus, quod ignem purgantem in vita futura conſtituant, earum perdendarum conſilium habuit, affirmavitque, ea carmina invecta in Eccleſiam fuiſſe anno a Chriſto nato 140., & Patres, ſive ex imperitia, ſive ex ſimplicitate illa carmina ad malum uſum convertiſſe. Idem Opus hoc Hermæ, Libri Paſtoris Scriptori, adjudicat, Montanumque aliquid rei contuliſſe ſuſpicatur. Craſſetus vero Jeſuita anno 1675. ut Blondelum, & Marebium Profeſſorem Theologiæ Groeningæ refelleret, Diſſertationem de Sibyllarum Oraculis conſcripſit. Gallæus, Miniſter Eccleſiæ Wallonicæ Harlenitanæ, viceſimam quintam Diſſertationum ſuarum de Sibyllis, earumque Oraculis inſtituit, ut Craſſeto reſponderet: editæ ſunt Amſtelodami 1664. in 4.

tica

tica documenta redactæ, quæque oſtendant, Opus, de quo fertur judicium, adulterinum eſſe non poſſe; genuinum eſſe oportere. 4. Intereſt palam facere, loca hujus Libri, ab Antiquis memorata, extare ad hanc diem in Tractatu controverſo. 5. Hunc item nihil complecti, quod moribus, dogmatibus, diſciplinæ, Autori, & tempori non congruat. Denique præſtat firmiter iis omnibus occurrere, quæ Operis illius autoritatem poſſent exterminare.

Porro cum S. Ignatii Epiſtolæ ſint monumentum ex Chriſtianæ antiquitatis elegantioribus, Heterodoxi nonnulli, quos inter Blondelus, Salmaſius, Dallæus &c., contenderunt, eas fuiſſe confictas, qua ſaltem ratione ab Uſſerio Oxonii anno 1644., & Voſſio Amſtelodami anno 1646. editæ ſunt ad normam MSS. Græcorum Bibliothecæ Florentinæ & Cantabrigienſis. Contra vero Dupinus excellentiores Critices regulas, quæ Operi huic accommodari poſſunt, eo contulit, ut S. Ignatium illarum germanum eſſe Scriptorem tueretur. *Dup. Bibl. t. 1. p. 113. &c.*

I. Doctus hic Autor Quæſtionis ſtatum perſpicue ob oculos ponit, & nititur confirmare, non eſſe negotium de Epiſtolis univerſis, quæ S. Ignatii nomine circumferuntur, quindecim namque ſunt, duodecim Græcæ, & tres Latinæ, ſed de ſeptem duntaxat Græcis, Euſebio, & Hieronymo probatis. Exinde nos docet, Ignatio vita functo, Epiſtolas haſce S. Polycarpum ipſius diſcipulum collegiſſe, neque fieri poſſe ſimile veri, germanas evanuiſſe, aliaſque ſuffectas fuiſſe per id intervallum, quod inter Polycarpum, Origenem, & Euſebium, eas recitantes, intereeſſit. Poſt Euſebium tandem eaſdem Epiſtolas unanimi Chriſtianorum conſenſu receptas, & ab innumeris Scriptoribus Eccleſiaſticis in medium adductas fuiſſe.

I I. Affert Dupinus loca explicatiſſima, ex eorum legitimis Operibus decerpta, quæ Litteras illas ab Ignatio exaratas eſſe declarant. *Ibid. p. 115.*

I I I. Enumeratis Autoribus ad XVI. uſque ſæculum, qui ſancti hujus Martyris Epiſtolas, ut maxime *authenticas* agnoverunt, tranſitum facit doctus noſter Criticus ad momenta & conjecturas, quæ aptæ ad evincendum ſunt, Epiſtolas illas a S. Ignatio revera profectas fuiſſe, & primæva integritate conſtare. „ Primum, inquit, attinet diſcutere, ut percipiamus, anne S. Ignatius Epiſtolas ſcripſerit. Non crediderim, eſſe quempiam, qui jure de hoc animi pendere poſſit. 1. etenim, antiquitas univerſa huic facto autoritatem tribuit. 2. Traditione a nobis allata firmatur, perhibente nimirum, Autores, qui cum S. Ignatio verſati fuerant, uti S. Polycarpum, aliosque, qui ab ipſo ſtatim vixerant, uti Origenem & Iræneum, has Litteras cognoviſſe & recitaſſe. Atqui abſurdum mea quidem ſententia immane eſt urgere, per id temporis id illi tributum fuiſſe, quod ille haud lucubraverat. Conſtans itaque de- *Ibid. p. 124.*

„ bet

„ bet eſſe, S. Ignatium Epiſtolas ſcripſiſſe. Et vero, cui dubium eſſe pot„ erit, has eſſe eaſdem, quas collegit Polycarpus Epiſtolas; quæque ve„ ri ſpecies, tempore inter Polycarpum & Euſebium elapſo, germanas „ periiſſe, aliaſque illarum loco vulgatas fuiſſe? Euſebio itaque præſto „ erant archetypæ S. Ignatii Epiſtolæ; cumque ceteri, ipſum conſecuti, „ quorum attulimus teſtimonia, ſine controverſia ſeptem, ab Euſebio „ memoratas, Epiſtolas habuerint, non eſt dicendum aliqua ſpecie ve„ ritatis, eos mendaces S. Ignatii Epiſtolas laudaſſe. „

Ibidem p. 125. I V. Poſt haſce conjecturas & argumentationes infert, ad verum accedere non parum, Editiones Uſſerii & Voſſii * Epiſtolas S. Ignatii incorruptas, ut erant primitus, dediſſe nobis; quoniam loca a Veteribus allata, de verbo ad verbum in illis reperiuntur. Quod eo firmius videtur eſſe, quod non agitur hic de unius aut alterius loci ſimilitudine, ſed de locis quamplurimis, a variis Scriptoribus adductis: id nanque rem efficit certiorem.

Ibidem p. 125. V. Non prætermiſit Dupinus alias quoque Criticas inſtitutiones, ad tempus ſpectantes; addit enim: „ Epiſtolæ iſtæ nihil præſeferunt, quod S. Ignatii perſonæ & tempori non cohæreat. „

Dupin. p. 129. & ſeq. Alex. Hiſt. Eccl. tomo 2. ſæc. 1. Diſſert. 22. p. 305. & ſeq. Poſtremo infringit ſolide objecta a Salmaſio, Blondelo, Aubertino, & Dallæo argumenta. Iiſdem Criticis præceptis in rem eandem utitur Alexander.

Interea præſtat conſiderare, fieri nonne poſſet initiorum Dupini uſu; ut probaremus, Carmina, Sibyllis adjudicata, non eſſe forte adulterina. 1. Negotium eſt, non quidem utrum Carmina, nomen Sibyllarum gerentia, in octo Libros tributa, & Patrum Bibliothecæ inſerta, in ſuppoſititiis collocanda ſint: nemo enim unus de hoc ambigit, aut certe corruDup. Biblioth. p. 58. ptiſſima eſſe; ſed refert ſcire, utrum mendacia ſint Carmina Sibyllina quæ Patres habuerunt, & recitarunt; anne eadem revera fuerint, quæ a Romanis diligentia tanta cuſtodiebantur, uti ab ipſis effuſa; ſique pro Ibid. p. 76. conſtanti judicandum ſit ex Dupini ſententia, Carmina a Patribus memorata altero ſæculo confiſta fuiſſe. Non repugnat Dupinus, Sibyllas Carmina condidiſſe, in Capitolio ſervata, neque ullus erit qui factum hoc tot vetuſtis autoribus teſtatum, denegare poſſit. Varro, Cryſippus, Plinius, Solinus; Ælianus, Dionyſius Halicarnaſſæus illius mentionem fecerunt. ** Sunt qui dicunt, Joſephum quoque de Sibyllis locutum fuiſſe.

* Certum eſt, inquit Godavius, omnium Epiſtolarum iſtarum archetypum vitiatum fuiſſe, illudque a Veterum Patrum citationibus diſcrepare. Hiſt. Eccl. l. 2. anno 107. & 108. pag. 265.

** P. Craſsetus in prima parte Diſſertationis ſuæ, poſtquam oſtendit, Libros Sibyllarum, ſummam ſemper in Eccleſiam venerationem acquiſiviſſe, extitiſſe id Prophetarum genus, quas nonnulli profani Scri-

Ani-

Animadvertit S. Clemens Alexandrinus, Apoſtolum Sibyllinorum Librorum lectionem conſuluiſſe; Hermas etiam, prioris Ecleſiæ ſæculi ſcriptor, hoſce Libros compertos habuit. Si fides eſt Autori Quæſtionum S. Juſtino adſcriptarum, afferebantur Sibyllæ in altera Epiſtola, cui nomen S. Clementis Papæ. Tum quoque ſæculo ſecundo in medium prolatæ ſunt a Juſtino, Theophilo Antiocheno, & Clemente Alexandrino; tertio vero ab Origene, & Lactantio; item quarto a Conſtantino Imperatore, quorum verba producit Euſebius, a Gregorio Nazianzeno, ab Auguſtino, innumeriſque aliis ſequentium ſæculorum. 2. Loca Scriptorum iſtorum non modo ex perſpectis ipſorum Operibus traducta ſunt, verum adeo ſunt conceptis verbis efformata, ut nemo homo anceps eſſe poſſit, eos de Libris loqui voluiſſe, qui Prophetarum Gentilium iſtarum eſſe dicebantur.

I I I. Noſtra intereſt in præſenti argumentis confirmare, Carmina, a Patribus laudata, altero ſæculo ficta non fuiſſe; eadem eſſe, ac Carmina Sibyllarum, quæque a Romanis religione tanta cuſtodiebantur. Quod ut fiat, nos manet unum, Dupini argumentationem repetere, atque ad inſtitutum noſtrum accommodare. *Primum attinet diſcutere, ut percipiamus, anne* Sibyllæ carmina *ſcripſerint? Non crediderim eſſe quempiam, qui jure de hoc animi pendere poſſit. 1. etenim univerſa antiquitas huic facto autoritatem tribuit. 2. Traditione a nobis allata firmatur, perhibente nimirum*, Autores ante Chriſtum florentes, Patreſque prioribus Eccleſiæ ſæculis ſeribentes, uti S. Clementem Papam, Hermam, Juſtinum, Theophilum Antiochenum, ſibyllina carmina *cognoviſſe & recitaſſe. Atqui abſurdum mea quidem ſententia immane eſt. urgere, per id temporis id illis tributum fuiſſe, quod ipſæ non lucubraverant. Conſtans itaque debet eſſe* Sibyllas Carmina *ſcripſiſſe. Et vero cui dubium eſſe poterit hæc eſſe eadem*, quæ collegerunt, atque in tutto poſuerunr Romani, multique Pagani Autores ante Chriſtum etiam nominarunt? *quæque veri ſpecies* ab Auguſti ætate, qui Libros iſtos reviſit, clauſitque aureis duobus arculis in Templo Apollinis ad Sanctum uſque Clementem Pontificem, Joſephum, Hermam, & Juſtinum, *illa periiſſe, aliaque priorum loco vulgata fuiſſe?* S. Clementi itaque Pontifici, Joſepho, Hermæ, & Juſtino *præſto erant* germani Sibyllarum Libri; *cumque ceteri, ipſos conſecuti, ſine controverſia Libros*

ptores ad ſexageſimum numerum deduxerunt: & Varro ex opinione certiori decimo includit numero. Poſtquam etiam narravit, quæ de Jeſu Chriſto, & aliis Religionis Myſteriis litteris tradiderunt: efficit ratione, vixiſſe olim Sibyllas, de Jeſu Chriſto diſputantes. In quam rem teſtimonium affert Ciceronis, Virgilii, Taciti, Svetonii, aliorumque multorum Autorum profanorum, qui ante Chriſtum claruerunt, & non paucorum Eccleſiæ Patrum.

ab

ab Herma & Juſtino memoratos habuerint, non eſt dicendum aliqua ſpecie veritatis eos mendacia Sibyllarum carmina *laudaſſe*. Quamquam etenim Pagani de Carminum Sibyllinorum a Patribus laudatorum, autoritate dubitaverint; Lactantius tamen nos docet; non fuiſſe Chriſtianos, qui nova exeogitaverint, uti Pagani ipſis objiciebant. *

I V. Loca a Libris Sibyllinis decerpta, & a Patribus memorata, ad-
Dup. ibid. p.61. hanc diem, Dupini ipſius confeſſione, extant in Voluminibus, iſtis Prophetis ad judicatis. Siquidem, ubi animadvertit, tribus aut quatuor locis demptis, omnia licet quamplurima, quorum in Veteribus veſtigium eſt, reperiri verbis æqualibus in Sibyllarum Libris, qui jam nunc ſuperſunt, ſubjungit: „ Firmior de Operis alicujus vetuſtate ratio eſt, ſi loca ab an„ tiquis adducta in eo ſint .... Hæc ratio eo conſtantior eſt, quo non eſt „ ſermo de uno duntaxat loco, ſed de pluribus, a variis Autoribus rela„ tis; & Libri Sibyllini eadem adhuc Lingua afferuntur, qua deſeripti „ fuere. Ceterum non eſt mirum, ſi quæ ſint loca, quæ ad verbum non „ reſpondeant; quandoquidem non paucas Librorum iſtorum partes ami„ ſimus, & Priſci homines ſæpe minus erant in Textibus afferendis accu„ rati, & ſenſum potius, quam Litteram conſectabantur. „ Ecce qui Patres ex Dupino Carmina Sibyllarum uſurpaverint; quod nos eximit, quin aliud huic quarto ſtatuendo argumento ſubdamus.

Dup. ibid. p.62. Attamen Cl. hic Criticus quintum quoque a tempore petitum ſuppeditat &c. „ Addere poſſumus, inquit, quæcumque de ſibyllinis Libris teſtati „ ſunt Patres, adhæc revocari. Libri Sibyllarum non admodum ele„ gantes erant. Iſtiuſmodi ſunt præſentes. Diſputabant de Jeſu Chriſto, „ de Judicio, de Inferis; quæ omnia in iis, qui extant, occurrunt, „ &c. „

Denique allatis a Dupino ** aliiſque multis quamplurimis momentis & conjecturis adverſus veritatem Carminum Sibyllinorum a Veteribus, laudatorum, Alexander & Craſſetus *** ita firme & graviter faciunt ſatis, ut iis ſatisfacit Dupinus, quæ in Ignatianas Epiſtolas congerunt Proteſtantes.

* *Hic teſtimoniis quidem revicti ſolent eo confugere, ut dicant, non eſſe illa carmina Sibylyna, ſed a noſtris ficta atque compoſita, quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemque legerit, alioſque Veteres, qui Erithræam Sibyllam, ceteraſque commemorant, ex quorum Libris iſta exempla proferimus, qui Autores obierunt, antequam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur.* Lactantius de vera Sap. l.4 c.15.

** Dupinus conjecturas, quas in Sibyllinos verſus capit, a Blondelo comparavit. Bibliot. Tomo 1. pagina 59. & ſequenti: Item libro 2. Prolegomen. in Biblia capite 7. pag. 386. & ſeq.

*** Blondelus Carminum Sibyllinorum falſitatem quinque munit rationibus per ipſum invictis. Obviam fit Craſſetus, aitque, quantumvis accurate ſervarent Romani

Eo-

Eorum judicium ſit, quibus placitum erit id, quod hucuſque diximus, expendere, utrum necne Criticarum regularum uſu, quæ ad ſartas tectas tuendas Ignatii Epiſtolas adhiberi ſolent, poſſit quis affirmare, Gentilium iſtarum Prophetarum Carmina, a Patribus citata, non eſſe mendacii inſimulanda.

Tametſi contendat Dupinus, Epiſtolas Abgari ad Jeſum, atque hujus ad Abgarum, ut maxime ſit ſimile vero, ſuppoſititias eſſe; Hiſtoriamque narrantem de duabus Epiſtolis ipſis, ex Edeſſeno Tabulario depromtis, æque fabulam redolere; videtur tamen urgeri ipſe principiis ſuis, ut Monumentis hiſce firmam & certam autoritatem non detrahat. *Dupin. Bibl. pag. 2. & 3.*
1. Euſebius Epiſtolas iſtas, Hiſtoriamque in Edeſſeno Tabulario invenit; eas viderat S. Ephrem, laudavit Darius Comes, & Veteres bene multi; inter quos Evagrius, Procopius, Joannes Damaſcenus, Theodorus Studita &c. 2. Quidquid earum retulerunt Scriptores hi, in eorum germanis Operibus legitur. 3. Confirmari poſſunt Epiſtolæ iſtæ conjecturis Dupini. *Primum attinet diſcutere, ut percipiamus anne Chriſtus & Abgarus Epiſtolas ſcripſerint. Non crediderim, eſſe quempiam, qui jure de hoc animi pendere poſſit.* 1. etenim plures Auctores huic facto autoritatem tribuunt; & quamquam eorum primus, qui de his meminerunt, Euſebius ſit, & ceterorum, qui huic anteceſſerunt, ſilentium minus ſolidam reddat probationem hanc, atque illa ſit, qua ad propugnandas Ignatii Epiſtolas, utitur: nihilo ſecius non caret magna ſpecie veri: alias non liceret Sapientibus noſtris, & præ aliis Dupino, facta multa, hujus duntaxat autoris teſtimonio, ſive admittere, ſive rejicere. Hæ igitur Epiſtolæ, factumque iſtud innituntur autoritate Euſebii, Ephrem, &c. *Atqui abſurdum, mea quidem ſententia, immane eſt, urgere, per id temporis* Epiſtolas Jeſu Chriſto & Abgaro *tributas fuiſſe, quas ipſi non lucubraverant. Conſtans itaque debet eſſe*, Jeſum Chriſtum, Abgarumque *Epiſtolas ſcripſiſſe. Et vero cui dubium eſſe poterit, has eſſe eaſdem*, quæ in Edeſſeno Tabulario ſervatæ ſunt: *quæque veri ſpecies*, ab Euſebii ætate *illas periiſſe, aliaſque priorum loco vulgatas fuiſſe? Euſebio itaque præſto erant* germanæ Jeſu Chriſti & Abgari Epiſtolæ; *cumque ceteri*, *Euſeb. l. c. hiſt. cap. 13.*

Libros, id tamen obeſſe non potuiſſe, quominus id compertum Chriſtianis fuerit, non ſecus ac compertum fuit Ciceroni, Virgilio, Ovidio Plutarcho; præterquamquod Varro & Lactantius affirmant, Sibyllæ Eritrheæ Carmina in omnium manibus diſperia fuiſſe: Carmina iſta in Capitolii, aut Templi Apollinis, Palatini incendio minime conflagraſſe, quod nimirum rei ſubventum ſine cunctatione fuerit: nihil eſſe admirandum, Deum myſteria ſua fœminis Paganis revelaſſe; cum ex S. Thomæ doctrina divinum munus Prophetia ſit, quod probis improbiſque hominibus largitur Deus; uti Scripturæ omnes abunde teſtantur. Craſſetus Diſſert. de Sibyll. Oraculis p. 2. Alexander Tom. 1. ſæc. 1. Diſſert. 1. pag. 169., & ſeq.

Till. Tomo 1. art. de S. Thoma p 400 Item nota 7. pag 660. col. 2. & ſeq. *ipſum conſecuti, ſine controverſia Epiſtolas ab Euſebio memoratas habuerint, non eſt dicendum aliqua ſpecie veritatis, eos mendaces Epiſtolas laudaſſe.* Aliæ conjecturæ, quibus Ignatianas Epiſtolas Dupinus tuetur, facile admodum Abgari & Jeſu Chriſti Epiſtolis accommodari queunt. *Cavius Hiſt. Litter. pag. 2. col. 2.* Tillemontius vero, & Cavius ea omnia concluſe retundunt, quæ adverſus monumentorum iſtorum autoritatem afferuntur,

§. II.

Si Criticarum præceptionum exercitatio ita Alexandrum afficit, ut Carmina, Sibyllis tributa, certam præſeferre autoritatem arbitretur; illum item afficere debet, ut Pimandrum, nomen Mercurii Triſmegiſti gerentem, minime explodendum exiſtimet.

Dup. Bibl. Tomo 1. p. 58 Alex. Hiſt. Eccleſ. Tomo 1. ſæc. 1. c. 11. Art. 35. pag. 244. ÆTate iſta extant Mercurii Triſmegiſti * vocabulo Dialogi duo, quorum prior *Pimander*, alter vero *Aſclepius* nuncupantur, atque hi ſunt præcipui Viri in illis colloquentes. * * Opinatur Alexander, iſtorum Operum primum adulterinum eſſe; nos vero haud ſore mul-

* Pagani non pauci de pervetuſto hoc Philoſopho verba fecerunt; Cicero, Diodorus Siculus, Jamblicus, ante alios vero Plato in Phædro, qui honorem ipſi vendicat inventarum Litterarum elementariarum, Artium, atque Scientiarum. Græcis dictus eſt *Triſmegiſtus*; quod nimirum Rex magnus fuerit, magnus ſacerdos, magnuſque Philoſophus. Ægyptius erat, & Scriptorum, quotquot ætatem evaſerunt, profanorum antiquiſſimus, nec deſunt, qui ipſum non admodum Moſe poſteriorem affirment.

Toletus Gallorum Regis Chirurgus a Calculis, Auctor *Tractatus de Lithotomia*, quinto Pariſienſibus typis editi 1708. in quodam Dialogo Mſ. inter *Hermetem & Anſtrailanum* quendam, contendit, „ Mercurium Triſmegiſtum nunquam hominem fuiſſe, „ ſed nomen iſtud vera ſignificatione „ conditiones indicare *Spiritus universi corporei, qui vitalis eſt. Spiritus hic univerſus* per eum *Triſmegiſtus* „ eſt, videlicet ter maximus. 1 Maximus latitudine quoniam ubique „ eſt. 2. Maximus virtute, omnia „ namque fœcundat, 3. Maximus diuturnitate; quippe perpetuitatem in „ omnia influit: vi namque ſua univerſa „ in quocumque ſemine excitat *Spiritum vitalem ſpeciei*. Idem *Spiritus univerſus* allegorica interpretatione maximus eſt propter triplicem eximiam „ dignitatem, *Hermeti Triſmegiſto* tributam, videlicet magni Philoſophi, „ ac ſi unicuique rei perſuaderet, id „ ſibi comparare, quo nutriatur, augeatur, & multiplicetur: magni Sacerdotis, quia omnium Mixtorum „ ſemina in unum cogit communione „ ſui, ut & Immolator victimas conjungit; magni denique Regis Ægyptii, „ ſcilicet naturæ humidæ, in qua præcipue occulitur *Spiritus univerſus*: „ regnum namque ſuum in humiditate collocavit. „ Non dubito has nominis Mercurii Triſmegiſti explicationes fore potius ad Alchimiſtarum, quam ad Criticorum & Hiſtoricorum ingenium compoſitas.

* * Hannibal Roſſelius Ordinis Minorum Opera Mercurii Triſmegiſti edenda curavit, commentariis locupletavit, Textumque Græcum & Latinum Franciſci Flupatii addidit in fol. Coloniæ Agrippinæ 1630. Franciſci la-

ti laboris putamus, contrariam partem tueri uſu Criticarum regularum, ex quibus ipſe Carmina Sibyllina, a Patribus laudata, primorum non eſſe Chriſtianorum figmentum evincit.

Habeto, qui Doctor iſte Carminum Prophetarum iſtarum cauſſam ſuſcipiat. Initio monet, duas eſſe hac de re Eruditorum ſententias; *Quidam & Libros illos, & in his deſcripta oracula penitus reſpuunt*, atque hæc eſt inter Litteratos homines opinio vulgatior; *alii non ſolum oracula, ſed Libros integros Sibyllis vendicant. Nos mediam opinionem duplici propoſitione proponemus & propugnabimus.* *Alex. Hiſt. Tomo 1 ſæc. 1. Diſſert. 1. pag. 160. & ſeq.*

Prima ita habet: *Quæ ab antiquis Patribus, & Autoribus Eccleſiaſticis laudantur, Sibyllarum Oracula, non ſunt figmenta Chriſtianorum.* Id autem hoc egregio principio confirmat. *Monumenta, quæ a Patribus eruditiſſimis laudata ſunt adverſus Ethnicos, & in quibus firmiſſimum illi collocarunt Religionis Chriſtianæ præſidium, quibus tandem obiectam ſuppoſitionis notam diluerunt, non ſunt figmenta Chriſtianorum: hæc enim eſt legitimi Operis nota, ſi antiqui laudent illud Opus ſub nomine illius Autoris, cui inſcriptum eſt.*

Deinde Propoſitione hac roborata teſtimoniis Juſtini, Theophili Antiocheni, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantii, aliorumque Patrum, alteram Concluſionem ſtatuit his verbis: *Non ſunt prorſus genuina & incorrupta Sibyllarum Carmina, quæ octo Libris continentur in Bibliotheca Patrum.* Tertio: plura enumerat, quæ fidem facere poſſunt, aliqua ex his Carminibus a Sibyllis profecta non fuiſſe, * & temporum conſecutione interpolata fuiſſe; ex quo illud efficit, *octo Librorum ipſorum, qui Sibyllini inſcribuntur, Autorem profeſſione Chriſtianum fuiſſe, Linguæ Hebraicæ, veræ Theologiæ, immo Hiſtoriæ, & Geographiæ penitus ignarum.*

Modo nos manet, principia hæc Libro, *Pimandri* vocabulo inſignito, accommodare, ut oſtendamus, illum a Mercurio Triſmegiſto lucubratum fuiſſe. Dictu namque facile eſt, quamvis in duas de hoc Opere abierint *Dupin. Biblioth. pag. 69. Alex. Hiſtor. Tomo 1. ſæc. 1. c. x 1. Art. 15. pag. 144.*

ſcus de Foix de Candale Epiſcopus Aturenſis Latine & Gallice vertit Pimandrum Mercurii Triſmegiſti, doctiſque commentariis illuſtravit.

* Certum eſt, inquit P. Alexander, Sibyllas eſſe Moſe poſteriores, nihilo ſecius ſcriptum in illis eſt, Sibyllam in Arca commoratam fuiſſe. Lib. VIII. legitur, poſt Trajanum, Littera T. deſignatum, eum regnatorum, cujus nomen ab Adriatico Mari ſumetur, nimirum *Adrianum*: poſt quem tot alios Imperii gubernacula tractaturos, videlicet Antoninum, Marcum Aurelium, & Lucium. Imperatorum Hiſtoriæ hiſtorice recitantur. Adami nomen ab ἀδὰμ originem ducere ſentiunt, quatuorque ejus nomini litteras quatuor mundi partes ſignificare, quamquam Hebraice & Chaldaice tribus tantummodo conſtet. Titanum fabulæ, ceu veræ Hiſtoriæ obtruduntur; millenariorum traditur opinio; Neronem eſſe Antichriſtum; Animas

ſen-

ſententias Autores, quarum prima ferat, Tractatus iſtius Autorem novum eſſe Chriſtianum Platonicum, ex Platonicæ Philoſophiæ principiis diſputantem, altera opinetur, omnibus partibus ſuis, ut in præſenti extat, Mercurio ** Triſmegiſto tribuendum. Attamen ſi cui eſſet animus, Librum hunc ex Alexandri initiis propugnare, dicere is poſſet, ſe velle medium inter haſce duas adverſas ſententias iter ingredi, & primò loco ratum & firmum habere, res ex hoc Libro depromtas, & ab Eccleſiæ Patribus recitatas, figmentum eſſe non poſſe Chriſtiani alicujus, Platonica inſtitutione diſputantis.

Quo prima hæc propoſitio probetur, ſatis erit excellens Alexandri fundamentum ſternere in hunc modum. *Monumentum, quod a Patribus eruditiſſimis laudatum eſt adverſus Ethnicos, & in quibus firmiſſimum illi collocarunt religionis Chriſtianæ præſidium, quibus tandem objectam ſuppoſitionis notam diluerunt, non eſt figmentum Chriſtianorum. Atqui Liber, de quo eſt controverſia, ab Antiquis nomine Mercurii Triſmegiſti citatus fuit &c. Hæc eſt enim legitimi Operis nota, ſi antiqui laudent illud Opus ſub nomine illius Autoris, cui inſcriptum eſt.* Conſulat, qui velit, *Autorem Cohortationis* ad Gentiles, Juſtino tributæ; *Lactantium l. 4. de divin. Inſtit. c. 6., Clementem Alexandrinum l. 1. Strom. S. Auguſtinum Libro de quinque Hæreſibus cap. 3., S. Cyrillum lib. 1. contra Julianum,* alioſque multos; hos inquam conſulat, ut certior fiat, eos Mercurii Triſmegiſti Libros adduxiſſe, & præſertim *Pimandrum*, veluti Religioni faventem, in eo præſidium adverſus Paganos collocaſſe, ejuſque ſuppoſitionis notam diluiſſe. Qua de re ſecundum Alexandri principia conſtat; Librum *Pimander* nuncupatum, figmentum non eſſe Chriſtiani alicujus ſed verum Mercurii Triſmegiſti Opus.

Alex. ibidem pag. 148.

Haud nos latet, quod alibi quoque animadvertimus, ſeſe facile admodum Scriptorem iſtum ab Libri hujus locis, apud Patres deprehenſis, expedire, cum dicit: *An Mercurii revera eſſet, necne, Patres non expenderunt, majora in ſtudia incumbentes.* Nihilo tamen minus nonne integrum nobis eſſet ab eo ſciſcitari, utrum ſatis ſolidum videatur ipſi reſponſum hoc, ut teſtimonium Patrum ex hoc Opere laudatorum imminuat? Satis apparet, viſum ipſi illud haud levis momenti fore, ut poſſet *Pimandrum* a Mercurio Triſmigiſto abjudicare. De hoc inter nos conveniet; verum ſimul rogabimus, utrum æqui bonique facturus eſſet,

uſque ad Reſurrectionem in Inferis futuras; Judicii ignem Purgantis vices ſubiturum, impios denique ab igne liberandos &c.

** In hanc opinionem ivit cum Roſſelius, tum Franciſcus Fluſſatius, aliique, quos recenſet in Admonitione ad Lectorem, quam in Editionis hujus Operis Græcæ & Latinæ fronte collocavit.

Scri-

Scriptorem aliquem, cujus animo inſideret opinio de Carminum Sibyllinorum, a Patribus allatorum falſitate, paucis reſpondere omnibus locis, ab hoc docto Critico ad Carmina iſta propugnanda congeſtis. *An Sibyllarum revera eſſent, nec ne, Patres non expenderunt, majora in Studia incumbentes?* Et propterea nullus eſt reliquus medius locus, & fateri neceſſe eſt, aut reſponſum hoc, præter quod aliud fruſtra in Alexandro deſideres, nihil adimere virium Patrum teſtimoniis, e Triſmegiſti Tractatu productis, aut argumentum perdocti hujus Dominici alumni, e Patrum autoritate depromtum, nullius omnino frugis eſſe ad roboranda Carmina, Prophetis Paganis adſcripta.

Altero loco dici poteſt, quamquam Liber, *Pimandri* vocabulo notus, a veteribus Patribus uſurpatus fuerit, tanquam præclari hujus Philoſophi Opus; certum tamen eſſe, illud, quo extat modo, nunc corruptiſſimum eſſe; non tantum etenim plura refert loca, e novo & veteri Teſtamento exſcripta, verum etiam Verbi æternitatem divinitatemque explicatam. Hujus Libri Autor Filium ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſſe tradit, eumque a Patris intelligentia procedere; patet etiam eum Verſionem Septuaginta adhibuiſſe, ut mundi creationem deſcriberet; hiſque ſimilibus rebus redundat; quod argumento eſt, Chriſtianum aliquem illum retractaſſe & inculcaſſe, propterea quod dicta hæc omnia nonniſi a Scriptore, multis poſt annis, quam vixerit Mercurius, & Chriſtiana Religio prodierit, florente, proficiſci queunt.

Audiſti, quo pacto primæ propoſitionis ope, e teſtimoniis Patrum petitæ, facile erit propugnare, *Pimandrum* haud eſſe ſuppoſititium, illumque a Mercurio Triſmegiſto confectum; alterius vero principiis fiet ſatis nullo negotio omnibus Anacroniſmis, gravibuſque erratis, quæ in eo deprehenduntur. Igitur colligere quis poterit ex præclari hujus Doctoris initiis, ſive *Pimandri* Tractatum non eſſe mendacii arguendum, ſive Sibyllarum Oracula ab aliquo Chriſtiano fuiſſe excogitata.

Super quibus unum duntaxat ſupereſt reſponſum: nimirum *Pimandrum* ita ſemper fuiſſe, atque modo eſt; proindeque abjiciendum eſſe, licet a Patribus ex errore facti in medium prolatum; neque enim oportet de re apertiſſime fabuloſa Patrum teſtimoniis adhæreſcere. At enim Carmina Sibyllina res ne continent minus fabuloſas, errataque minus gravia? Scilicet, inquies: verum ab ætate Patrum Carmina hæc interpolata fuere; neque fit ſimile veri, ea tot fabulis per id tempus referta fuiſſe, quin id animadverterent. Eccur autem eadem non poterunt *Pimandri* propugnatores conjectura augurari?

§. III.

§. III.

Ejuſdem Regulæ Criticæ præſcriptione Dupinus & Alexander duo factá maxime contraria tuentur. Quænam incommoda viam hanc rationemque conſequantur.

HÆret adhuc animo infixus ſcrupulus aliquis; quod videlicet duó Viri Litterati res apprime pugnantes ſtatuant eo momento, quod proxima Paragrapho attigimus. *Hæc eſt*, inquit Pater Alexander, *legitimi Operis nota, ſi Antiqui laudent illud opus ſub nomine illius Autoris, cui inſcriptum eſt*. „ Firmior eſt ex Dupino ratio, quæ ad „ confirmandam Operis alicujus vetuſtatem adhiberi poſſit, ſi in eo loca „ a Veteribus laudata reperiantur. Nunquid non innumeros Libros ea „ una admittimus ratione; quod loca nonnulla Priſcus aliquis Autor „ afferat, quæ in illis leguntur?

Alex. Hiſt T. 1. ſæc. 1. Diſſert. 1. pag. 160. Item Tomo 2. Diſſ. 22. Dup. Bibl. T. 1. pag. 62.

Hoc jacto fundamento, S. Ignatii Epiſtolas, aliaque Opera multa defendit Dupinus, & Carmina Sibyllina ſuſcipit Alexander. Quid eſt itaque cauſſæ quod hoc eodem pronunciato, prior Ignatii Epiſtolas, non vero Carmina Sibyllina in legitimis habet; alter autem eſt ab Oraculis Sibyllarum, eſt in *Pimandrum*, Mercurio Triſmegiſto tributum? ideo fit, quia ſibi perſuaſit Dupinus, Patres Epiſtolas Ignatianas minime citaſſe, aut illas vendicaſſe, antequam accuratis eas ponderibus examinarent; quod de Sibyllinis Oraculis haud præſtiterunt.

Dup. ibidem pag. 63.

„ Adeoque nemini mirum, inquit, videatur, rejici a nobis tanquam „ ſpurios Libros, ab Antiquis habitos pro germanis; quoniam illos ad „ judicium non revocaverant.

Idem reputavit animo Alexander de Operibus Mercurii Triſmegiſti; *Ceterum an revera Mercurii eſſent, nec ne, Patres non expenderunt.* Quod ſi Dupinum etiam interroges, unde ſit, affirmare illum, Patres Epiſtolas Ignatianas expendiſſe, idque in Sibyllinis Carminibus illos non proſpexiſſe: „ ideo contigit, reſpondebit, quod Patres gravioribus tum „ negotiis ſe ſotos dederant. Non abſimiliter reſpondet Alexandex ſciſcitanti, cur Pimandri Liber confictus ſit, etſi a Patribus memoretur? *Patres non expenderunt, maiora in ſtudia incumbentes.*

Alex. T. 1. ſæc. 2. pag. 148.

Dupin ibidem pag. 64.

Alex. ibidem.

Ambo igitur Sapientes iſti Critici de hoc Principio non diſcrepant, quod fortaſſis Criticés univerſæ tutiſſimum eſt, nimirum: *Opus tum vetuſtum eſſe, cum loca, ab Autoribus laudata, in eo deprehenduntur.* Convenit pariter inter eos de rationibus, quamobrem aliquando eo principio utantur, aliquando vero non; & tamen apud illos uſus ipſius diſſimillimus eſt, conſecutiones disjunctiſſimæ.

Si

Si quatuor hæc Opera penſitemus, ſcilicet Ignatii Epiſtolas, Epiſtolam Barnabæ, Carmina Sibyllis appoſita, & *Pimandrum* a Mercurio Triſmegiſto nuncupatum; conſtabit illico, id eſſe quatuor his monumentis commune, quod ea multi præſtanti autoritate Patres laudaverint: ut ex magno Critices inſtituto: *Hæc eſt legitimi Operis nota, ſi antiqui laudent illud Opus ſub nomine illius Autoris, cui inſcriptum eſt*; conſequens videatur eſſe, Tractatus hoſce omnes, aut ſuppoſititios futuros, aut germanos. Ipſorum tamen fatum eſt longe diverſum. Utique Doctores in Ignatii Epiſtolis certam firmamque autoritatem agnoſcunt: Dupinus Barnabæ Epiſtolam admittit, Sibyllina carmina reſpuit; Alexander ſuffragio ſuo Barnabæ Epiſtolam improbat, Sibyllarum Oracula probat, utrique demum *Pimandrum* infra ſuppoſititia detrudunt.

Omnia, quæ Dupinum & Alexandrum cogunt, monumenta, ut Epiſtolas Ignatianas, velut certa & indubitata antiquitatis veſtigia recipiant, ad duo ſumma capita rediguntur. Primum eſt, Epiſtolas iſtas optimis inniti Veterum teſtimoniis; alterum, eas nulla premi difficultate, cui utrique Doctores iſti parvo negotio, ſolidiſque rationibus non occurrant: objecta nanque a Proteſtantibus in has Epiſtolas æquiſſimis diluunt reſponſis. Verumtamen horum initiorum vi, non conſtat, qua de re Barnabæ Epiſtolam non admittat Alexander, & Dupinus Carmina Sibyllina rejiciat; quandoquidem pro utriſque his Operibus Patrum turba dicit teſtimonium: Pater autem Alexander quæ adverſus Prophetarum gentilium Oracula faciebant, plene ſuſtulit; idemque Dupinus præſtitit ſuper his, quæ in Barnabæ Epiſtolam ſolent intentari. E re pariter eſſet Criticarum ipſorum Legum, ut uterque *Pimandrum* a fabulis ad germanum & legitimum Opus revocaret; neque enim diffiteri poterunt; illud a tot memorari tantiſque Scriptoribus, a quot Barnabæ Epiſtola, & Sibyllarum Oracula memorantur; omneſque, ut ſuperius a nobis eſt dictum, in eo repertas falſitatis notas ſapientiſſime deleri.

Una eſt Dupino, & Alexandro reliqua difficultas, ne ille Carmina Sibyllarum a Patribus laudata recipiat, ne hic Barnabæ Epiſtolæ fidem adjiciat, neve uterque *Pimandri* Libro aſſentiantur: perſuaſum videlicet Dupino eſſe, non tributum iri a Patribus Carmina Sibyllis, ſi quidem ea diligenter excuſſiſſent. Idem cauſſatur Alexander, quo Veterum imminuat teſtimonia, quibus Epiſtolam Barnabæ fidit Dupinus, & neuter illorum firmius affert argumentum ad *Pimandri* Librum a tot Patribus uſurpatum, refutandum, quam illud, ut dicant, Antiquos conſpicientes editum Librum hunc Mercurii Triſmegiſti nomine, bona fide credidiſſe, ad illum revera ſpectare, quin in eo ulterius diſcutiendo laborarent.

At

At ſi doctis Criticis integrum eſt, Monumentis ſuppoſitis *Pimandri* Librum annumerare, etſi tot illum Patres uſurpent, aſſumto omiſſi judicii vitio; ſi non abſimiliter de carminibus Sibyllinis diſputat Dupinus, de Barnabæ Epiſtola Alexander; quid eſt rei, quod Scriptor aliquis, cui Paſtoris Liber, S. Clementis Papæ Epiſtolæ, itemque S. Polycarpi, & Ignatii non arridebunt, haud poterit ad reſponſum idem ſe conferre, ut Autorum Eccleſiaſticorum autoritati deroget, quorum teſtimonio *authenticis* adſcripta ſunt hæc monumenta?

Nonne videtur reſponſum iſtud, quæcumque tulit majori veneratione digna tota retro antiquitas, concutere, quibus Veterum fides præcipuum eſt fulcimentum? Si namque Dupinum percontemur, quamobrem Patres non ſatis Oracula Sibyllarum, & Mercurii Triſmegiſti Librum expenderint; idemque de eodem Opere, & S. Barnabæ Epiſtola Alexandrum ſciſcitemur, eadem uterque utitur reſponſione: *Ceterum*, inquit ille, *an revera Mercurii eſſet, necne, Patres non expenderunt, majora in ſtudia incumbentes*: „ Et ſane ait hic, nemini mirum videa„ tur, Patres haud ſuſpendiſſe Criticorum lance Libros iſtos; comper„ tum eſt enim, gravioribus tum negotiis ſe totos dediſſe. „

Propterea quoties contendent Sapientes iſti Critici, ut nobis perſuadeant, ſuſcipienda eſſe tanquam Opera genuina Paſtoris Librum, Clementis Papæ, Ignatii, & Polycarpi Epiſtolas, aliaque id genus vetuſta monumenta; quod nimirum fiat eorum mentio apud Patres; jus erit idem nobis atque ipſis dicere: *Patres haud ſuſpendiſſe Criticorum lance Libros iſtos, majora in ſtudia incumbentes*. Neque exiſtimaverim, Criticos ipſos oſtendere nobis poſſe, cur inſtar Criticorum Patres citaverint Paſtoris Librum; Clementis, Ignatii, & Polycarpi Epiſtolas; aliaque iſtiuſmodi monumenta, non autem Sibyllarum Oracula, & Pimandrum, quaſi tum gravioribus negotiis diditi toti. Nullam etenim rationem iis confirmandis in medium proponent, quæ ipſis nequeat accommodari: ſcilicet Patres ex illis decerpta loca retuliſſe.

Aliud quoque præſtat animadvertere, antequam huic materiæ modum imponamus. Hoc prajacto initio, quod eſt univerſæ Criticæ fundamentum; *Opus tum vetuſtum eſſe, cum loca, ab Autoribus laudata, in eo deprehenduntur*; Dupini, ut apparet, eſſet, Sibyllarum Oracula a Patribus recitata, & Mercurii Triſmegiſti Librum in authenticis habere; pariterque Alexandri foret, cum hoc poſtremum, tum Barnabæ Epiſtolam haud rejicere. In eo namque tota eſt doctorum iſtorum ſuper monumentis iſtis dubitatio, quod nimirum gravia in iis menda ſe prodant, quæ de ipſorum falſitate adeo præbent indicia, ut neceſſum ſit, a Patribus ſuper ea re deſciſcere, & præſtet citius confiteri, Patres monumen-

ta illa

ta illa non ſatis accurate perpendiſſe, quam ea certis & legitimis operibus accenſere.

E quibus duæ Animadverſiones emergunt. Prima eſt, opinari Dupinum, ſibi ſatis eſſe ſuperque, ut Barnabæ Epiſtolam tueatur, ſi compertum fecerit, id Opus Patres attuliſſe, & reſponderit momentis illis, quæ Epiſtolam ipſam coarguere poſſent ſuppoſitionis: Alexandrum quoque ambas haſce vias tenere, ut a Patribus adducta Sibyllarum Oracula in dignitate conſtituat. Species itaque eſt, non fuiſſe liberum Dupino Sibyllarum carmina explodere; ſi tamen celebris hic Dominici Filius objecta his momenta æqua ratione ſubvertit, ſique Dupinus ipſe de medio ſapienter tulit, quæ in Barnabæ Epiſtola negotium poterant efficere, intereſſe rei, ut Alexander hanc Epiſtolam legitimam agnoſcat; & conſequenter neutri illorum dubium eſſe debere *Pimandri* Librum in authenticorum numero collocare.

Ut nanque in nihilum evadant quæcumque adverſus opus hoc ſunt excogitata, ſatis eſt dicere, illud corruptum fuiſſe, poſtquam a Patribus in medium allatum fuit, multaque ipſi addita, quæ neque temporibus, neque Mercurio Triſmegiſto aptari queunt. Eo eſt æquius reſponſum hoc, quo Dupinus & Alexander illo utuntur, alter, ut Barnabæ Epiſtolam vindicet ab Objectis, alter ut Carmina Sibyllina propugnet. Eidem reſponſioni vim afferunt egregiæ duæ Criticæ præceptiones. Prima eſt *additionum* Lex: fatentur etenim Viri noſtri Litterati, has in pleroſque Librorum irrepſiſſe, quæ ipſos recentiores videri faciunt; atque id genus eſſe aliquas in Bibliis, in Homero, Herodoto, omnibuſque ferme Scriptoribus cum Eccleſiaſticis tum profanis. Alia regula ita habet. „ Cum „ factum aliquod, tradit Autor de Arte cogitandi, ſatis alias autoritate „ conſtitutum, multa tamen refert, quæ repugnant, aliiſque Hiſtoriis „ ſpecie tenus non concinunt; tum ſufficit, ſolutiones, his repugnantiis „ adhibitas, ſuſtineri poſſe, & veriſimiles eſſe: iniquum certe dixerim „ ſuper hac re momenta omnino affirmantia deſiderare; quoniam facti „ natura per ſeſe ſatis conſtituta, non decet exquirere, ut eadem quælibet adjuncta ratione confirmentur. „ Quare cum *Pimander* in ore fuerit multorum Scriptorum Eccleſiaſticorum, nihil ulterius petunt hæc Critica præcepta, ut ea tollantur, quæ adverſus Opus hoc moveri ſolent, niſi aſſerere, ſimillimum veri eſſe, aut fieri ſaltem poſſe, in illud additamenta aliqua illata fuiſſe, atque interpolatum, corruptumque Chriſtiani alicujus opera, diſciplina Platonis imbuti.

Dupinus, Simonius, Alexander, Tillemontius, Bailletus, Ruinartius &c.

Parte 4. cap 13. pag. 451. Arnaldus in Diſſert. de S. Jacobo, Reg. 1. citata a Tillem. Tomo 1. 2. Editionis.

Quod ſi interroget quis, undenam conſtet, hujuſmodi Opera depravata fuiſſe, confiteri neceſſe eſt, reſpondet idem Autor, nihil ſuppetere hac de re exploratum, ſed ſufficere, id fieri poſſe, & ſæpius accidiſſe,

De Arte cogitandi ibid. pag. 454.

ſe, ut jus ſit, id veluti adjunctum ponere neceſſarium, quo purgentur Patres ab errore, ubi Monumentorum iſtorum meminerunt. Fas itaque & æquum non poſtulat, ut mutationis hujus argumenta manifeſta extorqueantur; ſiquidem factum (videlicet Patres id Operis produxiſſe Mercurii Triſmegiſti nomine) ſatis probatum eſt, itemque certum, loca a Patribus allata in ipſorum Operibus per id temporis reperiri.

Principium hoc efficere videtur, non P. Alexandrum & Dupinum modo, verum quotquot Critici Sapientes abhorrent adeo a Mercurii Triſmegiſti Tractatu, merito illum rejicere non poſſe; idemque dicito de Barnabæ Epiſtola, & Oraculis Sibyllinis, a Patribus recitatis &c. alioquin oportet ipſos tutiores Critices eorum regulas aſpernari.

Sit alterius animadverſionis loco ſuper turpibus mendis, quibus aſperſa ſunt Carmina Sibyllina, & *Pimander*, attendere animo, hinc Fabulas, falſaſque res in his Operibus deprehenſas; illinc vero Patrum ea citantium teſtimonium, atque deinceps expendere, utra ex his rebus æquior videri debeat, aut contendere, veri ſpeciem non habere, vel ſaltem fieri non potuiſſe, ut monumenta hæc temporum conſecutione, impudentis alicujus, ſive indocti manu corrumperentur, aut vicem aliquam ſubirent; ſive abſque ratione ulla affirmare, tot celebres Scriptores deceptos fuiſſe, dum monumenta adulterina in medium adduxerunt; tanta non præſtitiſſe mentis acie, ut errata, quæ in oculos incurrunt, cognoſcerent; aut denique ea citra delectum & judicium recitaſſe.

Illud profecto inficiari non poſſumus, ſi probabile non eſt, aut ſimile veri, Tractatus hoſce poſt Patrum eos memorantium tempora, non paucas viciſſitudines paſſos fuiſſe, aliud conſequi neceſſario, nimirum Patres iſtos in errorem facti admirandum plane, immo monſtroſum incidiſſe. Cui porro perſuaſum eſſe poterit, cum Autor Hortationis ad Gentiles S. Clemens Alexandrinus, Lactantius, S. Auguſtinus, S. Cyrillus Alexandrinus, aliique multi legerint ex. c. in Pimandro *Verbi æternitatem Divinitatemque aperte explicatam*; *Filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ, atque ab ejus mente procedere*: Operis hujus Autorem eadem Verſionis Septuaginta uſurpare verba, ut modum, quo mundus conditus fuit, exequatur, aliaque his ſimilia, quæ ab alio nequeunt, præterquam a Chriſtiano Viro proficiſci? Qui fieri, inquam, poteſt, ut tot Patres ſapientiſſimi hæc omnia in eo perſpexerint Tractatu, eumque nihilominus Philoſopho tribuerint, qui tot ante Chriſtum ſæcula vixerit, atque antequam Verſio Septuaginta conficeretur? Offendet ne quis alibi facti putidius erratum!

Antequam *Pimandrum* falſitatis condemnes, intererit ne litem in Patres univerſos criminis intentare, atque illos vel impoſtores appellare,

vel

Digitized by Google

vel ſatis ſimplices, ut ſe in fraudem induci ſinerent; ſibique perſuadere, Sæculum iſtud majori, quam tota retro antiquitas, intelligentia præſtare. Videtur itaque effici inde oportere, magis ad rei naturam accedere, ſi dicas, fieri poſſe, immo ſimillimum veri eſſe ex regula, de qua ſermonem habuimus, *Pimandrum* vitiatum potius fuiſſe, quam tot Patribus eum facti errorem tribuere, qui apud Scriptorem vel vulgarem nulla prætexi excuſatione poſſet, & quadam principii hujus conſecutione probabilius eſſe, *Pimandrum* a Mercurio citius Triſmegiſto, quam ab homine Chriſtiano ſcriptum fuiſſe; quamquam fateatur unuſquiſque, plura in hoc Libro reperiri, ipſi, poſtquam Patres illum retulerunt, aſſuta.

Sententia hæc, Sapientum noſtrorum initiis, ut videtur, conſtituta; (neque enim in animo eſt, Mercurium Triſmegiſtum Operis hujus Autorem propugnare.) Sententia hæc, inquam, æquior eſſet profecto exiſtimanda, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ utilior, ſi attenderemus. 1. Autores Eccleſiaſticos, qui de Opere iſto locuti ſunt, utpote jus habentes autoritatis ſuæ, non poſſe illo privari; neque ſatis eſſe, ut excuſentur, quod capti errore fuerint, ſi dicatur citra probationem ullam: *Patres hæc Opera inſtar Criticorum non expendiſſe, & majoribus tum negotiis ſe totos dedidiſſe*. Ac non video, quibus tum gravioribus negotiis Patres incumbere potuiſſent, quam ut nihil afferrent incommodum Religioni, dum eam ſtatuere curabant: quod ſane accidiſſet, ſi Scriptores Eccleſiaſtici veteris Philoſophi nomine monumenta a Chriſtianis conficta produxiſſent.

2. Cuicumque Autori liberum fore, eodem uti reſponſo; cum ſive ad factum aliquod ſtatuendum, ſive ad Librum aliquem ulli tribuendum, objicietur ipſi Antiquorum teſtimonium. Hinc etenim via pateret innumeris incommodis.

3. Eruditos Criticos noſtros ita non reſpondere, ut ſuperius oſtenſum eſt, cum ipſorum opinioni ſavet Veterum teſtimonium.

Denique ſpecies eſt, multo pauciora incommoda ſequi, ſi *Pimandrum*, Carmina Sibyllarum &c. legitima eſſe credamus, quam ſi Patres deceptionis accuſemus. Ubi admiſerimus monumenta iſta intra illos, quos retulimus, fines, emolumentum aliquod Religioni afferre poſſunt: at non vacat periculo, lædendi aliqua ex parte Traditionem, ubi affirmabitur, tot celebres Patres, variis Eccleſiæ ſæculis viventes, (quod in re facti genus quoddam Traditionis efficit) in turpiſſimos, eoſdemque pene incredibiles errores offendiſſe. Quod ab eo admodum diſtat, quod accidit, cum unus vel alter capitur de re aliqua Chronologica, aut de factis, ab aliis autoribus, ſive majoris, ſive ejuſdem nominis in controverſiam vocatis. Tum non eſt abſonum valde ab Antiquo recedere, ut alii, aut

multis adhæreas: verum in præſenti longe differt natura res noſtra: Quamobrem non poterunt Sapientes noſtri Librum nomine *Pimandrum*, Sibyllarum Oracula, alioſque id genus abſolute aſpernari, quin ipſa ſubvertant principia ſua: aut ſaltem ipſorum erit, nos docere, qui poſſint ea congruere tot conſecutionibus, quæ non videntur nobis admodum ineptæ.

§. IV.

Si nonnullas Critices Dupini regulas adhibeas, fieri fortaſſe poterit, ut elegantiora Antiquitatis Chriſtianæ monumenta in ſuſpicionem adducas.

Tillem., Bailletus, Valeſius, Alexander, Ruinartius, Caveus, Peaſſonius, aliique Proteſtantium multi.

EXtat in Orthodoxographis Epiſtola Pilato tributa, * atque ad Tiberium data de factis miris Chriſti Jeſu. Quamquam Epiſtola hæc paſſim Tertulliani, & Euſebio teſtimonio recipiatur, nihilominus Dupino inſedit opinio, eam ſaltem in dubiis habendam eſſe. Habeto Leges Criticas, quibus utitur, ut id confirmet. Poſtquam retulit quæ perhibent Tertullianus & Euſebius, atque hodierna quoque die in eadem Epiſtola reperiuntur, addit eruditus iſte Criticus: „Verum illud eſt dif-

Dupin. Bibl. Tomo 1. pag. 70.

„ ficile dictu, utrum Epiſtola hæc Euſebii ætate ſcripta fuerit, an vero „ deinceps ſuper ipſius narratione conficta. Utut tamen res ſe habeat, „ non pauci ex Scriptoribus ſunt, qui de Hiſtoriæ hujus dubitant ve- „ ritate: quæ namque ſpecies eſt, hæc Tiberio narraſſe Pilatum de ho- „ mine, quem capitis ipſe damnaverat? Quod ſi ea ſcripſiſſet, ad veri- „ tatem ne accedit, Tiberium ad Senatum retuliſſe, ut Diis hominem „ hunc annumerarent, una Præſidis narratione commotum „?

Sequenti vero articulo, in quo ſermonem orditur Dupinus de Epiſtolis Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam, aliud indicat Principium,

Ibid. pag. 72.

quod dictis modo apprime concinit. „Haud liquet [ſunt hæc Doctoris „ hujus verba] quonam tempore excogitatæ ſint Epiſtolæ iſtæ, aut quo

* Hæc Pilati Acta adulterarunt, cum Hæretici, tum etiam Ethnici, ſive horum imitatione alia confecerunt. S. Epiphanius ea rejicit, quorum uſus erat apud Quartadecimanos (*Hæreſi* 50.) Tillemontius annot. 19. Tom. 1. in S. Petr. pag. 542. alia in medium affert aut falſiſſima, aut corrupta. Euſebius l. 9. Hiſtor. cap. 5. perhibet, ad annum 311. edi juſſiſſe Maximinum Acta, Pilati & Jeſu Chriſti nomine ſuppoſita, & maledictis in Mundi Servatorem referta; & præcepiſſe, ut undique ediceretur Opus hoc in Urbibus, & Pagis, atque in Grammaticis ludis memoriter addiſcendum Magiſtri curarent. Mentio fit iſtorum Pilati Actorum in Hiſtoria SS. Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici. Ruin. Acta ſelecta pagina 456.

auto-

„ autòre ; neque facile eſt dirimere, utrum per occaſionem Epiſtolarum „ iſtarum falſa Paſſionis S. Lini Acta tradant, mutuam fuiſſe inter Senecam & Paulum Litterarum viciſſitudinem ; aut an hujus Autoris „ narratio his Epiſtolis vulgandis anſam dederit. „

Quibus monitis ſuadentibus, nonne integrum eſſet aſſerere, Epiſtolam S. Clementis Papæ, alteram S. Polycarpi ad Philippenſes, & Veterum pleraſque vel certioris autoritatis, ſuſpicionem habere poſſe ſuppoſitionis? Verum eſt, S. Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, Hieronymum, Photium priorem citaſſe; Iræneum, Euſebium, & Hieronymum alterius meminiſſe: *Verum difficile dictu eſt, utrum Epiſtolæ iſtæ Patrum iſtorum ætate extiterint, an vero deinceps ſuper locis ex iis recitatis confictæ ſint*. Idque præſertim quod attinet ad illam S. Clementis, quam ex collectis una Patrum locis deceptor aliquis potuiſſet congerere. Quod eo veritati propius videri poſſet, cum opuſculum iſtud diu latuerit, donec in vetuſto MS. repertum in publicum protulit, edendumque curavit Patricius Junius Oxonii 1663.

Affirmant, inquies, Patres iſti, S. Clementem, & Polycarpum aliquas dediſſe Epiſtolas, reſque ſimillima vero eſt. Id ultro damus & concedimus. At Juſtinus, Tertullianus, Euſebius nos docent pariter, Pilatum ad Tiberium conſcripſiſſe de Chriſto, quod ſane probabile eſt, illum feciſſe. * Quod ſi aperto licet Antiquorum iſtorum teſtimonio, *difficile dictu eſt, utrum Epiſtola hæc Euſebii ætate ſcripta fuerit, an vero deinceps ſuper ipſius narratione conficta*; nihilo erit facilius ſtatuere, nonne loca aliorum Patrum occaſionem pepererint calumniatoribus iſtis, Epiſtolas aliquas S. Clementis & S. Polycarpi titulo producendi, an vero Patrum illorum ætate extiterint.

Utut tamen ſe res habeat, non pauci tamen ex Scriptoribus ſunt, qui de utrarumque Epiſtolarum iſtarum dubitant veritate. Quæ nanque ſpecies eſt, in Epiſtola quadam ſcripſiſſe Clementem, ultra Occeanum plures mundos reperiri, Hiſtoriamque Phænicis fabuloſam adeo recitaſſe? ** Quænam imago veritatis eſt, S. Polycarpum perinde de Ignatio e vivis mul-

* De Actis iſtis loquitur Juſtinus in *Apologia ſua pro Chriſtianis*. Tertullianus *in Apologetico adv. Gentes* c. 21. *Vetus erat conſuetudo*, ait Euſebius, *Provinciarum Rectoribus, ut quidquid novi apud ipſos contigiſſet, Imperatori nunciarent, ne quid ipſum lateret. Pilatus de Reſurrectione Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus per univerſam Paleſtinam celebris erat fama, ad Tiberium Principem retulit: multa quoque alia ejuſdem miracula ſe auditu accepiſſe ſignificans, & qualiter ad vitam denuo revocatus, a pleriſque jam Deus haberetur*. Euſeb. Hiſtor. l. 2. c. 2.

** *Reprehendat vero hoc in illis quiſpiam, quod extra Occeanum mundos aliquot collocet. Deinde forte & illud, quod Phenicem avem unicam tamquam pro veriſſimo adhibet argumento*. Phot. in Bibl. Cod. 126.

to ante ſublato, locutum fuiſſe, ac ſi adhuc non deceſſiſſet? *de ipſo Ignatio, & de his, qui cum eo ſunt, quod certius agnoveritis, ſignificate.* * Verumtamen ſi quis velit, conjecturas has tanti non eſſe, ut de Epiſtolis iſtis dubitationem injiciant, & æqua lance Patrum eas memorantium teſtimonium ſuſpendant: non eſt quidem ut credamus, conjecturas in Hiſtoriam Pilato tributam objectas præſtare poſſe perſpicuis Juſtini, Tertulliani, & Euſebii ſenſis. Ita ut ſi Critica Dupini præcepta Pilati narrationi nocere nonnihil poſſunt, videntur quoque Epiſtolas Clementis, Polycarpi, atque illuſtria non pauca antiquitatis monumenta impetere poſſe.

Id præterea intereſt inter Pilati Hiſtoriam a Priſcis relatam, & Clementis ac Polycarpi Epiſtolas; illam quidem afferre nihil, quod veritatis imaginem non referat; Epiſtolam vero S. Clementis afferre multa, quæ fabulam haud parum olent, atque alteram Epiſtolæ S. Polycarpi partem additam videri, præter alia, quæ non ſatis apparent probanda eſſe. Non repugno, nullo negotio evelli ſcrupulos omnes de duabus hiſce poſtremis Epiſtolis: at quo majori purgabitur Narratio Pilati a levi illa veri ſimilitudine, quam in ipſa deprehendit Dupinus?

Till. Tomo 1. adnot. 18. in S. Petrum pag. 541. col. 2.

Non extat fortaſſe antiquius, elegantius, atque Sapientibus Viris acceptius Monumentum Ignatii Epiſtolis. Vulgata iſtarum Editio, quæ per id temporis tanquam falſa & interpolata exploditur, habebatur germana, antequam Uſſerius & Iſaacus Voſſius Epiſtolas iſtas ad ſuam integritatem revocatas edendas curaſſent. Porro ex inſtitutis Dupini non ad veritatem accedit magis, neque majori conjectura aſſequi poſſumus, Epiſtolas Ignatianas vulgatæ Editionis ſuppoſitas eſſe, aut corruptas, quam a Voſſio in lucem editas. *Neque enim liquet, quonam tempore excogitatæ*, vel corruptæ ſint *Epiſtolæ iſtæ, aut quo autore: neque facile eſt dirimere, utrum per occaſionem Epiſtolarum iſtarum*, quæ depravatæ ſunt, atque in Vulgata Editione comprehenſæ, *tradiderint Veteres*, ſcripſiſſe S. Ignatium ad Smyrnenſes, ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallenſes, ad Romanos, & ad ſanctum Polycarpum; *aut an id, quod in Patribus legitur, his confingendis anſam dederit, quæ in Uſſeriana & Voſſiana Editione continentur*: idque eo magis, quo ſcitu difficillimum eſt, utrum plura loca recentis Editionis Vetuſtam in pauca redegerint, an vero Vetuſta paraphraſis ſit recentioris.

Accepimus, inquient, a Polycarpo, Iræneo, Origene, Euſebio, Hieronymo, & a tota demum antiquitate, Ignatium ſeptem Epiſtolas exaraſſe.

* Cavius alias exequitur conjecturas, quibus de S. Polycarpi Epiſtolæ veritate ſuſpicati ſunt Centuriatores Magdeburgenſes, Dallæus, Aubertinus, Tentzelius, aliique. Cav. Hiſt. Litter. Sæc. 2. pag. 29.

raſſe. Ita ſane. Non tamen accepimus ab illis, eas citius eſſe, quæ Uſſerius Voſſiuſque vulgarunt, quam eas, quæ ab Editione communi prodierunt. Loca, reponent, quæ Theodoretus, aliique Patres ex Ignatii Epiſtolis decerpſerunt, in nova Editione leguntur. At 1. nunquid in Vetuſta pariter non apparent? & ſi qua in hac deſſent, quot in recenti quoque deſiderantur? Nonne ſuperius animadverſum a nobis eſt, eum elegantem ex Euſebio locum, tum alia ex aliis Patribus in hanc diem haud extare; & Godavius ipſe nonne dixit, manifeſtum eſſe, archetypum omnium Editionis Uſſerianæ & Voſſianæ Epiſtolarum vitiatum eſſe, & *God. Hiſt. Eccleſ. l. 2 p. 165.* antiquorum Patrum citationibus non reſpondere? 2. Quid prohibet dicere, non Patres ab Epiſtolis, quæ legitimæ feruntur, loca ſumſiſſe; verum illum potius, qui Epiſtolas Ignatianas, quæ pro authenticis uſurpantur, conſcripſit, loca Patrum adjunxiſſe, quæ conceptis adeo verbis in Editione vetuſta non reperiuntur? Hoc reſponſo utitur aliquando in rem aliam P. Alexander. *Harum Epiſtolarum conſarcinatorem ex Patribus præfatis plurima defloraſſe, quæ illius adornando figmento ſerviebant, non vero Patres ex hujuſmodi Epiſtolis illa hauſiſſe.* *Alex. Hiſt. Tom. 2. ſec. 1. cap. XI. art. 2. p. 85.* Quod eo probabilius eſt, quo poſtremæ Editionis Epiſtolæ ſæculis bene multis in obſcuro jacuerunt. Qua de re haud facile conſtabit, num ſint hæc alicujus deceptoris Opus, potiuſquam illæ Vetuſtæ Editionis.

Denique pro Ignatii Epiſtolis, quæ firmioris autoritatis eſſe exiſtimantur, aſtruere quis poteſt, in illis obverſari nihil, quod S. hujus Martyris ætati non congruat, aut de illarum veritate nos ancipites reddat. Verum, præterquamquod de hoc inter Eruditos omnes non convenit, illud etiam dicimus, in iis, quæ corruptæ creduntur, nullam occurrere difficultatem, quæ nequeat ita facile de medio tolli, atque illæ, quæ emergunt ex Epiſtolis archetypæ, ut fertur, integritatis. Quod quamquam rueret, non videtur firmius credi poſſe, calumniatorem aliquem Vulgatæ Editionis Epiſtolas deformaſſe, quam affirmari, Autorem Epiſtolarum, ut opinio habet, genuinarum, ut melius lateret, nihil protuliſſe, quod calumniam ſuam aperiret; atque ita perſonam induiſſe, ut nihil poneret, quod aut Ignatii tempori non accommodaretur, aut tantum Martyrem non deceret.

Quot manibus verſamus Libros Athanaſii, Ambroſii, Hieronymi, aliorumque nominibus ſuffectos, in quibus nihil reperias, quod tempus, doctrinam, ipſamque Patrum iſtorum dictionem non referat? *Difficillimum itaque dictu eſt*, utrum Ignatii Epiſtolæ, ex Editione poſtrema, *extarent ea ætate, qua a Patribus laudatæ ſunt*, aut an Epiſtolæ vetuſtæ Editionis, Patrumque adducta loca anſam dederint eas excogitandi, quæ certam paſſim autoritatem obtinuerunt. Ecce, ut videtur, quo demum Dupini initia nos traducant.

AR.

ARTICULUS III.

Criticarum Regularum uſu Hiſtoriæ magis confirmatæ dubiæ, aut nullius fidei eſſe poſſunt: aliæ vero, quæ falſis, aut incertis accenſeri ſolent, evadere poſſunt ſimiles veri.

§. I.

Si audias regulas Criticas Tillemontii, Hiſtoria Martyrii S. Juſtini, quæ per ipſum teſtatiſſima eſt, falſitatis ſuſpicione perſtringi poteſt.

Tom.2.p.608.col. 1.

CUM Tillemontius adnotatione 12. In S. Clementem probaverit, mendacia eſſe S. hujus Pontificis Acta, Opuſque nulla autoritate munitum, oſtendere nititur, illum, qui Paſſionis S. Clementis hiſtoriam deſcripſit, huic tribuere ea, quæ feruntur de alio S. Clemente, pro Chriſto morte affecto in Cherſoneſo, non ſub Trajano, ſed paullo poſt. Libet Criticas præceptiones dare, quas huic facto confirmando conſtituit. „ Satis eſt fortaſſe argumenti, ut dubitemus, anne qui peſſimum „ adeo opus confinxit, potuerit ad S. Clementem Romanum referre, quæ „ fando audierat de S. Clemente Martyre Cherſoneſi; proindeque adjuncta non pauca rei ſubtexere, ornandæ gratia narrationis ſuæ. Id ſane „ inſolens magis non eſſet, quam noviſſe, S. Gregorium Nazianzenum, „ & Prudentium non diſtinxiſſe S. Cyprianum Carthaginenſem ab alio „ Orientis Cypriano. Quod ſi contigit hoc Sæculo IV., non erit deinceps, cur miremur, Rufinum & Zoſimum fidem Martyrio S. Clementis dediſſe, quod Iræneus, Euſebius, & S. Hieronymus ignoraverant; „ illudque Synodo Vaſionenſi, anno 442. coacta, S. Gregorio Turonenſi, aliiſque de eo mentionem impoſterum habentibus, perſuaſiſſe. Rufinus non præſtabat ſane multa ingenii accuratione, & delectu, cum is „ fuerit, ut *Recognitionum* fabulis inſtar veritatis præberet aures, atque „ in illis latine vertendis ætatem ſuam tereret: nec non ex iis, quæ geſta „ ſunt de Celeſtio & Patroclo Arelatenſi, perſpicuum eſt, plus nimio „ compoſitum fuiſſe Zoſimum ad ea haurienda, quæ ipſi obtrudebantur. „

Caveus Hiſt. Litter. ad ann. 91.

Quot profecto animadvertenda eſſent in hæc præclari Critici noſtri pronunciata! ſufficiat tamen dixiſſe: 1. Factum habitum pro conſtanti ſta-

tui.

tui formulis tantum dicendi communibus & vagis. *Satis eſt fortaſſe argumenti, ut dubitemus; Id ſane inſolens magis non eſſet; Quod ſi contigit hoc ſæculo IV., non erit deinceps cur miremur*. 2. Sententiis ajentibus multorum Autorum nihil opponi præter aliquorum ſilentium. 3. Hanc elici conſecutionem; videlicet: inſolens non eſſe, Scriptorem Actorum S. Clementis duos ejuſdem nominis ſanctos non ſecreviſſe; cum S. Gregorius Nazianzenus & Prudentius in eundem errorem lapſi fuerint de Sanctis Cypriano Carthaginenſi, & Cypriano Orientis. Nos alibi hujus argumentationis levitatem perſpectam fecimus, quæ ſæpiſſime in Criticorum ſcriptis occurrit, licet Logicis minus, ut apparet, probabilis. 4. Contendere illum, ut Rufini & Zoſimi teſtimonio fucum faciat, quod nimirum alter minori ingenii accuratione valeret, alter nimia credulitate peccaret.

Antequam ulterius progredior, meminiſſe neceſſe eſt, non urgere nos Tillemontii conjecturas ſuppoſitionem Hiſtoriæ Martyrii S. Clementis afficere, ſed tantummodo facti errorem in eo, qui illam compoſuit; atque adeo animus eſt dicere, ſi ſapientis hujus Critici probationes tantum præſeferunt facultatis, ut hunc facti errorem evincant earumdem conjecturarum uſu, fore, ut quis fortaſſe in dubium revocet veriſſimarum Hiſtoriarum multarum autoritatem, oſtendendo, ipſarum Scriptores hallucinatos fuiſſe, remque pro re ſuſcepiſſe narrandam.

Quamquam Hiſtoria Martyrii S. Juſtini certa ſit, incorrupta, ſincera, & abſolutiſſime confirmata, ut autor eſt ipſe Tillemontius; annon hiſtoria hæc de gradu dimoveri poſſet, ſi quis efficeret argumentis, illius Autorem id Sancto Juſtino Philoſopho commune facere, quod ad alium S. Juſtinum pertinet? Atque id nullo ferme labore obtinebit, qui in rem hanc afferat regulas Criticas paullo ante memoratas. Attende qui propoſitum moveri poſſet. *Satis eſt fortaſſe argumenti, ut dubitemus, anne qui confinxit*, vel compoſuit *Hiſtoriam* Martyrii S. Juſtini, *potuerit* ad S. Juſtinum Philoſophum, ſive Apologiſtam * *referre, quæ fando audierat* de S. Juſtino, qui Græcia Romam venerat, & non multo poſt Præfecti Ruſtici juſſu ſanguinem pro Chriſto fuderat. *Id ſane inſolens magis non eſſet, quam noviſſe, S. Gregorium Nazianzenum, & Prudentium non diſtinxiſſe S. Cyprianum Carthaginenſem ab alio Orientis Cypriano;* aut S. Hieronymo eundem fuiſſe Quadratum Apoſtolorum Diſcipulum, atque alium Quadratum Epiſcopum Athenarum. *Quod ſi contigit hoc ſæculo IV.; non erit deinceps cur miremur*, S. Epiphanium ** Acta quædam S. Ju-

Till. adnot. 23. T. 2. in S. Juſtin. p. 430. & 431.

* Fertur Divus Juſtinus Apologiſta capite diminutus fuiſſe, quod ei tantum congruit qui Græcia Romam venerat. S. nanque Juſtinus Philoſophus & Apologiſta veneno extinctus eſt, ut perhibet opinio.

** S. Epiphanius unus eſt Patrum, qui de Juſtini Martyrio ſermonem inſtituit.

ſtino Philoſopho vendicaſſe, *quæ Sanctus Irenæus, Euſebius, & Hieronymus ignoraverant, illaque aliis perſuaſiſſe, qui deinceps eadem* S. Juſtino Apologiſtæ *tribuerunt*. „ S. Epiphanius, per Tillemontium, accurationis „ munere donatus non eſt, & plus ſatis factus natura erat ad Hiſtorias „ minus probatas ſuſcipiendas: „ utque ab Juſtini Actis nonrecedamus, nonne aſſerit, eum Adriano imperante Martyrium paſſum; quamquam ſit exploratum, id M. Aurelio, & Lucio Vero Imperatoribus accidiſſe? annotatione vero 12. in S. Juſtinum ſcribit doctus noſter Criticus, „ S. „ Epiphanium non eſſe certum Hiſtoriæ ducem. „

Tillem. Tom. 1. advert. 17. in S. Joann p. 642. col. 2.

Tom. 2. p. 697. col. 2.

Ruinartius Act. ſel. pag. 100. 107. 120. 194. 255. 283. 559.

Eædem conjecturæ accommodari poſſent Hiſtoriis S. Potamienæ Virginis & Martyris, S. Saturnini Epiſcopi Toloſani, S. Pionii Martyris Smyrnenſis, S. Cypriani Orientis, S. Felicis Nolani, S. Geneſii Hiſtrionis, S. Luciani Presbyteri Antiocheni, Martyris; aliorumque eodem nomine multorum. Etſi enim ipſorum Hiſtoriæ certæ ſint integritatis atque autoritatis, ſatis eſſet huic elevandæ ad Tillemontii conjecturas ſe conferre, quæ ratione eadem capi poſſunt de Scriptoribus Martyrii omnium Sanctorum iſtorum, atque doctus noſter Criticus eas de Scriptore capiat, qui S. Clementis Hiſtoriam conſcripſit. Promptum eſſet itaque in hunc modum ratiocinari. *Satis eſt argumenti, ut dubitemus, anne Scriptores* Geſtorum S. Potamienæ, S. Saturnini &c. *potuerint ad ſanctos iſtos referre, aliiſque perſuadere, quæ fando audierant* de alia S. Potamiena, de alio *S. Saturnino &c. Quod ſi id contigit a Sæculo IV., non erit cur miremur, eos fidem dediſſe Martyrio* Sanctorum iſtorum, *quod Irenæus, Euſebius, & S. Hieronymus ignoraverant*. Et quidem Patres iſti, primus certe, & poſtremus, ne verbum de his protulerunt; ipſeque Euſebius cognitos non habuit eorum pleroſque, quos nunc retulimus. Denique colligi poſſet etiam, Sanctorum iſtorum Scriptores non multum accuratione & diligentia præſtitiſſe; quandoquidem lapſi ſunt in Hiſtoriarum iſtarum adjunctis, aliiſque factis: quod de unoquoque Autore vel acerrimi judicii fas erit dicere. Nemo enim illorum eſt, ipſius confeſſione Tillemontii, ne excepto quidem Euſebio, qui in aliquo non offenderit, atque in rerum geſtarum narratione captus aliquando non fuerit.

Quo in loco non eſt qui non videat, me non laborare, ut conferam Acta S. Juſtini, S. Potamienæ, S. Pionii, aliorumque, cum Actis S. Clementis apertæ apud Scriptores multos falſitatis: id unum mens eſt oſtendere; nimirum ſi præcepta, quæ adhibet Tillemontius, ut efficiat, eum, qui Sancti Pontificis hujus Martyrium litteris commendavit, errore facti huic tribuiſſe, quæ fando audierat de alio Clemente apud Cherſoneſum pro Chriſto interrempto; ita quoque habitam a nobis argumentationem tanti futuram, ut hærere fortaſſis faciat ſuper autoritate Actorum S. Ju-

Juſtini, S. Potamienæ, S. Saturnini &c. & dubitare, utrum horum Hiſtorici Sanctis iſtis Martyribus errore facti adjudicent ea, quæ de aliis eodem vocabulo Martyribus fando audierant:

§. II.

Adhibenti Regulas Criticas Tillemontii facile erit, Hiſtoriis perſpicue falſis aut fabuloſis veritatis imaginem, & aliquam probabilitatis ſpeciem adjungere.

CUM objicitur Tillemontio, narrationem Hegeſippi de Martyrio S. Jacobi non admodum certam eſſe; quod nimirum multis referta ſit, quæ fabulam olent, & fidem omnem ſuperare videntur, ſapiens iſte Criticus, ut momenta hæc omnia in Hiſtoriam iſtam objecta ſubvertat, ſequentes leges edicit. *Tillem. Tomo I. adnot. 15. in S. Jacobum p. 615. col. 1. 2. Edition.*

Prima hæc habet. „ Non eſt novum, id genus rerum minime pro„ babilium in Hiſtoriis teſtatiſſimis reperire; ſique Lex Darii, qua cau„ tum erat, ne quiſpiam Menſis ſpacio rem ullam ab altero poſtula„ ret, alibi quam in Sacris Libris legeretur, animi pendeo, num ali„ quis ſibi perſuaderet, hanc Legem aliquando latam fuiſſe. „ At ſi autoritas divina facit, ut rebus, alias ſpecie tenus incredibilibus, aſſentiamur; qua ratione ipſa quoque vetuſti Scriptoris autoritas poterit nobis ea rata facere, quæ ſcriptis mandavit, quamtumvis minime probabilia? Quot ne Fabulæ admittendæ eſſent hujus vi pronunciati?

Altera regula his verbis effertur. „ Ea quæ videntur abſurda, non „ habenda ſunt tamquam argumenta rem dirimentia. Non audiuntur, „ præſertim adverſus certam veritatem. „ Verum eſt, ſi Tillemontius de iis loquatur, quæ videntur abſurda in Scripturis, uti de Lege Darii, non audienda eſſe adverſus veritatem certam, atque a Spiritu Sancto teſtatam. At ſum neſcius, anne in Hiſtoriis humanis veritas aliqua certa, & quæ fallere nequeat, videbitur, cum res minime veriſimiles complectitur; ſique ea non poterunt falſam aut ſaltem ſuſpicioſam reddere, potius quam certam & exploratam. *Ibidem.*

„ Conſtat per ſeſe, addit præſtans iſte Criticus, in Hiſtoriis certiori„ bus extare poſſe aliqua, quæ videantur abſurda, atque ipſe ſæpiſſime „ modus aliquibus familiaris res narrandi, iis affert ſuſpicionem, fidem„ que derogat, quæ magis ſunt vera; quoniam facta quædam duntaxat „ narrant inviecm disjuncta, iis omiſſis, quæ illa nectcrent, & fieri po„ tuiſſe, & probabilia eſſe demonſtrarent. Non ſemel minimarum, quæ „ eos commovent, rerum meminerunt, & graviorum obliviſcuntur. „ *Ibidem.*

Juxta quas & ſequentes enunciationes, quis prohibebit, ne obviam ire

poſſimus iis difficultatibus, quæ in multas Sanctorum Hiſtorias intercantur, cum ſatis habent fundamenti? ne iis aliquam veri & probabilis ſpeciem apponamus; ne illas alicujus emolumenti fore evincamus, aut ſaltem dubitandum de hoc eſſe; quamquam factis redundent minus probabilibus, & fabulam olentibus? Hac nanque plerumque de cauſſa emandari ſolent id genus monumenta infra ſuppoſita, fabuloſa, nulliuſque autoritatis. Profecto ſi Tillemontium ſciſciteris, quid ſentiat de S. Theclæ Hiſtoria, Baſilio Seleucienſi tributa, * de Hiſtoria S. Euſtachii, & ſociorum; ** S. Mariæ Ancillæ, *** aliarumque ſimilium: reſpondebit, hæc Opuſcula eventis fabuloſis plena eſſe, quæ de ipſorum autoritate detrahunt, & in fictionis ſuſpicionem adducunt.

Quomodo etenim, inquit, in rebus, a vero quam longiſſime recedentibus, non habebuntur, quæ perſequitur narrando S. Theclæ Hiſtoria de æterna Falconillæ ſalute, licet in Paganorum tenebris diem objerit, **** quæ abſciſſis capillis, veſteque mutata, adivit Paulum; & quod miro modo diſrupta humo, in hiatum illum vivens ingreſſa fuerit, qui confeſtim per ſeſe clauſus eſt? Afferet ne quis, addunt, Hiſtoriam, Romanenſes magis fabellas referentem, quam eam, quæ S. Euſtachii ad bonam frugem converſionem, Imperatoris hujus caſus, Tatianæ uxoris, filiorumque eventus ſignificat? Poſtremo nonne fabuloſa multa in S. Mariæ Ancillæ vita obverſantur, uti quæ referuntur de Sanctæ hujus interitu in Rupe quadam, quæ ad eam recipiendam ſciſſa eſt; ſimiliter Edictum adverſus Chriſtianos hoc titulo: *Maximianus*, *Adrianus*, *Antoninus*, *Pii*, *Felices*, *Auguſti*? Atque aliis id genus rebus minime ſimilibus veri Hiſtoria iſta confecta eſt. Ecce præcipuas rationes, quarum

Tillem. Tomo 2. adnot. in S. Theclam pag. 928. & 529.
Baill. 23. Sept. Tab. Crit pag. XLVII.
Till. ibidem adnot in perſec. Adrian. pag. 627.
Baill. Tab. Crit. XX. Sept.
Tillem. ibidem pag 619.
Baill. Tab. Crit. J. Novembris.

* Contendit Baronius, Vitam S. Theclæ, a Baſilio Seleucienſi conſcriptam, genuinam eſſe, idque probat regula omnium Criticarum ſolidiſſima; nimirum, quod pleraque, in ea comprehenſa, legantur apud Origenem, Epiphanium, Auguſtinum. Joannem Cryſoſtomum, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum &c. Bar. ad ann. 47.

** Anno 1660. P. Combefiſius in publicum edidit nova S. Euſtachii Acta, quæ ab ejuſdem Ævi Scriptore profecta fuiſſe exiſtimat. In eam rem affert ſententiam Leonis Allatii, S. Dominici aſſeclæ, qui tanti facit monumentum hoc, quanti fieri poſſunt Acta conſtanter Archetypa. Combef. in Act. & pag. 83.

*** Baluzius Tomo aſtero Miſcellaneorum publica luce donavit Hiſtoriam S. Mariæ, cujuſdam nomine Tertulli Ancillæ; atque animadvertit, Hiſtoriam hanc optime exaratam fuiſſe, & non parum antiquitatis redolere.

**** Autor Anonymus, qui Gallice reddidit Vitam S. Theclæ, inſcriptam nomine *Baſilii Seleucienſis*, & Clermontii editam 1668. omnes iſtas difficultates de medio tollit pag. 215. & ſeq. Ea eſt autem opinione, non aſſerere Hiſtoriam iſtam, Theclam Falconillæ ſalutem æternam exoraſſe, ſed oraſſe tantummodo pro ea, precibus Triphenæ Principis, & Falconillæ Matris.

vi hæc monumenta non probantur, videlicet, quod oppleta ſint rebus incredibilibus, abſurdis, a vero procul diſtantibus, & fabuloſis.

Si cui ferret animus propugnare Vitas S. Theclæ, S. Euſtachii, S. Mariæ Ancillæ, aliarumque ſimilium; reſpondere hic ſtatim poſſet Tillemontii ſenſis: *Novum non eſſe, id genus rerum minime probabilium in Hiſtoriis teſtatiſſimis reperire*. Et ſane nonne fas illi eſſet dicere, Hiſtorias Sanctorum iſtorum non præferre facta magis fabuloſa, quam Hiſtoriam Phænicis, e ſuis cineribus reſurgentis; Hyenæ, ſexum mutantis; quæ de infinito Mundorum numero ultra Occeanum poſitorum narrantur; de Angelo, Hegrini nomine, Beſtiis imperante; de Baptiſmate Patriarcharum, aliiſque fabulis in nonnullorum antiquorum operibus repertis? Quare effici inde poſſet, omnia haud probabilia, quæ legimus in Actis S. Theclæ, S. Euſtachii, aliorumque, *non eſſe niſi abſurda, quæ huiuſmodi videntur, & habenda non ſunt tamquam argumenta, rem Hiſtoriarum dirimentia*.

Quod ſi reſponſa hæc Sapientibus noſtris ſatis non erunt, addere quis poterit: *Modum aliquibus familiarem res narrandi iis ſæpiſſime afferre ſuſpicionem, fidemque derogare, quæ magis ſunt vera. Facta eos omittere, quæ demonſtrarent, illa fieri potuiſſe, & probabilia eſſe. Non ſemel minimarum, quæ eos commovent, rerum meminiſſe, & graviorum oblivìſci*. Quod facile admodum in Hiſtoriis Sanctorum, de quibus modo, accidere potuit. Cum etenim v. g. dicendum forte eſſet, S. Mariam Ancillam, afflatu divino motam, ut effugeret, ſuamque caſtitatem in tuto poneret, in rupem quandam receſſiſſe, quo loco non eſt paſſus Deus eam tum deprehendi, Autor contra hujus Hiſtoriæ dixerit brevi, *Rupem ad eam recipiendam ſciſſam fuiſſe*. Idem ferme præſumere poſſumus de aliis eventis, quæ profecto neque adeo fabuloſa, neque adeo incredibilia viderentur, ſi Scriptores mentem ſuam in dicendo ſatis aperuiſſent.

Porro quamquam oſtenderent Eruditi noſtri, monumenta hæc facta continere minime probabilia, & abſurda, quæ non modo talia videntur, ſed revera ſunt; cur integrum non erit, ad hoc aliud Tillemontii pronunciatum ſe recipere? *Etiamſi aliquid eſſet, quod omnino non videretur ad communes rationis præſcriptiones compoſitum; nonne id potuit Chriſtus Dominus permittere, ut hæc ad multos in melius convertendos conducerent*, aut propter alia conſilia nobis ignota? Quemadmodum revera manifeſtum eſt, ſiviſſe Deum identidem, ut aliqua adverſus communem naturæ ordinem acciderent, quo tum, non vero alias, poteſtas ejus effulgeret.

Verum enim vero ubi demum conjecturarum & argumentorum Sapientum noſtrorum pondere, ut ita dixerim, premeremur, neque mo-

dus

dus eſſet ulterius propugnandi facta mira, quibus Hiſtoriæ iſtæ; aliæque plures refertæ ſunt, facultas ne nobis auferretur, qua uſus eſt Tillemontius ipſe, ut Arnaldi objectis faceret ſatis de Iacobi Martyrio? „ Quod noſtra intereſt [hæc ſunt ipſius verba] nos ea dicimus, quæ „ fert ingenium noſtrum ſuper locis difficilis ſane explicatus; alii eadem „ poterunt clarius illuſtrare: at licet ſingulare aliquod adjunctum eſſet, „ cujus rationem reddere nemo poſſet, incommodum fieret propter id „ unum univerſa rejicere. „

Till. Tome 1. adnot. 13. in S. Jacobum pag. 631.

Præterea ſi Viri noſtri Critici præſtantes iſtis adhuc reſponſionibus non acquieſcunt, urgentque rurſus, non pauca eſſe in narrationibus hiſtoricis S. Theclæ, Euſtachii &c. quæ ratione humana firmari nequeunt, quæque pariter certo falſa, & minime probabilia videntur; facile inter nos de his conveniet: at ſimul percontabimur, utrum iis aliqua prætexi excuſatio poſſit ſecundum aliud Tillemontii initium, quo confitetur, has eſſe iſtorum Hiſtoricorum labes? „ Sed putaverim ego [his verbis loqui„ tur] dici poſſe hæc levia eſſe, & excuſatione digna; quandoquidem „ rerum ſummam non invertunt, adeoque apta non ſunt ad exterminan„ dam Hiſtoricorum autoritatem in aliis, quæ referunt, factis; cum nemo „ Scriptorum ſit certus adeo & accuratus, in quo ſimilia quædam non „ occurrant. „ Atqui ſi nemo Scriptorum eſt, in quo ſimilia quædam non occurrant, quid rei eſt, cur Eruditi noſtrii nullum horum haud parcunt Metaphraſti, Mombricio, Surio, Baronio &c., eaque omnia & ſingula in ipſis ſumma ſeveritate redarguunt? Erit ne, Scriptores iſtos, ſama minus accuratos, nullam propterea indulgentiam mereri, indulgentiam ſane aliis Autoribus tributam? Quid vero? immo eorum errata excuſant, licet minus excuſabilia, quam Metaphraſtis, aliorumque Hiſtoricorum errata.

Ibidem annot. 10. pag. 649. col. 2.

Etſi denique nulli reſponſionum iſtarum per eos locus eſſet, æquum ne eſt, eo nos jure non agere poſſe, quo ſibi putant agendum eſſe Critici noſtri, eaſdem occaſiones nacti? Eccur licitum non erit, vitia hæc in Amanuenſes transferre, atque de illis id ferre judicium, perinde ac eſſent additamenta rei jam perfectæ advenientia? Reſponſum Criticis noſtris commune, cum propugnare Hiſtorias volunt, fabulis aliquibus obnoxias, uti exemplis alibi confirmavimus.

Quantumvis recta & æqua videantur reſponſa iſta, quæ reddere poſſunt Sanctorum Hiſtorici, ad normam Legum Criticarum Tillemontii, locis difficilibus, quæ emergunt in Hiſtoriis S. Theclæ, S. Euſtachii, S. Mariæ Ancillæ, aliarumque hujus indolis, in Sanctorum Geſtis recenſitis: non eſt ramen animus iis uti, ut narratiunculas, & fabellas multorum Hiſtoriis Sanctorum reſperſas tueamur. Perſuaſum nanque nobis eſt,

quam-

quamplurima eventa eſſe, quæ nullam habent eum veroeognationem; eademque multa ſuppoſititia, & fabuloſis rebus referta, atque indignis, quæ Martyribus & Sanctis tribuantur.

Id unum intendimus palam facere exemplis iſtis, multa extare Acta & Sanctorum Hiſtorias, a Viris noſtis Litteratis infra eas, quæ nulla ſunt autoritate & fide, detruſas, quæque ex Legibus Tillemontii ſedem habere poſſent, non dixerim, inter Monumenta archetypa & authentica, neque inter illa, quæ manifeſte germana ſunt; at ſaltem inter narrationes, alicui futuras utilitati, quamvis dubias, eum præſertim ſatis ſunt teſtimoniis firmatæ, uti ſuperius in exemplum allatæ.

Quandoquidem id uni navamus operam, ut veritatem illuſtremus, & noſmetipſos erudiamus; propterea non repugnamus, diferre multis Hiſtoriam Martyrii S. Jacobi ab Actis S. Theclæ, S. Euſtachii, & S. Mariæ Ancillæ. Prima autorem habet Hegeſippum, vetuſtum Hiſtoricum; aliæ vero vadem non habent, qui poſſit huic Scriptori Eccleſiaſtico comparari. Vita S. Theclæ cuidam Baſilio Seleucienſi tribuitur, de quo levis ſupereſt memoria; utræque aliæ ab ignotis omnino Scriptoribus prodierunt; erratiſque tot, & fabulis conſtant, ut nihil ſupra ad illas removendas deſideretur. Qua de re Tillemontius ſui muneris eſſe arbitratus eſt, omnia Critices ſuæ præcepta adhibere, ut vitia purgaret, quibus affecta conſpicitur Hiſtoria S. Jacobi, eique omnem, quæ major fieri poſſet, cum vero ſimilitudinem adderet; non tamen putavit præclarus iſte Criticus, eodem privilegio uti ſibi licere, ad pugnandum pro factis minime probabilibus, quæ leguntur in Hiſtoriis S. Theclæ, S. Euſtachi, S. Mariæ Ancillæ &c., utpote non ejuſdem autoritatis teſtibus confirmatis.

Nihilominus, cujuſque demum ponderis eſſe dicatur autoritas Hegeſippi, id nont tollit quominus univerſi pene eruditi homines ab eo, quod ad S. Jacobi Martyrium attinet, deficiant: idemque Tillemontius, excuſſa rurſus hac narratione, declarat in altera Monumentorum ſuorum Editione, ſe nolle amplius, uti in priori præſtiterat, ea propugnanda iretiri, tametſi ſtudeat ſemper, ope enunciationum ſuarum paullo ante dictarum, errata in ea reperta purgare. Contra tres aliæ Hiſtoriæ patronos habent, ea in Repubblica Litteraria dignitate conſpicuos, quæ Criticis inferior non eſt, in hanc quoque diem ſtantibus a Jacobi Martyrio, per Hegeſippum tradito. Poſt hæc itaque aliorum judicium ſit, utrum antiqui hujus Scriptoris teſtimonium, pleriſque Sapientum ſuper hac re non probatum; anteferendum ſit autoritati & conjecturis, quæ ſtatuerunt Combefiſius, Baronius, & Baluzius, ut aliqua appareret in his tribus Hiſtoriis ſimilitudo veri & probabilitas; neque enim veriti ſunt

Scri-

Scriptores iſti, S. Theclæ, S. Euſtachii, S. Mariæ Ancillæ Acta in narrationum *Archetyparum* & authentiearum cenſum referre.

Quod autem eſt erratorum, quibus reſperſa ſunt, reſpondere poſſumus, id eſſe, quod controvertitur. Interrogamus etenim utrum liceat ea purgare, adhibitis Criticis regulis, quibus uſus eſt Tillemontius ad purganda ea, quæ ſunt in narratione Hegeſippi, & quorum non pauca fabulam haud leviter redolent. Non videtur itaque deneganda Baronio, Baluzio, Combefiſio, aliiſque Sanctorum Hiſtorieis facultas propugnandi Hiſtoriam S. Theclæ, S. Euſtachii, S. Mariæ Ancillæ &c. eorumdem principiorum uſu, quæ Tillemontius ad exeuſandas narrationis Hegeſippi labes adhibuit.

Si tamen nulla excipere gratia vellent Hiſtorias S. Theclæ, S. Euſtachii, S. Mariæ Ancillæ, aliorumque ſimilium, quod pro iis ſuffragium non tulerint, Antiqui: quis vetat, nos a Critices Tillemontianæ monitis præſidium ſumere, ubicumque diſputabitur de factis hiſtoricis, Veterum teſtimonio roboratis, quorum autoritas aut major, aut non inferior erit Hegeſippi autoritate?

Propterea eum Tillemontius & Bailletus habenda eurabunt tanquam ſuppoſita & fabuloſa, quæ S. Gregorius Nyſſenus, & S. Epiphanius perhibent de ortu Deiparæ, de illius Infantia, & Parentibus; * cum judicabunt, quæ S. Gregorius Papa de S. Paulino litteris mandavit, qui eujuſdam Viduæ filii loco ſe in ſervitutem tradidit, omniaque hujus facti adjuncta, Bailleto viſa *partibus omnibus nullo modo propugnanda*, non ſecus atque Hiſtoriam de ſeptem Dormientibus Epheſi, a Gregorio Turonenſi ** poſteritati commendatam; eum inquam judicabunt iſti Critici, univerſa eveuta iſta ſuſpicioſa eſſe, & parum ſimilia veri, nunquid non poterit quis ad memoratas Critices regulas ſe conferre? Eccur certe non liecbit, ut facta hæe, atque alia id genus tueantur, ea principia in me-

S. Greg. Diall. l. 3. c. 1.

Baill. 22 Junii In vita S. Paulini pag. 540. S. Greg. Turon. Gloria Mart. c. 95.

* Ambo iſti Sancti Doctores aſſerunt, B. Virginis Patrem ſenuiſſe, quin filios haberet, vitio ſterilitatis, qua Uxor ejus laborabat: Annam Templum adiiſſe, Deum oraturam, ne ſe a Benedictione arceret, quam Lex fœcunditati impertiebatur: hanc eandem in Sanctum Sanctorum ingreſſam; Joachino vero Eremum incolenti Angelum ſtetiſſe coram, & monuiſſe, Uxorem ſuam uterum gerere: Virginem autem, ab uberibus vix remotam, ad Templum ductam fuiſſe, ibique Deo Sacram & Religioſam a Sacerdotibus, Samuelis inſtar, educatam fuiſſe, &c. Greg. Nyſſ. Tract. de Chriſti Nat. Epiphanius Hær. 78. & 79.

** In tres opiniones abjerunt Scriptores de Sanctorum illorum ſomno. Prima fert, iis mortem paſſis ſub Decio in quodam ſpecu, ipſorum corpora eodem loco inventa fuiſſe Theodoſio Juniore imperante. Tradit altera, eos vero ſomno, non morte; correptos, elapſis ducentis annis, evigilaſſe. Ita quoque Gregorius Turonenſis. Tertia demum habet, illos obiiſſe revera, ipſorumque corpora nulli obnoxia corruptioni, ad vitam aliquando remigraſſe. Quod in cauſſa fuit, quare ipſorum mors ſomnus, ipſique *Dormientes* vocarentur.

dium

dium afferre, quæ attulit Tillemontius, ut Hegeſippi narrationem tueretur; adeoque dicere: *Novum non eſſe, id genus rerum minime probabilium in Hiſtoriis teſtatiſſimis reperire: ea quæ videntur abſurda, non habenda eſſe tamquam argumenta rem dirimentia: in Hiſtoriis certioribus extare poſſe aliqua, quæ videantur abſurda; ipſumque ſæpiſſime modum res narrandi aliquibus familiarem iis afferre ſuſpicionem, fidemque derogare, quæ magis ſunt vera: hæc levia eſſe, & excuſatione digna; quandoquidem rerum ſummam non invertunt: denique, etiamſi aliquid eſſet, quod omnino non videretur ad communes rationis præſcriptiones compoſitum, nonne id potuiſſe Chriſtum Dominum permittere, ut hæc ad multos in melius convertendos conducerent?*

Adverſus hæc, non inficior, reponere potuiſſe Tillemontium & Bailletum, Sanctum Gregorium Nyſſenum & Epiphanium, quæ referunt de de Maria Virgine, ejuſque Parentibus, a Traditionibus Judæorum, & ab Hiſtoriis apocryphis decerpſiſſe. Ceterum alibi oſtendimus, quam futilia ſint ejuſmodi effugia, atque ita fore Sapientibus Viris iſtis operoſum, ſtatuere, Hegeſippum, ea, quæ de Sancto Jacobo ſcripſit, e popularibus Traditionibus non hauſiſſe, quemadmodum multi operis eſt palam facere, utroſque Patres iſtos fallaces Traditiones audiviſſe ſuper his, quæ de Virgine Matre ejuſque Parentibus teſtati ſunt.

At enim Critici noſtri ſine ulla dubitatione ſubjunxiſſent, Sanctos Gregorios, cum Pontificem, tum Turonenſem, quamquam fallere neſcios, falli tamen a fraudulentis & mendacibus hominibus potuiſſe; atque illum a Paulini ætate nimis eſſe remotum, hunc vero a ſæculo, quo contigit Hiſtoria Septem Epheſi Dormientium. Tametſi, ſi nonnullis Viris doctis fides eſt, hi duo Patres parum accurati fuerint, & faciles plus ſatis aures rebus miris & extraordinariis præbuerint; & non crediderim ſane his vitiis minus affectum fuiſſe Hegeſippum, ſi aſſentior Dupino de hoc Hiſtorico dicenti: „ *Quantum in nobis eſt judicium ferre de ipſius Opere ex iis, quæ ſuperſunt, erat ipſe parum diligens, magiſque factis & fabuloſis Hiſtoriis, quam ſolidis & veris narrationibus refertus*. Ceterum ita fere diſtat a tempore Martyrii S. Jacobi Hegeſippus, ac a Paulino Gregorius Papa, & a Septem Dormientium Hiſtoria diſtaret Turonenſis.*

Dupinus Bibliot. Tom. I. pag. 167.

* S. Jacobus Martyrio cruciatus eſt anno Chriſti 62., Hegeſippus vero ſecundum Chronicon Alexandrinum exceſſit e vita Commodo Imperatore, qui regnavit uſque ad exitum circiter alterius Sæculi. Porro ad annum 430. Paulinus ex Africa reverſus eſt, & S. Gregorius Papa vitam cum morte commutavit anno 604. Experrecti ſunt ſeptem Dormientes anno circiter 447. Imperium gerente Theodoſio Juniore, & S. Gregorius Turonenſis ad Epiſcopi dignitatem evectus eſt anno 574., extinctus autem 596.

ARTICULUS IV.

Ex uſu Critices factum idem, iiſdem comitantibus adjunctis, videri ſimul poteſt verum, ſincerum, authenticum, & dubium; falſum, haud probabile, & fabuloſum.

NEmo non ægre admodum ſibi perſuaderet, Criticarum Regularum uſu idem factum, iiſdem comitantibus adjunctis, variam adeo faciem referre poſſe, ſpecieſque adverſantes adeo in hominum mentibus imprimere; niſi id exemplis ratum facere ſtuderemus.

Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 23. Ruinartius Acta Sel. pag. 5.

Scaliger in Animadv. ad annum 2077.

Dupinus Biblior. Tomo 1. pag. 165 & 169. col. 2.

Arnaldus Diſſert. de S. Jacobo.

Petavius in Notis ad Hær. 78. S. Epiph.

Tillem. Tomo 1. annot. 13. in S. Jacob pag. 671.

Primum, quod præſto eſt, ab iis deſumo, quæ perſequitur Hegeſippus de Martyrio S. Jacobi, ab Euſebio relato. Theodoricus Ruinartius hanc habet Hiſtoriam in veris & authenticis; eamque ipſi fidem adjungit, ut in fronte Collectionis Actorum ſincerorum & ſelectorum Veterum Martyrum collocaverit. Contra, Joſephus Scaliger de narrationis hujus ſuppoſitione non dubitat, & momentis multis ipſius falſitatem perſpicuam facere nititur. Dupinus aperte fatetur, eam magis ad fabulam, quam ad Hiſtoriam accedere; & non pauca in ea reperiri, quæ vera cenſeri nequeunt. Contendit Arnaldus, eam eſſe minime probabilem, atque incredibilem, hoc eſt nullius cum vero ſimilitudinis. Petavius, qui rem per ſeſe admittit, non diffitetur multis conſtare, quæ fabulam olent. Tillemontius denique, qui palam pro hac Hiſtoria pugnaverat in priori Monumentorum ſuorum Editione, videtur ab ea defeciſſe in altera, in qua dicit, nolle ſe amplius propugnanda Hegeſippi narratione irretiri. Veruntamen operam dat objectis omnibus auferendis, quæ ſuper hac re poſuerat ipſi ante oculos Arnaldus, nihilque omittit eorum, quæ ad ipſius oſtendendam veri ſimilitudinem attinent, ex quibus efficere quis poſſet, ſi eam non probat Tillemontius, uti certam & indubitatam, eandem tamen uti manifeſte mendacem non averſari; atque indicare, illam admitti poſſe tanquam dubium monumentum, & a quavis veri ſpecie minime remotum.

Ecce factum, de quo varia plane ſentiunt Eruditi noſtri: ſit hoc propterea quod Criticæ præceptiones, ad quarum amuſſim Hiſtoriam hanc revocarunt, minus rectæ ſint, aut ambiguæ? Tribuendum ne erit pravo magnæ illorum Artis uſui? aut forte contendet aliquis, nonnulla deeſſe Criticis iſtis, ad perfectum Criticum effingendum neceſſaria? Cauſa-

bimur

bimur ne, eos citius præjudicatis ſuis opinionibus, quam accuratæ & prudentis Critices rationibus & luminibus adhæſiſſe? Quod ſi neſcimus, cui referenda ſit hæc Criticorum noſtrorum diviſio, de illa nonne ſaltem poſſumus dubitare?

Quis ambigat, inquit Criticus aliquis, hanc Autorum iſtorum diviſionem ex eo oriri, quod factum hoc unuſquiſque expendit & dijudicavit variarum Regularum uſu; quamquam omnes æque tutæ & veræ ſint? At non video, qua ratione reſponſum hoc judicia eorum purgare poterit, quin ſimul fateantur, Criticos diſſimiles lances in promptu habere, atque ab una eorum induſtria in Criticarum Legum uſu pendere ut falſum appareat, quod verum eſt; dubium, quod fabulis annumerandum.

Quamobrem Criticus, abſque eo quod germani & egregii Critici famam amittat, pronunciare poterit, idem factum, iiſdem adjunctis compoſitum, verum eſſe, falſum, dubium, incredibile fabuloſum. Si nanque factum aliquod in diſceptationem vocet Criticus quibuſdam præceptis, quæ illud verum, ſincerum, & authenticum demonſtrabunt; ſi judicium ferat alius ex aliis, quæ illud falſum & ſuppoſititium oſtendent; ſi tertius & quartus aggrediantur ad dicendam de illo ſententiam ſecundum alias inſtitutiones, quæ illud objicient animo tamquam dubium, incredibile, aut puram putam fabulam: nonne exploratum eſt, eundem Criticum, quem non latent univerſa magnæ Artis ſuæ documenta, non ſecus atque uſus omnes, qui fieri poſſunt, poſtquam probaverit prioris generis regulis, Hiſtoriam hanc veram & genuinam eſſe, alterius falſam & excogitatam, poſſe quoque tertii & quarti generis inſtitutis efficere, eventum idem dubium eſſe minime probabile, & fabuloſum? Eaque de re narratio eadem ejuſdem Critici opinione, diverſis ſaltem temporibus, vera videbitur, falſa, dubia, incredibilis, fabuloſa; libitumque ſemper erit eidem Critico propugnare ex accuratæ & rectæ Critices præſcriptis album, nigrum eſſe, rubeum, & flavum; nigrum vero album eſſe flavum & rubeum.

At enim qui tam audax erit, ut neget, addet aliquis, rectiſſimam atque æquiſſimam eſſe præſtantium Criticorum iſtorum in varias ſententias diviſionem, utpote duobus Critices firmiſſimis fundamentis innixam, nimirum autoritate & conjectura? Ruinartius Euſebii teſtimonio exiſtimavit, poſſe ſe Hiſtoriam iſtam amplecti, tanquam ſinceram & germanam, quin adverterit animum adjunctis, quæ poſſunt illam aut ſuſpicioſam reddere aut fallacem: propterea hic autoritatem nunc conjecturæ prætulit. Arnaldus & Dupinus alia via inceſſerunt, rati, fabulas, reſque incredibiles in narratione aliqua obvias, magis faciendas eſſe, quam auto-

Digitized by Google

ritatem, eaſdemque homines ad firmiſſimas conjecturas attendentes, in opinione ſtatuere ipſius ad fabulas amandandæ. Petavius * & Tillemontius medii inter hæc extrema ſteterunt, interque autoritatem & conjecturam animum ſuum, ut ita dicam, librarunt. Ipſi quidem peroptaſſent, ſe tot Veterum Scriptorum teſtimonio dedere, qui veram hanc narrationem exiſtimarunt. At eum hujuſcemodi partes in ſuſpenſo relinquant tot fabulæ in Hiſtoria iſta deprehenſæ, non auſi ſunt conſilium capere pro ajente aut negante ſententia; & quin ſe totos autoritati aut conjecturæ traderent, bona fide cognoverunt, eam nec explodendam eſſe univerſam, neque univerſam admittendam. Quibus poſitis, cur mirum erit, diſtractos admodum eſſe Criticos iſtos in judicio, de hac narratione lato, quamquam ſit ſecundum uniuſcujuſque principia rectiſſimum æquiſſimumque?

Quantumvis propendeam inclinatione voluntatis in hanc Sapientum noſtrorum diviſionem probandam, & profitendum, vias iſtas, quas ſunt ingreſſi, nihil habere, quod prudentioris Critices regulis non concinat: nihilo ſecius hæret nobis adhuc animo geminus ſcrupulus ſuper ratione, quam utrique in Hegeſippi narratione dijudicanda ſecuti ſunt.

Primus eſt, quare Ruinartius hoc loci primas deferat autoritati potius, quam conjecturis, tametſi conſtantiſſimis & pene evidentibus de Hiſtoriæ hujus falſitate: alibi vero, una fretus leviſſima ſpecie veri, teſtimonio Euſebii claro & aperto refragetur, cum eodem tempore ponit mortem S. Polycarpi & S. Pionii; & ſimplicem eo loci conjecturam ejuſdem Hiſtorici anteferat autoritati. ** Dupinus obtemperavit nunc præcepto ſuo monenti, tum falſum eſſe Opus aliquod *cum res continet manifeſte adulterinas*. Qua de re non dubitavit ad conjecturas mentem adjicere, nihil ſollicitus autoritatis. Nihilo tamen minus hujus regulæ vi non poterat idem legitimam ducere Epiſtolam S. Clementis, & nonnulla alia Monumenta: præterquamquod etenim Pontificis hujus Epiſtola non multo majori, quam Hiſtoria Martyrii S. Jacobi, autoritate firmatur, eadem redundat rebus multo magis fabuloſis, minuſque credibilibus.

Dupin. in Præf. part. 2 pag. 18.

Dupin. Tomo 1. pag. 87.

Videtur Arnaldus ſuper hoc facto oblitus fuiſſe prioris admonitionis, quam ſtatuit, ut Hegeſippi narrationem oppugnaret. Habeto ipſius verba. „ Cum merito non poſſumus de facto aliquo dubitare, quippe fir-

Arn. Diſſert. de Narrat. Hegeſippi, Reg. prima.

* *Non diffiteor, nonnulla, vel ab Hegeſippo prodita, vel ab aliis inſerta, quæ parum probabilia videantur. Sed totam ipſam Hiſtoriam nego propterea damnandam eſſe. Nam pleraque in illa vera ſunt, aut veris certe ſimillima, quædam abſurda*. Per. in Notis ad Hær. 78. S Epiph. pag. 332.

** *Cujus Pionii, cum Acta Polycarpi Martyrio ſubjuncta fuerint, quidam incaute eos uno eodemque tempore paſſos fuiſſe exiſtimaverunt, idque mendum in Euſebii Chronicon irrepſit*. Ruin. Acta Sel. pag. 27. En ſola conjectura, quæ Ruinartium non audire coegit apertum Euſebii teſtimonium,

„ mi-

„ miter adeo teſtimoniis probato, ut credendi locus ſit, illud certum & „ conſtans eſſe, parum attendendus eſt animus argumentis objectis adverſus illud, ſatiſque erit ea ſolvere reſponſis probabilibus, quæque „ duntaxat eſſe poſſunt, abſque eo quod quidquid aſſeritur, evincere „ oporteat, ita revera eſſe, quemadmodum reſponſum eſt. „ Narratio Hegeſippi firmiter adeo teſtimoniis probata eſt, ut credendi locus ſit, illam certam & conſtantem eſſe. Hegeſippus, S. Clemens Alexandrinus Euſebius, S. Epiphanius, & S. Hieronymus in hujus Hiſtoriæ ſumma conveniunt, ſimulatque in pleriſque adjunctis fidei difficillimæ. Inſuper P. Petavius non modo uſus eſt reſponſis probabilibus, quæque fieri poterant in objecta, a Scaligero adverſus hanc Hiſtoriam facta, ſed æquiſſimis, quæque difficultates pene omnes, ab Hæretico homine illo propoſitas, in nihilum evadere faciunt. In ſpeciem itaque eſt, debuiſſe Arnaldum, niſi a ſua ipſe Lege diſcedere voluerit, teſtimonium conjecturæ præferre, non autem conjecturam teſtimonio.

Apud Euſ. l. 2. c. 21. pag. 63.
Apud Petav. in Not. ad Her. 78 S. Epiph pag. 332.
Petavius ibid.

Petavius quoque hanc ſcivit Legem ſuper narratione Hegeſippi: *Cum factum tam vetuſti & graves Autores aſſerant; cur factum ſit mirandum, vel quærendum magis eſt, quam de præſtantiſſimorum Virorum autoritate dubitandum*. Res itaque urgebat Virum hunc ſapientiſſimum, ut ad purgandam narrationem iſtam momenta quæreret, & teſtimonio fidem omnino adjiceret, potius quam anceps inter autoritatem & conjecturam hæreret.

Petav. ibidem.

Me fugit, quamobrem Tillemontius ajentem, aut negantem partem manifeſte amplexatus non ſit, qui ſummum illud edidit Critices ſuæ principium: „ Quoties occurrerunt res, vetuſtis & gravibus Scriptoribus „ confirmatæ, quorum teſtimonio gerendus mos eſt ab Eccleſiæ Catholicæ alumnis, non eſt viſum ab iis recedere nos poſſe, præterquam in„ victiſſimis rationibus id poſtulantibus. „ Documentum hoc Critico noſtro perſuadere debebat, ut mentem ſuam pro autoritate aperiret; quandoquidem poſtquam dixit; *quoties occurrerunt res, vetuſtis & gravibus Scriptoribus confirmatæ, ſibi non eſſe viſum, ab iis recedere poſſe*, exemplo ponit ea, *quæ narrat Hegeſippus de S. Jacobo Minore*. Ipſius itaque erat, ut videtur, non attendere animum conjecturis, ut antiqui hujus teſtimonio inviolate adhæreret. *Quod ſi Sacerdotium Legis cum Jacobo, tum Reccabitæ tributum, Privilegia Chriſtianorum Principi conceſſa, facultas ingrediendi locum Sanctum, aut fortaſſe Sanctum Sanctorum: non eſſe probabile, Judæos ad S. Jacobum ſe retuliſſe ſuper his, quæ de Chriſto Jeſu credenda erant &c.* Si hæc omnia, inquam, viſa Tillemontio ſunt invictiſſimæ rationes, ſua intererat conjecturas autoritati anteferre, niſi regulæ a ſe traditæ adverſari maluiſſet.

Tillem. Tomo I. in Præf. pag. XVI.

Tillem. annot. 27. in S. Jacobum pag. 617. col. 2. Edit. 2.

Ac

Ac non eſſet quidem multi operis, haud pauca huc afferre facta, multo melius confirmata, quæ deſerit eruditus iſte Criticus, ut conjecturam ſequatur; quamquam momenta, cur id fecerit longe minus fortia eſſent iis, quæ in Hegeſippi narratione ſe produnt. Iter S. Pauli in Hiſpaniam multo plurium graviorumque Patrum dictis, quam S. Jacobi Martyrium, aſſertum eſt; & Tillemontio certe conſtantes adeo rationes non fuerunt, quare illi non aſſentiretur, uti ſunt impræſentiarum. Non poterat itaque ſuſtinere aſſenſionem ſuam inter autoritatem & conjecturam, ſed neceſſario alterutram amplecti.

Juxta quas regulas nonne dici poſſet in præſenti, Ruinartium, propter Epocham Mortis Sanctorum Polycarpi & Pionii, ſe concredere citius debuiſſe conjecturæ, quam autoritati; Dupinum, & Arnaldum pro autoritate ſuffragium ferre, contemta conjectura ſecundum præceptionem ab iſto latam, & judicium ab illo de Clementis Epiſtola: Petavium vero & Tillemontium non potuiſſe ancipites inter autoritatem & conjecturam verſari? prioris nanque erat totum autoritati tribuere, alterius totum tribuere conjecturæ.

Propterea ex neceſſaria principiorum iſtorum conſecutione videtur eſſe dicendum, narrationem Hegeſippi per Ruinartium non futuram deinceps veram & germanam, ſed falſam, & fabuloſam: per Dupinum & Arnaldum non ultra ſuppoſititiam, incredibilem, & fabulis plenam, ſed ſinceram & authenticam: Petavium denique & Tillemontium non poſſe impoſterum illam dubiis operibus accenſere, ideſt, Hiſtoriis neque in univerſum rejiciendis, neque recipiendis, ſed illius inſtitutis veram cenſendam, iſtius autem Decretis in monumentorum mendacium numero collocandam.

Hic apparet, quam recte hujus Articuli initio animadverterimus; Eruditum hominem Criticas Leges, Uſuſque omnes apprime tenentem, idem factum nullo negotio ob oculos poſiturum tamquam verum, falſum, dubium, incredibile, ſi modo diverſas magnæ Artis ſuæ regulas adhibeat. Poſtquam itaque oſtenderit, antepoſita autoritate conjecturæ, factum illud falſum eſſe; ipſius veritatem & ſinceritatem aſtruet, prælata conjectura autoritati. Si libeat aliquas habere animadverſiones in ea, quæ variis Operis hujus locis obſervavimus, perſuaſum unicuique erit, Litteratos Viros noſtros tum obſtringi inviolate regulis ſuis, cum ipſorum conſiliis favent, quantulumcumque autem eos implicent, non multum religioni ducere fidem illis datam revocare: imo deprehendes ſæpe numero, his regulis uti illos hoc loci ad factum aliquod ſtatuendum, quod alio loco eædem leges ſubvertunt.

Alter, qui nobis injectus eſt, ſcrupulus ſuper Sapientum iſtorum ratione,

ne, ad id pertinet, neſcire nos, quibus adducti momentis Critici noſtri; Hiſtoriam de Martyrio S. Jacobi ab Hegeſippo recitatam expendentes, quidam illorum autoritatem potius ſectati ſint, quam conjecturam, alii contra fulti conjectura ſint, nulla autoritatis habita ratione; aliqui demum inter autoritatem & conjecturam ſe ab omni aſſenſu veluti abſtinuerint.

Illud equidem ſtatim exiſtimavi in cauſſa eſſe potuiſſe, 1. quod nimirum Critici in hoc delectu in veſtigiis ſteterint magnæ illorum Artis, docentis, utri earum tum parendum ſit. At ſcilicet hic dubitatione magis æſtuo. Etenim præterquamquod non memini, me præcepta iſta in Sapientum noſtrorum Operibus legiſſe, ipſique haud ita facile expediendis laqueis involverentur, ſi loca, in quibus extant, indicare opus eſſet; non poſſumus præterea non mirari, eos aliquando tranſgredi Leges iſtas. Et ſane accidit quam ſæpiſſime, quamvis autoritas multo majorem vim habeat, quam conjectura, vel contra conjectura præponderet autoritati, ut placet tamen, uni eos adſtipulari detrimento alterius, & non ſemel poſtquam mentem ſuam, ſive pro autoritate, ſive pro conjectura declararunt, ab iis ſe ſubtrahere, aut eas tum ſequi, cum in rem eſſet contra ſe gerere. Horum omnium deinceps exempla ſubjiciemus.

Denique tametſi ratum & conſtans haberem Criticen eas regulas ſignificare, quibus ſe vel ad autoritatem referat, vel ad conjecturam; & Eruditos noſtros ne latum quidem unguem ab eis in Hegeſippi narratione expendenda diſceſſiſſe; illos tamen rogare juvat, ut me faciant certiorem, nonne eaſdem, an diverſas inſtitutiones ſint ſecuti? Si eaſdem, unde factum eſt, per eas ad autoritatem vergere Ruinartium, ad conjecturam Arnaldum & Dupinum, ſuſpenſos incertoſque pendere Petavium & Tillemontium? Eſt ne eaſdem regulas ad extrema penitus adverſantia deducere, eaſque exhibere poſſe tamquam verum, quod falſum aut dubium eſt, & tamquam ſuppoſititium & fabuloſum, quod ſincerum & certum eſt? ſi vero e diverſis præſidium ſibi compararunt, fiet inde, deeſſe Criticæ facultati certas & firmas regulas ad oſtendendum, quando vel autoritas, vel conjectura eminere debeat, ſique id genus monita indicaret Critice, qui fieri poſſet, ut e principiis omnino contrariis ſolidum de eodem facto judicium enunciaretur? Ratio altera, propter quam non eodem tramite inceperunt Critici in ſeligenda ſive autoritate, ſive conjectura, erit fortaſſe, eos, hac Euſebiana Hiſtoria diligenter excuſſa, æqua lance ſuſpenſis utriuſque partis momentis & probationibus, quæ illos poterunt vel ad autoritatem flectere, vel ad conjecturam, vel ad iter medium tenendum, omnibuſque ex adverſo libratis, ei parti ſe dediderunt, apud quam majorem veriſimilitudinem deprehendebant

Digitized by Google

bant *ex principis regulæ documento*, *quod eſt æquitatis & prudentiæ judicium*. Hanc itaque ſupremam regulam attendens Ruinartius ita eſt affectus, ut duxerit majoris autoritatem, quam conjecturam; Arnaldus & Dupinus ut adhæſerint conjecturæ nihil de teſtimoniis ſolliciti, & Petavius Tillemontiuſque ut locum inter hæc duo extrema medium ſervaverint. En *judicium æquitatis & prudentiæ* longe a ſemetipſo diverſum, & *ſuprema regula*, quæ ut alias monuimus, alia indigeret regula ſuperiori, ut in ejus trutina poſitis tribus hiſce *judiciis æquitatis & prudentiæ*, eo ſe animus vertere poſſet, ubi major veri ſpecies appareret.

Non poſſumus revera aſſequi cogitando, idem factum, totidem verbis expreſſum, iiſdemque adjunctis compactum, diverſam adeo formam ſui prodere Criticis noſtris. Baluzius, occaſionem nactus, S. Mariæ Ancillæ factum narrat cujuſdam nomine Tertulli, * quod ipſi *æquum & certum videtur*; cum Tillemontius affirmet, *immane hoc abſurdum nemini credibile viſum iri*. Thierius teſtatur, Hiſtoriam Lacrymæ Vindocinenſis non modo fabuloſam, ſed ridendam eſſe, & nullo modo propugnandam; & tamen celeberrimus Mabillonius pugnantia his de illa ſentit. Contendit Arnaldus, P. Malebranchium in Libris ſuis favere ſententiis Epicureorum, alius vero Autor conceptis verbis ſenſa illi tribuit omnino contraria. Denique ne huc innumera id genus exempla afferamus, conſtat, Conſilium Edeſſeni Regis, qui ulciſcendæ gratia mortis Chriſti, volvebat animo bellum indicere Judæis, Dupino videri conſilium *modicæ intelligentiæ*, *inſolitum*, *atque inſaniæ ſimile*, interim dum Tillemontius nihil horum in illo conſiderat, ſed contra *exquiſitum judicium*, *& pro Jeſu Chriſti gloria ardorem*, *quo ad pœnas ejus mortis repetendas impellebatur*.

At cur non liceret reſpondere; hæc adeo oppoſita judicia ex eo proficiſci, quod Critici noſtri facta in controverſiam adducta non uno aſpectu reſpiciunt; & propterea nihil prohibet, ſingula eſſe æque juſta & recta? Quod roborari poteſt egregio principio Autoris Libri inſcripti: *Inquiſitio Præjudiciorum vulgarium*. ** Principio, inquam, quo priori ſermoni ejus fundamentum ponit, nimirum: *Poſſe duas partes ſibi invi-*

* Referunt Acta iſtius Sanctæ, in Adriani edicto, adverſus Chriſtianos lato, juſſiſſe illum, extremo ſupplicio perimendum unumquemque, qui Chriſtianum aliquem occultaret. Porro Tertullus, cum ſatis habuiſſet, Sanctam Mariam flagellis cædi, aliiſque tormentis vexari jubere, neque illam ad Prætorem detuliſſet, ille idem delatus eſt, uti Edicti trangreſſor; & quamquam præclariſſimo genere & dignitate eſſet, difficillimum fuit ab ipſius capite hoc periculum propulſare, atque opus item fuit de his per litteras Imperatorem facere certiorem. Baluz. in Miſcell. Tom. 2. pag. 115.

** Conſilium ſuſcepit Autor hoc in Opere impugnandi ex vulgaribus præjudiciis nonnulla, quo mentem parare poſſet ad recte de omnibus ſentiendum. Novem Sermones digeſſit, Pariſiiſque edidit anno 1704.

tem repugnare, & de eodem argumento concertationem habere; & tamen utraſque jure & ratione non abſimiliter fulciri. Ita ſe prorſus habent quo ad nos humanæ cognitionis objecta, (verba ſunt ſcriptoris ejuſdem) non aliter atque proſpectus, quo ad eos, qui in illum ex varia loci acie intuentur. Nemo ignorat, qualibet vel minima mutatione loci, proſpectum hunc res diverſas omnino in oculos inferre, & dicere merito quem poſſe: *Hominem proſpicio*, dum alter veriſſime quoque teſtabitur: *Leonem proſpicio*.

Haud fere fecus P. Lamius argumentatur. „ In univerſum, inquit Benedictinus hic, ad Abbatem Brillonium * ſcribens, id facit, nos diſſimilia adeo judicia de eadem demonſtratione enunciare, ut quam tu „ *Sophiſmi, & Paralogiſmi* redarguis, eadem mihi accuratiſſima videatur, quod diverſimode rem attingimus; & ſane me fallit animus, aut hic eſt verus tot diſputationum fons, & quare in dies præſtantiſſimorum etiam Virorum judicia de eadem re concurrant contraria. Si uniuſmodi eſſet omnium conſideratio, fieri non poſſet, quin eodem quoque modo pronunciarent. Ex ſua quiſque parte jure & merito agit, atque in eo tantum peccant; quod putent, adverſarios ſuos eadem ex parte concertationis argumentum inſpicere, qua ipſi. Quapropter id primum animo verſare deberent diſputatores, ut perpenderent bona fide, utrum necne argumentum propoſitum uterque ex eadem parte intueatur, & operam darent, ut ſe mutuo ad eandem proſpectus aciem deducerent; at in eo vitium eſt, quod ſæpe bona fide laborant, & diſputantes ut diſputent, quandoque etiam ut excellant, nihil minus curant, quam invicem percipi. „ Hæc ſunt, aut ego fallor, quæ magis veri ſimilia afferri poſſunt ad purgandum Sapientum noſtrorum ſuper Hegeſippi narratione diſſidium. *Memm. Trevolt. menſis Jan. & Febr. 1701. pag. 191.*

Non eſt quidem hic locus excutiendi principium jactum ab Autore Libri: *de Inquiſitione Præjudiciorum vulgarium*. Dixiſſe ſatis ſit, hac ſemel admiſſa propoſitione, non videri, dirimi unquam poſſe litem aliquam inter homines exortam, neque certo cognoſci alicujus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ facti veritatem aut falſitatem: imo injuria ageret, quicumque controverſias tranſigere, & eventa definire vellet, quandoquidem adverſus rationem ſe moveret, quam utrimque æquam eſſe pro certo habet. Effici ſimiliter poſſet, alium, ſe in alia ſtatuentem proſpectus acie, quam ea, in qua ſe ſtatuit Autor Inquiſitionis Præjudiciorum, elicere conſecutiones poſſe iis, quas ipſe elicuit, omnino contrarias. *Ephemer ſapientum 23. Junii 1704.*

* Epiſtola P. Lamii Benedictini e Congregatione S. Mauri ad Abbatem Brillonium, Doctorem Sorbonicum pro Demonſtratione Carteſii de Exiſtentia Dei, ab illo Doctore oppugnata.

Cum fatetur P. Lamius, non decipi Brillonium, *Sophiſmi & Paralogiſmi* redarguentem Demonſtrationem Carteſii, * quæ ipſi accuratiſſima videtur; id propterea fit, quod Doctor in Quæſtione controverſa non attendit niſi id, quod minus præcipuum eſt, & rei caput prætermittit: contra vero Benedictinus hic id omne ſpeculatur, quod ad ejus ſtatum, ut ejus verbis utar, habitumque pertinet. Non eſt itaque mirum, utrumque æquam cauſam habere, cum Demonſtrationem iſtam unuſquiſque e loco, veluti ſuo aſpiciat, ſeque in diverſa proſpectus acie conſtituat.

Atqui multo aliter ſe res habet in eo, de quo exquirimus, S. Jacobi facto. Ut enim 1. judicium fiat de Hiſtoriæ hujus veritate, & decernat animus, ut illam ſive veram ſive falſam enunciet, non intereſt, illam nudam contemplari, atque in ſemetipſa, uti quædam Geometrica enunciatio, neque illam ita accipere, ut Demonſtratio Carteſiana ex eo accipitur, quod minus præcipuum eſt, rei capite prætermiſſo; aut, quod eſt caput, accepto, & minus præcipuis prætermiſſis: ſed circumſpicienda ſunt adjuncta omnia, quæ narrationem hanc comitantur, ſive intima ſint, ſive externa. Ea voco adjuncta intima, quæ ad ipſum factum ſpectant, illa vero externa, quæ perſonas attingunt, quorum teſtimonio ad eventum illud credendum inducimur. Quo poſito, ſi hujuſmodi ſunt omnia hæc adjuncta, ut nunquam, aut raro admodum contingat, ſimilia adjuncta cum falſitate coire, mens noſtra ſuapte vi ad habendam fidem de illius veritate traducetur. Quod ſi contra adjuncta hæc talia non ſint, ut quam ſæpiſſime cum falſitate non ineant ſocietatem, poſtulat ratio, aut nos hærere in ancipiti, aut falſum exiſtimare quod dicitur; ubi non apparet unde ſit verum, quamquam manifeſte fieri non potuiſſe haud intelligamus.

Ars cogitandi pag. 4. 6. 13. pag. 454.

2. Non eadem eſt ratio de facto hiſtorico, quoad Criticos de illo judicaturos, atque de proſpectu aliquo quoad eos, qui in illum ex diverſa loci acie intuentur. *Nemo ignorat, qualibet vel minima mutatione loci, proſpectum hunc res omnino diverſas in oculos inferre, & dicere merito quem poſſe: Hominem proſpicio, dum alter veriſſime quoque teſtabitur: Leonem proſpicio.* Neque enim integrum eſt iis, qui factum exami-

* Hic eſſertur Demonſtratio. „Quod „ clare percipitur comprehendi in „ alicujus rei ſpecie clara, diſtincta, „ ſimplici, naturali, neceſſaria, & „ immutabili, poteſt vere & conſtanter ad rem illam referri. Atqui clare percipimus; *Exiſtentiam* „ neceſſariam & æternam comprehendi in ſpecie Dei; hancque eſſe „ claram diſtinctam, ſimplicem, naturalem, neceſſariam & immutabilem. Vere igitur poteſt ad Deum „ referri *Exiſtentia* neceſſaria & æterna.„ Logicorum eſto, diſquirere, utrum ad eorum Leges exacta ſit hæc Demonſtratio, atque an Dei exiſtentiam citius ponat, quam probet.

nant

nant, aſpectus aciem pro arbitratu ſeligere, aut locum mutare; ſed oportet eos in eodem, ut ita dicam, ſitu conſiſtere, hancque ipſis objectam rem ex ea perluſtrare parte, quam indicant Criticæ Leges, quæ non aliæ ſunt, quam a nobis adductæ, aut eodem ferme omnes recidunt. Hic jam quæro: qui fieri poteſt, tot ſapientes Criticos univerſa cum intima tum externa Hegeſippi Narrationis adjuncta penſitaſſe, dum in ipſorum judicio prodigioſam adeo diſſenſionem comperimus?

Non crediderim, Criticos, ut ſuam ſuper Hegeſippi Hiſtoria diviſionem excuſent, non ſecus atque ſuper aliis Hiſtoricis narrationibus, in medium allaturos principium Autoris de *Problematibus Philoſophicis expoſitis ſuper origine diſtractarum opinionum Hominum*. Carteſius, inquit Scriptor hic, dubitavit, num ſenſus unicuique hominum res objectas eodem prorſus modo referant. Iccirco autem dubitavit, quod cum ſenſus, tum illorum actus ita invicem differre debeant, ut ſingularis hominis temperatura. Cum itaque ſenſus noſtri traducant pene uſque ad animos impreſſiones varie temperatas, mentes noſtræ, quæ ſpecies ſuas ex his impreſſionibus effingunt, non percipiunt accurate eademque ratione ſenſibiles qualitates. Propterea aliquod ſemper diſcrimen eſt ex parte rei objectæ inter ſpecies, quas animo informamus, ſive iſtæ ſimplices ſint, ſive ex aliis confectæ. Ex quo colligere videtur Autor, inde eſſe repetendam cauſſam, * quare ferme nunquam Philoſophi de rebus Phyſicis conveniant. *Monum. Trevolr. Menſis Julii & Auguſti 1701. pag. 190.*

Quamquam id ultro daremus, autoritatem & conjecturam, quoties factum aliquod hiſtoricum critica lance ſuſpendendum eſt, ita ferme afficere ſenſus noſtros, ut res objectæ ſenſibiles: Licet verum eſſet, ſenſus noſtros ſimiliter traducere pene uſque ad animos impreſſiones varie temperatas, menteſque noſtras, quæ ſpecies ſuas ex his impreſſionibus effingunt, non ſatis accurate, eademque ratione percipere argumenta, ex teſtimonio, atque ex conjectura petita: eſt ſane cur mihi videar videre, nunquam fore, ut Critici confiteantur, diverſas ſententias, in quas de factis hiſtoricis diſtrahuntur, a varietate diſpoſitionis organo-

* Exiſtimavit Autor quidam, unam diſpoſitionis organorum varietatem non eſſe in cauſſa, cur diſcrepent hominum opiniones, ſed alias quinque ſuperaddendas eſſe. Aſſerit igitur, homines crebro diverſa opinari de re eadem. 1. Quod varie alti ſint atque educati. 2. Quod diſſimilibus animi affectionibus agitentur. 3. Non æque ſolertes ſint. 4. Neque item ſtudioſi. 5. Neque demum eadem ratione utantur. *Epiſtola Philoſophica de variis argumentis Ep. 1. Trevoltii 1703.* Gall. Quare autem quatuor hæ res poſtremæ in unoquoque homine eædem non ſunt? nunquid non id ex varia oritur organorum temperatione? Prima pariter, quam affert hic Autor, cauſſa ruere videtur. Conſtat nanque, multos iiſdem monitis imbutos ab infantia, diſſimillime de iiſdem rebus ſententiam dicturos; alios contra non eadem diſciplina utentes, in eaſdem tamen opiniones deſcendere.

rum proficiſci. Id enim eſſet concedere, Criticam facultatem minus ex inſtitutis optimi judicii, quam ex corporum temperatione pendere, & conſecutione neceſſaria dicere opus eſſet, Criticos de factis Hiſtoricis ex corporis affectionibus judicium ferre, atque huic citius quam alteri ſententiæ aſſentiri, quod ita poſtulent eorum organa, hac vel illa ratione diſpoſita. Et propterea Critici argumentorum vi, quam vel ex autoritate vel ex conjectura depromunt, haud ferrentur, ut huc potius vergerent, quam illuc.

Quamobrem ſi purgari nequit Criticum de narratione Hegeſippi, aliiſque factis, diſſidium exemplo Artis proſpiciendi, aut Demonſtratione Carteſii: ſi variæ eorum opiniones referri nequaquam poſſunt in organorum varietatem; ſique contendunt ipſi præjudicia, impudentiam, præoccupationem, aut id genus affectiones nihil ad tantam ſententiarum diverſitatem contuliſſe; æqui bonique faciant, ſi audeamus credere, ipſorum diviſionem ſuper iiſdem factis, eadem adjuncta afferentibus, non poſſe aliunde originem ducere, quam ab inconſtantia & levitate Regularum Magnæ ipſorum Artis, aut ab illarum uſu pravo & adulterino.

ARTICULUS V.

Videntur Critici Magnæ illorum Artis Uſu obumbraſſe magis, & implicaſſe pleraque graviora Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facta, quam ea illuſtraverint, & explicaverint.

CRitici homines, ſive aſtruere caput Hiſtoriæ aliquod, ſive deſtruere velint, tot congerunt conjecturas, ſimilitudines veri, acumina, & circuitus, ut difficillimum ſit, inter tot eruditionis & Critices veluti impedimenta, narrationis alicujus aperire veritatem aut falſitatem, aut illum, quo affici poteſt, probabilitatis modum. Inter innumera exempla, quæ promtum eſſet huc afferre, præ aliis unicum duntaxat amplector.

Adhuc exeunte circiter Sæculo XVI. terebat opinio, univerſis acceptiſſima, Fidem Chriſti invectam in Gallias fuiſſe, ſive ab Epiſcopis per Apoſtolos miſſis, ſive a S. Clemente Summo Pontifice. Primus eorum, qui adverſam ſententiam in aliquo lumine prodidit, Faber fuit, e vivis ereptus anno 1612., & Ludovici XIII. præceptor, contendens, S. Dionyſium

nyſium Pariſienſem alium fuiſſe ab eo, quem S. Paulus chriſtiana fide initiavit, & neminem ante Carolum Magnum hac de re dubium fuiſſe. Sententia hæc multos habuit præteriti Sæculi ſectatores; dum ceteri hodierna quoque die vetuſtæ in rem hanc opinioni adhærescunt. At quamquam utrimque nihil prætermiſerint eorum, quæ Critice exquiſitiſſima poterat ipſis in memoriam revocare, negotium fortaſſis hoc hactenus ita minime illuſtrarunt, ut præſtolari quiſque ex eorum labore debebat, atque ex Regularum Uſu magnæ illorum Artis, quam adeo magnificant.

Autores * novæ Epochæ, quos deinceps brevitatis gratia *Gregorienſes* ** nuncupabimus, opinantur, S. Saturninum Epiſcopum Toloſanum, S. Gatianum Epiſcopum Turonenſem, S. Trophimum Epiſcopum Arelatenſem, S. Paulum Epiſcopum Narbonenſem, S. Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem, S. Auſtremonium Epiſcopum Alverniæ, & Clermontii ab VIII. Sæculo, & S. Martialem Epiſcopum Lemovicenſem in Gallias iviſſe tempore Decii Imperatoris ad annum 250.; ut Jeſu Chriſti Fidem, ab interitu Irenæi pene intermortuam, in iis regionibus conſtituerent.

Alterius ſententiæ propugnatores, *** quos omnes uno **** *Areopagiticorum* nomine comprehendemus, aſſerunt, Galliarum Apoſtolum non differre a Dionyſio Areopagita, S. Pauli Diſcipulo; alioſque Epiſcopos, qui comites ipſi adjunguntur, in Gallias ablegatos a S. Petro, vel Clemente fuiſſe, ibique, ineunte altero Eccleſiæ Sæculo, Vitam Chriſto dediſſe.

Non eſt hic ſermo de opinione Autoris novæ Diſſertationis, editæ Toloſæ anno 1703. *de tempore quo Chriſtiana Religio in Galliis radices egit:* Ex parte nanque in Gregorienſium ſententiam recidit, iiſdemque ferme utitur probationibus. Scriptor hic affirmat, non quidem priori, ſed altero Eccleſiæ ſæculo, Chriſtianæ Religionis in Galliis poſitum fuiſſe fundamentum, quo impoſterum pene diruto, medio III. ſæculo inſtauratum eſt. Per hunc itaque S. Dionyſius, aliique ſex Epiſcopi non ſunt dicendi Apoſtoli Galliarum, ſed Religionis noſtræ in illis Provinciis *Inſtauratores*; extiterantque multo ante Evangelii Prædicatores, qui per illa loca Fidem nunciaverant.

Habes argumentum Diſputationis illius, quæ tot Opera ſæculo præte-

* Launojus, Tillemontius, Dupinus, Bailletus, Sirmondus, aliique.

** Cum Scriptores iſti quandam ex præcipuis probationibus e Gregorii Turonenſis teſtimonio delumant, viſum eſt, apte vocari *Gregorienſes* poſſe.

*** De Marca, Dadinus Altiſſera, Patres Milletus, Menardus, Chifſletius, Alexander, aliique.

**** *Areopagiticorum* vocabulo intelligimus eos, qui propugnant, Sanctum Dionyſium Areopagitam primo ſæculo in Gallias profectum eſſe, & priorem Epiſcopum Pariſiorum fuiſſe.

rito

rito in lucem educenda curavit. Noſtra intereſt in præſens oſtendere, qua via inceſſerint cum *Gregorienſes*, tum *Areopagitici*, ut opiniones ſuas tuerentur, & expendere, quam lucem huic materiæ attulerint. Præter communes Critices Regulas, quas utrique commode in rem ſuam adhibuerunt, alias rationes amplexati ſunt, propriæ ſtatuendæ opinioni, exterminandæque adverſariæ: rationes, quæ fortaſſis iis omnibus non arridebunt, qui citra ullam animi præoccupationem pronunciant.

§. I.

RATIO PRIMA.

Omnem, quam poſſunt maximam, exiſtimationis famam iis parere, qui ſecundum ſe dicunt, ipſorumque menda purgare: de adverſariis autem per contemtum loqui, eorumque vitia oſtentare.

EFfatum hoc, quod genus quoddam efficit loci Criticis Scriptoribus communis, ad majus pondus ſententiæ ſuæ tribuendum, præoccupandumque Lectoris animum, non eſt ſane in re præſenti prætermiſſum. » Sanctus Sulpicius Severus [verba ſunt Tillemontii, quibus ad controverſiam iſtam aggreditur] antiquiſſimus Scriptorum, qui extant, cujus non eſt, cur teſtimonium rejiciamus, non modo propter antiquitatem ſuam, verum quod ſæculo nobilitate atque opibus, Eccleſiæ vero Sapientia & pietate conſpicuus fuerit. Sequimur etiam, ſubjungit, S. Gregorium Turonenſem quoad Tempus Miſſionis S. Dionyſii aliorumque, non quod ſit tutiſſimus Autor, ſed quod melior & vetuſtior iis, quotquot ſuper ea re ſuperſunt. Cadit percommode, cum eum Sulpicio Severo non certare, & poſſe iis congruere, qui Dionyſium, ſub Diocletiano collocare videntur. Alverniæ ortus erat, Epiſcopus Turonenſis, Lemovicio proximus, & Pariſiis frequens. Non potuit itaque ignorare quatuor iſtarum Eccleſiarum fidem de iis, qui Religionem in eas intulerant.

Tillem. Tome 4. Art. 1. de Sancto Dionyſ. pag. 439.

Ibidem annot. 2. in S. Dion. pag. 708. Cointius Ann. Francorum ad annum 8aq.

Addunt pariter pro duobus iſtis Hiſtoricis, eos produxiſſe nihil, quod certiſſimum videri non poſſit; quandoquidem prior declarat, ſe ex optimis Monumentis Hiſtoriam ſuam confeciſſe, nihilque in præteritis reliquiſſe, ut evaderet accurata: alter vero adventum ſeptem Epiſcoporum in Gallias non retulit, niſi fide Scriptoris Actorum S. Saturnini, quod monumentum totius autoritatis habendum eſt, utpote labente circiter ſæculo IV. conſcriptum.

Launo-

Launojus typis Pariſienſibus commiſit anno 1651. Opuſculum adverſus Autorem de Geſtis Epiſcoporum Cænomanenſium, tribus conſtans Diſſertationibus. Priores duas univerſas refert ad purganda, ut maxime poteſt, errata omnia, de quibus Sulpicius Severus & Gregorius Turonenſis inſimulantur. Congeſſit quæcumque Scriptores multi, cum veteres, uti Prudentius, Fortunatus aliique &c. tum recentes, uti Faber, Bellarminus, Petavius, Joſephus Scaliger &c. ſcriptis tradiderunt in exiſtimationis, qua Patres ipſos proſequebantur, argumentum; nihilque ipſi excidit, ut ipſorum autoritatem amplificaret. Sirmondus ipſe exordium fecit Diſſertationi ſuæ de Diſtinctione duorum Dionyſiorum a commendatione Sulpicii Severi, quem vocat *teſtem gravem*, *rerum noſtrarum autorem peritiſſimum*; & deinceps Gregorii Turonenſis fidelitatem laudibus celebravit. *cap. 1. & 4.*

Poſtquam Gregorienſes viribus omnibus incubuerunt, ut vim adderent teſtimonio Vadum Sententiæ ſuæ, operam convertunt ad detrahendum de fama Visbii, & Hilduini, qui duo ſunt adverſantis opinionis fundamenta. „ Hilduinus, inquit Dupinus, qui ante omnes * memoriæ prodidit, S. Dionyſium Galliarum Apoſtolum Areopagitam eſſe, Autor eſt fabularum conſarcinator, qui falſa multa recitat, producitque Scriptum quoddam manifeſte ſuppoſititium cujuſdam nomine Visbii. Huic miſerando Scriptori fidit eorum opinio, qui duos Dionyſios confundunt. „ Nihilo honorificentius de Hilduino meminit Tillemontius. Abbas hic eſt inquit, Regni adminiſter, ſatis indoctus, aut audax, qui *Dupinus Biblioth. Tomo 1. pag. 112. col. 2.* *Tillem Tomo 4. Diſſert. de Sulp. Sev. obſerv. 6.*

* Anno 824. ſive 825. Galliarum Antiſtites conventum coegerunt Pariſiis ſuper Quæſtione de Imaginibus. In hujus Concilii Actis hæc verba leguntur. *Nec vobis tædium fiat ſi ad oſtendendam rationem veritatis, veritatemque rationis, ſeſe paulo longius ſermo ſubtraxerit: dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus noſtris uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, Beato Dionyſio ſcilicet, qui a S. Clemente in Gallias cum duodennario numero primus prædicator directus, & poſt aliquod tempus una cum ſociis, huc illucque prædicationis gratia per idem regnum diſperſis martyrio coronatus eſt.* Animadvertendum eſt. 1. Synodum hanc peractam fuiſſe decimo poſt Caroli Magni obitum anno, & antequam Hilduinus *Areopagitica* ſua lucubraret. 2. Hanc fuiſſe Traditionem vetuſtiſſimam & tutiſſimam, *quæ ab antiquis Patribus uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt*. Id apprime concinit per Mabillonium Officio Eccleſiæ, quod conſuetudine receptum erat temporibus Caroli Calvi, & in die S. Dionyſii recitabatur. In priori antiphona Horarum Matutinarum, & tertio tertii Nocturni *Reſponſorio* hæc verba ſunt: *Beatiſſimus Dionyſius Chriſti Martyr, tradente B. Clemente, parturienda Gentibus ſemina divina ſuſcepit.* Hoc officium idem eſt, atque illud, quod reperitur in *Antiphonario* Gregoriano, quod Carolus Calvus litteris aureis exarandum curavit pro *Abbatia* Sancti Cornelii Compendienſis. Nemini dubium eſſe poteſt, inquit Mabillonius, Officium hoc in Eccleſiis Galliarum multo ante receptum fuiſſe; idemque conſtanter probat, Hilduinum Officium hoc conficere non potuiſſe. Mabillon. Tomo 1. veter. Analect. pag 64.

Hiſto-

Hiſtoricis celebrioribus, Scriptoribuſque clarioribus imponat ..... Areopagitica Hilduini Liber ſunt fabulis redundans. Haud abſimiliter de eo perhibent Launojus, Bailletus, Sirmondus aliique *Gregorienſes*. Launojus denique gravia menda plura in Hilduini ** Tractatu redarguit, quæ non multum nominis afferunt autori ſuo.

Baill. Tab. Crit. 9. Octobr. pag. XX. Sirmondus ubi ſupra a c. 4.

Critici ſapientes, qui adhuc a vetuſtis opinionibus non receſſerunt, veſtigia plane adverſa figunt *Gregorienſibus* in effati hujus Uſu. Ante oculos ſtatim ponunt Hilduinum, tamquam Virum nobilitate, officiis, & moderatione præſtantem. Ipſam ejus pietatem extollunt, nihilque eorum miſſum faciunt, quod eum exiſtimatione dignum reddere poſſunt, ejuſque fidelitatem roborare & accurationem in iis, quæ de S. Dionyſio Gallorum Apoſtolo memoravit. Scribunt, eum nuncupatum a Lupo Abbate Ferrarienſi fuiſſe Epiſtola 100. Eccleſiarum Magiſtrum, atque ab aliis. *Magnum Aaronem, cuius nitor morum cum ſenſus probitate commendatur*. Menardum non fugit Elogium, quod Papyrius Maſſonius habet de Hiſtoria S. Dionyſii, ab Hilduino conſcripta. *Hæc*, inquit, *ex Lisbii Hiſtoria Hilduinus refert in Dionyſii vita, qui Libellus propter variam Eruditionem poteſt cuivis Docto placere*. Mabillonius narrat præfationem laudis qua utitur Agobartus Epiſcopus Lugdunenſis, Hilduinum vocans *Sanctiſſimum ac Beatiſſimum*.

Alexander ſæc. 3. Tomo 2. Diſſert. 15. pag. 10. Milletus, Menardus &c.

At per eos adjuncta non levi autoritate Hilduino, toti ſunt Areopagitici in autoritate imminuenda Autoris Actorum S. Saturnini, S. Sulpicii Severi, & S. Gregorii Turonenſis. Scribunt, priorem *fidem non mereri*, duos alios in Hiſtoria minus eſſe accuratos, & plus ſatis credulos; nec non in multa gravia errata incidiſſe, * cumque fieri non poſſit, ut inter

Alexander ubi ſupra. Menardus ibidem. Millet. in Reſp. ad cap. 2. §. 8. item in reſp. ad cap. 2. §. 1.

** Launojus exprobrat Hilduino. 1. Quod dixerit, S. Dionyſium Areopagitam generoſa ſtirpe profectum, doctiſſimumque Philoſophum fuiſſe *Actuum Apoſtolorum teſtimonio*. 2. Quod eum appellaverit *Jonem cum agnomine Chriſtiano Macarium*, *Archiepiſcopum*, *Galliarum Apoſtolum conſtitutum*. Quod excogitaverit Epiſtolas multas nominibus Pontificum Summorum, Innocentii, Gelaſii, & S. Gregorii, ad Epiſcopos Galliarum datas, aliaſque Antiſtitum Gallorum ad Pontifices iſtos reſcriptas de celebratione Miſſarum in Galliis ea ratione, quæ Romæ in more poſita erat. 4. quod Clementem Papam induxerit, citantem Vulgatam in quodam colloquio, cum S. Dionyſio habito. 5. Quod dixerit, Urbem Pariſiorum, ſæculo primo, fuiſſe *Sedem Regiam*, *& conventu Gallorum ac Germanorum*, *& nobilitate pollentem*. 6. Quod meminerit Dalmaticæ S. Eleutherii, quæ non eſt tradita Diaconis utenda ante S. Sylveſtrum. Denique, quod nuncupaverit S. Ruſticum Archipresbyterum &c. Launojus de duobus Dionyſiis Diſcuſſ. cap. 8. pag. 112.

* Ferunt, tradere Sulpicium eodem, quo de Galliarum Martyribus loquitur, loco. 1. Neronem Antichriſtum eſſe, qui ſub Mundi finem venturus eſt. 2. Juſſiſſe Titum, incendio abſumendum templum Hieroſolymitanum. 3. Trajani imperium manaſſe, & Chriſtiani venarantur. 4. Maximini perſecutionem non fuiſſe uni-

ces

cos de hoc facto conveniat, dignos non eſſe, quibus autoritas in iis, quæ tradunt de primis Martyribus, & ſeptem Galliarum Epiſcopis, tribuatur.

In effatum primum, quod adhibent Critici, ut famam Autoribus augeantur, qui favent ipſis, detrahant vero aliis, qui adverſus eos pugnant: de quibus duo animadverto. Primum, non modo ſuper hac quæſtione, ſed ſuper plerique factis hiſtoricis, ut alibi exempla dedimus, hac ſe gerere Criticos ratione.

Alterum ad id pertinet, quod ſibi mutuo exprobrant Critici, cur hac ſe gerant ratione, & rei injuſtitiam oſtendere ſtudent. Patres Menardus & Milletus conqueruntur de Launojo, deque nonnullis aliis *Gregorianis*, quod vehementius in Hilduinum locuti ſint, ipſius errores collegerint; eaque ſcriptis tradiderint, quæ tanti Abbatis nomen poſſunt funditus exterminare: quod formulis dicendi vagis in illum ferantur, quoties ex. gr. affirmant, miſerandum illum Autorem eſſe fabularum & mendaciorum plenum, non audiendum, nulloque numero in is, quæ narrat.

Menardus ibidem cap. 18 pag. 201.

Nunquid te latet, ait Menardus, ſermonem ad Launojum dirigens, ejus Scriptoris autoritatem hebeſcere, qui hujuſmodi paret effato? Nos docent Polybius, Cicero, Lucianus, aliique bene multi, id præcipue, & ante omnia Autoribus, cavendum eſſe, ne animi affectionibus implicentur, ipſiſque quæcumque præjudicia eſſe abjicienda, quæ amor aut odium ſufficere poſſent, tum quoad Autores ſuos, tum etiam quoad adverſarios. *Omnis amoris & odii affectu ſeu erga ſuos, ſeu adverſarios.*

Menardus ibidem pag. 202. in Præf. de duob. Dionyſiis.

Launojus quoque idem vitio vertit Milleto Menardo, & Autori de Geſtis Epiſcoporum Cænomanenſium. Expoſtulat cum ipſis, eos coacervaſſe nonnulla Sulpicii Severi & Gregorii Turonenſis menda, & velle locis iſtis communibus duorum Sanctorum iſtorum teſtimonium ſuper aliis Hiſtoriæ capitibus violare. „ Sed quæſo attendant animo, exclamat Launojus, quo via hæc eos ducat. „ *Exhibeant nobis, ſi poſſunt, ſimile quid unquam, non dicam a Chriſtianis, vel Hæreticis, ſed etiam a Gentilibus attentatum fuiſſe: Ac proinde nullos unquam futuros eſſe cordatos atque eruditos homines, qui tam perniciosum exemplum, & adeo perverſam ſcribendi methodum imitentur.*

Launojus Diſſertat. de Sulpicio Severo, & Gregorio Turonenſi obſerv. 2.

verſalem. 5. eamque Licinii exiguam adeo, ut immerito perſecutionibus annumeretur. Alex. ſupra Diſſert. decimaquinta concl. 2. ad 1. Objectum. Menardus ibidem cap. 1. Millet. &c.

Contendunt, S. Gregorium Turonenſem lapſum fuiſſe. 1. Cum Martyrum Athanacenſium mortem collocat poſt interitum S. Irenæi. 2. Cum ſub Decio Imperatore Sanctorum Laurentii, Sixti, & Hyppoliti Martyrium refert. 3. Cum ſibi perſuaſit, Valentinianum Hæreſiarcam, Hæreticum toti antiquitati ignotum, errores ſuos vulgaſſe tempore Decii. Denique cum Novatiani Hæreſim ſub eodem Imperatore poſuit &c. Alexander ibidem, Menardus cap. 4.

 §. II.

§. II.

RATIO ALTERA:

Opera nonnulla admittere tamquam bona, legitima, & argumenti loco futura, cum favent rei ſuæ, eadem vero repudiare, veluti corrupta, ſuppoſititia, nulliuſque autoritatis, ſi quando ipſis nocent.

UT nemo ſuſpicetur, nos imponere Criticis, cum ipſis hoc pronunciatum tribuimus, ſatis erit in medium afferre teſtimoniorum illorum aliqua, quibus vel ad propugnandum, vel expugnandum factum, quod excutimus, utuntur.

Areopagitici multa efferunt autoritate Actorum S. Genevieſæ, ex iis, quæ dicit Fortunatus in Hymno in obſequium S. Dionyſii; ex vetuſto Martyrologio Romano, S. Hieronymo tributo; ex aliis Venerab. Bedæ, Uſuardi, Adonis, aliorumque multorum; ex Actis S. Fuſciani, ex Hiſtoria S. Luciani Bellovacenſis &c. Gregorienſes contra eadem monumenta pro ſua opinione ſtare confirmant. Verum quando ea citant *Areopagitici*, tum contendunt autoritate eſſe prædita, ſincera, germana; quoties autem iis utuntur *Gregorienſes*, toties monumenta vitiata ſunt, & ſuppoſita. Non abſimiliter loquuntur *Gregorienſes* de iis Operibus, quæ aut ſuam, aut adverſariorum cauſam defendunt.

Launojus dat operam ex. gr., ut oſtendat, S. Dionyſium, a Pontificibus in Gallias miſſum, Areopagitam non eſſe; quoniam tribui non poſſunt, niſi S. Dionyſio Eccleſiæ Pariſienſis inſtitutori, quæ dicuntur, cum nimirum Roma veniſſe aſſumtis in ſocios S. Fuſciano, S. Victorico, S. Creſpino & Creſpituano, S. Rufino, S. Valerio, S. Luciano Bellovacenſi, S. Regulo Auguſtomagenſi, S. Quintino, S. Piatone, & S. Marcello. Launojo hæc ſunt hujus facti argumenta. 1. Acta S. Piatonis, plane indicantia, eum Roma cum S. Dionyſio, aliiſque ſociis veniſſe. 2. Innititur Hiſtoriæ Sanctorum Fuſciani & Victorici, & denique S. Luciani Bellovacenſis, cujus poſtremæ tria producit exempla Mſ., nimirum illud, quod in Eccleſia Pariſienſi, aliaque duo, quæ in Bibliotheca Rhotomagenſi ſervantur.

Apud Alex. ſac. 1. ubi ſupra objeſt. 4. pag. 55.

Quibus reſpondent *Areopagitici*, Acta S. Piatonis corrupta eſſe; Hiſtoriam Sanctorum Fuſciani & Victorici interpolatam, atque in germanis Sanctorum iſtorum Actis, quæ refert Codex Mſ. Bibliothecæ S. Germani Pratenſis ſeptingentis annis vetuſtior, videre non eſſe nomen S. Dionyſii, neque

Alex. ibidem pag. 56.

neque eorum, qui erant ipſi in Societatem juncti. Quidam demum contendunt, in Hiſtoria S. Luciani Bellovacenſi, a Launojo laudata, legi, S. Virum hunc in Gallias ablegatum cum S. Dionyſio tempore Juliani Imperatoris, quod aperte toto errat oſtio; alii vero, ſiſtendum potius eſſe in Vita S. Luciani in Monaſterio Bellovacenſi aſſervata, ejuſque nomine ſignata, quam omnibus aliis MSS., a Launojo memoratis.

Verum cum pro ſe *Areopagitici* his quoque a Launojo adductis Operibus indigeant, quamquam ea amandaverint non verentur ex iis argumenta ſuæ opinioni firmandæ comparare. Auctoritate ducti Actorum S. Piatonis, inquiunt, S. Dionyſium Gallias non petiiſſe tempore Maximiani, adduntque præſidio Hiſtoriæ Sanctorum Tuſciani & Victorici, S. Dionyſium eos ſibi non adſciviſſe ſocios, quos ipſi tribuunt; denique S. Luciani Bellovacenſis Acta proferunt, quo oſtendant, non fuiſſe a S. Clemente Dionyſium in Gallia ablegatum.

Apud Menard. Diatriba de Unico Dionyſ. c. 6. pag. 97. & ſeq. Alex. Diſſert. 15.

Porro Launojus, qui ratum habebat univerſa hæc, a ſe tamquam optima recitata monumenta, ſibi uni opportunitates afferre, calculum ſubducit, ubi in illum eadem jaciuntur; neque dubitat palam facere MSS. de Geſtis S. Piatonis vitiata eſſe; Autorem SS. Fuſciani & Victorici miſcere non modo tempus adventus Sociorum S. Dionyſii cum tempore eorum mortis, quæ quinquageſimo contigit anno, poſtquam eo venerant, ſed Epocham quoque Martyrii ipſorum cum Epocha eorum in Gallias Miſſionis; poſtremo S. Luciani Vitam a deceptore quodam fuiſſe adulteratam.

Launojus de duobus Dionyſ. Diſcuſſ. c. 6. pag. 87. & ſeq.

Ex ſolidioribus Alexandri momentis, quibus probat, a S. Clemente in Gallias miſſum Dionyſium, illud eſt, quod depromit e Martyrologio Ven. Bedæ, in quo hæc leguntur. *Apud Pariſium Natalis SS. Martyrum Dionyſii &c. qui Beatus Epiſcopus a Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operam populis a fide alienis exhiberet.* Occurrit huic teſtimonio Launojus, locum hunc Bedæ Textui ſuperadditum, atque ab aliqua impudenti manu depravatum. Quapropter ea mente eſt, aliud extare Martyrologium, a Beda nuncupatum, atque ante annos quingentos ſcriptum, incorruptum adeo, certæque autoritatis, ut putaverit, ſe poſſe illo uti ad demonſtrandam Areopagitæ Dionyſii a Pariſienſi diſtinctionem, & tertiam opinionis ſuæ probationem conficiendam.

Alexander ibidem prob. 6. pag. 24. Menardus.

Launojus ubi ſupra pag. 100.

Interea Alexander, qui alterum argumentorum ſuorum in Bedæ Martyrologio poſuerat, Launojum retundit, cauſſatus, duorum Dionyſiorum diſtinctionem in germano Bedæ Martyrologio haud reperiri; abeſt enim ab eo, quod citat Cardinalis Baronius, licet vetuſtiſſimum, atque ab alio in Monaſterio S. Cyriaci aſſervato, quod ſummæ autoritatis eſſe exiſtimatur. Critici vero iſti idem præſtant de Actis S. Genevieſæ, de Martyro-

logiis Uſuardi &c. Qua de re monumenta iſta tum bona creduntur, cum ab eis ſunt; quod ſi adverſus eorum ſententias afferantur, corrupta continuo ſunt & interpolata.

Quamvis autem huic effato obtemperent Autores iſti, non eſt tamen, quod illud invicem non reprehendant. Launojo nanque colligenti pleraque Eccleſiarum Gallicarum Martyrologia, duos Sanctos Dionyſios diſtinguentia, Milletus, poſtquam illorum teſtimonium pro viribus elevavit; *Apud Menard. Diatriba de unico Dion. c. 7. pag. 123.* hæc addit: *Nulla Martyrologia ad nos, niſi corrupta perveniſſe*. Cumque idem Autor aliunde plura uſurpaverit Martyrologia, quæ de unico Dionyſio meminerunt, illum carpit Launojus his verbis: *Tunc corrupta ſunt Martyrologia, quando nocent; incorrupta quando non nocent*. Quod pariter in Launojum regerit Menardus. Quoties Hiſtoria SS. Fuſciani & Victorici, nec non S. Piatonis Acta teſtantur, S. Dionyſium, ejuſque ſocios ad Gallias acceſſiſſe ſub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, toties Launojo monumenta hæc evadunt corrupta, quippe ſenſis ejus oppoſita: *corrupta quia nocent*. Verum nunciant hæc Opuſcula, Sanctos iſtos Martyrium ſubiiſſe, Imperatoribus iſtis Chriſtianos infectantibus: quoniam hæc Epocha ipſius opinioni reſpondet, tum firmæ autoritatis monumenta ſunt: *incorrupta quia non nocent*. Quod vetuſta Martyrologia, [ſequitur idem Benedictinus] referant, a S. Clemente Dionyſium in Gallias miſſum, exclamat Doctor hic, ab impudenti manu fuiſſe vitiata: *corrupta, quia nocent*. At præferunt ne, Sanctos Dionyſios duos extitiſſe, & Pontificibus vendicant ne Martyrologia S. hujus Epiſcopi Miſſionem: quod ipſi ſuffragantur, deſinunt interpolata eſſe & corrupta: *incorrupta, quia non nocent*.

§. III.

RATIO TERTIA.

Improbant Areopagitici argumenta omnia Gregorienſibus probata; hi vero illis par referunt pro pari; tum ab autoritate, tum a conjectura ſumantur hæc utriuſque partis momenta. Diſquiritur, unde mutua hæc oppoſitio oriri poſſit.

Ambarum opinionum Scriptores eo Libros ſuos onerarunt numero probationum, conjecturarum, & reſponſionum, tum confirmandæ gratia ſententiæ ſuæ, ſuarumque rationum, tum etiam infirmandæ contrariæ, ſuorumque argumentorum, ut ad infinitum pene abiret, quicumque ad ſe traduceret, omnia ſuper hac re Critices acumina accurate deſcribere. Satis ſit dixiſſe, eos in rem hanc Volumina integra lucubraſſe. Quod

Quod autem mirum eſt, in hac multitudine locorum e Scriptoribus decerptorum, conjecturarum, factorum, & reſponſionum utrinque productarum, vix unum invenies teſtimonium, quod per eos ab opere ſpurio, vel corrupto, vel detorto, vel ad rem inepto, non manaverit. Nulla item conjectura eſt, quæ videatur ipſis probabilis, nullumque factum, quod amplectantur. Super quibus adeat qui velit Opera aliqua hac de re typis commiſſa.

Sirmondus, erudita Diſſertatione adverſus veterem Epocham confecta, ſectatorem habuit conſilii ſui Bouſquetum in priori ſua Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Gallicanæ parte. Duos iſtos ſcriptores adorſus eſt P. Milletus edito Opere de adventu S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias, eique præſidio fuere De Sauſſay, nonnullique alii. Amici Sirmondi his duabus Epiſtolis reſponderunt. Launojus quoque in arenam deſcendit, & Sirmondo adſtipulatus, eum conatu omni defendit. Iterum Milletus Sirmondo repoſuit; quod ægre ferens Launojus, prodiit rurſus in Milletum alio Opere inſcripto: *Reſponſionis ad Diſſertationem de duobus Dionyſiis diſcuſſio. Pariſiis* 1643., adverſus quod ſurrexit Menardus in ſuo Tractatu. *De unico Dionyſio*. Pariſiis 1643. Præter iſtos alii hanc aciem ſcriptis publicis ſunt ingreſſi, quos inter De Marca Autor de Geſtis Epiſcoporum Cænomanenſium, Chiffletius, Alexander, aliique ex utraque parte bene multi, qui mutuo dicta a ſingulis refutarunt. Porro extra ullam dubitationem eſt, ſi autoritates omnes, conjecturæ, argumenta reſponſiones, & facta utrinque producta colligerentur, infinitum pene numerum hæc univerſa effectura; Verum ponamus ea tercenteſimum non prætergredi. Ex trecentis itaque ex. gr., quas *Areopagitici* urgent, probationibus, nulla eſt, quæ a *Gregorienſibus* non rejiciatur; atque ex adverſo non reperias ex trecentis, ab his adductis, quam in illorum reſponſa valere arbitrentur illi. Certiſſimum id ſaltem eſt, vix unam repertum iri, quæ apud adverſarios male non audiet.

Fatendum itaque erit, Criticen magnam habere diſſolvendi vim. Quid ita? Ergo ne hinc Milletus, Menardus, de Marca, Patres Chiffletius, & Alexander, aliique Scriptores plurimi, qui ſententias ipſorum amplexati ſunt, rationeſque ſecuti, trecentas ſuper quodam facto enunciationes protulerunt, quin vel una alicujus ponderis & æquitatis eſſet? Si nanque eſſet, non exploderent aperte abſque aliqua honoris nota. Illinc Sirmondus, Bouſquetus, Launojus, Tillemontius, totque periti Critici, qui nomen iſtis impoſterum dedere, non poterunt blandiri ſibi, vel unam ex tot, quot e re ſua rationes ediderunt, propoſitum confeciſſe. Id ſane Paradoxon videtur ſæculi noſtri celeberrimum.

Cui nanque perſuaſum eſſe poterit, Viros præſtantes adeo, uti ſunt Gre-

Digitized by Google

Gregorienſes, factum quoddam ad Critices univerſæ trutinam revocaſſe; atque ita fuiſſe hallucinatos, ut inter trecentas probationes, ad refutandum primorum Galliarum Epiſcoporum Apoſtolatum adhibitas, ii non fuerint, qui vel ipſarum una ſucceſſus proſperos haberent, ſi fides eſt *Areopagiticis*, atque iſtos nihilo meliorem exitum ſuis dare potuiſſe, ſi *Gregorienſibus* credimus? Nunquid in cauſſa eſt, illos ea non præſtare facultate egregia, quæ judicium, ſcientiam, eruditionem, vim, ingenii profunditatem, integritatemque deſiderat, & partibus omnibus ad perfectum Criticum fingendum eſt neceſſaria? Quis nam id auderet contendere? Dices ne, eos optimæ Critices præcepta non calluiſſe, qui magnæ Artis hujus præceptores eſſe cenſentur? Id quoque a vero longe admodum abeſt. Supereſt itaque fateri, ſive ambiguas eſſe & infirmas Criticas inſtitutiones, ſive illis minus ſapienter Criticos uſos fuiſſe. Quoniam vero neutrum nobis daturos eſſe cum *Gregorienſes*, tum *Areopagiticos* credendum eſt; nonne ſaltem poterunt conqueri, ſi Criticus aliquis nulli affectus rationem hanc diſputandi eorum præjudicatis pro iſtarum Epocharum alterutra opinionibus vitio verteret? In hunc modum argumentari, ut videtur, poſſet Criticus noſter. Ponamus, duos egregios Criticos, cujuſmodi ſunt Patres Menardus & Alexander, nunquam fando audiviſſe de Quæſtione, in judicium nunc vocata, eoſque fortuito incidiſſe in Diſſertationes Launoii & Tillemontii ſuper hac re; in quibus affirmant conſtanter: *Serius, quam fert opinio, vulgatum fuiſſe in Galliis Chriſti Evangelium; neque ibi ante Marci Aurelii perſecutionem Martyris cujuſpiam ſanguinem effuſum fuiſſe*; quod evincunt multis Veterum teſtimoniis, quamplurimis ad trecenteſimum uſque numerum factis, & conjecturis. Poſtquam celeberrimi Patres iſti concertationem hanc vacuo penitus animo examinaverint, & æquis Critices exquiſitioris ponderibus libraverint adducta teſtimonia, monumenta, & conjecturas Tillemontii & Launoii, quæſo te quodnam de Virorum iſtorum ſententia, ejuſque momentis judicium laturi eſſent? Non eſt ſane abs re, eos citra ullam ſimulationem ſponte dicturos, Sententiam hanc certam videri, aut maxime probabilem; neque trecentarum illarum rationum ullam eſſe, quæ illi ſtatuendæ, ut eſt ipſius, non conducat, & per ſeſe plus minuſve æquitati conſentanea non ſit. Ambigerem, vel unum fore Criticum in Republica Litteraria, qui fide ingenua, omnique poſita præoccupatione, huic ſententiæ non ſubſcriberet. Quod idem dici poteſt de *Areopagiticorum* opinione; ſi tamen eam Tillemontius & Launojus expendiſſent, iiſdem præhabitis cautionibus, quibus affecti Menardus & Alexander de *Gregorienſi* opinione dijudicaverant.

Deinde crediderim, hunc eundem Criticum colligere ex iſtis poſſe,

Pa-

Patres Menardum & Alexandrum, a nobis Quæſtionis hujus delectos arbitros, in hunc modum laturos judicium, atque dicturos: 1. Haſce ſententias ſeorſim acceptas non parum eſſe probabiles, & utriuſque fundamenta omnia, aut ſaltem pleraque rectiſſima eſſe, aliqua auctoritate præſtare poſſe, & nullatenus contemnenda eſſe. 2. Si comparentur invicem utræque opiniones, & argumenta; quibus innituntur, ambas alicujus eum vero ſimilitudinis jacturam facere, non tamen illam prorſus evaneſcere. 3. Poſſe quemque ex rectæ Critices inſtitutis utram maluerit opinionum iſtarum amplecti, quin interea contrariam deſpiciat, aut ejus placita, quippe vero affinia, æquis rationibus munita, adeoque ſecundum accuratæ Critices pronunciata, haud explodenda tanquam falſa, vel minus probanda.

Quod ſi edito judicio iſto a Patribus Menardo & Alexandro æquiſſimo atque rectiſſimo; (nec abſimiliter dicendum puto de Tillemontio & Launojo) hi tamen Eruditi Viri deliberandum eſſe ſibi exiſtimarunt, atque ſive in *Areopagiticorum*, ſive in *Gregorienſium* familiam dederunt nomina, tum ipſi ad diverſas ſtatim ſententias traducuntur; tametſi nulla ſubeat mutationem ſumma rei, tum quoad factum tum etiam quoad adjuncta.

Tunc *Gregorienſium* ſecta, (quod idem de *Areopagitica* dicito) quam Menardus & Alexander rectiſſimam & æquiſſimam duxerant, eum antequam, tum etiam poſtquam collationem ejus eum Areopagitica inſtituerent, non modo nullam probabilitatem ſervat, aut ſpeciem veritatis, ſed in falſam ſtatim evadit, & nulla ratione propugnandam. Audiamus judicia, quæ proferunt Sapientes iſti, jam alterutræ ex his Epochis addicti: *Religio Chriſtiana*, ita fert Alexander, *ante tertium Sæculum ſtabilita eſt in Galliis, imo & ante ſecundum: ſiquidem certo probatur, Viros Apoſtolicos primo ſæculo in varias Galliarum Eccleſias Evangelii lumen intuliſſe*. Jam vero multo ante quæſtionem hanc diremerat Menardus, *certam & inconcuſſam Areopagiticorum* opinionem appellans, *Gregorienſium* autem *dubiæ & incertæ fidei, imo & falſam*. Nihilo æquior *Areopagitici eſt Gregorienſium* Judicum delectorum ſententia. Tum Launojus, tum ejuſdem conſilii ceteri eam inter fabulas amandant, atque adeo fama laborat, ut nos doceat Dupinus, *neminem pæne in hanc diem eſſe, qui parum adeo ſincerus ſit, ut dubitare poſſit, alium eſſe ab Areopagita Dionyſium Pariſienſem*. Nihil hic loquor, inquit Bailletus, de ſtudio atque opera Hilduini Abbatis S. Dionyſii, aliorumque ejus aſſeclarum uſquead noſtra tempora, qua laborarunt, ut cogerent in unum Areopagitam Athenaeum Epiſcopum eum S. Epiſcopo Pariſienſi, quandoquidem jam nunc ut *laborioſa & ſupervacanea figmenta* cenſentur. Sentit Tillemontius, dici poſſe, *Areopagiti-*

Alex. Sec. 1. Diſp. 15. p. 2.

Menardus de Unico Dionyſ. c. 20.

Tomo 1. pag. 100.

Baill. 9. Oct. Tab. Crit pag. XX.

Tomo 4. annot. 2. de Sancto Dionyſ. pag. 710. col. 2.

giticorum opinionem hac ætate funditus everſam eſſe. Ecce qua via Sententiæ iſtæ, abſque eo quod nulli in ſemetipſis obnoxia ſint mutationi, fiunt repente rectæ rationi repugnantes, incertæ, dubiæ falſæ, fabuloſæ, haud propugnandæ, & nulla ferme fide dignæ. Porro ſi opiniones iſtæ in rei ſumma novam, ut ita dicam, naturam induunt, ipſa quoque momenta, a quibus pendent, ad nihilum adeo recidunt, ut ex trecentis nullum ſit, quod ſubſiſtat, cujuſque exiguam ſoliditatem haud oſtendant. Id perſpicuum unicuique erit, qui vel pauliſper in Opera hac de re publici juris facta oculos intendat. Deprehendet in illis, omnibus mutuo reſponderi utriuſque partis conjecturis, * eaſque rejici abſolute, ne admiſſis quidem illis officioſe aliquo ſaltem ſenſu. Nihiloſecius in rem erit, meminiſſe, rationes iſtas & conjecturas, quantumvis nulla probabilitate præſtantes, ut eas vocant Critici noſtri partium ſtudio diſtracti, probabilitate tamen non caruiſſe per ipſos antequam hujuſcemodi ſtudia ſuſciperent, & tum etiam non carere, cum ab iis ſe removent, & a Quæſtione controverſa, ut ita dicam, ſe abdicant. Noſtri vero Sapientes miræ hujus Metamorphoſeos cauſſam, quam maluerint, in medium adducent. Nos interea ratum & conſtans habebimus, celebre adeo Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ eventum, quodque alicujus momenti eſt, non poſſe in tot Criticorum animis ad varias ad ſui ipſius formas ſe componere; niſi tribuatur id, ſive alicui partis eorum præjudicio, ſive Artis ſuæ acceptiſſimæ legibus minus accuratis, ſive pravæ earum exercitationi.

§. IV.

RATIO QUARTA.

Implicare ſe aut propugnandis aut oppugnandis factis innumeris, & vetuſtis Monumentis, queis aliqua cognatio eſt cum facto præcipuo.

HAud modicum Volumen Scripturus eſſet, ſi quis ad ea omnia colligenda aggrederetur momenta, facta Hiſtorica, & Opera, quæ ſuper hac quæſtione adhibent Viri noſtri ſapientiſſimi. Statim ac *Areopagiticus* aliquis conſilium cepit adhærendi Epochæ veteri, continuo mille ſibi laqueos induit, cogiturque quamplurima tueri facta & eventa, quæ rem illam attingunt; purgare multa monumenta, atque opera, le-

* Launojus ſermonem habens de reſponſione ſua ad P. Milleti Diſſertationem, his verbis utitur Sancti Hieronymi: *Sequar quocumque ierit, aut pariter in luto hærebimus, aut pariter expediemur*. Præf. de duobus Dionyſiis. Menardus quoque declarat in Procemio, ſe in veſtigiis Launoii inhæſurum, neque probationum ejus ullam ſine reſponſo prætermiſſurum.

v.ſ-

viſſimæ plerumque ſoliditatis; confugere ad conjecturas plures, verique ſimilitudines, leviſſimas ſæpenumero & vanas. Non ſunt tamen hæc omnia ſatis. Neceſſe eſt, illum ferri ad evertenda facta complura in eum jacta, ad rejicienda opuſcula haud pauca, & conjecturas, rationeſque adverſus Epocham ſuam allatas. Eadem via incedere debet *Gregorienſis*; quo fit, ut horrendis utrique involvantur ambagibus, quæ tantum abeſt, ut rem illuſtrent, factumque iſtud in bono lumine collocent, ut illud magis implicent, novis obducant tenebris, rationes rationibus cumulantes, conjecturas conjecturis, eventa eventis, quorum pleraque ſe mutuo petunt, ut demum, collatis diligenter utriuſque partis adjunctis, appareat, nihil illos ferme profeciſſe.

Fortaſſe utriuſque ſententiæ Autores ita ſe gerunt, freti egregio hoc Critico documento: „ Accidit ſæpenumero, quamquam unaquæque conjectura ſeorſim accepta non magni facienda eſſe videatur, univerſas „ tamen connnexas, quandam rei addere certam veritatem moralem. „ Verum, ut accurata ſit regula iſta, oportet primo, conjecturas iſtas eſſe genuinas, hoc eſt, rectas. 2. Eas ſibi viciſſim præſidio eſſe. 3. Non infirmare, quæ animus eſt iis confirmare. Denique initiis conſtantibus ſuperſtrui. Hæ autem haud raro in Criticorum conjecturis conditiones deſiderantur. Videntur nanque Critici noſtri minus ſollici eſſe de librandis rationibus, quam de cumulandis; & ſi ut plurimum nullo junguntur nexui, aliquando ipſorum cauſſæ officiant citius, quam faveant, aut in hac re vim faciant, cum ipſi in alia plane ſe munire vellent. Porro, ut eſt rerum natura, fieri non poteſt, quominus hæc contingant. Quod ut conſtet, animadverte infinitum ferme objectorum numerum, quæ inter diſputandum emergere faciunt, * & reperiuntur in tanta editorum hac de re Librorum turba. Ut autem melius judicium tuum interponas, operæ pretium duco, horum partem in medium afferre. Ordiamur ab *Areopagiticis*.

Dupinus in Præf. 2 part. pag. 41.
Tillem. Alexander, Autor de Arte cogitandi.

Præter S. Philippum, S. Paulum, S. Lucam, S. Creſcentem, S. Trophimum, S. Martialem, Apoſtolos aut Apoſtolorum Diſcipulos, quos ajunt *Areopagitici*, Fidem Chriſti in Galliis a primo Sæculo prædicaſſe, flagitat cauſſa eorum, ut contendant, 1. Ad annum uſque 102. aut circiter, quo evaſit ad Superos S. Clemens Papa, plures alios Viros Apoſtolicos miſſos in Gallias fuiſſe tum a S. Petro, tum etiam a S. Paulo, tum denique a S. Clemente. In hoc numero ſunt S. Taurinus Ebroicenſis, S. Nicaſius Rhotomagenſis, S. Exuperius Bavioviensſis, S. Gatianus Turonenſis,

* Launojus de hac concertatione ſcribens dicit, e re ſua eſſe, ut plurima immiſceat, *quæ ſine de Dionyſii quæſtione diſpendio prætermitterentur, ſi cum vitiligatore mihi res non eſſet.*

De duobus Dionyſ. Præf.

ſis, S. Julianus Cænomanenſis, S. Savinianus Senonenſis, S. Aventinus Carnutenſis, S. Altinus Aurelianenſis, S. Sanctinus Meldenſis, S. Eucharius Trevirenſis, S. Clemens Metenſis, S. Sixtus Rhemenſis, S. Memmius Chabillonenſis, S. Lucianus Bellovacenſis, S. Firminus Ambianenſis, S. Saturninus Toloſanus, S. Dionyſius Pariſienſis, S. Fronto Petrogoricenſis, S. Urſinus Bituricenſis, aliique multi a Launojo ad 40. pene calculum recenſiti.

Laun. Diſſert. de Sulp. Sev. Obſerv. 4.

2. Quamquam Sanctorum iſtorum Epiſcoporum plerique extremum Martyrio Spiritum clauſerint, admittere item debent *Areopagitici* quamplurimos Martyres, qui a primo Eccleſiæ ſæculo in Galliis ſanguinem pro Chriſto fuderunt, inter quos recenſere eſt S. Agoardum, S. Ivonem, S. Lucanium, S. Praxentium, S. Juſtinum, S. Eugenium, S. Fuſcianum, S. Victoricum, S. Piatonem. S. Rufinum, S. Crepinum, S. Crepinianum, S. Valerium, S. Lucianum, S. Marcellum, S. Quintinum, alioſque plurimos, a Tillemontio, qui illorum Acta diſcutit, memoratos.

Tillem. Tom. 4. Art. de S. Dion. & in annot.

3. Admirandus hic hominum Apoſtolicorum, Epiſcoporum Martyrum, aliorumque Sanctorum numerus, quem a primo ſæculo confiteri *Areopagiticos* eſt opus, eos pariter irretit amplectendis innumeris Traditionibus popularibus, Eccleſiarum in Sanctorum venerationem conſtructarum, monumentorum ad nominis illorum commendationem erectorum, aliorumque plurimorum factorum, quæ ab hac ſententia nequeunt ſeparari.

4. Ipſorum eſt certare pro innumeris Operibus ſuæ opinionis confirmandæ gratia, quorum pleraque aperte ſuppoſititia ſunt, corrupta, fabularum & rerum minime probabilium plena; quodque difficillimum puto, conciliare invicem debent eventa & ſcripta, quæ ſe mutuo deſtruunt, totque repugnantia præſeferunt, ut qui facta hæc & Sanctorum iſtorum Acta tueri velit, neceſſe haud raro habeat, id loco iſto repudiare, quod altero loco ipſi jecerat fundamenta. Unde factum eſt, invitos etiam appellare illos ad tot conjecturas & imagines veri, quas non eſt mirum, haud multum afferre ponderis illorum opinioni, imo quamſæpiſſime admodum nocumenti. Qui de his certior fieri amat, ſe conferat ad Diſſertationes pro hac ſententia conſcriptas.

Hic tamen finis impedimentorum non eſt, quibus illaqueantur *Areopagitici*. Ad eos pariter attinet, *Gregorienſium* fundamenta diruere; palam facere, Autorem Paſſionis S. Saturnini audiendum non eſſe, Sanctos Sulpicium Severum, & Gregorium Turonenſem exigua florere autoritate; eorum errata magnificare, & prolixum omnium indicem texere. Repellenda ſunt tamquam ſuſpicioſa aut corrupta Martyrologia quamplurima & vetuſtiſſima: illud videlicet, Hieronymo adjudicatum, atque

que alia Bedæ, Uſuardi &c. Conclamandum adverſus Calendaria, *Miſſalia*, *Breviaria*, atque antiqua omnium fere Eccleſiarum Gallicarum Dyptica. Expedienda ſunt hæc omnia obtentu ſuppoſitionis vel corruptionis, vel modicæ antiquitatis. Niſi hæc ſufficiant, illis ſe ſubducunt, quaſi rati non multum in illis ineſſe autoritatis. Intereſt denique proſpicere infinitis incommodis, & repugnantiis; tot facta inficiari, conjecturas, & momenta innumera excogitare, quæ non enervant aliquando minus propriam, quam aliorum ſententiam; reſponſa denique & ſolutiones adoptare, ſive potius excuſationes, quæ creberrime adverſariis ſuis novas ſuppeditant aggreſſiones. Hæc ſunt illorum pars, quibus irretiuntur *Areopagitici*.

Illa autem *Gregorienſium* neque minora ſunt, neque minus moleſta. 1. Cauſſæ ſuæ conſtituendæ neceſſario maximam exiſtimationis famam conquirunt Sanctis Sulpicio Severo, & Gregorio Turonenſi, quam apud ſemetipſos pene non habent, quorumque teſtimonio in ceteris præter iſtud factis vix obſequuntur.

2. Neceſſum eſt, eos in fidem plurimorum Martyrologiorum ſe recipere, innumeris factis aures præbere, autoritatem ipſis tribuere; etſi eorum pleraque aut erratis ſcateant, aut recentiora plus æquo ſint ad id factum probandum, & loca non pauca exhibeant, * quæ ſine appellatione *Areopagiticis* emolumento eſſe poſſent, ſi hæc illi Monumenta omnibus ſuis partibus reciperent. Verbi gratia, verba hæc, quæ habentur in vetuſto Martyrologio Romano, edito a Roſvveido. *XI Kalendas Aprilis*: *Narbone Sancti Pauli Epiſcopi*, *Diſcipuli Apoſtolorum*, atque alia, ex Adonis Martyrologio deprompta IV. *Kalendas Januarii*: *apud Arelatem natalis S. Trophimi Epiſc. & Conf. Diſcipuli Apoſtolorum Petri & Pauli*.

3. Inſtat *Gregorienſes*, ea non præterire, quæ num. 4. de *Areopagiticis*, perſecuti ſumus, nec opus eſt hic denuo recitare. Unum addam argumento *Neganti* eos quam Sæpiſſime fidere, a cujus uſu frequente abſtinent Areopagitici.

* Bailletus 15. Maii pag. 517., Tillemontius Tomo 4. pag. 224. Bollandus, & Martyrologium Gallicanum ajunt, Claromontanam Eccleſiam idibus Maii colere 6266. Martyres, pro Chriſto interremptos Gallieno imperante ad annum 280. in Urbe Alverniæ, (nunc Claromonti) a Chroco Rege Germanorum Vandalorum Idololatra (nunc Pomerani nomen habent) qui depopulatis Civitatibus Moguntina & Metenſi, in Gallias irrupit. Satis autem apparet, doctiſſimos noſtros *Gregorienſes* viam inituros, qua ſeptem Epiſcoporum Epocham, qui per eos in Gallias non ſe contulerint niſi Decii ætate ad annum 250., cohærere faciant tot Sanctorum in urbe una Martyrio, non comprehenſis, ſi attendimus *Fraiſſo Canonico Cathedralis Claromontana, Scriptori de Origine Eccleſiarum Gallicarum* pag. 308 Virginibus, fœminis, pueris, & ſenibus.

4. Oportet inſuper, eos monumenta multa adulterinis accenſere, quæ plerorumque *Gregorienſium* ipſorum confeſſione exploratæ ſunt Fidei, & reſponſa uſurpare cavillatione plena; uti quando in eos afferunt Inſcriptionem vetuſtam, qua effici poteſt, Fidem in Hiſpaniis propagatam fuiſſe ante Neronis tempus. *

5. Harum partium ſtudioſi ſtare debent adverſus innumeras antiquas Traditiones omnium fere Eccleſiarum Gallicarum & Hiſpanarum; & in Spuriis numerare, quæcumque ab *Areopagiticis* laudantur, & autoribus firmantur, ante Carolum Magnum florentibus. Sunt etenim, qui autument, ante illum altum ſilentium fuiſſe de tot Virorum Apoſtolicorum in Gallias adventu.

Poſtremo ad eos attinet, elevare teſtimonia Scriptorum, qui ſententiæ ſuæ notam aliquam inurere poſſunt, aut *Areopagiticorum* opinioni vim addere: atque, ut aliquando collationi huic finem imponamus, eos patere affirmo iiſdem, quibus patere vidimus *Areopagiticos*, incommodis: Quis Criticorum noſtrorum eruditionem, aut perennem Critices fœcunditatem haud admirabitur? Eruditionem quidem; quoniam ad factum unum componendum opportunitatem ipſis afferunt res, eventa, teſtimonia & Opera, cum typis commiſſa, tum manu exarata, pene infinita. Fœcunditatem etiam Critices, quoniam regularum ejus ſubſidio emergere faciunt ſuper minimo quovis evento innumeras conjecturas, rationes, ſimilitudines veri, quæ alias ſimiliter pariunt. Si univerſa hæc dicenda ſunt, Hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtrare, tenebras, quibus offunditur, diſſolvere, nobis erudiendis inſudare, nolumus commoda hæc egregiæ Criticorum Arti, ejuſque Legum exercitationi invidere.

* „ Neronis perſecutio Hiſpaniam uſque pervaſit, uti arguimus, „ inquit Godavius, ex veteri Inſcriptione reperta in Urbe *Cluinia*, *Colonia* nuncupata. Ita ferebat. „

NERONI CL. CÆS. AUG.
PONTIF. MAX. OB PRO
VIN. LATRONIB. ET HIS
QUI NOVAM GENERI HUM.
SUPERSTITIONEM INCULCAR
PURGATAM

Porro certo ſcimus, Principis hujus ætate non aliam prodiiſſe Novam Religionem præter Chriſtianam, quæ Ethnicis ridenda videbatur & periculi plena ſuperſtitio. Non tamen inficias imus, multis Viris doctiſſimis eam inſediſſe ſententiam, ut credant, Inſcriptionem hanc adulterinam eſſe, adeoque negent, Chriſtianos in Hiſpaniis exagitatos fuiſſe. Hiſt. Eccl. anno 69. pag. 224. Baron. ad annum 69. §. 46.

Tillemontius quoque Tomo 2. pag. 84. de Inſcriptionis hujus dubitat veritate. Launojus eam eſſe veram non diffitetur; verum contendit eo poſitam, quod Hiſpani audiviſſent, Neronem ab Imperio Romano Religionem Chriſtianam exterminaſſe. *Et ob id facinus apud ſe Neroni memoratum Elogium poſuerunt, quo purgatam a Chriſtianis, non qui aderant, ſed qui tandem aliquando adfuturi erant, Provinciam ſuam Imperatori gratularentur.* Diſſ. de Sulp. Sev. §. 2.

§. V.

§. V.

Aliæ, quibus utuntur Critici, Rationes.

PRæter ea, quæ diximus hactenus, in rem eſt, alias hic ſubnectere rationes, a Criticis in præſenti non modo, verum in aliis etiam Quæſtionibus adhibitas.

I. Ad illuſtrandum factum poſitum in controverſia, alia eventa ſtatuere, & momentis uti, quæ alibi non probantur ipſis, quin imo rejiciuntur.

II. Sibi mutuo exprobrare, quod recitata Autorum loca detorqueant, invertant, corrumpant.

III. Reſponſa parum ſolida adhibere; quod argumento eſt, eos difficultatum vi frangi, & dare citius operam, ut illas eludant, quam ut ſolvant.

IV. Probationis loco id afferre, quod vertitur in quæſtione, & æquas ſibi conſecutiones elicere ſive ex Scriptorum teſtimoniis, ſive ex quibuſdam factis; licet hæc facta & teſtimonia a Diſputationis capite ſint remota.

V. Iiſdem Operibus, locis, & dicendi modis uti ad pugnantia facta confirmanda.

Non duxi colligenda hic eſſe exempla, ut evincerem, rationes iſtas Criticis noſtris uſus haud paucos attuliſſe: paſſim enim in illa incurret unuſquiſque, non in illorum modo Operibus, verum in iſto quoque. Illud etiam poſſumus certo affirmare, nullam ex his rationibus eſſe, quam non adhibuerint ſuper hac quæſtione diſputantes: videlicet, neutrius partis Autores eas neglexiſſe. Quemadmodum enim perſuaſum nobis eſt, nonnullos eſſe Eruditos Viros, qui, diſcuſſa quæſtione hac, iſtarum rationum aliquam ad ſuos uſus non converterunt; ita non putamus, ipſis injuriam inferre, ſi dixerimus, neminem repertum iri, qui oblitus fuerit, horum adjumentorum ullum adhibere.

Quibus tamen querelis animus non eſt, celeberrimis Criticis iſtis gloriam invidere, quam ſunt promeriti ubi excellentiores Critices præceptiones ad hoc factum hiſtoricum traduxerunt: id unum dicimus, Sapientes noſtros, quippe ſuper re intricatiſſima laborantes, non potuiſſe non huc afferre quiquid ipſis præſto fuit ad opinionem, graviſſimis difficultatibus impeditam, ſive propugnandam ſive oppugnandam. Multi ſane moleſtique operis eſt illam diligenter expedire; & adverſaria accommodate refutare: quod affert ſuſpicionem, Regulas, aut Uſum Critices haud ſemper ad facta quædam illuſtranda conferre.

ARTICULUS VI.

Regulæ Criticæ, quibus huic facto expendendo uti quis poſſet.

SUM neſcius, anne in aliquo lumine ſpinoſa hæc diſputatio collocari poſſet, abſque eo quod tot uſurparemus differendi modos, qui ab accurata & recta Criticæ abhorrent, totque eruditionis veluti impedimenta, quæ in rem hanc oſtentant Critici, nonnulla hic recenſendo præcepta ab eruditis noſtris conſtituta. Longe abſum a novis rebus inducendis, idque unum intendo, nimirum, Legum iſtarum præcipuas ex eorum operibus colligere, ut illas utrique, de qua agimus, ſententiæ, poſſim accommodare: quæ item maximæ eſſe poterunt ad cetera facta hiſtorica perpendenda opportunitati.

REGULA PRIMA.

Factum perſpicue aperire.

DOcumentum hoc primum ſatis per ſeſe clarum eſt. Nemo eſt qui dubitet, fieri non poſſe, ut quis de controverſia ulla diſputet accurate, quam ſiniſtre intelligit, & obſcuris ambiguiſque vocibus effert; Quare, ut præcepto huic diligenter obtemperemus, his verbis factum hujuſmodi poſſumus enunciare. *Utrum Fides conſtituta in Galliis fuerit ab Apoſtolicis Viris poſt primum Eccleſiæ Sæculum; ibique Martyres extiterint ante Marci Aurelii perſecutionem.* Ajo equidem, *utrum Fides conſtituta fuerit*, utrum ab ullo Epiſcopo Eccleſia aliqua erecta, non autem tantum *prædicata* aut *recepta*: quandoquidem *Gregorienſium* Sapientiſſimi fatentur teſtimonio Septem Epiſcoporum, qui ad Sanctam Radegundem * litteras dederunt, effulgere Fidem cœpiſſe in Galliis ab ipſo Chriſtianæ Religionis ortu, ſed parum ibidem profeciſſe.

Tillem. Tom. 4. Art. 1. de S. Dion pag. 440. Launoj. &c.

Ecce paucis ſtatus Quæſtionis. De eo convenit inter *Doctos*; verum cum duabus conſtet partibus controverſia, ambas æque negant *Gregorienſes*,

* Medio circiter VI. Sæculo Septem Gallorum Epiſcopi Epiſtolam ad Sanctam Radegundem dederunt, qua narrant ipſi inter cetera, veritatis cognitionem, licet ab incunabulis Chriſtianiſmi plantata in Galliis Fides fuerit, ad paucos tamen propagatam fuiſſe, donec divina miſeratione illuc miſſus fuit S. Martinus: *Cum ipſo Catholicæ Religionis exordio cœpiſſent Gallicanis in finibus veneranda Fidei primordia reſpirare.* Greg. Tur. Hiſt. Franc. l. 4. cap. 39.

ſes, *Areopagitici* per ſeſe priorem affirmant, alteram ex rei conſecutione ampleɛtuntur. Quo poſito, id habent, ut videtur, commodi *Areopagitici* præ *Gregorienſibus*, quod his ita firmanda ſententia ſua eſt, ut nullo poſſit exemplo ipſius falſitas demonſtrari. Ut autem *Areopagitici* aliquid e re ſua compendii faciant, ſatis eſt, eos oſtendere, Virorum Apoſtolicorum aliquem ſingillatim Eccleſiam aliquam in Galliis inſtituiſſe, eamque ſuo Sanguine irrigaſſe. Sunt qui Concertationem aliis verbis exponant. *An S. Dionyſius Pariſienſis idem ſit atque Areopagita. An S. Trophimus S. Pauli Diſcipulus, S. Creſcens, S. Martialis, ceterique Fidem in Galliis prædicaverint, illucque fuerint ſive a Petro, ſive, a Paulo, ſive a S. Clemente ablegati*. Quæ omnia eodem recidunt, & Diſputationis ſtatum efficiunt.

REGULA ALTERA.

Factum Scriptorum teſtimoniis probare.

HOC eſt primum Critices initium. Porro neceſſum foret, Autores ejuſdem eſſe cum re ætatis; ſi vero deſint, ad eos confugiendum eſt, qui propiores ſunt temporibus factorum, quæ acciderunt: modo ne plus æquo diſtent. Argumentum etenim a Scriptore VII. aut VIII. ſæculi ſatis leve eſſet ad eventum I. aut alterius ſæculi confirmandum; niſi tamen optimos vades dictorum ſuorum proponeret. *Areopagitici* primo loco ad Epocham ſuam ſtatuendam citant teſtimonium S. Epiphanii * ſcribentis, S. Paulum, Lucam in Gallias Fidem nunciatum miſiſſe; unde in Italiam, Dalmatiam & Macedoniam tranſiit, ubi Divinum Verbum ſeminavit. Opinio quoque tradit, a Paulo Creſcentem quoque, Eccleſiæ Viennenſis inſtitutorem, in Gallias ablegatum, uti legitur capite 4. Epiſtolæ alterius ad Timotheum. Hæc S. Creſcentis Miſſio ab Euſebio depromta eſt, qui refert, S. Paulum direxiſſe S. Creſcentem εἰς τὰς Γαλλίας; ** quod teſtimonio pariter Epiphanii, Theodoreti, &

De Marca Ep. ad Vall. Menardus, Milletus, Alexandr. &c.

* Recito S. Epiphanii locum: *Idque primum in Dalmatia, Gallia, & Italia, ac Macedonia præſtitit: ſed in Gallia præ ceteris;* ſive, *principium vero in Gallia*. Ἀρξάμενος ἐν τῇ Γαλλίᾳ. Epiph. Hæreſ. 5.

** P. Pezronius exiſtimat contenditque, *Gomerum* Japheti primogenitum, & Noe Nepotem, habendum eſſe primum & germanum populorum *Gallorum* patrem, quibus *Galatarum* nomen Græci impoſuerant. Poſteritas *Gomeri* non modice aucta principatum Aſiæ Minoris, Inſulæ Cretenſis, totiuſque Græciæ obtinuit. Denique iiſdem populis in Europa conſtitutis, & præſertim intra eos fines, qui Oceano, Pyrenæis, Mare Mediteraneo, Alpibus, & Rheno circumſcribuntur, *Celtæ & Galli* dicti fuere, unde Galatiæ nomen ortum eſt. Pezronius de Antiqu. Nationis & Linguæ Celt. ſive Gall. in 12. 1703. Poſtquam Galathes, priſcorum Celtarum Rex, Gentes multas ſubegit, eas *Galatum* vocabulo inſi-

So-

Sophrenil, aliorumque Veterum multorum roboratum eſt. Suffragio deinde haud paucorum Patrum certum habent, Divum Paulum, annos duos Romæ commoratum, iter in Hiſpaniam ſuſcepiſſe; & ſecundum omnem veritatis ſpeciem Gallias pertranſiviſſe, eaſque divinis placitis imbuiſſe. Opinantur denique, Iſidori Hiſpalenſis fide, S. Philippum Apoſtolum Religionem noſtram Gallis & Anglis palam feciſſe.

Iſidorus l. de Vita & Morte Sanctorum c. 74.

Iren. Adv. Hær. c. 11. c. 3.

Areopagiticis inſitum animo eſt, ſecundum ipſos ſentire Irænei, & Tertulliani teſtimonia. Primus nanque ut oſtenderet, fidem unam eſſe, hæc habet. *Neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque quæ in Iberis, neque quæ in Celtis &c.* Mordicus enim tuentur, * Celtarum nomine S. Iræneum univerſas Gallias accepiſſe. Tertullianus pariter, qui triginta circiter poſt S. Iræneum annis ſcribebat, animadvertit, ætate ſua ſatum fuiſſe Evangelium *Galliarum diverſis nationibus*. **

Tert. l. adv. Jud. l. 7.

Alia quoque monumenta ad uſus ſuos transferunt *Areopagitici*. Primum eſt Epiſtola Cypriani *66.* ad S. Stephanum Pontificem anno 258. datam, in qua urget illum, ut ad Gallorum ſcribat Epiſcopos, jubeatque eos Marcianum Epiſcopum Arelatenſem a Fidelium communione ſemotum declarare, aliumque in ejus locum ſufficere. Quod argumento haud contemnendo eſt, inquiunt, Gallicarum Eccleſiarum non Decii ætate ex Epocha S. Gregorii Turonenſis, ſed multo ante jacta fundamenta fuiſſe. In aciem pariter educitur Epiſtola, quam S. Zozimus Pontifex ad Gallorum Epiſcopos miſit anno 418. in qua hæc leguntur. *Ad quam primum ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ Fidei rivulos acceperunt, directus eſt*. Tum referunt, Scriptum,

Zozimus. Ep. 5.

gnivit, & *Palatiam* illam appellavit, quæ *Gallia* deinceps dicta eſt. Ipſius nepotes ad Greciam & Aſiam Minorem uſque ſe propagarunt, eoque nomen etiam *Galatum* contulerunt. Diod. Sic. Hiſt. l. 5.

* Eſt opinio adverſus Queſnelium, *Celtarum* nomine non illos modo intelligendos eſſe, qui Galliam incolunt ab Julio Cæſare *Celticam* nuncupatam, ſed Gallos omnes in univerſum; quoniam Irenæus Gente & Scriptione Græcus, eam ſubjecit voci iſti ſententiam, quam ipſi ſubjicit Lingua Græca. Porro non eſt dubium, omnes Autores Græcos *Celtas* vocaſſe Gallos univerſos. *Hæc quidem de iis*, inquit Strabo, *qui Narbonenſem Regionem colunt, commemoremus, quos antea Celtas nominabant, a quibus univerſos Gallos a Græcis Celtas appellatos opinor propter eorum Claritatem* Strabo l. 4. Autor Noviſſ. Diſſert. de tempore, quo in Galliis egit radices Religio Chriſtiana Parte 2.

** Hoc Tertulliani verbum per Launojum nihil ſignificat præter populos Lugdunenſes, Viennenſes, Valentinenſes, Helvios, Auguſtodunenſes, & Divionenſes. At eſt vero ſimilius, diverſas iſtas, de quibus perhibet Tertullianus, Galliarum nationes, eas Provincias exprimere, quæ, ſecundum partitionem ab Auguſto factam, Gallias complectebantur: videlicet Narbonnenſem, Lugdunenſem, Belgicam, Aquitanicam. Galliæ impoſterum in ſeptemdecim Provincias diviſæ ſunt.

aut

Digitized by Google

aut genus quoddam ſupplicis Libelli, ab Epiſcopis Provinciæ Arelatenſis ad S. Leonem Pontificem anno 450. oblatum, in quo poſtulant Privilegiorum ſuorum inſtaurationem, quæ poſtremis S. hujus Pontificis declarationibus fuerant diminuta. Quo autem Eccleſiæ Arelatenſis dignitatem probent, Miſſionem S. Trophimi in Gallias a B. Petro Apoſtolo producunt: *Miſſum a B. Petro Apoſtolo*. Quibus monumentis Epiſtola Septem Epiſcoporum Gallicanorum ad S. Radegundem addi poteſt. *Inter Eccl. S. Leonis Ep. 44.*

Neque vero hæc tantum ſunt *Areopagiticorum* momenta: habeto alia, quæ per ipſos quandam Traditionis ſpeciem efficiunt. In hujus fronte collocant Vitam S. Dionyſii, a Visbio autore ejuſdem ævi, teſteque eorum, quæ narrat, oculato deſcripta: eandem catenam nectunt Autoritas Hilduini, Acta S. Genovefæ, S. Sanctini Epiſcopi Meldenſis, Teſtimonia Fortunati Epiſcopi Pictavienſis, S. Eugenii Junioris Epiſcopi Toletani; Simeonis Metaphraſtis, Martyrologii Venerabilis Bedæ, ex Diplomate Pipini Regis Gallorum pro Monachis Abbatiæ Sandionyſianæ; S. Methodii Martyris, Archiepiſcopi Byſanthini; Anaſtaſii *Bibliothecarii*, Hincmari; S. Paſchaſii Abbatis Corbejenſis; Joannis Scoti Erigenæ, S. Thomæ, aliorumque multorum.

Scriptores deinde hujus Cauſſæ patroni non prætereunt taciti Martyrologium Romanum, aliaque nonnulla *Breviaria & Miſſalia* multarum Eccleſiarum Galliæ, atque univerſæ pene Chriſtianitatis: Monumenta teſtantia, a S. Clemente in Gallias S. Dionyſium Areopagitam ablegatum fuiſſe, qui Pariſienſem Eccleſiam inſtituit, & effuſo ſanguine decoravit.

Contra vero Gregorienſes non modo ſua eſſe dicunt loca S. Irenæi, Tertulliani, & Epiſtolæ ad S. Radegundem, quibus fidunt etiam *Areopagitici*; ſed præſertim rem ſuam deferunt ad Autorem de Geſtis S. Saturnini, quem volunt ineunte quarto ſæculo in vivis fuiſſe; ad S. Sulpicium Severum, & Sanctum Gregorium Turonenſem. Non eos fugerunt *Martyrologia*, quæ de duobus Dionyſiis verba faciunt, quorum Eccleſia non unum feſtum diem colit, Areopagitæ quidem quinto Nonas, Epiſcopi vero Pariſienſis ſeptimo Idus Octobris. * Præcipua, quæ laudent, Martyrologia, hæc ſunt, Bedæ, Uſuardi, Adonis, Notkeri, & Roma-

* Hæc Martyrologia paſſionis eorum loca & adjuncta manifeſte diſtinguunt; nullum adjungunt comitem illi, qui conceſſit ad Superos quinto Nonas Octobris; alterum vero ſeptimo Idus Martyrio affectum cum S. Ruſtico & Eleutherio tradunt. Animadvertunt, primum varia tormenta ſuſtinuiſſe; ſecundum capite tantum damnatum. Denique non apparet in his Martyrologiis, quo imperante objerit prior; ſolumque narrant, quo Præfecto alter paſſus ſit.

num, a Roſvveido in publicum vulgatum. Martyrologia item Eccleſiarum Claromontanæ, Rhemenſis, Antiſiodorenſis, Trecenſis, Pariſienſis, Rhotomagenſis, Senonenſis, Auguſtodunenſis, Andegavenſis, Turonenſis, Sveſſionenſis, Ambianenſis, aliarumque multarum.

Adjungunt *Gregorienſes Martyrologiorum* teſtimonio illud quoque *Kalendariorum* Eccleſiarum Ambianenſis, Carnotenſis, Venetæ in Brittania Minori, Narbonnenſis, & antiquorum cum *Breviarii* tum *Miſſalis* Romanorum. Memorant poſt hæc Litanias triginta Eccleſiarum, quæ S. Dionyſium iis Martyribus accenſent; qui, Aureliano Imperii ſummam gerente, paſſi ſunt, iiſque ſociant, qui Maximiani ſententiam ſubjere. Acta demum Sanctorum Fuſciani & Victorici pro ſe adducunt, aliaque id genus opera, de quibus ſuperius. Ecce præcipua Monumenta omnia, unde utriuſque partis Scriptores probationes hauriunt veras & ajentes; neque etenim de negante argumento, aut conſecutionibus a verbis Autorum elicitis ſermo eſt.

REGULA TERTIA.

Neceſſum eſt haud depromi Veterum teſtimonia ab Operibus ſuppoſititiis, dubiis, ſuſpicioſis, quæque aut locis aut ſenſis utroque trahi poſſint.

SUpervacaneum eſt facto alicui confirmando, loca decerpere ex operibus ullo vitiorum iſtorum notatis. Quod concertationes in immenſum abire facit, atque haud paucas intrudit res peregrinas in judicio Eventi præcipui, illudque in dies magis involvunt. Ut ſuſpicioſum Monumentum aliquod tuearis, tua intereſt, ad alia confugere, nihilo fere majoris autoritatis, e quibus novæ difficultates emergunt, conjecturas conjecturis cumulare, novam diſputandi anſam dare, quod quæſtiones efficit infinitas.

Scriptores utriuſque partis ſuper hac controverſia in errorem hujuſmodi non inciderunt, quod attinet ad Opera aperte ſuppoſititia. Si nanque excipias Librum *de Morte & Vita Sanctorum*, Iſidoro Hiſpalenſi tributum, * atque ab *Areopagiticis* laudatum, de cujus falſitate nemo eſt, qui ambigat, non habemus, quem *Apocriphum* Librum *Gregorienſes* in

* De Marca autor eſt, hunc S. Iſidori Tractatum extare Pariſiis in Bibliotheca Abbatiæ S. Germani Pratenſis cum aliis ejuſdem Patris Operibus, legique in hoc MS., 850. annorum ætatem ferente: *Philippus Gallis prædicat Chriſtum*. Compertum pariter facit, S. Jacobum in Hiſpania fuiſſe, ibique Evangelium nunciaſſe: quod argumento eſſe poſſet, Propugnatores Itineris S. Jacobi in Hiſpaniam locum hunc non vitiaſſe, ut nonnullis perſuaſum eſt. Marca Epiſt. ad Henr. Valeſium.

me-

medium protulerint, uno demto Launojo, qui loco quodam utitur e Conſtitutionibus Apoſtolicis deducto, alioque e *Sinopſi* Dorothei de Septuaginta duobus Diſcipulis, ut oſtendat, S. Creſcentem in Galliis pedem non poſuiſſe.

Launoius Diſſ. de Sulp. Sev. §. 16.

Non idem tamen affirmare poſſumus de Scriptis dubiis & ſuſpicioſis; ſed aliorum judicium ſit, num his adſcribenda ſint monumenta, iccirco mendis iſtis notata, quod notantibus incommodum ferant; ſi etenim id moris in Regulam Critices evaderet, magni facerent ſtatim utriuſque ſententiæ Scriptores momenta ſua, ab autoritate petita. Non videtur igitur æquum, Opus aliquod inter ſuſpicioſa & dubia detrudere, quod paſſim a Viris integerrimis recipitur. Quamobrem etſi renuat Launojus amplecti ſupplicem Libellum Epiſcoporum Provinciæ Arelatenſis ad S. Leonem Pontificem, & Epiſtolam *66.* S. Cypriani, aliamque Zozimi, quæ *Areopagiticis* afferunt opportunitatem; non putamus tamen in hoc Doctorem iſtum audiendum eſſe: quandoquidem duo priora Opera vel ab ipſis Gregorienſibus admittuntur; tertium autem placet viris doctis, ab hac Diſputatione omnino remotis, aliiſque, quibus in hac Controverſia negotium eſt, illudque in veris Sancti hujus Pontificis Epiſtolis recenſent.

Launojus de duobus Dionyſ. Diſcuſſ. cap. 5. 54. & ſeq.

Queſn. in Diſſ. Apolog. pro S. Hilario cap. 6. Dupinus Bibl. t. 3. 1. par. p. 426.

Non crediderim ex regulis rectæ & accuratæ Critices, ſumendas eſſe ab illo Opere in rem aliquam probationes, a quo in adverſam partem aliæ maxime perſpicuæ & concluſæ traducuntur; ſi nanque vim habet argumentum aliquod ab autoritate Scriptoris, & verborum claritate, ubi duo invicem pugnantia loca inde promerentur, alterutrum certe eorum nihil efficiet; & priori interim deſtruente, dum aliud extruit, quid, amabo, proficient? Quotieſcumque etenim cauſſæ duo æque agunt utrinque, non poteſt non vis earum hærere ſuſpenſa ab efficientia ſua.

Quæ principia concludere videntur, non multum progredi cauſſam *Areopagiticorum & Gregorienſium*, cum utrobique Acta recitant S. S. Fuſciani & Victorici; *Martyrologia* Romæ, Uſuardi, Adonis, aliaque haud pauca; ſiquidem Opera iſta ut hinc favent, illinc tamen nocent, ut nos exempla monuerunt. Quapropter Critices accuratæ ſectatores univerſas probationes iſtas, ad implicandam litem iſtam tantummodo accommodatas, mittere deberent. Quorſum *Gregorienſes* quamplurima congerunt Martyrologia, duos Sanctos Dionyſios internoſcentia, ſi totidem pene præſto ſunt nihil vetuſta minus & authentica, quæ nullum inter Dionyſium Areopagitam, & Galliarum Apoſtolum agnoſcunt diſcrimen? Quid prodeſt ad quædam S. Genoveſæ Acta appellare, ut fiat liquido a S. Clemente in Gallias miſſum Dionyſium, ſi non deſunt alia

ejuſdem Sanctæ Mulieris Acta, in quibus de hoc altum ſilentium eſt ? Nullius v. gr. frugis erit Alexandro teſtari, Acta S. Genovefæ, a Launojo producta, vitioſa eſſe, non autem quæ ipſe producit, quoniam e regione ſentit Launojus. Porro qua demum ratione conſtabit quiſnam Doctorum iſtorum capiatur, abſque eo quod tot moleſtis diſſidiis immiſceamur, quæ vel Critice accuratiſſima nunquam fortaſſe poterit definire ?

Alex. Hiſt. ſæc. 1. Diſſ. 15. concl. 2.

Non liquet pariter quid commodi capiant *Areopagitici* ab Euſebii dictis, quibus aperit, a S. Paulo Creſcentem in Gallias ablegatum fuiſſe, tametſi opinio hæc arrideat Rufino, Epiphanio, Theodoreto, Sophronio, Autori Chronici Alexandrini; cum *Gregorienſes* non videantur leviori de cauſſa *Galatiam* intelligere poſt S. Joannem Chriſoſthomum, Ambroſium, Autorem Commentariorum in treſdecim D. Pauli Epiſtolas, a Hieronymo memoratum, & Bedam Venerabilem.

REGULA QUARTA.

Sint loca Veterum clara, apta, & abſoluta.

HUjus Regulæ monito integrum eſſet ſine hæſitatione ex *Areopagiticarum* probationum numero tollere loca S. Irenæi, Tertulliani, Patrumque, itineri S. Pauli in Hiſpaniam faventium: quippe neque clara, neque diſtincta. Exemplo ſit verbum *Celtarum* S. Irenæi, & Tertulliani dictio: *Galliarum diverſæ nationes*, quæ non plane reddunt Gallias univerſas; Patreſque totum pro parte ſumere potuerunt; neque item certum eſt, eos de univerſis Galliis loqui voluiſſe. * Si veteres Geographi mentem ſuam perſpicue ſuper his aperirent, alicujus momenti eſſet *Areopagiticorum* argumentatio; at non extat, eos quidpiam retuliſſe abſolutum & affirmans ad id probandum: quamquam etenim Patres multi reipſa dixerint, Paulum in Hiſpania fuiſſe, non tamen verbum ullum ediderunt, quo illum in tranſitu per Gallias aliquam ibi Eccleſiam inſtituiſſe ſignificarent. **

* *Celtæ populi Galliæ, qua una pars Celtica dicta eſt, quæ Lugdunenſis dicitur.* Philippus Ferrarius. *Celtæ populi fuere Galliæ, a quibus ejus major pars Celtica dicta eſt, quæ olim ampliſſimis definiebatur terminis, teſte Brietio. Nam præter Lugdunenſem, & populos intra Ligerim & Garumnam fluvios, Maſſiliam uſque, atque Narbonam extendebatur, ut ut vult Strabo, poſtea tamen anguſtioribus reſtricta fuit limitibus tempore Auguſti, & ſæpe Lugdunenſis dicta fuit.* Baudr. Lex. Geograph. verbo *Celtæ*.

** Sunt qui exiſtiment. Paulum in Hiſpaniam iter habentem *Ruſcinum* tranſgreſſum fuiſſe, ibique Sacris initiaſſe Epiſcopum nomine Petrum, qui haud multo poſt ſanguinem ſuum cum aliis plurimis ejuſdem Urbis civibus in teſtimonium Jeſu Chriſto dedit. Boſeus, aliique non pauci Scriptores id Regionis illius vulgata referunt Traditione. In Eccleſiæ Ca-

Huic

Huic eidem Regulæ obtemperantes *Gregorienſes* magna non poſſent ab Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis ad Aſiæ & Phrigiæ Eccleſiam data, neque item ab iis, quæ de Marci Aurelii perſecutione ſcribit Euſebius, præſidia comparare; neque etenim vel Epiſtola, vel Euſebii locus indicant reipſa, S. Photinum primum Chriſtianiſmi in Galliis autorem eſſe, ejuſque ætate alias non extitiſſe ibidem Eccleſias præter illas Galliæ Viennenſis & Lugdunenſis. Eadem de cauſſa non magnopere *Areopagiticos* juvat Epiſtola Cypriani *66.* ad Stephanum Pontificem miſſa; neque in ea ſane quodquam recte efficitur, fidem Arelate radices egiſſe aliquot annis, antequam ceteri, de quibus, fatentibus Gregorienſibus, loquitur Gregorius Turonenſis, Epiſcopi illuc pervenirent: verum S. Cyprianus verbis conceptis non dicit, Eccleſiam hanc, aut aliam in Galliis a primo ſæculo initia poſuiſſe.

Quamquam autem cum monumenta hæc, tum etiam alia, de quibus ſuperius, certum & concluſum argumentum nequeant ſufficere, non eſt tamen animus, ea præcipuo facto confirmando emolumentum nullum afferre, quoties in anteceſſum probationibus abſolutis munitum fuerit, uti ſunt quæ ſequuntur.

Gregorienſibus tria id genus momenta præſto ſunt. Primum ſuppeditat ipſis Sulpicius Severus his verbis: *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primum intra Gallias Martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei Religione ſuſcepta.* *Sulp. Sev. Hiſt. l. 2.* Alterum ſumunt ab Autore Paſſionis S. Saturnini, qui habet: *poſtquam ſenſim & gradatim in omnum terram Evangeliorum ſonus exivit, parique progreſſu in Regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio coruſcavit.* *Ruinart. Act. Sel. pag. 100.* Tertium largitur ipſis S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria, in qua ex fide vetuſti Scriptoris de Martyrio S. Satunini perhibet, S. Dionyſium, ejuſque Socios Galliarum Apoſtolos illuc iviſſe Decio Imperatore ad annum 250.

Hæc ſunt, ut videtur, præcipua *Gregorienſium* fundamenta. Primum e Sulpicio Severo depromtum duas habet partes, duo pariter ſententiæ illius membra probantes directo, ſive ut Launoii verba uſurpemus, duas Epochas indicantes. *Launojus de duobus Dionyſ. c. 1. § 2.* Altera certa eſt & conſtituta: nimirum ante Marci Aurelii perſecutionem non fuiſſe viſa intra Gallias Martyria; altera non definita: videlicet, non ſtatuere hanc Prædicationem Evangelii in Galliis tempore M. Aurelii. Tillemontius certum habet & ratum, Fidem ante illud tempus vix in Galliis receptam fuiſſe; quamquam nemini ſit indu-

thedralis Perpiniani Tabulario cuſtodiuntur antiquæ Tabulæ, hujus Hiſtoriæ mentionem habentes. *Ruſcinus*, Colonia olim Romana, univerſum inde Ruſcinonenſem comitatum nuncupavit. Urbs hæc diruta fuit anno 828. Una ſupereſt alta Turris ad Thetim fluvium, vetuſtum adhuc Turris Ruſcinonenſis vocabulum ſervans.

bium,

Tillem. Tomo 4. art. 1. de S. Dion. pag. 440. Dupinus Biblioth. Tomo 1. pag. in col. 2. bium , an fuerit nec ne ibi Evangelium ab Apoſtolis , aut eorum ſucceſſoribus nunciatum . Aliud ſenſum accommodat huic alteri loci illius parti Dupinus . „ *Certum eſt* , inquit Doctor hic , *Evangelium Serius in Gallias, quam in alias mundis plagas lumen ſuum intuliſſe* . Verumtamen videtur hic longius, quam par eſt , Galliarum converſionem diſtuliſſe. *

Girius Patronus Supremi Senatus Pariſienſis , Autor Verſionis Gallicæ, anno 1659. editæ, de Hiſtoria Sacra Sulpicii Severi , ita locum hujus Hiſtorici reddit . *Marcus Aurelius Perſecutionem quintam excitari con-* *pag. 254.* *ceſſit ; ac tum primum Galliæ effundi videmus Sanguinem Martyrum ſuorum , Religione Chriſtiana non antehac trans Alpes ſuſcepta* . Textus habet *ſerius* , quod non ſatis exprimit *non antehac* ; quare cum iſta Girii, tum Dupini interpretationes non videntur Sulpicii Severi verbis concinere . Aut certe exploratum eſt , quam maxime adverſari iis , quæ ad Sanctam Radegundem Septem Gallorum Epiſcopi ſcripſerunt. *Fidem in Galliis effulgere cœpiſſe ab ortu Religionis* . Ita ut ſecunda hæc S. Sulpicii Epocha , ſive altera ejus propoſitionis pars non poſſit maxime Areopagiticorum ſententiæ refragari . Quoties enim Fides diſſeminata in Galliis fuerit quinquaginta poſt annis quam in Aſia, & triginta quam in Italia , id ſatis videtur eſſe temporis , ut dici poſſit ſerius in Galliis ſuſcepta Dei Religio. Explicatio hæc nullo modo S. Sulpicii locum detorqueret , & congruere poſſet iis, quæ tradunt *Areopagitici*, Gallias primo Sæculo Evangelii lumen pervaſiſſe . Neque enim in ipſos valere poſſet Hiſtorici hujus teſtimonium , niſi ſi *ſerius trans Alpes Religione ſuſcepta* aliquam erectam Eccleſiam deſignaret , quod verba illa non reddunt.

Quantumvis autoritatis tribuas Actis Martyrii S. Saturnini , non poſſunt multo eſſe *Areopagiticis* detrimento . Cum dicit etenim , ſenſim & gradatim in regionibus Gallorum Apoſtolorum prædicationem coruſcaſſe, id non monet, eam minime a primo ſæculo non coruſcaſſe: multo minus nihil in illis verbis reperias, quod Gallorum Martyres ad uſque perſecutionem Marci Aurelii detrudat. Quod attinet ad ſeptem priores Epiſcopos Galliarum , Acta iſta nullius mentionem habent præterquam S. Saturnini , cujus in Gallias adventus certam habet medio circiter III. Sæculo ſedem . Qua de re , accepto quoque ſtrictiſſime loco , ex Actis S. *Marca Epiſt. ad Val.* Saturnini decerpto , non poſſent aliud inde colligere *Gregorienſes*, niſi S.

* Habemus ab Auguſtino , Fidem ipſius ævo neque illatam, neque prædicatam quidem fuiſſe, niſi aliquibus Africæ Gentibus. Opinio eſt , S. Frumentium in aliquas Æthiopiæ partes eam invexiſſe IV. Sæculo; atque Hiſtoria narrante compertum ſit , Gothos, alioſque Barbaros Septentrionis Fidei nomen haud dediſſe ante Valerianum; Iberiamque eam recepiſſe ſub Conſtantino opera & ſtudio cujuſdam ancillæ. Tillem. Tomo 4. art. 1. De S. Dionyſ. pag. 440.

Sa-

Saturninum in Gallias perveniſſe Decio imperante, & aliquanto poſt vitam pro Chriſto cum morte commutaſſe. *Areopagitici*, qui S. Saturnini Acta in aliqua habent exiſtimatione, hæc omnia ultro fatentur, quin aliquod opinioni ſuæ damnum inferre vereantur.

Nihil abſolutius loco S. Gregorii Turonenſis afferre quis poſſet, ut Septem Gallicanorum Epiſcoporum Apoſtolatum ad medium uſque circiter III. Sæculum revocaret; ſi exploratum eſſet, Autorem Actorum S. Saturnini id revera dixiſſe. Verum neminem latet, S. Gregorium Turonenſem *Tillem Baill. Dupinus. Ruinartius &c.* per eorum occaſionem, quæ ſcriptor hic tradit, nimirum S. Saturninum Decii ætate Toloſanam Eccleſiam adminiſtraſſe, ſex alios Galliarum Epiſcopos adjeciſſe. Id ſane oportet inter omnes convenire, S. Gregorium hoc loci ſeſe laqueis haud paucis implicaſſe; quoniam haud ita facile ipſe ſibi conſtare poteſt. In Libris etenim de Gloria Martyrum & Confeſſorum prodit memoriæ, S. Saturninum ſacris initiatum a Diſcipulis Apoſtolorum fuiſſe, & S. Eutropium chriſmate delibutum *De Glor. Mart. c. 48. & 50.* atque a S. Clemente in Gallias miſſum. Ac ſi duo hæc loca pretio caderent verbis illis: *Ut ferunt, ut fertur*, quibus utitur Sanctus hic, dum res minime compertas in medium profert, non eſt tamen cur dicas, eadem adhibuiſſe, cum differit de S. Urſino: ait enim abſolute, eum Bituricas Diſcipulorum Apoſtolicorum juſſu petiiſſe. *De Gloria Conf. c. 80.*

Argumenta *Areopagiticorum* ſolidiſſima ducta ſunt a Viſbii teſtimonio, Hilduini verbis ad nos traducto, nec non a Scripto, quod Provinciæ Viennenſis Epiſcopi ad S. Leonem Pontificem dederunt anno 450. *Prima intra Gallias*, inquiunt Antiſtites iſti, *Arelatenſis Civitas miſſum a Beatiſſimo Petro Apoſtolo S. Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paullatim Regionibus Galliarum bonum Fidei & Religionis infuſum*. *Dupinus Bibl. Tomo 3 p. 2. pag. 331.* Non putaverim, nonnihil de vi ſua detractum iri huic teſtimonio ex Dupini Interpretatione dicentis, verba hæc: *Trophimum miſſum a Beatiſſimo Petro Apoſtolo*, intelligenda eſſe de miſſione ab Epiſcopis Succeſſoribus S. Petri & Apoſtolorum; nihilo ſecius Textus habet revera *a Beatiſſimo Petro Apoſtolo*. Tametſi Epiſtola Zozimi ad Galliarum Epiſcopos eo numero & autoritate non eſſet, qua volunt *Areopagitici*; non tamen inficias iverint, eos graviſſimum comparare argumentum poſſe ab Epiſtola, quam ſeptem Epiſcopi ad Sanctam Radegundem ſcripſerunt.

Ex omnibus his teſtimoniis haurire licet 1. locum S. Sulpicii Severi de primis Galliarum Martyribus accommodatum eſſe, abſolutum, & propoſitum efficientem, neque fore unquam, ut de dignitate cadat, niſi cadente Patris illius autoritate. Nec vero perſuaſum habeo, aliquod ipſi incommodum afferre Reſponſum de Marca, & Alexandri affirmantium, *Marca Epiſtola ad Valeſium.*

Sul-

Alex. Tomo 2. ſæc. 3. Diſſert. 15. col. 2.

Sulpicii Severi intelligentiam eſſe, non ſæviiſſe in Galliis perſecutionem Generalem, in qua gladio abſumti fuerint Præſules & populus, quemadmodum anno 177. in Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis Perſecutionibus contigit; non autem negare Patrem illum, aliquos viſos Martyres fuiſſe ante illos, qui M. Aurelii tempore interierunt. Porro non videtur hæc explicatio Sulpicii verbis accommodari poſſe, cum diſerte tradat: *Ac tum primum intra Gallias Martyria viſa*.

2. Certum eſt, verba *ſerius trans Alpes* S. Sulpicii Severi, & *ſenſim & gradatim* Actorum S. Saturnini non indicare, in Galliis a primo Sæculo haud effulſiſſe ſplendorem Evangelii.

3. Si Gregorii Turonenſis teſtimonium, qui ſeptem Epiſcoporum adventum anno circiter 250. locat, non infirmarent errata, quæ refert, multa, aliaque loca, in quibus ſecum ipſe pugnare videtur, illud teſtimonium adverſam opinionem funditus everteret.

4. Si fides omnis eſſe poſſet Actis S. Dionyſii, ab Hilduino vulgatis, atque e Visbio depromtis, diſſoluta citra appellationem quæſtio eſſet; neque enim ab illo adduceretur antiquior Scriptor, quippe ipſius confeſſione ejuſdem eſt ævi, neque fidelior, quippe affirmat, S. Dionyſii Martyrium ante oculos ſuos fuiſſe verſatum.

Demum loca *Areopagiticorum* a Scripto, quod Epiſcopi Provinciæ Viennenſis ad S. Leonem Pontificem exararunt; ab Epiſtola Zozimi ad Galliarum Antiſtites; ab Epiſtola, quam ſeptem Epiſcopi ad S. Radegundem dederunt: hæc inquam loca, ut opinor, concluſe efficiunt, Fidem in Galliis a primo ſæculo nunciatam fuiſſe; non autem inde deducere poſſumus, aliquos per id tempus Chriſti fidem ſanguine teſtatam feciſſe, aut Eccleſiam ullam ædificaſſe, de quo præſertim diſceptatio eſt.

REGULA QUINTA.

Facta rationibus & conjecturis confirmare:

QUamquam utriuſque Sententiæ a nobis in judicium vocatæ Scriptores quamplurimas huc cogant rationes, ſimilitudines veri, & conjecturas, cum ad opinionem ſuam ſtatuendam, tum ad contrariam infirmandam, atque argumenta, quibus roboratur; vix tamen utrinque unum offendas abſolutum & conſtans argumentum huic facto hiſtorico extra aleam collocando; atque illud unum a negante probandi genere petitum erit, ſive eodem recidet.

Præcipua *Areopagiticorum* ratio in Traditione poſita eſt. Fieri nullo modo poteſt, ajunt, omnes ferme Gallicas Eccleſias XVI. aut XVII. Sæculorum intervallo tantum errorem foviſſe; quod tamen effugere non poſ-

poſſent, ſi modo a primo ſæculo inſtitutis Evangelicis imbutæ non fuerint, eaſque vir aliquis Apoſtolicus ſanguine ſuo non reſperſerit. Ita communis Gallorum quaque ætate retulit fides, neque citra concluſa rationum momenta eſt illi hujuſmodi gloria invidenda.

Quis mos, reſpondent Gregorienſes, atque argumentantur, quis mos eſt gerendus Traditionibus popularibus, quarum ab octo ſæculis obſtructus eſt fons, nec quidpiam ad eas pertinens extat explorati? Quem præterit, nihil de iis aures hominum pervaſiſſe ante Carolum Magnum? *

REGULA SEXTA.

Quidquid in adverſum eſt, firmiter diluere.

SI utriuſqe partis Criticis habenda fides eſt, regulæ iſti obtemperant accurate, utpote qui contendunt, ſolide iis omnibus feciſſe ſatis, quæ in factum præcipuum, ejuſque adjuncta commoventur. Næ ipſis id quod æquum eſt concedendum, eos ſcilicet nihil ſine reſponſione prætеriiſſe, quod non parum contulit ad eorum volumina amplificanda, factaque graviſſima haud pauca implicanda quamplurimis probationibus, conjecturis, & reſponſis, plerumque admodum inanibus, parumque conſtantibus.

ANIMADVERSIONES

ad Factum iſtud, aliaque ſimilia dijudicanda neceſſariæ.

EXpeditis argumentis, quæ Scriptores utriuſque Epochæ ab autoritate & conjectura in rem ſuam derivarunt, iiſque intra fines, quos recta & æqua Critice poſtulat, cohibitis, illud percommode cadit, ut Animadverſiones nonnullas huc traducamus, quæ celebri huic quæſtioni dirimendæ ut opinor conferent.

Attendendus primo eſt animus ad hoc, nimirum, cum hinc S. Sulpicius Severus aperte ſignaverit tempus, quo primi Martyres in Galliis fuerunt, & Gregorius Turonenſis adventum ſeptem Epiſcoporum: illinc vero Hilduinus propugnaverit, S. Dionyſium Areopagitam a S. Clemente in Gallias miſſum fuiſſe, ibique Martyrium ſubiiſſe; æquitatis

* *Apud Hilduinum*, ait P. Le Cointe, *Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, utrum Dionyſius Pauli Apoſtoli diſcipulus, ac primus Athenarum Epiſcopus, martyrium apud Gallorum Gentem conſummarint, ſollicito per Legatos ſuos inquirit, comperitque, id certum reperiri. Pipino Rege hac de Paſſione Dionyſii Areopagita per Galliam ſpargi cœpit opinio*: ad ann. Chriſti 836. n. 121. Pipinus evaſit e vita anno 768. Hilduinus vero *Areopagitica* ſua ſcripſit anno 837., & propterea primus non eſt opinionis hujus Autor, quæ in Galliis invaluerat 70. annis, antequam de illa loqueretur.

eſſe, Scriptores iſtos in teſtimoniorum ſuorum poſſeſſione relinquere, quandoquidem clare, nullaque intercedente ambiguitate, rem aſſerunt, donec optimis rationibus aſſequamur, utros opinio ſefellerit.

Animadverſio altera verſatur ſuper vadibus, quos indueunt tres Autores iſti de iis, quæ verbis adeo conceptis docent. Cum etenim S. Sulpicius Severus & S. Gregorius Turonenſis a rei capite diſtent ſæculo non uno, multo vero magis Hilduinus; nemini ipſius verbis ſtandum eſt ex præſcripto ejus regulæ ſingularis, quæ inter ſolidiſſimas univerſæ Criticees recenſetur. *Habendum contemtui eſt, quidquid novus Autor ſine teſtimonio antiquioris, qui, dum res gerebatur, vixerit, in lucem edit.* Quare cum non potuerint tres Autores iſti, per ſeſe id callere, quod multo ante contigit, quam ipſi naſcerentur, neceſſum eſt, id illos ab antiquioribus accepiſſe, aut certa & conſtanti traditione ad ipſos manaſſe: alioquin dicere opus eſſet, eos facta iſta confinxiſſe.

Dupinus Tract. de Doctr. Criſt. c.20 pag.139.

Poſt quas animadverſiones, rectæ & accuratæ Criticees trutina perpendamus, utra ex his opinionibus certior videri debeat initiis ſuis, videlicet, quod attinet ad vades cum S. Sulpicii Severi, & Gregorii Turonenſis, tum Hilduini; ſive quod attinet ad Traditionem, unde utrique, quod aſſerunt, hauſerunt. Habes, aut ego fallor, unde pendeat Quæſtionis hujus ſolutio, quæ ſane nunquam poterit apte expediri, niſi his tandem finibus circumſcribatur.

Quamvis declaret S. Sulpicius Severus, ſe Hiſtoriam ſuam ex optimis monumentis collegiſſe, res tamen haud paucas eodem de primis Gallorum Martyribus loco perſequitur, quæ non auderent *Gregorienſes* propugnare; honor nihilominus, quem Gallia univerſa Scriptoris hujus tribuit probitati, nos urget, ut habeamus ratum, ea, quæ de primis noſtris Martyribus tradit, didiciſſe illum ab Autore aliquo vetuſtiore, cujus opera exciderint; aut conſtanti temporum ſuorum traditione factum illud protuliſſe. Non repugno, S. Gregorium Turonenſem contendere teſtimonio Scriptoris de Geſtis S. Saturnini, primum hunc Toloſæ Epiſcopum in Gallias non veniſſe ante medium circiter *III.* Sæculum; * at de ſex aliis Epiſcopis meminit non alicujus ipſo antiquioris Autoris fide, ſed traditione Eccleſiarum Alvernienſis, Turonenſis, Lemovicenſis, & Pariſienſis; quæ porro traditio illum, ut ſuperius monitum fecimus, non poterat latere.

Abbas S. Dionyſii multos eorum, quæ litteris commendavit, vades dedit, ſcilicet Fortunatum Epiſcopum Pictavienſem, & S. Eugenium juniorem Epiſcopum Toletanum. Affirmant Antiſtites iſti in nonnullis Hymnis ipſis tributis, S. Dionyſium ad Gallias juſſu S. Clementis Pontifi-

* S. Gregorius alibi ea retulit, quæ cum his pugnare videntur.

cis

Digitized by Google

cis ſe contuliſſe. Hilduinus Epiſcoporum iſtorum dictis adjicit duorum *Miſſalium* vetuſtiſſimorum teſtimonium, * in quibus deſcripta erat Miſſa ritu Gallicano jam inde ab exordio ejuſdem Fidei in Regionibus illis conſtitutæ, & in quibus Martyrium S. Dionyſii ſociorumque legebatur. Idem Abbas Græcum Hiſtoricum, Ariſtarchum nomine, in medium producit, qui in Epiſtola ad Oneſiphorum data plura miſcet ad S. Dionyſium Areopagitam ſpectantia, atque inter cetera, eum ab Eccleſia Athenienſi diſceſſiſſe, alio in locum ſuum Epiſcopo ſuffecto, exindeque Romam migraſſe. ** Denique Hilduinus nos certos efficit, ſe Traditionem iſtam ex Hiſtoria comparaſſe de Geſtis Dionyſii a Visbio, teſte Martyrii ejuſdem, ut ipſe ait, oculato deſcripta. Verum quamquam hujuſmodi teſtimonia ſatis ſolida ſint & aperta ad Hilduini Traditionem in tuto ponendam, de qua tamen non convenit inter omnes; *** qui fieri poterit, inquient *Gregorienſes*, ut Hilduini fide certum & conſtans habeamus, ſponſores, quos affert, ea dixiſſe, quæ dicentes illos inducit; cum exploratum ſit, Abbatem hunc iis dotibus affectum non eſſe, quibus afficiatur neceſſe eſt Hiſtoricus teſtimonii omni exceptione majoris? Quod ut liqueat,

* Anno 1681. P. Thomaſius ex familia Religioſa Theatinorum Romæ edendum curavit Opus inſcriptum. *Codices Sacramentorum nongentis annis vetuſtiores, quorum primus eſt Eccleſia Romana, reliqui Gallicana.* in 4. Romæ. Primum horum quatuor Codicum Sacramentorum, ſive *Miſſalium*, cui titulus eſt: *Liber Sacramentorum Romana Eccleſia*, crediderim certe Gelaſianum eſſe, ab hoc Pontifice nuncupatum, etſi demortuo ipſo aliquas additiones ſubjerit. Alter eſt *Miſſale* Gothicum ſive Gallicanum, priſcum, cujus frequentior erat in Galliis uſus, donec temporibus Pipini & Caroli Magni Ritus Romanus inolevit. Tertius vocatur *Miſſale Gallorum*, & quartus *Miſſale antiquum Gallicanum*. Sunt qui credant, tertium confectum fuiſſe pro Eccleſia Pictavienſi; & quartum pro Antiſſiodorenſi; magnam autem veri ſpeciem habet, *Miſſalia* duo, ab Hilduino laudata, Gelaſianum eſſe, & Gothicum, ſive vetus Gallicanum, in quo refert habitam de Dionyſio Areopagita mentionem. In hanc quoque diem comperimus, Gelaſianum Canonem de S. Dionyſio, deque S. Eleutherio meminiſſe &c.

** *Ariſtarchus Græcorum Chronographus in Epiſtola ad Oneſiphorum Primicerium de ſitu Athena Civitatis, & Geſtis ibidem, Apoſtolorum temporibus ſcribens, Dionyſii Areopagita ortum proſapia, & doctrinam ejus, atque converſationis ordinem, ſive ætatis tempus, nec non & ordinationem ejus, ac prædicationem; ſubrogationem etiam Epiſcopi ſuo loco, & adventum illius Romam ordinabiliter narrat.* Hild. in Areop.

*** Non deſunt, qui opinentur 1. in Hymnis, Fortunati & S. Eugenii nomine inſcriptis, non extare, quæ de S. Dionyſio continere dicuntur; ſed ea fuiſſe a Doubleto adjecta in fine Tractatus ſui de Antiquitatibus S. Dionyſii, typis emiſſis Pariſiis 1625. 2. Utraque priſca quæ afferuntur, Miſſalia loqui revera de quodam Miraculo & de Martyrio S. Dionyſii, at Pariſienſis, non Areopagitæ. Et ſane nihil eſt, quod hunc indicare poſſit. 3. In vetuſtis Hiſtoriis ne verbum quidem fieri de hoc Ariſtarcho, omneſque latere quinam Autor fuerit. Denique Vita S. Dionyſii, quam Visbio adjudicant, non eſſe Dionyſii Areopagitæ Vitam, ſed Dionyſii primi Epiſcopi Pariſienſis, qui Sæculo tertio floruit. Le Cointe ad annum 335. num. 115. & ſeq.

Diſſert. 2. art. 6. pag. 236. oculos conjiciat, qui voluerit, in quinque Critices præceptiones a nobis in rem hanc traditas, atque ad *ſinceritatem, accurationem, vacuumque animum redactas*; & vix in Hilduino veſtigia apparebunt illarum partium, quæ Hiſtoriel fide digni indolem efficiunt. Neque alia profecto de cauſſa Criticorum plurimi Hilduinum in eorum numero habent, quibus non eſt autoritas adjungenda, quique fabulas non paucas conſuerunt. Quare donec de Abbatis hujus fidelitate ex his Critices regulis dijudicabitur, jus ſemper unicuique erit, ſuſpicione attingendi Traditionem ejus, & Litteratos illos probandi, qui illius opinioni detrahere conati ſunt.

Tametſi non aggredior impræſentiarum ad ſuſcipiendam Hilduini defenſionem, neque ipſius de S. Dionyſio Areopagita ſententiam mordicus amplectendam; non poſſum tamen quin ad rectæ & cujuſvis affectionis expertis Critices judicium exigam; utrum Scriptoris hujus verbo ſtandum ſit: ſiquidem ab hoc pendet non parum facti hujus deciſio. Affirmare itaque quis poſſet. 1. Licet Sapientum multi de Hilduini fidelitate palam ſiniſtre ſentiant, multos item, & nihilo minus illuſtres, eſſe, qui pro Abbatis hujus probitate cauſſam dicant; etſi confiteri neceſſe ſit, utroſque fines æquitatis preteriiſſe. 2. Non videtur ſecundum accuratæ & prudentis Critices præcepta integrum eſſe cuique, dubium factum expendenti, eos fide indignos Scriptores eriminari, quorum teſtimonium cauſſæ ſuæ adverſatur. Porro videre mihi videor *Gregorienſes* hæc de Hilduino peccare; Si nanque illos interroges, quare contemtu tanto Abbatis hujus Autoritatem abjiciant, propterea eſt, ajunt, quod fabulam excogitaverit, quæ S. Dionyſium Areopagitam & S. Pauli *diſcipulum* eumdem cum primo Epiſcopo Pariſienſi facit: at enim id in quæſtionem venit. Quod ſi ita ſe gerere licitum eſſet Criticis, quæ non perturbatio rem Litterariam ſuſdeque verteret?

3. Quamvis daremus ultro, Hilduinum adeo miſerandum Autorem eſſe, ut *Gregorienſes* perſuadere nituntur, non poſſunt, ut opinor, quominus ex inſtitutis ſeverioris Critices Dupini Traditionem ipſius amplectantur. „ Secunda Regula, inquit Doctor iſte, cujus ope de factorum
Dupinus Tract. de Doctrina Chriſtiana c. 20. pag. 646. „ veritate diſceptamus, a Scriptoris narrantis probitate & fide proficiſci-
„ tur . . . . . . ſi nanque homo eſt ad fabulas venditandas compoſitus,
„ ſi homo inepte credulus, qui tot litteris tradidit, quot auribus exce-
„ pit, nullo delectu, judicio nullo intercedente, qui ſibi ipſi placuit in
„ colligendis narrationibus incertis, aut falſis per ſeſe excogitandis (au-
„ dis, ut ſpecies eſt, Hilduini ingenium optime redditum:) Si quod nar-
„ rat, non firmatur autoritate alterius Scriptoris, is non erit, cui fi-
„ dem noſtram adhibeamus, moniti: *mendaci, etiam vera dicenti, non eſ-*
„ *ſe credendum*. „ Qua de re Hilduini Traditio, vetuſtis Autoribus be-

ne

ne multis munita, non poterit non vel tanquam probabiliſſima exiſtimari; niſi forte a Doctoris illius regula deſciſcamus.

4. Hilduinus opinionem ſuam Scriptorum multorum ſuffragio conſtituit, momenta ſuſtulit in eam objecta, atque teſtatus eſt, ſe nihil, quod non certiſſimis manaret Hiſtoriis, retuliſſe; *ex ipſa veraci Hiſtoria*. In Epiſtola ad Ludovicum Pium tum ſcripta, cum ad eum Areopagitica ſua miſit, fatetur, ſi quis revocet in dubium, quæ de S. Dionyſio Areopagita mandavit Libris ſuis, paratum ſe eſſe ad MSS. vetera in medium afferenda, a quibus rem mutuavit. *Hæc univerſa & qualiter, & quo ordine dicta manifeſte reperiet*. Quod eſt Epiſtolæ Ariſtarci, hæc habet ipſa ad illum Principem Abbas noſter. *Quam Epiſtolam veſtræ Dominationi dirigimus, & quiſque ſtudioſus apud nos prævalet invenire, curioſus autem ex Græcorum fontibus, unde & nos illam ſumſimus, poterit mutuare*. Videtur itaque, quo non eſt promptum adeo, duo hæc in eodem autore conjungere, nimirum aggredi ad obtrudendam fabulam priſcæ Traditionis loco, & paratum eſſe ad oſtendenda Opera, quibus, quæ referat, ab accuſationibus vindicentur, eo confeſſione univerſorum non reperiri fortaſſe in Hiſtoria cum Eccleſiaſtica tum profana exemplum impudentiæ tantæ, quanta in Hilduino fuit, ſi modo commentum ipſius eſt Dionyſii Areopagitæ narratio. Cui profecto perſuaſum eſſe poterit, Abbatem præclarum adeo generoſa ſtirpe, moderatione ſingulari, ante omnia vero ea pietate, mentis acie, & probitate præſtantem, quæ Principi Magno in cauſſa fuerit, ut eum ſibi miniſtrum adjungeret, ipſique rerum Regni ſui graviſſimarum procurationem committeret: cui perſuaſum, inquam, eſſe poterit, hujus ingenii Scriptorem, Regis ſui juſſu Hiſtoriam enarraſſe, eandem fabulis referſiſſe, Regi, Epiſcopis, totique Regno imponere tentaſſe: atque interea palam edicere, ſe Monumenta, unde rem hauſit, authentica producturum? monumenta quidem, quæ eum in multorum manibus verſari poſſent, poterant ſubinde calumnias & mendacia ſua retegere & aperire. Hoc agendi genus, extremum, aut ego fallor, fuiſſet invereeundiæ & temeritatis faſtigium. Quamobrem periiſſent licet monumenta, quibus Hiſtoriæ S. Dionyſii tenendæ uſus eſt Hilduinus, ſive non extarent adhuc temporibus noſtris ea, quæ ſuis extitiſſe narrat, æquum tamen eſſet, ipſius potius, quam Criticorum noſtrorum dictis acquieſcere. Anne conjecturæ leves, aut argumenta negantia præverti debent teſtimonio vero, abſoluto, atque iis, quæ hactenus retulimus, adjunctis affecto?

5. Nulla ferme eſt Critices certior præceptio, qua pateat veritas Hiſtoriæ alicujus, a quopiam Autore recitatæ, & compertum ſit, non eſſe illum ejus inventorem, quam ea, cum Scriptores alii, quibuſcum nulla

nulla huic intercedit cognatio, ab iſto tradita confirmant; factumque paſſim conſtat receptum ante fuiſſe, quam hic de eodem quidpiam poſteritati commendaſſet. Quo prorſus modo ſe habet Hilduinus. Sexaginta ante annis quam Abbas hic *Areopagitica* ſua in lucem ederet, ferebat opinio in Galliis communis, S. Dionyſium Areopagitam Evangelii prædicandi gratia, illuc appuliſſe. Epiſcopi Conventus, acti Pariſiis tempore Imperatoris Ludovici Pii, Epiſtolam ad Eugenium II. dederunt, in qua ſe accepiſſe perhibent vetuſtiſſima & tutiſſima Traditione, a S. Clemente in Gallias miſſum Dionyſium, primum illarum Apoſtolum fuiſſe, atque inibi pro Chriſto cruciatum occidiſſe. Nos alibi verba ipſa deſcripſimus. Denique Hilduini Traditio roborari utcumque poteſt Epiſtola Antiſtitum Gallicanorum ad S. Leonem, alia S. Zozimi, & præſertim illa Epiſcoporum Galliarum ad S. Radegundem. Quod ſi tanti non ſunt argumenta iſta, ut efficiant Traditionis Hilduini veritatem; non dubito tamen, quin æquum hominem perſuadere poſſint, eum non fuiſſe primum, qui S. Dionyſium Apoſtolum Gallorum, Areopagitam eſſe, dixerit, ut ipſi crimini vertunt *Gregorienſes*.

Baronius. Cointius, Sirmondus, Alexander &c.

Poſtquam autem vacui animi homines ſimul contulerint utrarumque Traditionum fundamenta, & æqua lance ſuſpenderint hinc S. S. Sulpicii Severi, & Gregorii Turonenſis teſtimonia, illinc hanc probationum copiam, quæ ſententiæ favet Hilduini, ipſorum judicium eſto, utra ne harum opinionum adeo certa ſit, ut alteri aut minimum, aut ferme nihil probabilitatis relinquat: ſive demum an rectæ & accuratæ Critices inſtitutione poſſet quis indiſcriminatim ſe ſe adjungere alterutri, quam maluerit, Epocharum iſtarum adventus S. Dionyſii, aliorumque Galliarum Epiſcoporum. Diſſertatione huic proxima indicabo, quam partem ſequi ſuper hac quæſtione magis æquum nobis videatur.

Si vero prolixi nimis fuimus in hoc Articulo, id propterea factum eſt, ut melius perciperentur rationes, quibus utuntur ſapientes noſtri ad evolvendam controverſiam iſtam, qua diſtracti invicem ſunt de primæ in Galliis prædicationis Evangelicæ, primorumque Martyrum tempore. Idcirco autem factum hoc hiſtoricum aliis multis anteculi, * quod cogita-

* His addi potuiſſent Diſputationes de Aſſumtione Virginis, nimirum, an corpus cum anima ipſius in cælum translatum fuerit; anne S. Maria Magdalena, Maria peccatrix, & Maria Soror Marthæ tres fœminæ ſint, aut una tantum; ſique ſorores hæ duæ, fraterque Lazarus ad Gallias appulerint. In exemplum quoque afferre poſſemus celeberrimas Diſceptationes de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate; de Autore Operum, S. Dionyſii Areopagitæ nomen præferentium, atque Libelli de Imitatione Chriſti, aliæque id genus, ob quas in varias Opiniones extremorum *Sæculorum* Critici abiere, & ſcripta plurima pepererunt, in quibus ferme univerſis, eaſdem omnes ingrediuntur vias, rationes adhibent, atque incommoda offendunt, quæ nos hoc articulo animadvertimus.

ve-

verim, illud nos propius attingere, Scriptoreſque idem elucidando addictos, nihil ſibi temperaſſe, ut in rem hanc quidquid ſufficere ipſis exquiſitiſſima eruditio, & fœcunda Critice parere potuit, explicarent.

Unum exemplum hoc perſpicue oſtendit, in quot ſe involucra jaciat, quicumque falſo Critices licentioris, minuſque caſtigatæ lumine regitur. Hæc facit, ut centum emergant difficultates, dum uni incumbimus diſſolvendæ; ineptæ & leves multæ probationes afferantur, quæ ſe mutuo petunt; in ſtruem quandam compingantur teſtimonia & conjecturæ, e quibus aliæ rurſus haud raro prodeunt, obruuntque, & implicant adeo præcipuum factum, ut pene in turba tanta reperiatur. His denique eruditionis & Critices impedimentis magnis veluti congeſtis ſive oppugnandæ ſive propugnandæ alicui ſententiæ fit ſæpe numero, ut incertus pendeat adhuc animus ad quam ſe traducat.

Quamquam etenim magnificent Critici, ſe hac ratione factum hoc, aliaque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ plura illuſtraſſe, atque in ampliſſimo lumine collocaſſe, me fugit, an viri nulli iſtarum parti vel addicti vel infenſi, poterunt non confiteri, iis potius tenebras illos obduxiſſe, ambageſque non paucas circumdediſſe, quandoquidem poſt quamplurimas Diſſertationes, Tractationes, Opuſcula & Opera in lucem vulgata cum pro facto iſto, tum in illud, tantum abeſt, Viros Sapientes ſibi invicem animis & ſententiis acceſſiſſe, ut contra utrique opinioni ſuæ firmiter adhæſerint, & adhæreant, quique adhuc neutri ſe dediderunt, hæreant dubii incertique, quam potius amplectantur.

Adjecimus præterea nonnulla Critices monita, quæ ut in optimis autoribus frequentia, ita certa admodum ſunt quibuſcumque factis hiſtoricis examinandis; eaque ad celebre hoc prædicationis Evangelii in Galliis factum accommodavimus. Si in ipſorum veſtigiis accurate inſiſterent Critici, de medio ſane tollerentur non pauca argumenta minus firma, tum ab autoritate, tum etiam a conjectura depromta; omitterentur quæſtiones multæ, rei advenientes, prorſuſque inutiles; objecta quibuſdam finibus concluderentur, minuſque negotii faceſſeret ea diſſolvere. Prudens demum regularum iſtarum uſus Hiſtoriæ ſemitas contraheret, Critices plus ſatis contentioſæ æſtus cohiberet, latius aditum aperiret veritati retegendæ, aut ferendo judicio quænam ſententiarum illarum æquitatem magis referret. In quæſtionibus etiam problematicis deprehenderemus, utra opinionum illarum magis eſſet ſimilis veri, & ſequi poſſit; ſi præjudicia, & partium ſuſceptarum ſtudium ſinerent vacuo penitus animo de rebus deliberare. Paucis omnia: ſi in factorum hiſtoricorum trutina nobis blandiri utique non poſſemus de inventa ſemper veritate, in ſpem tamen induci poſſemus, nos eidem, adhibitis hiſce regulis, appropinquare.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII. & Ultima.

ANIMADVERSIONES
IN REGULAS CRITICES,
DE VITIIS,

In qua Regularum Criticarum Uſu delabi poſſumus; & quibus uti rationibus, ut ea declinemus.

TAMETSI ex iis, quæ hactenus perſecuti ſumus, integrum fuerit unicuique animadvertere in univerſum, Criticen, tum quoad traditas regulas, tum quoad habitum illarum uſum, vitiis omnino non carere; prætcrire tamen nullo modo volumus hoc loci, eorum præcipua ſingillatim colligere, aliaque illis addere; quæ ut oratione attingeremus nullam adhuc nacti fuimus idoneam opportunitatem. Quo autem a moleſtis repetitionibus abſtineamus, reſque in pauca redigamus, In ora Libri loca hujus Operis apponemus, in quibus confidimus fore, ut reperiantur argumenta neceſſaria iis rite probandis, quæ in hac Diſſertatione complectemur.

Cum autem parum eſſet, oſtendiſſe, vitia paſſim occurrere in Regulis & Uſu Critices; niſi in eo diligentem poneremus operam, ut rationes paterent ad magnam hanc artem inſtaurandam accommodatæ: idcirco ſummatim huc traducemus vias tenendas, quibus illa regatur, ipſius principia magis inconcuſſa reddantur, & majora afferant commoda ad Hiſtoriam Eccleſiæ illuſtrandam & ſtatuendam.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

In Criticorum Operibus non apparet notio ſatis accurata plerarumque vocum, rerumque his vocibus ſignatarum.

Nihil eſt, quod ita Diſciplinam invertat, atque vocum ambiguitas; præſertim cum variæ iis ſententiæ ſive ab uno ſive a pluribus Autoribus ſubjiciuntur. Hinc fit, ad infinitum progredi Diſputationes, atque in diſſitis longe regionibus ſæpe verſari, qui in rei ſumma facile admodum ſibi invicem accederent, ſi eandem notionem quibuſdam vocibus imprimerent. Nonne accuratio, claritas, & nitor, quibus præditum eſſe oportet egregium Criticum, cum deberent ab hoc laqueo in tuto ponere? In hunc tamen ſcopulum ii plerumque impingunt, quos appellant Scholaſticos.

Porro ut rem hujuſmodi diligenter expediamus, opus eſſet huc id revocare, quod dicitur definitio nominis, atque animadvertere quo differat a rei Definitione. Verum quoniam Critica pronunciata plerumque Scholæ acuminibus non quadrant, & raro admodum in Criticorum Operibus id genus Definitiones deprehenduntur; ideo cum nullas fortaſſis alias tum nominum tum rerum noſtri ſapientes agnoſcant, niſi illas, quas vocant *arbitrarias*; opere pretium duco animadvertere cum Autore de Arte Cogitandi, quemadmodum quicumque ſonus ex ſeſe & natura ſua ad ſpecies omnes ſignificandas indifferens eſt; ita liberum eſſe unicuique citra errorem, omni ſignificatione veluti exuere vocem hanc. ex. gr. *Parallelogrammum*, eamque ad reddendum mihi triangulum referre. Tum, modo illi unam hanc notionem affingam, dici poterit, *Parallelogramum* tres angulos æquales duobus rectis habere. Ut autem regula hæc in pravum non deflectat, tria ſunt obſervanda, 1. id non licere niſi privata quadam exercitatione, non autem in Libris, qui publicæ inſerviunt utilitati, niſi ſi eandem ubique ſerves ſignificandi vim. 2. Cavendum eſſe, ne ſonus hic ad certam quandam rem cum alterius permixtione indicandam convertatur. 3. aliter omnino ſe habere rerum Definitionem. Neque etenim ab hominis voluntate pendet, ſpecies rerum id in ſe comprehendere, quod ipſe maluerit; adeo ut ſi quis in illis definiendis quidpiam formis aptabit, quod minime complectuntur, non poterit errore vacare. Itaque non video, cui vitio vertendum ſit hoc per-

1. p. c. 12. pag. 105. & 106.

turbationis genus, quo non ſemel afficiuntur Critici, præterquam huic Definitionum, quas pro arbitrio apponunt, conſuetudini, quin eorum aliquid, quæ monuimus, præcaveant. Inde pariter oritur, ipſorum multos eidem ſono eidemque rei disjunctiſſimas ſpecies accommodare; neque raro eundem Criticum reperiri, qui eas locis non paucis diverſimode interpretetur. Hoc autem unum dicito ex vitiis illis, quibus uſus Criticees inquinatur; ut exemplis probare pergo.

§. I.

De voce: *Apocryphum*.

SI diſſentiunt Sapientes Critici noſtri de propria verbi *Apocryphum* ſignificatione, deque re per illud enunciata, propterea fuit, quod ſane crederent, minimarum rerum iſtarum ſtudium in Logicos, aut Lexicorum autores conjiciendum eſſe, ſive quod e re ſua fore non putarent, proindeque potuiſſe, nulla interjecta cunctatione, ad varios modos tranſitum facere, quibus intelligi poteſt res, hoc nomine *Apocryphum* deſignata, cujus notio profecto obſcuriſſima.*

Tomo 1. pag. 21. col. 2. „ Euſebius, inquit Dupinus, in tres Claſſes Libros *apocryphos* partitur. Prima continet eos, qui Libris Canonicis propiores ſunt, videlicet, qui in Canonicorum numero ab aliis collocantur, ab aliis numero illo ejiciuntur. Altera præfefert Libros, in Canonicorum album a nemine relatos, non tamen ab Hæreticis confictos. ** Tertia denique conſtat Libris revera ab hoſtibus Religionis excogitatis. „ Hujus regulæ vi tuetur Dupinus, Barnabæ Epiſtolam primo *Apocryphorum* aut certe ſecundo generi accenſendam eſſe, quæ *Apocrypha* licet, ab

* Verbum hoc *Apocryphum* radicem habet e Greco *ἀποκρύπτειν*, quod eſt abſcondere. S. Auguſtinus l. 15. de Civ. Dei c. 23. autor eſt, Libros apocryphos ita nuncupari, quod ſint latentis originis. Hieronymus Epiſt. ad Lætam putat, eos eſſe Apocryphos Libros, qui ab iis non prodierunt, quorum nomina referunt. Gelaſio autem Pontifici viſum eſt, hoc vocabulo ſignari, quod myſteria ab Hæreticis occultata complectantur. Ea mente eſt Epiphanius, ut exiſtimet in hunc modum appellatos, quia in Arca ſepoſiti non eſſent. Sunt denique qui contendant, eos hoc nomine donandos Libros, qui in Canone recenſiti non ſunt, aut ſolos Libros pravos.

** Dupinus haud notat locum; quo de tribus his Apocryphorum Librorum generibus ſermonem habet Euſebius. Verum ea non potuit promere, niſi e c. 25. l. 3. Hiſtoriæ ſuæ. Ceterum apertum eſt, Euſebium hanc vocem *νόθοι* germana intelligentia ſua non vertiſſe, quippe pro incertis & dubiis Libris uſurpavit, cum proprie ab Hæreticis ſuppoſitos ſignificet. Quo factum eſt, ut *Valeſius* hoc loci animadvertat pag. 32. col. 2., eum ſubduxiſſe calculum cap. 31. ejuſdem Libri, in quo perſpicue Libros incertos a ſuppoſititiis ſecernit; atque in hoc Origінem ſecutus eſt, qui ait Tomo 13. in Joann. *Diſquirentes ſit ne genuinus Liber, an nothus, an mixtus?*

iis

iis proficiſci potuerunt, a quibus nuncupantur, uti Liber Paſtoris, aliique.

Confeſſio, S. Cypriani nomine vulgata, Epiſtolæ Abgari ad Jeſum & Jeſu ad Abgarum a Gelaſio inter *Apocrypha* poſitæ fuerunt, & tamen nequeunt habere ſedem in ulla trium iſtarum claſſium, quas Dupinus propoſuit. 1. Nemo illas Canonicis ſcripturis annumeravit. 2. Monumenta hæc, Doctoris hujus ſententia, adulterina ſunt. 3. Ab Heterodoxis conſcripta non fuerunt. Admittenda eſt itaque quarta Librorum *Apocryphorum* Claſſis, in qua locentur Opera Spuria, quæ nihil fidei & bonis moribus adverſum continent, neque ab Hæreticis commenta ſunt, cujuſmodi erunt Epiſtolæ Abgari & Jeſu Chriſti, Confeſſio S. Cypriani, aliaque nonnulla, in Concilii Romani Decreto enunciata.

Docet Alexander, *bifariam ſumi Apocrypha, vel pro Pſeudepigraphis, & quorum ſecreti Autores atque incogniti, vel pro iis, quæ notam aliquam merentur erroris aut impietatis*. (*Hiſt. Eccl. Sæc. 1. c. XI. art. 6. pag. 99.*) Quapropter Epiſtolam S. Barnabæ falſo huic Apoſtolo tributam exiſtimat, atque in hunc modum argumentatur. *S. Hieronymus & Euſebius non amandant Epiſtolam Barnabæ ad Apocryphas Scripturas, quia notam aliquam erroris aut impietatis mereatur; quinimo teſtatur S. Hieronymus, illam ad ædificationem Eccleſiarum pertinere: Ergo cenſent illam Apocrypham eſſe, quod ſit Pſeudepigrapha, & S. Barnabæ ſuppoſita*. Hac vero ratione Epiſtola eadem ſuppoſita eſt, eademque non eſt. Eſt quidem ſecundum rogatas ab Alexandro de Libris Apocryphis leges, non eſt autem, ſi quas ſuper eadem retulit Dupinus, audiamus.

Alexander idem ad Librum Paſtoris ſermonem convertens inquit. 1. (*Ibid art. 7. p. 102. & ſeq.*) Hermam certo eſſe Libri Paſtoris autorem. 2. a Gelaſio Pontifice apocryphis annumeratum: *Liber, qui appellatur Paſtoris apocryphus*. Quibus poſitis; reſpondebit fortaſſe quis huic Doctori, nihil efficere prorſus argumentum, quo utitur ad oſtendendam Epiſtolæ Barnabæ ſuppoſitionem, aut ſiquid efficit, effecturum quoque, Paſtoris Librum injuria Hermæ adjudicari. *Gelaſius etenim*, per eum, *non proſcripſit Librum Paſtoris, ut Apocryphum, quod noxiæ eſſet doctrinæ*; oportet ergo illum proſcripſiſſe, quod eſſet ſuppoſititius; id tamen non patitur Alexander, qui ejus germanum Scriptorem Hermam fuiſſe tradit. Gelaſius igitur alia de cauſſa Apocryphum nuncupavit, videlicet quia Canonicus non eſt. *Gelaſius non proſcripſit Librum Paſtoris, quod falſi eſſet nominis, aut noxiæ doctrinæ, ſed quod extra canonem eſſet collocandus*. Quamobrem inter Libros *Apocryphos* ideſt ſuppoſititios, & *apocryphos*, ſcilicet erroribus infectos, medium genus erit *Apocryphorum*, nimirum eorum, qui ſunt a Canone removendi; adeoque Liber aliquis *Apocryphus* eſſe poterit, quin

ſit ſuppoſitus, aut pravus. Hinc fit liquido, Dupinum reſpondere poſſe, quamquam Epiſtola Barnabæ Apocrypha ſit, talem non eſſe tamen, *vel quod falſi nominis, vel quod noxiæ doctrinæ, ſed quod extra Canonem* collocanda: ita ferente Alexandri Principio.

Alio plane modo ab iſtis partitur Libros *Apocryphos* Simonius. In cenſum nanque veniunt per eum Scripta quoque, quæ primitus mendacia non ſunt, ſed temporum conſecutione vitiata. Contendit ſiquidem, Baronio duce, Nazaræos aliquandiu Evangelium S. Matthæi ſine ulla additione cuſtodiviſſe; nihilo ſecius, perdoctus hic Cardinalis Evangelium hoc in *Apocryphis* habet. „ Si Apocryphi nomine, ait Simonius, „ Librum falſum intelligas, verum non eſt ſecundum hanc interpreta„ tionem, Evangelium Nazaræorum *Apocryphum* eſſe. Id unum dici pot„ eſt, *authenticum* non eſſe, ſi additamenta gravia, ſenſumque invertentia, ſuſceperit. „ Qua de re videtur hic Criticus peculiarem quendam Librorum Apocryphorum ordinem inducere, hoc eſt eorum, qui *authentici* non ſunt: quo ſenſu non deerunt Libri Apochryphi, qui ſimul *authentici* habendi ſint, ut Liber Paſtoris.

Bar. ad ann. 41. §. 18.

Hiſt. Crit. N. T. c. 7. & 8.

Initia Tillemontii in quatuor partes Libros *Apocryphos* dividunt. Prior eos præbet, qui aliquando tamquam Canonici recitati ſunt. Altera eorum meminit, qui ab Autoribus, quos in fronte gerunt, conſcripti fuere; quemadmodum Epiſtolæ Jeſu Chriſti & Abgari. In tertia diſtribuit Opuſcula multa a Catholicis viris affiſta Apoſtolis, aut hominibus Apoſtolicis, quæ non diſcrepant a fide & optimis moribus; cujuſmodi eſſent Epiſtolæ quædam Mariæ Virgini tributæ. In extrema tandem congerit Libros ab Hæreticis ſuppoſitos, & vitiis multis obnoxios, v. g. Evangelia, quæ SS. Petri, Thomæ, & Matthiæ nominibus circumferuntur &c. Sentit Valeſius, differre Libros *apocryphos* ab iis, qui ſunt incertæ autoritatis; & *apocryphos palam falſos eſſe*, nec non plerumque ab Heterodoxis elaboratos. Verum, ut ſpecies non levis eſt, omnes in ipſius ſententiam minime deſcendent.

In Euſ. l. 6. c. 14. p. 116. col. 2.

Hæc itaque documenta faciunt, aut ego fallor, Criticos noſtros miſcere ſæpius vocis hujus notionem, remque hac voce indicatam. Quoties etenim Opus aliquod in medium affertur, quod eos juvat aſpernari, ſive quia ſuppoſititium, ſive quia ejus autoris nomine inſignitum, a quo confectum non fuit, ſive quia erroribus, e fonte Hæreticorum manantibus, aſpergitur; ſatis habent, ubi aſſeveraverint, Librum *Apocryphum* eſſe. Verum quidnam hocce rei monet? Nunquid non poteſt Opus aliquod *Apocryphorum* inuri nota, abſque eo quod ſuppoſititium ſit, erroribus aſpergatur, vel Hæreticos homines autores agnoſcat? id genus ſane ſunt, quæ tanquam Canonica recitata fuere, licet revera non eſſent.

Digitized by Google

eſſent. Quare cum Alexander Epiſtolis Jeſu Chriſti & Abgari refragatur, & Tillemontius Barnabæ Epiſtolam ſuſcipere detrectat, nihil ſupra dicunt iſti Critici, niſi, hæc Scripta Apocrypha eſſe. Nihilo ſecius dictio hæc nihil certi affirmat; poteſt namque Liber apocryphus eſſe, quin ſit commenticius. Exemplo ſit Tillemontius, qui non diffitetur, poſitam a Gelaſio in *Apocryphorum* numero Confeſſionem Cypriani, nec tamen fictam eſſe aſſentitur. Idem opinantur de S. Barnabæ Epiſtola Dupinus, deque Hermæ Libro Pater Alexander. Non erit itaque magnopere faciendum reſponſum hoc, donec inter Criticos lis erit de propria notione rei, hac voce *apocryphum* deſignatæ, donec ejus naturam haud explicabunt, vel ſinguli arbitrio ſuo.

§. II.

De Verbo: *Canonicum*.

Excutiamus in præſentia, utrum diſtinctius ſe gerant Viri Litterati noſtri quoad verbum *Canonicum*. Tillemontius Barnabæ Epiſtolam conſiderans, hæc verba profert: „ Difficile eſt, ut credamus, A- *Tillem. Tom. 1. art de S. Barn p. 440. Item in annot. 60. p. 689.*
„ poſtoli hujus Opus eſſe Epiſtolam ipſi adſcriptam; quin credamus etiam illam eſſe Canonicam. Nunquam tamen hoc titulo ab Eccleſia venerata fuit; idque partim in cauſſa eſt, cur dubitandum nobis eſſe putemus, nonne ab alio Barnaba, quam a D. Pauli Collega, fuerit exarata. „ Eandem Legem ſanxit Dupinus. „ Ut Liber aliquis, inquit Doctor iſte, Canonicus ſit, non eſt ſatis illum ab Apoſtolo quopiam, ſive Apoſtolorum Diſcipulo proficiſci; ſed ab univerſis Eccleſiis oportet eum inſtar Canonici haberi. „ Celebris P. Alexander locis haud paucis contendit, demta Eccleſiæ declaratione, nullum Librum Canonicum eſſe cenſendum. *Dupinus Bibl. Tome 1. p. 17.* *Al. Hiſt. Eccl. t. 1. Sec. 1. cap. XI. art. 6.*

Audiſti tres iſtos Eruditos in id conſpirantes, nimirum, ut Liber Canonicus ſit, judicium Eccleſiæ deſiderari, quo illum inter Scripturarum volumina referat. Tres item fatentur unanimes, Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, S. Barnabæ, & S. Pauli ad Senecam Canonicis Litteris non eſſe adjungendas. Tillemontius quoque objectum argumentum labefactans, quo nimirum iccirco Epiſtola Jeſu Chriſti ad Abgarum auctoritatem non habet, quia ſi haberet, ab Eccleſia inter Scripta Canonica deſcriberetur: „ Graviſſima eſt, inquit, difficultas hæc. Ipſi tamen facere ſatis quis poſſe videtur, ſi diceret, Eccleſiam, eum Epiſtolam hanc receperit humana quadam via, non autem certo & perenni fonte conſtantis Traditionis, ab Apoſtolis ad nos uſque deſcendentis, Eccleſiam inquam non debuiſſe illam inter Canonicos Libros ſed: dona- *Till. Tom. 1. art. de S. Th. p. 401.*

re.

re. „ ſubjungit porro, Eccleſiam eandem propterea Epiſtolæ illi nomen *apocryphæ* imponere potuiſſe, non tanquam mendaci, ſed tanquam non autoritate tanta florenti, ut Scripturarum pars fieret. Idem ferme ipſum Dupinus habet de S. Barnabæ Epiſtola, & Alexander de Epiſtolis S. Pauli ad Senecam.

Dup. tom. 1. par. 16. & 17. Alex. Tomo 1. ſæc. 1. c. XI. ar. 3.

Nunc vero ſcrutemur diligenter ad quos uſus Principium hoc Sapientes iſti accommodaverint. Ex mente Dupini non eſt arguenda mendacii Epiſtola S. Barnabæ, tametſi Canonica non ſit. Ex mente vero Tillemontii turpi mendacio laborat; quandoquidem alias eam Eccleſia a Verbi Divini Canone non arceret. Poſtremus hic Autor contendit inſuper, germanam eſſe Epiſtolam Jeſu Chriſti ad Abgarum, non tamen Canonicam; interim dum Alexander oſtendere nititur, eam, ſi genuina eſſet, ab Eccleſia in Sanctorum Librorum ordinem cooptandam. Abſunt item longe Viri iſti Sapientes ſuper Epiſtolis S. Pauli ad Senecam; ſi nanque Alexander eas uti fallaces non repudiet, licet haud Canonicas; occuret continuo Tillemontius de iiſdem Epiſtolis diſputans, & cauſſabitur, non poſſe affirmari, Opus aliquod partum ab Apoſtolo quopiam fuiſſe, quod Eccleſia in Canonem non aſſumſerit.

Ex hucuſque dictis præſto erit colligere, ſive Tillemontii & Alexandri argumentationem ſententiam Dupini de Barnabæ Epiſtola non evertere, aut ſi duo illi priores Epiſtolæ hujus fucum & vanitatem evincunt, evincere pariter, figmentum eſſe Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, & S. Pauli ad Senecam. E contrario Momentum Dupini & Alexandri de Jeſu Chriſti ad Abgarum Epiſtola aut futile eſt, aut efficere non abſimiliter poterit, Epiſtolam S. Barnabæ a Dupino propugnatam, & Epiſtolas S. Pauli ad Senecam Alexandro probatas Monumenta eſſe a veritate abludentia. Poſtremo ratio Tillemontii & Dupini non poteſt eſſe ulli Epiſtolis S. Pauli ad Senecam detrimento, a quibus eſt Alexander; quin vitium inferat falſitatis Epiſtolæ Jeſu Chriſti ad Abgarum, & S. Barnabæ, a quibus ſunt Tillemontius & Dupinus.

Nullo itaque negotio animadvertimus, quam parum conveniat inter Criticos noſtros de Specie, quam par eſt duobus verbis iſtis *Canonicum & apocryphum* imprimere. Non repugno convenire ſatis de notione propria verbi hujus *Canonicum*, ajentes, *Librum eſſe ab Eccleſia receptum in eorum numero, qui partem Scripturarum Sanctarum componunt*; ſed diſtant quam longiſſime ſuper re hoc nomine intellecta. Quod eſt vocis *apocryphum*, æque recedunt in vi ſignificandi & re ſignificata, adeoque, ut apparet, nullas nobis verborum iſtorum Definitiones tradiderunt præter illas, quas de arbitrio ſunt meditati.

§. III.

§. III.

Verba alia, quæ claritatem deſiderant.

DUorum verborum, de quibus modo, obſcuritas facit, ut cognoſcamus, quanti intererat, illa in lucem adducere, tum etiam multa alia ambigua, & notionis ſubobſcuræ. Quo fit, ut ex incerta horum intelligentia variæ ſpecies animo informentur, quæ concertationibus multis aditum præbent, ex eo ortum ducentibus, quod eadem voce res diſſimiles accipiantur.

Nulla itaque ſubeſt ſpes fore, ut Sapientes noſtri invicem aliquando appropinquent, quandiu ante omnia haud ratum habebunt, quam ſpeciem aliquibus verbis apponant. Exempli ergo *Traditioni* in re factorum, *Acto authentico* in re Martyrum, aliorumque Sanctorum Hiſtorica, *errori populari*, *opinioni plebis*, *teſtimonio Veterum*, *Silentio Scriptorum*, *narrationi minime probabili*, *argumento certo*, *concluſo*, aliiſque id genus vocibus, quæ Critici fere ſemper ſenſis diſſimillimis efferunt. Illud addo, compertum eſſe ſæpiſſime ab eodem Scriptore, eidem voci hanc rem ſubjici loco iſto, alio aliam. Si accurate definitum fuiſſet, quid rei ſit *Exomologeſis*, num de Confeſſione Sacramento, vel de abſolutione ab Excommunicatione, aut de Pœnarum Canonicarum condonatione, ſive de pœnitentia publica, ſive de ſimplici reconciliatione ſit interpretanda, in aliquo fortaſſis lumine collocata fuiſſet magna illa quæſtio miræ inter Scriptores diſſenſionis, nimirum: Utrum Diaconis fuerit unquam tradita facultas abſolvendi a peccatis; atque ubi jubet S. Cyprianus, poſſe Lapſos *Exemologeſim* facere delicti ſui in manibus Presbyterorum; aut neceſſitate urgente, in manibus Diaconorum, * Morinus & Alexander de verbo hoc digladiati, Doctorem illum pugnantia admodum dicentem non induxiſſent. *Alex. Hiſt. t. 1. ſæc. 3. Diſſ. 4. p. 234. & ſeq.*

Alexander quoque & Dupinus in diverſa abjerunt de ſenſu vocis hujus: *legitur*. Hieronymus differens de Epiſtolis Senecæ ad Paulum ſcribit: *Non ponerem Senecam in Catalogo Sanctorum; niſi me illæ Epiſtolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis*. Idem verbum extat apud Auguſtinum: *Merito*, ait, *Seneca* ..... *Cujus etiam quædam ad Paulum Apoſtolum leguntur Epiſtolæ*. Dupinus inquit, verbo illo *leguntur*, quod adhibent Patres iſti, non monere nos, germanas eſſe Epiſtolas iſtas, ſed ſolum ipſorum nomine venditari. Contra vero Alexander urget, Sanctos *Al. Hiſt. t. 1. ſæc. 1. c. 11. a. 2. p. 191.* *Dup. t. 1. p. 72. & 81. col. 2.*

* *Si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus caperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint*. Epiſt. 13. ad Presbyt & Diac. Eccl. Carthag.

Pa-

Patres Hieronymum & Auguſtinum ea voce *leguntur*, Epiſtolas iſtas a Paulo & Seneca revera ſcriptas affirmare.

Quod nos tamen vehementius movere debet, iidem Scriptores novam rei faciem inducunt, ubi in quæſtionem incidit locus S. Hieronymi, in quo fert, S. Barnabam Epiſtolam ad ædificationem Eccleſiæ ſcripſiſſe ;
Alex. ib. ar. 6. p. 99. *Quæ inter Apocryphas legitur*. Tuetur etenim Alexander, his S. Hieronymi verbis Epiſtolam Barnabæ apocrypham eſſe, & commentitiam ; vult
Dup. ib. p. 22. autem Dupinus, hoc verbo *legitur* ; in cujus locum ſuffecit *numeratur*, indicare S. Hieronymum, eam non eſſe confictam. Quod argumento eſt, inquit, non habuiſſe illam tanquam *Apocrypham*, quaſi falſo S. Barnabæ tributam ; quoniam ex adverſo ipſi illam adjudicat, cum dicit *Apocrypham* eſſe. En tibi qui verbum idem plane diverſa ſignificet, vi præjudiciorum, aut ſententiarum, quibus detinentur Viri ſapientiſſimi.

Non ſecus ſi complicatam *Celtarum* notionem evolviſſent nobis accurate, de quibus perhibeat S. Irenæus ſuperius laudatus ; id ſane ad Patris hujus clariorem intelligentiam, & Quæſtionis de vulgato in Galliis Evangelio lumen contuliſſet. Accidit nanque ſæpe numero, Criticos Sententiæ ſuæ fundamentum non ſternere ſignificatione propria, & verborum aliquorum naturæ conſentanea, e quibus facti explicatio petenda eſt ; ſed rebus notiones imprimere æquas opinionibus, quas ſuſcipiunt propugnandas ; uti animadverſum commode erit de verbo *Celtarum* apud
Diſſ. 6. p. 217. S. Irenæum, de *Galliarum diverſis Nationibus* apud Tertullianum, deque aliis hujuſmodi.

Certo igitur certius eſt, ſi Critici diligenter varias extricaſſent ſignificationes, gradus, modoſque accipiendi univerſas voces iſtas, nonnullaſque alias ; futurum fuiſſe, ut ſemitam illi contraherent, laboremque detraherent iis, qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ operam ſunt daturi. Hac adhibita ratione clariora evaſiſſent facta multa ; impeditiores viæ non paucæ reſectæ fuiſſent ; & evulſa ſtirpitus quæſtionum plurimarum radix, quæ diſtrahunt Eruditos, & plerumque emergunt ex his Definitionibus de arbitrio confictis, neque ſatis dilucidam accuratamque eorum, de quibus agitur, ſpeciem animo informantibus.

AR-

ARTICULUS II.

Non deſignarunt autoritatis pondus, quod eſt Veterum teſtimonio tribuendum.

MIHI videre videor, id futurum fuiſſe potiſſimum Criticorum ſtudium, ut quam poſſent maxime, ſecernerent diverſum autoritatis modum, ſingulis autoribus appoſitum tum quod attinet ad eoſmetipſos, tum quo ad alios, ſive quo ad argumentum, in quo verſantur, ſive quo ad rationem, qua mentem ſuam aperiunt. Qua docendi via prætermiſſa, erudient ne ſatis nos de factis Antiquitatis Eccleſiaſticæ; quamvis ſe jactent, illam optime enodaſſe, ſecretis vero a mendaci, Hiſtoria a fabulis, antiquitate a novitate, ſecundum excellentis eorum Artis lumina, atque exercitationem?

Tametſi Criticæ facultatis Magiſtri, inquiet aliquis, quodam genus Indicis iſtarum, quæ deſiderantur, enunciationum minime texuerint; adverte tamen vel leviter animum ad rationem illam, qua de Veterum teſtimoniis loquuntur, & facile admodum erit deprehendere, illos nobis ſuper hac re inſtituendis incubuiſſe, non vi Legum digeſtarum & elaboratarum, ſed quodam Artis genere, cujus præcepta ſita ſunt in eorum accommodatione & uſu, nec non in exemplis, ad nihilo minorem utilitatem & doctrinam, quam vera præcepta, compoſitis.

Eſſet ſane, cur hac docendi via, ſive Arte contenti eſſemus, ſi modo ipſius uſus perpetuo ſibi reſponderet, & Criticorum ſinguli conſtanter ipſi obtemperatent: verum animus ſententiam ſuſcepturus pendet in ancipiti, cum videt, hoc loci Scriptoris alicujus Priſci autoritatem invictum argumentum ſuppeditare multis, quibus, aliiſque alibi eadem autoritas flocci fit: *Diſſ.2. ar.10.p. 164.&c.* eumque perſpectum habet, Criticos eorumdem Autorum teſtimonium in ſe invicem objicere ad illuſtranda, ſive oppugnanda facta apprime diverſa, abſque eo quod hujus inſtituti legem ullam *Diſſ.6.ar.5.* condant, vel rationem etiam perſæpe reddant.

Tillemontius ex. gr. adverſus Patrum Sanctorum turbam, ut multo *Diſſ.2.ar.2.* ante animadvertimus, uni Gelaſii Papæ teſtimonio innixus, dubium incertumque S. Pauli in Hiſpaniam iter exiſtimat. Nihilo tamen minus præſtat ne dijudicare, utrum apocrypha ſit *S. Cypriani Confeſſio*, poſtquam hujuſmodi ab hoc Pontifice declarata eſt? cum Gelaſii teſtimonium, quod alias prætulerat teſtimonio Epiphanii, Cryſoſthomi, Hiero-

Digitized by Google

nymi, Theodoreti, Gregorii Magni, aliorumque multorum, nunc ab ipſo minoris fit, quam Gregorii Nazianzeni dictum; quamquam, eodem fatente Critico, Pater iſte lapſus fuerit, cum S. Cypriano Carthaginenſi commune fecit, quod cuidam duntaxat S. Cypriano Epiſcopo in Oriente tribuendum erat. „ Verum tandem, concludit Tillemontius, „ ſi neceſſario oporteret, Gregorii Nazianzeni judicio Gelaſii judicium „ opponere . . . . . eſſet ſane, cur cenſura unius, & ſuffragium alte- „ rius aſſenſionem noſtram æque ſuſpenderet. „

tom. 5 an. 3. in S. Cypr. Orientis p. 721. col. 2.

Idem Criticus Eruditus præ manibus habens diſputationem de Jeſu Chriſti in Cælum Aſcenſione, evincit teſtimonio Auguſtini, & Leonis, diem ejus Feſtum celebratum ab Eccleſia fuiſſe, ſæculo V. ineunte, quadrageſimo poſt Paſcha die, uti moris eſt in præſenti. At cum Baronius animadverterit, Dominicum fuiſſe diem illum, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendit, teſtantibus id Patribus, & Eccleſia, ut monent verba Auguſtini & Leonis; Tillemontius, recitato Auguſtini loco, qui videtur innuere, diem a Reſurrectione Chriſti quinquageſimum, fuiſſe Dominicum, in quo nempe illapſus eſt in Apoſtolos Spiritus Sanctus, his verbis reſpondet: „ Atqui, quamquam Auguſtinus id ita aperte faſſus „ eſſet, uti fatur, Chriſtum Dominum octavo Kalendas Aprilis duobus „ Geminis Conſulibus obiiſſe, nihilo gravius eſſet ipſius teſtimonium ea „ de re, quam de iſta. Quibus addit: „ S. Leo conceptis verbis aſſe- „ rit, Die Dominico Spiritum Sanctum deſcendiſſe; at multo ſane mi- „ nus Auguſtino accuratus eſt in rebus tantummodo veris enarrandis, „ atque etiam multo recentior. „ Ecce Patrum iſtorum duorum teſtimonium ad propugnandum factum quoddam, aliudque plane ſimile oppugnandum accommodatum.

Tom. 1. art. 24. de JeſuChriſto p. 57.

Tomo 7 art. 5. in D. Petrum pag. 537. col. 1.

Quo in loco illud eſt animadverſione dignum; contendere Tillemontium S. Auguſtini præſidio, ita communem fuiſſe Aſcenſionis celebritatem, ut, nullo extante Oecumenici alicujus Concilii Decreto, oporteat inde colligere, eam Apoſtolica Traditione ad nos manaſſe. Porro S. Auguſtinus idem de Pentecoſtes ſolemnitate litteris commendavit. * Nos vero Diſſertatione ſecunda exempla multa congeſſimus varietatis hujus Doctorum noſtrorum ſuper Veterum autoritate. Illud certe deſiderandum eſſet, ut huic Critices vitio Viri litterati conſulerent, nobiſque documenta præberent, unde, quam quiſque debeat hac de re inire rationem, dignoſceremus.

Diſſ. 2. a. 1. & 2.

* *Sicut quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio, & adventus de cælo Spiritus Sancti anniverſaria ſolemnitate celebrantur, & ſi quid tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.* Hæc ſunt Feſta, quæ ſenſit Auguſtinus, ab Apoſtolis, vel Conciliis Generalibus inſtituta, propter quod ab univerſo mundo colerentur, Epiſt. 54. c. 1.

AR-

ARTICULUS III.

Nulla via ſe prodit in Libris Criticis, quam ingredi poſſimus ut ea argumenta ſecernamus, quibus cogimur ab antiquis deficere, utque compertum ſit, quando ne conjectura, quando vero autoritas præſtare debeat.

SUmmorum Sapientum initiorum unum eſt, morem gerendum eſſe Veterum teſtimonio ſingularem, neque ab eo unquam deſciſcendum; niſi graviſſima, quam fieri poteſt, urgeant argumenta. At non apparet, nos docuiſſe Criticos, quænam ſint hæc argumenta, hæ conjecturæ, quibus ad Scriptores iſtos, ubi de re pronunciant, minime ſectandos cogamur.

Non inficior, non deeſſe facta quædam, etſi admodum pauca, de quibus haud eſt multi negotii aut teſtibus ſuffragium ferre, aut conjecturæ. Nullus hominum eſt v. gr., qui circumſpectis diligenter primorum Pontificum ad Siricium uſque Decretalibus, * jure & merito Criticorum non anteferant conjecturas, quibus illas Suppoſitas eſſe conclamant, Scriptorum teſtimonio, qui eas ut legitimas venditare vellent. E contrario quicumque, poſitis opinionibus præjudicatis, ad trutinam revocat conjecturas Hæreticorum, quibus S. Petri Romam iter, atque ea in Urbe mortem vocant in controverſiam, is ſtat pro Veterum, utrumque factum narrantium, autoritate.

Quoties tamen eo res ducitur, ut ambigamus, utri adhærendum ſit? Si Critici noſtri viam aliquam oſtendiſſent, unde teneremus, nunc audiendum eſſe teſtimonium, nunc conjecturam capiendam; aut quibus momentis impelli poſſimus, ut recta ſit ab Antiquorum mente defectio; nos haud laboraremus ſcire, nonne pluris pendendum ſit Euſebii teſti-

* Conjecturæ, quæ commentitias probant Decretales, hæ ſunt: 1. Illas Antiquos omnes latuiſſe, nec unquam fuiſſe ante IX. ſæculum memoratas. 2. Contextum eſſe locorum ex Patribus, ex Conciliis, ex Canonibus, ex Imperatorum Decretis, quæ a III. ſæculo edita ſunt, decerptorum. 3. Sacras Litteras citare ſecundum Hieronymi Verſionem. 4. Epiſtolarum iſtarum ſtructuram non eſſe ad ſæcula, in quibus Pontifices vixerunt, quorum nomine obtruduntur, accommodata. 5. Anacroniſmis redundare. 6. Dictione uti impura & lutea, atque in omnibus Epiſtolis prorſus ſimili. Dupinus Tomo 1. pag. 662. & ſeq. Alex. Hiſt. Eccl. Tomo 2. ſæc. 1. Diſſ. 20. pag. 216., & ſeq.

monium, Baptiſma Conſtantini ad exitum vitæ ejus producentis; an vero conjecturæ, quæ ſequuntur, quæque in unum coactæ perſuadere poſſent, eum multo ante mortem Chriſtianæ fidei nomen dediſſe. Simul ac dedit Deus in conſpectum huic Principi ſignum Crucis pridie quam * cum Maxentio confligaretur, nocte inſequente ipſi dormienti aſtitit coram Chriſtus eum ſigno eodem, quod in Cœlo conſpexerat, præcepitque, ut exemplari ad imitationem illius confecto in Vexillis ſuis, eo in prælliis cum hoſtibus committendis uteretur. His itaque obſequens, Crucis Vexillum ubique erigi juſſit, in Prætorio ſuo collocavit, & adorandum hoc redemtionis ſignum omnibus pietatis argumentis proſecutus eſt.

** Anno 325. hic Chriſtianus Imperator adfuit Magno Concilio Niceno, edendaſque curavit Leges multas Imperio ſalutares, & cum Eccleſiæ, tum Chriſtianis utiliſſimas. Idem Eccleſiæ liberator extrui juſſit in pluribus ditionis ſuæ Urbibus, præſertim vero Hieroſolymis, Romæ, & Conſtantinopoli, magnifica cultui divino Templa, & ditiſſimis muneribus donavit. Quo ardore Princeps hic Religioſus Gentilium & Paganorum ad bonam frugem converſionem promovit? Quo charitatis igne flagrabat, cum ipſorum Idola removere, & Templa dejicere funditus cernebatur? Qui mentis ardor ad Hæreticos quoque & Schiſmaticos, quos ab Eccleſiis ſuis repulit, ſe propagavit? Quis ſatis jejunia ipſius, & pœnitentiæ opera laudibus proſequetur? Qua pietate dies Dominicos, & Feſta Sanctis Martyribus Sacra celebrabat? An nos fugit, cum Helenopoli agentem, oraſſe diu in Templo S. Martyris Luciani? An non proditum memoriæ eſt, ipſum in more poſitum habuiſſe, pervigi-

* Septimo Cal. Novembris anni 312. Conſtantinus paullo poſt meridiem aſpexit Crucis ſignum ſplendore figuratum ſolique imminens, & circa illud hæc verba Græce exarata *In hoc Signo vinces*. Hujus Prodigii exercitus univerſus ſpectator fuit. Euſ. de vita Conſt. l. 1. c 28.

** Vexillum hoc deinceps *Labarum* appellatum eſt, atque illud Euſebius hoc modo deſcribit: *Haſtile oblongum erectumque, quod cornu habuit tranſverſum ad formam Crucis conſtructum .... Ad Cornu illius particula, qua ex tranſverſo erat per haſtile trajecta, velamen quoddam pertenue appenſum adhæſit, regali videlicet & magnifica ſtructura, mirabili varietate lapidum pretioſorum, artificioſe conjunctorum, luciſque ſua claritate pulchre reſplendentium depicta, & multo auro intertextu. In faſtigio hujus Operis corona affixa, lapidibus pretioſis, & auro polite circumtexta. In ea appellationis Salvatoris nota inſcripta: erat enim Littera R in ipſo medio Littera X. inſerta.* Euſ. L. 1. de vita Conſt. c. 31.

Hujus pars inferior verſus baſim ſub ipſum Crucis inſigne ad texturæ diſcurrentis fimbrias auream pii Imperatoris pariter, ac Liberorum ſuorum effigiem ad pectus uſque concinne deſcriptam continuit. Porro deſignavit Conſtantinus ſtrenuiſſimos quinquaginta ſuorum, qui illud circumducerent, quique pariter virtute divina ſervabantur.

lium

lium Paſchatis inſomnem & orantem cum ceteris fidelibus ducere? Euſebio denique docente, uti obſervavit Valeſius, comperimus, magnum hunc Imperatorem omnibus Chriſtiani hominis officiis functum integerrime fuiſſe. Quibus præhabitis, fieri ne poterit, ut perſuaſum habeamus, adeo præclara geſſiſſe Conſtantinum, nondum Catechumenum, ut perhibent nonnulli, immo nondum Baptiſmate lotum? *Valeſ in an. in c. 61. l. 4. Euſ. de Vita Conſtantini p. 251. col. 2. Vales ib. Al. Hiſt. Sæc. 4. Diſſ. 22.*

Non auderem, aut me fallit animus, dubitare, Conſtantinum in Catechumenorum album relatum fuiſſe paullo poſt, quam ſuſpexit in aere ſplendidam Crucem, circumquaque Litteras Græcas habentem, quæ monebant: *In hoc ſigno vinces*; ex quo legi titulum capitis 32. Libri primi de Vita Principis hujus ab Euſebio deſcripta, his verbis expreſſum: *Quomodo Conſtantinus Catechumenus factus Sacras Scripturas legerit*. Quod ſi vitiatus fuit titulus hic, ut placet multis; cur illum in ſua Verſione Valeſius reliquit? Sique ejus MSS. alium titulum præſeferebant, cur hunc minime mutavit? Eſt ne dicendi locus de Viro haud Catechumeno, imo haud Chriſtiano, ea, quæ de Magno hoc Imperatore dicit Euſebius? *Aderat jam magna Paſchalis Feſti ſolemnitas, in qua Imperator vota Deo perſolvens, una cum ceteris pernoctavit*. Niſi fuiſſet revera Chriſtianus, quamobrem idem Hiſtoricus illum appellaſſet *Sacrorum Myſteriorum participem*? Addit, hunc Principem ſecedere ſolitum ſtatis horis in Aulæ ſuæ partes remotiores, ut precationes Deo funderet: Feſtis vero diebus, non modo vires majores ad pietatis officia contuliſſe; ſed utcumque Pontificis munus obiiſſe: θείας ἱεροφαντίας ἐτελεῖτο. Valeſii verſio habet: *Pontificis, atque Hierophantæ munere fungebatur*. Chriſtophorſonus interpretatur: *Divinos ſacrorum ritus obibat*. Muſculus autem reddit. *Sacras cæremonias expediebat*. Hæc omnia perſpicuo ſunt argumento, Conſtantinum cum aliis Chriſtifidelibus interfuiſſe ſanctis Myſteriis, quod integrum ipſi non fuiſſet, niſi antea Baptiſmatis aquis abluto. *Lib. 4. de Vita Conſtantini 57.* *Ibid. c. 22.*

Nihilo ſecius aſſeverat Valeſius, conjecturas haſce omnes evincere, Conſtantinum tum temporis haud Gentilem fuiſſe, non probare autem illum Catechumenum, multo vero minus Chriſtianum: *Hæc omnia*, inquit Alexander, *Conſtantinum Gentilem non fuiſſe convincunt, ſed ad Chriſti fidem converſum, & non tantum animo, ſed externa profeſſione Chriſtianum, ea tamen non arguunt, ipſum fuiſſe Chriſtianum Sacramentorum communione*. Verum enim vero quis poterit cogitatione percipere, tantæ Religionis Principem ſub finem vitæ ſuæ Baptiſma diſtuliſſe; atque inter tot pericula, in quæ variis rerum viciſſitudinibus adductus eſt, non metuiſſe graviſſimum ſalutis æternæ diſcrimen ſubire? Univerſæ profecto conjecturæ iſtæ ſuſpicioni locum dare poſſunt, Imperatorem hunc *Valeſius loco ſup.* *Alex. ſup. loco*

hunc longe ante interitum ſuum fonte Baptiſmatis expiatum fuiſſe. Qua de cauſſa illum fortaſſe cum Athanaſius in Vita S. Antonii, in qua de Epiſtolis enarrat, ad S. Abbatem iſtum a Conſtantino datis, tum Auguſtinus Epiſtolis 162. & 166. Principem Chriſtianum appellant.

At ſi conjecturæ iſtæ loco cedere debent autoritati Euſebii, & ſectatorum ejus de Baptiſmatis Epocha Conſtantini; quamvis Hiſtorici hujus teſtimonium difficultate non vacet; non video quare contendat Valeſius, conjecturas ſuas de rationibus, quibus motus eſt Diocletianus, ut ſe abdicaret imperio, præcellere debere diſerto Euſebii, Conſtantini, aliorumque multorum teſtimonio, qui affirmant, eum rebus adminiſtrandis ſe ſubduxiſſe, quod eſſet mente debilitatus. Et ſane infelix revera Princeps eum bis in capitis dimicationem veniſſet, conflagrandus in Aula media ſua Nicomedienſi ictu fulminis cæleſtis, & pravitate eorum, qui furorem ejus in Chriſtianos retorquere moliebantur, tanto perculſus terrore eſt, ut ejus animum occupaverit, & quandiu vixit, perpetua imaginatione vexaverit, quaſi capiti ipſius fulmen ſemper impenderet. Ad hæc accedente moleſta valetudine, aliiſque ſollicitudinibus, ita fractus eſt animo & corpore, de quo non diſcrepat Valeſius, ut per intervalla tantummodo compos fuerit rationis. En cauſſa genuina, qua compulſus eſt Diocletianus ad privatam Vitam traducendam. *Cum in difficilem morbum incidiſſet*, ait Euſebius, *eius vi demotus jam de mentis ſuæ ſtatu eſſe videbatur ... ad privatam vitam ſe contulit*; atque alibi: *Poſt cruentam Perſecutionis ſævitiam ſuametipſa ſententia damnatus ob vitium inſaniæ, vili quodam clauſus domicilio pœnas dedit*. Non poſſunt, quidem teſtimonia acceptiora deſiderari iis, quæ per ſemetipſos aſſequi teſtes; potuerunt. Id non poterat Euſebius ignorare, præſertim vero Conſtantinus; qui in Aula hujus Principis frequens fuerat, quique non poterat non eſſe iis omnibus egregie imbutus, quæ ad Diocletianum attinebant. Nihilo tamen minus tuetur mordicus Valeſius, teſtimonia hæc non eſſe conjecturis anteferenda. Prima eſt, Imperatorem hunc nunquam levis animi indicium præbuiſſe. Altera, illum flagitantibus, ut manus Gubernaculo rurſus admoveret, reſpondiſſe: *Utinam poſſetis viſere olera manibus noſtris ſata*; quod inquit Valeſius ſapientiam refert ſingularem. Tertia, alios Imperatores ipſum ſemper in honore & pretio habuiſſe. Poſtremo ab ipſo multo ante ſuſceptum abdicationis hujus conſilium. His adactus eſt conjecturis Valeſius, ut Antiquorum teſtimonio fidem derogaret; quamquam, ſi haſce illis compares, quæ probare poſſunt, Conſtantinum non fuiſſe baptizatum, vita duntaxat occidente, & autoritatem autoritati opponas, liquido fiet, teſtimonia, pro Diocletiani abdicatione allata, magis abſoluta & diſtincta eſſe, quam ea, quæ pro Conſtantini Bap-

Lact. de Morte Perſec. c. 17. 18. 19.

Lib. 8. Hiſt. c. 13. p. 309. Euſ. In Orat. Conſt. ad S. Cœtum c. 25 pag. 602.

Annot. in Euſ. in Orat. Conſt. c. 25. pag. 270.

Baptiſmate producuntur; & Valeſii conjecturas, facile refellendas, minus propoſitum efficere, quam eas, quibus de Baptiſmate Conſtantini augurati ſumus.

Nulla itaque nos cura afficeret, quas amplecti partes deberemus ſuper utriſque Controverſiis, aliiſque hujuſcemodi, ſi nobis ea Momenta Critici ob oculos poſuiſſent, quæ quam maxime firma vocant, ut ad conjecturam teſtimoniis præferendam impellamur. Si nanque in rem eſſet, Tillemontii, Dupini, & Alexandri viam inire, ut mittam ceteros, promtum eſſet, opinor, ſine hæſitatione ulla Conjecturæ adhærere, quæ Baptiſmum Conſtantini provehit, quam Scriptorum dictis, qui ad inſtantem uſque mortem protrahunt; quandoquidem Litterati Viri iſti, uti alibi monitum fecimus, vi conjecturarum longe leviorum, minuſque ſolidarum, teſtimonia reiciunt Autorum plura, & abſolutiora iis, quæ Euſebius, aliique poſt ipſum, de Principis hujus Baptiſmate, ad ſupremum diem dilato, Litteris conſignarunt. *Diſſ.2.a.1.& 2.*

ARTICULUS IV.

De Vitiis aliis, quo ad Veterum teſtimonia, in Critice exercenda paſſim obviis.

QUandoquidem de Vitiis iſtis univerſis copioſe ſuperius diſſeruimus, atque exempla illorum multa in medium protulimus; hic ſatis erit ea paucis retractare, aſpectuque uno neceſſitatem agnoſcere Regulas & Uſum Critices inſtaurandi.

Primum, quod obverſatur animo, vitium illud, niſi capior, eſt, Sapientes Criticos noſtros Veterum teſtimoniis, aberrantibus a ſententia ſua, reſponſa reddere plus ſatis generalia, nec ſatis firma. Quique apertius loqui vellet, reſponſiones iſtas vocare poſſet, aut veras defectiones, aut anfractus & circuitus monentes, eos difficultatis pondere premi. Verum quod pe incommode in hujuſmodi explicationibus cadit, illud eſt, in nihilum ferme totam evaſuram Veterum autoritatem, ſi modo eas adhibere liceret; tumque paratum fore unumquemque, omnia pro libidine tueri, quin eum clariora & diſertiora Veterum teſtimonia in officio continerent. *Diſſ.2.a.3 & 4.*

Secundum. Quemadmodum diligentiſſimum Criticorum noſtrorum ſtudium fuit, ut ſibi caverent a factis, ex Librorum Apocryphorum, ſive adulterinorum teſtimonio depromtis, quæ innumeras ferunt in Hiſtoria *Diſſ.2.p.2.ar.5.*

Ec-

Eccleſiaſtica difficultates, quæque non levem ingenii facultatem flagitant ut per ſemitas Antiquitatis impeditas incedere tuto poſſimus; non ſecus graviſſimum Reipublicæ Litterariæ officium præſtitiſſent, ſi in eo poſuiſſent operam ſuam, ut nos inſtituerent, quando nam id genus monumenta aliquo numero eſſe poſſunt, quando vero, quippe nullius frugis, ſint repudianda. Quod enim homines non ſatis perſpicaces implicare poteſt, animadvertere eſt, hinc Eruditos noſtros, ubi in eorum iter incidunt, nulla cunctatione ea rejicere, neque abſtinere ſe, quin clament, apocrypha eſſe, ſpuria, nulliuſque ponderis monumenta iſta; illinc vero deprehendere, ſi quando ullum ex iis compendium facere poſſint, illa non præterire modo, ſed quæſtus majoris gratia, ſatagere, ut aliquam ipſis autoritatis ſpeciem adjungant. Quandiu hac ſe gerent ratione Critici noſtri, neque pronunciatum aliquod ſtatuent de Operum iſtorum uſu, erit ſemper cur queri poſſimus, vitioſam inde eſſe Critices communem exercitationem.

Tertium. Quantumvis vi omni & contentione laborent Critici, ut Autoribus ejuſdem cum rebus ævi de factis Hiſtoricis innitantur; opus tamen eſt ad illorum quoque fidem confugere, qui nonnullis ſæculis a re diſtant. Porro cum argumenta, quæ ab Scriptoribus hujuſmodi comparari poſſunt, non unam eandemque autoritatis vim habeant; nonne oporteret pro rei natura aliquam ſuper his viam & rationem præfinire? Non raro ſane incerti pendemus animi; ubi nimirum Eruditorum ea de re libertatem attendimus, uti exploratum fuerit documentis ſæpius alibi traditis.

Diſſ.3.p.2.ar.5. Ibid.art.7.

Quartum. MSS. Uſus magno revera eſt emolumento ad perfectam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Operumque Patrum intelligentiam, præſertim cum fide integra recitantur; neque enim præſto eſt omnibus, Archetypa iſta conſulere, quæ in dies ſingulos a Viris ſapientiſſimis laudantur. At quid proderunt argumenta hæc, dum taciti præteribunt Critici, uti viſum eſt hactenus præteriiſſe, ſingillatim enarrare, quibus affecta eſſe notis debeant MSS., quibuſque regulis internoſcendum ſit varium autoritatis eorum pondus, tum quod attinet ad ipſorum antiquitatem & accurationem, tum quod attinet ad numerum, ubi utrinque afferuntur, atque ad alia adjuncta a nobis alibi memorata?

Ibidem art. 7.

5. Neceſſum pariter eſſet, a Critice alia multa, quæ ipſius uſui crimini vertuntur, vitia exterminare. Et profecto æquum ne eſt, non dixerim Patrum teſtimonia anfractibus nimirum exquiſitis elevare, ipſorum loca detorquere, ſiniſtre intelligere, citationes ipſas mutare & corrumpere, aliena ab ipſis ſenſa tribuere, quæque revera docuerunt, diſſimulare; verum in rem quoque ſuam, quoties expedit, conferre Opus Autoris cujuſdam, ſive Caput, ſive locum, eundemque rejicere & improbare,

Diſſ.2.p.1.art.7. 8.9.10.

bare, quoties rem videtur involvere: cum laudis præfatione dictum afferre Scriptoris alicujus, ubi faveat; ipſique nuncium remittere non admodum officioſe, ubi noceat? Quo Veterum autoritas negotium non faceſſat, eſt ne mos accuratiſſimus, ipſorum de aliis rebus menda exaggerare verbis, eorumque indicem texere; traducere illos veluti Scriptores fabularum plenos, minus diligentes, nimium creduli; palam edicere, eos Oratorum, Laudatorum, Poetarum inſtar locutos fuiſſe, & conqueri, ipſorum doctrinam ſuſpicione laborare? Peccata hæc omnia occurrunt paſſim in Uſu Critices, eſſentque fortaſſe ferenda magis, ſi ad quos ſpectat ea deteſtari, & intrinſecus improbant illa, iidem non incurrerent in culpas iſtas, uti videmus, ſibi mutuo exprobrare.

Aliud etiam emergit in Uſu Critices vitium ſatis grave ſuper Veterum teſtimonio. Nimirum ſententiam aliquam ſtatuere fide unius vel alterius Scriptoris, confuſe & incondite de re differentis, qui poſſit ſecundum ſe interpretari; eamque opponere teſtimoniis multorum abſolutiſſimis, clariſſimis, & ad communem Eccleſiæ mentem compoſitis. Totus in eo elt Blondelus ut probet, S. Stephanum Pontificem de Baptiſmate Hæreticorum in errorem raptum fuiſſe ei omnino adverſum, quem in S. Cypriano removere conabatur. Affirmat Launojus, id verum videri, atque ex eo ducit, quod, ut inferius trademus, pluris ſemper Eccleſia Cyprianum fecerit, quam Stephanum Pontificem. „ Quod eſt ſummæ rei, inquit Dupinus, quamquam paſſim ab omnibus habeatur, a „ veritate Pontificem ſtetiſſe; eſt tamen dubitandi locus, cum errore ca„ ptum fuiſſe Cypriani errori contrario, „ Nonnullis viſum eſt, ſcribit Bailletus, S. Stephanum opinionem ſuam ad aliam extremitatem, haud crimine vacantem, deduxiſſe.

Dupinus Tomo 1. pag. 461.

Baill. 2. Auguſti in Vita S. Stephani Papæ.

Sapientum iſtorum ſenſa firmari ſolent verbis Decreti hujus Pontificis, a S. Cypriano relatis: *Si quis ergo a quacumque Hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* Atqui nullam haber veri ſpeciem, locum hunc, non omnino apertum, & ab Alexandro optime enodatum, præſtare debere teſtimonio Euſebii, Auguſtini, Vincentii Lirinenſis, & Facundi, qui non ſecus atque nos a S. Cypriano dicta viderunt, & teſtati ſunt concordes, S. Stephanum priſcam & germanam Eccleſiæ doctrinam propugnaſſe; idque eo magis, quo ex admonitione Tillemontii, „ operoſum valde eſt, alicujus Scriptoris ſenſa eo„ gnoſcere, ſive ex quodam textu a reliquis ſejuncto, ſive ex adverſa„ riorum ejus teſtimonio. „ Nihil dico de ceteris Alexandri argumentis, quæ validiora ſunt, quam quæ ab aliis Criticis afferuntur, judicio quidem Tillemontii, *levia & incerta*. Denique ſi Pontifex Stephanus ea fuiſſet opinione, quæ ipſi tribuitur, univerſa tum Eccleſia in duos errores

Epiſt. 74. ad Pompei.

Alex. Tomo 1. Sac. 3. Diſſ. 14. pag. 109.

Tillem. Tomo 4. annot. 39 in S. Cyprianum pag. 628. col. 2.

Alexander ibidem.

Tillemontius ibidem.

diſtracta fuiſſet, quin affirmare quis poſſet, vel unum in conſonam veritati ſententiam iviſſe. Ecce quo demum Critice non recte adhibita Litteratos homines ferat.

ARTICULUS V.

Critices uſus alio quoque vitio contaminatur ſuper Veterum teſtimoniis, a quo alia pleraque manare ſolent.

CUM præcipuum Critices fundamentum autoritas ſit, Viri Sapientes fas eſſe ſibi arbitrantur, eas amplecti opiniones, quæ priſci alicujus Scriptoris ſuffragio roborantur, & nulla in re ſibi tum parcunt, ut ejus pretium ſtudioſe augeant; unde fit, eos fere ſemper Vetuſtum aliquem ſive in ſemetipſum, ſive in alios, ſive, in multos ſimul dicentem inducere. Juvat ne ſcire, utrum Judæi de induſtria Hebraicum divinorum Librorum textum vitiaverint? Origenem Origeni opponunt; Hieronymum Hieronymo; Chriſoſtomum Chriſoſtomo. Intereſt examinare, an Diaconis olim facultas fuerit Peccatoribus culpas Sacramenti adminiſtratione relaxandi? Cyprianum ipſum in Cyprianum convertunt. Nonne anteſtat per illos Hieronymi opinio aliorum multorum Patrum ſenſibus de modo, quo Verſio Septuaginta confecta fuit? Tandem haud raro vim magnam Patrum utrinque recitari percipimus ad Poſitiones repugnantes ſtatuendas. Ea propter opportunitatem affert teſtimonium Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, Cyrilli Alexandrini, Gregorii Magni, aliorumque paucorum, probantibus, a S. Paulo Petrum ex animo reprehenſum fuiſſe; interim dum alii ſapientes, autoritate ducti Origenis, Dydimi, Apollinaris Laodiceni, Euſebii Emiſſeni, Hieronymi, & Chryſoſtomi &c. defendunt, id Paulum feciſſe ſimulate. Litterati etiam homines, quibus placet, Linum ſtatum a S. Petro Pontificem fuiſſe, quippe id honoris ad S. Clementem deferunt, utrinque magnum S. S. Patrum numerum recenſent.

Vix ullum reperias in Hiſtoria Eccleſiaſtica factum, de quo non diffidant ſtudioſi homines noſtri; & ſecum Autores Eccleſiaſticos in partes non trahant. Hine prodeunt omnia fere vitia, de quibus Critices uſus inſimulatur. Hinc oriuntur tot probationes futiles, ad Scriptores Eccleſiæ in ſententiam ſuam pertrahendos, excogitatæ, tot reſponſa parum concludentia, ad aliorum teſtimonium declinandum, adhibita, & magnus ille Conjecturarum concurſus in partem utramque, non ſemper ſa-

tis

tis accurate coactus. Hinc denique proficiſcuntur tot diſceptationes, & judicia pugnantia, a Summis Viris quotidie de eodem eventu lata, quæ tantum abeſt, ut ad Eccleſiaſticam hiſtoriam extricandam conducant, ut adumbrent potius, & tenebras ipſi offundant.

Criticorum ſane noſtrorum ſcribendi ratio Eccleſiæ fuiſſet utilior, Patribus reverentior, atque ad enodandam Eccleſiæ Hiſtoriam accommodatior, ſi ſtudium atque operam tantum in Scriptoribus inter ſe conciliandis, eorumque ſententiis viciſſim aptandis poſuiſſent, quantam in eiſdem ad ſua placita revocandis collocarunt. Quæ conciliatio ſuper factis haud paucis non eſt ejus negotii, quod aliquibus viſum eſt.

Communis v. g. Patrum ſenſus eſt; S. Marcum Romæ Evangelium ſuum, Petro vivente & probante, lucubraſſe. Iræneus tamen opinatur, illud a Marco conſcriptum, Petro & Paulo e vivis ſublatis. *Poſt horum vero interitum*. Ita Patris hujus verba flectit Valeſius, ab Euſebio relata: μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον. Nihilo ſecius eſt, quod animadvertamus, vocem Græcam ἔξοδος, & Latinam *exceſſum* aut *exitum*, quibus antiquus Irænei & Rufini Interpres uſus eſt, ambiguas haberi, & ſignificare *egreſſum* ita, atque *mortuum*. Qua priore interpretatione, Irenæus dixiſſet tantummodo, Marcum vulgaſſe Evangelium ſuum, poſtquam Petrus & Paulus Roma demigraverant.

Dupinus Diſſ. prælim. pag. 190. col. 2.

Euſeb. l. 5. c. 8.

Chryſoſtomus adverſus Patrum plerorumque mentem conjecit, S. Marcum in Ægypto, non vero Romæ Evangelium ſuum ſcripſiſſe. At quid prohiberet, Patrem hunc ceteris conciliare, dicendo: S. Marcum Romanis Chriſti fidelibus evangelium præbuiſſe ex munere Interpretis Petri, qui in ea Urbe Principe fidem annunciabat; idemque Evangelium primis Ægyptiorum Chriſtianis tradidiſſe ex Officio Apoſtoli & Antiſtitis?

Chryſ. Hom. 1. in Matt.

Aſſerit locis multis Hieronymus, quamquam Epiſtola D. Pauli ad Hebræos illi ſemper ab Eccleſiis Orientis fuerit adjudicata, *eam tamen Latinorum conſuetudinem non recipere inter Scripturas Canonicas*. Atqui S. Hilarius, Optatus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique Patres nonnulli, Hieronymo vetuſtiores, aut ætate pares non modo non de Canonica Epiſtolæ hujus autoritate dubitarunt, ſed Pauli quoque fuiſſe cenſuerunt. Quamobrem igitur aſſeveravit Hieronymus, eam Latinos id temporis non admittere? Parata reſponſio eſt; differre admodum inter ſe Eccleſiarum conſuetudinem, & Scriptorum ſingularium teſtimonium. Hieronymus affirmans, ætate ſua apud Latinos Epiſtolam ad Hebræos non fuiſſe receptam, Eccleſiarum multarum in Occidente morem adſcripſit, quæ in publicis Conventibus eam revera non legebant; quod non tollit, quominus Patres illius ævi eam tamquam canonicam, & D. Pauli opus exiſtimaverint.

Hieron. Epiſt. ad Dard. Item Comment. in Iſaiam l. 2. c. 6.

Tillem. annot. 4. Tom. 4. in Perſecut. Aurel. pag. 641. col. 1. Euſebius l. 7. c. 30.

Hac eadem ratione diſſidium auſert Tillemontius Lactantii & Euſebii de Aureliani in Chriſtianos Edicto. Docet Euſebius in Hiſtoria ſua: *Aurelianum, cum Litteras contra nos compoſitas prope dixerim manu ſubſcriberet, divina ultio ſubito occupavit, quæ bracchiorum commiſſuris enervatis, illum ab inſtituto repreſſit*, & in Chronico ait: *Aurelianus, cum adverſum nos perſecutionem moviſſet, fulmen juxta eum, comiteſque ejus ruit, & non multo poſt ...... occiditur*. Hiſtoria hæc videtur nobis ratum facere abſolute, nullum in Eccleſiam Edictum ſanxiſſe Aurelianum. Lactantius tamen autor eſt, eum ſeveritatis tantæ in Eccleſiam Decreta tuliſſe, ut appellari mererentur *Decreta Sanguinis & cædis*.

Lactant. de Morte Perſec. c. 6.

Ut conveniat inter Autores iſtos, par eſſet, aut me fallit animus, dicere, eum Aurelianus editurus in Chriſtianos Edicta eſſet, tum a Deo perculſum fulmine divinæ indignationis indice; at illum corde obduruiſſe, neque id obfuiſſe, quin paullo ante mortem vulgaret Edicta ſua, adeo ut vel parum, vel nihil efficerent; imo neque ad omnes provincias, & præſertim ad eam, in qua agebat Euſebius, manarent. Hic revera Lactantii ſenſus eſt, ubi ait, inanem fuiſſe pravam Aureliani voluntatem; ipſiuſque Edicta nondum in remotiores Provincias delata fuiſſe, cum vita defunctus eſt.

Tametſi difficile non parum ſit, Antiquos & recentiores in unam ſententiam conferre de primis Petri Succeſſoribus; atque extra aleam ponere, Clemens ne omnium primus ſucceſſerit Apoſtolo iſti, an tertius ab ipſo fuerit Epiſcopus Romanus: Baronius tamen, Bollandus, Alexander, præ aliis vero Tillemontius exiſtimarunt, poſſe ſe varia horum ſenſa componere, ſi dixerint; inauguratum quidem a Petro Clementem, ut eſſet Antiſtes Romanus; at honorem tantum Lino & Cleto ceſſiſſe; neque fieri potuiſſe, ut ad ſummum Eccleſiæ Gubernaculum tractandum adduceretur, præterquam iis ad ſuperos vocatis. Aliter rem expedit Tillemontius, quam amplecti mallet, inquit, reſponſionem; ſi tanta eſſet, quanta ſuperior, autoritate: nimirum fatetur, Clementem a Petro ordinatum Epiſcopum, inſtar Epiſcopi Apoſtolici, nulli Eccleſiæ peculiari addicti, ſed inſtituti, ut præſto eſſet Apoſtolis in eorum miniſterio, ad Fidem prædicandam pergeret, Eccleſiamque huc illucque ſtatuendam, confirmandamque, donec poſt obitum Cleti a Romanis Chriſtifidelibus petitus, Eccleſiæ iſtius Sacris præfectus fuerit.

Tillem. Tom. 2. annot. 4. in S. Clem. Pont. pag. 519. col. 2.

Tillem. ibidem.

Ham. l. 5 c. 1.

Hamondus Presbyter Anglus ex Heterodoxis in Opere, quo Epiſcopatum adverſus Presbyterianos mordicus tuetur, ſecus dirimit controverſiam. Putat, non abhorrere a veritate, S. Clementem Judæos Romæ degentes rexiſſe, dum Linus & Cletus alius poſt alium Gentilibus præerant; quibus Martyrio abſumtis, Clementem in ſe unum univerſam Ec-

Eccleſiam Romanam tranſtuliſſe. Qua nempe interpretatione fit, ut proxime ſecundum Tertullianum, Rufinum, Latinoſque omnes, Apoſtolis ſucceſſerit, quod attinet ad res Judæorum: quod vero erat rerum univerſarum, aliis tantum duobus, ſecundum Hieronymum, Irenæum, cunctoſque Græcos.

Sum neſcius, anne ſentire idem poſſent Acta S. Sylveſtri, Euſebiusque de Baptiſmate Conſtantini, temperatione adhibita ab Autore quodam claro ad medium circiter Sæculum XII., * Conſtantinum videlicet tinctum aqua ſalutari Romæ fuiſſe, at graviſſima morbi vi Nicomediæ correptum ibidem rurſus baptizatum ab Euſebio ejuſdem Urbis Archiepiſcopo, ea induſtria, ut illum Arianiſmi laqueis implicaret; ** quod forte verbis Hieronymi in Chronico confirmari poſſet: *Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arianum Dogma declinat.*

Ad hæc: æquiſſimum non eſſet, Scriptores antiquos in ſocietatem vocare de tempore prædicationis Evangelii in Galliis, duabus Traditionibus libenter admiſſis, altera, quæ nonnullorum Epiſcoporum in Gallias adventum a primo ſæculo peteret; altera vero, quæ illud ad medium circiter III. Sæculum retraheret? Hæ profecto Traditiones duæ potuerunt ſatis obtinere Sæculis V. & VI., quod conjicimus a Supplicie Libello, quem ad S. Leonem Pontificem Epiſcopi Provinciæ Arelatenſis obtulerunt anno 450., qui memorat, S. Trophimum in Gallias a S. Petro miſſum; atque ab Epiſtola, quam ad Sanctam Radegundem Epiſcopi Gallicani dederunt, medio circiter ſexto ſæculo vertente; traditque, Fidem Chriſti Gallis a Chriſtianæ Religionis ortu nunciatam. Traditio hæc ſenſim invaluit ad Pipinum uſque, quo rege vulgatior erat, uti nos facit certiores Epiſtola ad Eugenium II. a Gallorum Epiſcopis ſcripta, *** ajentibus ipſis in Conventu habito Pariſiis anno 824., hanc Traditionem

* Anſelmus Epiſcopus Havelburgenſis in Ditione Brandeburgi Urbis Germanicæ vixit Ævo XII. ad annum 1149. Lotarius II. Imperator eum ad Græcum Imperatorem Legatum miſit, & nonnulla de Religione colloquia cum Græcis habuit, quæ deinceps collegit, & ſcripta tribuit in tres Libros, atque ad Eugenium III. miſit. Opus hoc publici juris factum eſt a P.D. Luca Acherio decimo tertio Spicilegii ſui Volumine.

** *Euſebius*, inquit Anſelmus, *quondam Nicomediæ Epiſcopus, totus Ariana Hæreſi fermentatus, ſicut narrat Hiſtoria, a Theodorito Venerabili Epiſcopo Græco ſermone conſcripta, & a Caſſiodoro per Epiphanium Scholaſticum in Latinum noſtrum translata, Magnum Conſtantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizavit.* Hujuſmodi Anſelmi enunciationi obſtitit Alexander Tomo 2. ſæc. 4. p. 388., & Diſſ. 23. Conſtantinum ab Arianæ Hæreſeos ſuſpicione purgat. Nihilominus eo graviora videntur Anſelmi verba, quo Antiquum alium, Hieronymi ſuffragio adjutum, pro ſe ſpondere oſtendit.

*** Cointius ad annum 826. num. VIII. & XVI. leviſſimis, ut vide-

eſſe

eſſe vetuſtiſſimam & tutiſſimam, *quæ ab antiquis Patribus uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt*. Demum elapſo decennio, Areopagitica ſua memoriæ prodiit Hilduinus, atque huic robur addidit opinioni.

Alterius Traditionis autores ſunt S. Sulpicius Severus, & S. Gregorius Turonenſis, quæ ante M. Aurelii tempus nullum in Galliis Martyrem profitetur, neque ante exactum pene medium III. Sæculum primos Epiſcopos noſtros huc adventaſſe credit.

Exinde Traditiones utraſque iſtas Martyrologia, alia Monumenta Eccleſiaſtica, Acta Sanctorum multorum, atque Scriptorum Opera ſubjerunt, quorum quædam huic, alia alteri adhærent.

Poſſet fortaſſe quis Traditionum iſtarum fontem ducere ab exeunte circiter ſæculo 1., ſive ab ineunte ſecundo; ſi Hilduino hinc, illinc Uſuardo & Adoni habenda fides. Ita eſt affectus prior, ut credat Ariſtarchi

Diſſert. 6.

teſtimonio, quod alibi obſervavimus, Dionyſium Areopagitam, alio in locum ſuum Epiſcopo ſuffecto, Athenis Romam commigraſſe, quod forte anſam credendi dedit, S. Dionyſium Areopagitam Romæ agentem, juſſu Clementis Gallias petiiſſe. Perhibet Criticus, Uſuardo & Adone teſtibus, Traditionem aliam Ariſtidis autoritate fulciri. * Apologiſta hic ex Uſuardo & Adone, nihil de S. Dionyſio Areopagita meminit præter martyrium, obrutis ſilentio ejus itinere Romam, ejus Miſſione in Gallias; ejuſque interitus loco. Verumtamen opinatur Cointius, Ariſtidis de

ad annum 835. num. 116.

univerſis Epochis iſtis ſilentium ſatis efficere inſtar Traditionis, S. Dionyſium Areopagitam Athenis Martyrii palmam adeptum.

Utcumque tamen ſe res habeat de duarum Traditionum iſtarum origine, illud evadit omnem dubitationem, utraſque radices agere in nonnullis Eccleſiis cœpiſſe a V. & VI. Sæculis; atque inde manavit tanta eorum diſſenſio, qui ævis inſequentibus ſcripſerunt. Quibus animadverſis, aptum videtur eſſe huic dirimendæ quæſtioni, utramque Traditionem agnoſcere. Habeto momenta oſtendentia hanc eſſe ineundam viam, potius quam rejecta una, alteri aſſentiri.

Abſque hac temperatione, neceſſum erit fateri 1. ſive Epiſcopos a nobis relatos, & a priore Epocha ſtantes, ſive S. S. Sulpicium Severum, & Gregorium Turonenſem alteri addictos, ignoraſſe penitus non modo

tur, conjecturis ductus hanc Epiſtolam falſitatis arguit. Contra Mabillonius, a nobis in rem hanc citatus, Alexander Sæc. 1. Diſſ. XVI. prob. 15. aliique multi eam legitimis accenſent. Baronius retulit 9. Annalium Volumine, & ſervatur in quodam Bibliothecæ Thuanæ Codice.

* Ariſtides Philoſophus Athenienſis obtulit Adriano Imperatori Apologiam pro Chriſtianis, quæ intercidit ſæculorum injuria. Euſebius in Chronico, & 4. Hiſtoriæ Libro, nec non Hieronymus in Libro de Viris Illuſtr. Philoſophorum hunc Chriſtianum eximiis laudibus efferunt.

ſua.

ſuarum, verum totius Regni Eccleſiarum Traditionem de primis earundem inſtitutoribus; quandoquidem eitra vim eorum locis illatam nulla eſt eos admovendi & conciliandi invicem ratio. 2. His duabus Traditionibus ſuſceptis, ſe prodet haud ægre magnæ illius perturbationis cauſſa, quæ in Martyrologia, Monumenta Eccleſiaſtica multa, nonnullorum S. S. Acta, & Scriptorum Opera a Sæculo VIII. ſuper hac re irrepſit: Opera inquam, rebus perſpicue repugnantibus plena, aliis aliud apprime diverſum factum propugnantibus. Denique ſi MSS. eorundem Codicum modo hanc, modo Traditionum iſtarum aliam amplectuntur, id non aliis vitio dari poteſt, niſi Monumentorum iſtorum Librariis, qui addiderunt ipſis, quæ Eccleſiarum ſuarum Traditioni magis conſentire videbantur, aut deleverunt, quæ diſſentire: rati ſe poſſe opinionem Provinciarum ſuarum communem in Monumenta, quæ exſcribebant, inferre. *Diſſ.6.*

Præter exempla alibi recitata abs re non erit aliud in præſens ſubjicere. Si Boſquetus in Vita Dionyſii, ab ipſo in lucem nonnullorum MS. fide edita, * hanc rationem ſecutus non eſt; de hoc tamen, ut de Marca probat, licet vehementer dubitare. In hac Hiſtoria non narrat Boſquetus, Clementis imperio ad Gallias contendiſſe Dionyſium, quamquam declaret Marca, ſe vetuſtum Eccleſiæ Turonenſis MSS. vidiſſe, eandem ipſam S. Dionyſii vitam ab illuſtri hoc Præſule vulgatam exhibens, atque in ipſo S. Dionyſium in Gallias oblegatum a Clemente legiſſe. Idem Marca Vitam hanc Fortunato Pictavienſi Epiſcopo, VI. Sæculi Scriptori, adjudicat. ** Quod ſi verum eſt, Boſquetum, S. Dionyſii Geſta ex hoc Scripto Fortunati traduxiſſe, itemque Codicem hunc Dionyſium in Gallias jubente Clemente profectum meminiſſe, nihil aliud videtur rei hujus in cauſſa eſſe potuiſſe, niſi quod viſum ſit Epiſcopo iſti, integrum eſſe ſibi eam ſeligere Traditionem, quæ temporibus ſuis eminere incipiebat; ſive, ut ego libentius arbitror, quod exemplum MSS. Fortunati, cui dedit ille operam, hoc adjunctum non retulerit. *Boſquetus Hiſt. Eccl. Gall. p. 2.*

Tametſi utraque ex his Traditionibus abſit longe a veritate; nihilo ſecius cum Scriptorum V. & VI. Sæculi teſtimoniis roborentur, quorum omnes fide digni ſunt, juſque habent dictorum ſuorum, neque fieri poſ-

* *Sane a Clemente in Gallias Dionyſium miſſum . . . . . Nomen Autoris illius Vitæ deprehendi in Codice MS. Turonenſis Eccleſiæ, qui complectitur Vitas S. S. aliquot, a Fortunato deſcriptas, & inter ceteras, Dionyſii Pariſienſis illam, quæ jam, ut dixi, edita eſt in publicum.* Dixerat paullo ſuperius impreſſam a Boſqueto Vitam illam. Marca Epiſt. ad Valeſium.

** Tillemontius, Bailletus, uti monuimus Diſſ. 2., contendunt, Autorem Vitæ hujus non vixiſſe niſi VII. aut VIII. Sæculo. At ſi Fortunatum retulit Autorem, oppido vetuſtior eſt.

ſit

ſit, ut oſtendatur, undenam fluxerit facti hujus error, poſteriorum Sæculorum Scriptores æquitate omni earum alterutram amplexari potuerunt. Hac via tolluntur de medio pugnantia innumera, quibus redundant Eccleſiaſtica monumenta multa, & incommoda cuncta devitantur, in quæ utriuſque partis Scriptores impegerunt, noſque alibi, id quæſtio-
Diſſ. 6. Art. 5. nis in manibus habentes, paucis dedimus.

Itaque nihil prohibet, quin colligamus, utraſque Traditiones iſtas non parum probabilitatis habere, & cum vero ſimilitudinis. Quod vero ſpectat ad ſuſcipiendum *Gregorianæ* Traditionis falſitatis inſimulandæ negotium, ut *Areopagitici* volunt; ſive *Areopagiticæ* ad incredibilia rejiciendæ inſtitutum, ut *Gregorienſibus* libitum eſſet; nobis inſitum animo eſt, non poſſe Criticen vel acriorem in re hac propoſitum aſſequi; quandiu aliæ præſto non erunt cognitiones, & extabunt Sulpicii Severi, Gregorii Turonenſis, aliorumque Epiſcoporum teſtimonia.

At enim, inquies, poſita opinionum iſtarum probabilitate, cur non potero animadvertere utra ſit certior, & veritati congruentior? Si expedienda res ſit teſtimoniis utrinque productis, videntur *Areopagitici* firmiorem cauſſam adoptaſſe. Antiſtitum enim loca ab eis recitata magis diſerta, & abſoluta ſunt, minuſque intricata, quam Sulpicii Severi, & Gregorii Turonenſis verba, ſaltem quod eſt Miſſionis nonnullorum Epiſcoporum noſtrorum; neque enim ſermo hic eſt de univerſis aliis Traditionibus Eccleſiarum multarum ſingillatim ſuper primis ipſarum Apoſtolis. Nihilo tamen minus ſi tranſigenda ſit ex conjectura & rerum ſpecie, præſtabit admodum opinio *Gregorienſium*. En rectior judicandi modus ex accuratæ juſtæque Critices præſcripto.

Jam vero etſi hæc Autorum conciliandorum ratio omni difficultate non careat, multum ſane ad Hiſtoriam Eccleſiæ illuſtrandam conduceret. Conjunctis etenim, ut res patitur, variis ſenſis, ſublata eſſet perpetua hæc, quæ apparet, inter Veteres oppoſitio; varietas tanta non eſſet factorum, de quibus Autores diſſimiliter locuti ſunt, at rei ſumma non diſcrepat; ſique Theologis patuit aditus, ut ita de rebus Dogmaticis ſe gererent, quamobrem interclusus erit, ut commode ita ſe gerant de rebus Hiſtoricis?

AR-

ARTICULUS VI.

Conjecturarum Uſus, quarum eſt apud Criticos exercitatio, vitiis non vacat.

QUamvis Dupinus aliique Critici egregias condiderint regulas de conjecturarum Uſu ad oſtendendam alicujus Operis falſitatem, atque iſtarum pleræque facile admodum eventis accommodari queant: quamvis nos docuerint Sapientes Viri iſti, alias eſſe Conjecturas *inſitas*, alias *adſcitas*, atque utraſque tum concludentes eſſe poſſe, tum probabiles, quamque demum Conjecturam ſigillatim, majoris aut minoris autoritatis eſſe poſſe, & diverſa longe argumenta ſufficere, ſpecies tamen eſt, Criticos haud ſatis mentem ſuam aperuiſſe, quibus affecta eſſe debeat conjectura, ut vera ſit, & æquam inde probationem comparare poſſimus. *Dupin. in Praef. 2. part. pag. 36.*

Et vero enim ſi pronunciatum aliquod tutum, & rectam aliquam rationem hac de re ſtatuiſſent, illud nullo negotio aſſequi quiſque poſſet, nonne Litteratorum quorundam de Sociis S. Urſulæ, vulgo dictis Undecim mille Virginibus, conjectura vera ſit, legitima, & rite firmata. Ea nanque opinione ſunt Sapientes iſti, mirum hunc ſociarum S. Urſulæ numerum ad unam tantummodo redigendum, quæ nomine *Undecimilla* vocabatur, atque inde Amanuenſes Martyrologiorum, disjunctis vocis hujus partibus, undecim mille affirmarunt. * Palam fieret utrum exquiſita ſit Tillemontii conjectura, cum refutaturus ſententiam Euſebii de Martyrum Lugdunenſium anno, ſic habet: „ Voluit Euſebius Martyres Lugdunenſes decimo ſeptimo M. Aurelii anno collocare; quod ſi aliter in Chronico loquitur, propterea fuit, quia nondum ſatis rem hanc expenderat. „ Non eſſet cur in dubium revocaremus, recipienda ne ſit nec ne tamquam firma & rata Launoji conjectura, reſpondentis Teſtimonio Alexandri, deprompto ex Epiſtola cujuſdam Archiepiſcopi Arelatenſis, anno circiter 1203. data ad Epiſcopos Provinciæ ſuæ, in qua oſtendere nititur, Cæmeterium quoddam, vulgo *Altiſcampum* ſive *Camporum Elyſiorum* extra muros Arelatenſes præſentia

Sirmondus, Valeſius, &c.

Tomo 3. Annot. 1. in S. Martyres Lugdun. pag. 596. col. 2.

Alex. Tomo 2. Sæc. 1 Diſſ. 16. probat. 8. pag. 73.

* Anno 1678. Vir Religioſus e Congregatione S. Mauri volumen protulit inſcriptum: *Meditationes pro Feſto S. Urſulæ* Gall. in quo laborat, ut probet, plurimas fuiſſe S. Urſulæ ſodales, & objecta in rem hanc diluit argumenta.

Maximini Aquarum Sextiarum Epiſcopi, & nonnullorum Jeſu Chriſti Diſcipulorum ſacratum fuiſſe: *Verum omnes iſti Epiſcopi*, inquit Launojus, *coævi non fuerunt SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*. Harum trium conjecturarum prior a re ducitur, quæ duntaxat fieri potuit. Altera plus æquo generalis eſt, & quibuſvis teſtimoniis accommodari poteſt. Tertia non magni ponderis videri debet, nempe genus quoddam Loci communis.

Compertum haberemus etiam, nonne liceret uti quibuſdam conjecturis, quas ſtrictim acceptas conſecutiones pravæ ſequi poſſunt. Bircherodius * v. g. probaturus, non eſſe conficta Opera, primorum Patriarcharum nomen gerentia, ita conjicit de re hac: Crediderim, neminem, ſi modo nihil litteris dediſſent, periculum facturum fuiſſe, Libros eorum nomine ſupponendi, & propterea aggreſſi ſunt Libros illis tribuere, quod omnes perciperent, præoccupato animo eſſe, illos Opera ulla poſteritati commendaſſe. Non ſecus conjecit Dupinus, ut Epiſtolarum Ignatii veritatem vindicaret.

Dupin Bibliot. Tomo 1 pag. 124.

Porro conjecturæ iſtius exercitatione fas eſſet adverſus Dupinum propugnare, germanas eſſe Epiſtolas Jeſu Chriſti ad Abgarum, treſque alias Mariæ Virgini tributas. ** Evangelia, quæ a primis Eccleſiæ ſæculis invecta ſunt nominibus S. Thomæ, S. Matthiæ, S. Bartholomæi, S. Philippi, S. Andreæ, haberi poſſent veluti ab his Apoſtolis conſcripta, non ſecus atque Apocalypſes, & Acta, obtruſa eorum nomine, qui nihil ſcripto conſignaverant: ſatiſque eſſet reſpondere: *Porro exiſtimare, ætate illa ipſis vindicata fuiſſe Opera aliqua, quin ulla lucubraſſent, id eſt, meo quidem judicio, immane abſurdum. Sit itaque pro conſtanti* Jeſum Chriſtum, Virginem Mariam, atque Apoſtolos Epiſtolas ſcripſiſſe, Evangelia, Apocalypſes, & Acta.

Inſuper ſi hac re nos diligenter inſtituiſſent, calleremus etiam, an ſolida conjectura ſit factis explodendis, aliud ferme ſimile afferre, quod fictum eſſe deprehendimus. Quandoquidem frequentiſſimus eſt in Operibus Criticorum mos conjecturæ hujus adhibendæ, uno duntaxat contenti erimus exemplo. Affirmat S. Petrus Alexandrinus, uti conſtat ex Chronico Alexandrino, a Menochio edito, legendum eſſe c. 19. S. Joannis verſ. 14. *Erat hora quaſi tertia*; quod videlicet Lectio hæc in emendatis Exemplaribus, atque in eo, quod manibus S. Joannis Evangeliſtæ exaratum in Eccleſia Epheſina ad hanc diem extat, reperiretur. Simonius, ut

* Opus ejus typis vulgatum Hapheníenſibus anno 1687. in fol. titulum habet: *Jani Bircherodii Theol. Doct. & Profeſſ. in Academia Hafnienſi Lumen Hiſtoria Sacræ Veteris & Novi Teſtamenti.*

** Prima ad S. Ignatium miſſa eſt, ſecunda ad Florentinos, edita a Caniſio Juriſconſulto. Tertia illa eſt, quam apud ſe extare Meſſinenſes jactant, Dupinus Tomo 1, pag. 5.

fa-

factum hoc de medio tollat, hanc ducit conjecturam. Quemadmodum falſum eſt, Venetos adhuc Evangelii S. Marci Archetypum poſſidere, ita dicendum eſt de Traditione Epheſiorum, a S. Petro Alexandrino memorata.

Simonius Hiſt. Crit. Novi Teſt. c. 4. pag. 42.

Denique ſi regulam nobis ullam de Conjecturarum uſu tradidiſſent, judicium ferre poſſemus, utrum coacervatio conjecturarum, ſine ulla probatione in medium adducta ſatis firma videri poſſit ad ſententiam aliquam ſtatuendam, æquitatis legibus temperatam. Exempli loco ſit. Poſtquam Petitdidierus prolixe admodum confecit argumentis, Carmina Sibyllis tributa antiquiora eſſe tempore a Dupino præfinito, quin imo ſæculi primi fœtum eſſe, ita concludit. „ Ut ex Librorum iſtorum Epocha ineamus rationem aliquam, quæ omnibus Antiquitatis monumentis congruat, libenter dicerem, hos Chriſtianos eſſe, qui nimio in Religionem animi ardore correpti, prædictiones iſtas Sibyllæ mutuo dederunt, ut apud Paganos vaticinia inſtituto ſuo commoda reperirent. Dicerem, Chriſtianos iſtos omnia pro certo non habuiſſe, quæ Sibyllarum nomine venditabant; ſed ea inſeruiſſe, quæ appoſita exiſtimaverant, ut Paganis facilem redderent Evangelii acceptionem. Dicerem quoque, cum Volumina hæc adeo interpolata in Chriſtianorum aliorum notitiam veniſſent, qui fraudem nullam ſuſpicabantur, bona fide eos crediliſſe a Sibyllis revera hæc preſagia deſcendere; Deumque ita Gentilibus ſe in conſpectum dare voluiſſe. Dicerem item, Volumina hæc, Chriſtianorum ſtudio longe lateque diffuſa, perſuaſiſſe cum Paganis multis, tum Chriſtianis etiam ea, quæ in ipſis complectebantur pro Chriſtiana Religione, ita a Sibyllis profecta fuiſſe, atque reliqua, quæ præſeferebant, a Paganis minime controverſa: Tandem ſic ſe habuiſſe negotium, cum Juſtinus primum pro Chriſtianis Apologiam obtulit Antonino Pio Imperatori. „ Brevitatis gratia verba nonnulla prætermiſi, quæ nullatenus loco iſti vim detrahunt. At non paucis profecto conſtat hæc Epitome, quæ omnibus non probabuntur, quippe minus ad primorum Chriſtianorum fidelitatem compoſita. Quoniam hæc ad Criticen nequaquam ſpectant, id unum dixero, videri ſatis, non probaturum eruditum hunc Benedictinum, ſi quiſpiam conjecturis uteretur iſtis adverſantibus, ut aliam rerum diſpoſitionem ſtatueret huic ab ipſo traditæ contrariam. Eccur autem non liceret eodem jure uti, quo uſus eſt Petitdidierus? Ac ſi hæc docendi ratio concederetur, promtum ſane cuique eſſet, varias cogitare Quæſtionum ſolvendarum vias. Neceſſum itaque foret, Leges de Conjecturæ Uſu ſancire, quæ licet Criticorum non præciderent nimiam libertatem, ipſorum certe errata nobis aperirent.

Animadverſiones in Biblioth. Dup. Tomo 1. c. 2. § 4. pag. 123. & 124.

 II.

II.

Inter omnia, quibus afficitur Uſus Critices, quodque cætera ferme complectitur vitia omnia, illud ex gravioribus vitium eſt, eos qui ad hæc ſtudia ſe conferunt, non una eademque ratione conjecturas & veriſimilitudines adhibere.

In Conjecturæ alicujus fidem ſe recipere, ut factum aliquod in tuto ponas, eandemque tum rejicere, cum tibi non favet, non eſt plane Criticen accurate exercere. Illud autem æquus eſt Conjecturæ uſus, toties eventum aliquod inmendacibus aut ſuſpicioſis habere, quoties inter ejuſdem narratores non convenit. *Nihil ita prodit*, ait P. Alexander, *falſitatem Hiſtoriæ, quam Autorum in ea referenda diſſenſio*. Hæc Conjectura ſufficit Alexandro argumentum ad repudiandam Hiſtoriam liberationis Trajani ab Inferis, orante S. Gregorio Magno; quoniam Autores id rei narrantes diſſentiunt narrando.

Alex. Tomo 1. Sac. 2. Hiſt. Diſſert. 1 prob. 4. pag. 119.

Verum cum Heterodoxi hoc Alexandri principium in rem ſuam vertunt, ut Petrum Romæ non fuiſſe planum faciant, quod qui de hoc itinere meminerunt, diffideant de tempore adventus ejus in hanc Urbem, tum reſpondet: ſatis eſſe, Hiſtoricos in rei ſumma idem ſentire, licet in ei adjunctis diſſentiant. *Enim vero ſæpiſſime contigit, ut conſtet de veritate, de modo aut tempore non conſtet*. Verumtamen ſive reſponſum hoc difficultatem non aufert, ſive conjectura, cui adhæret ſuper Hiſtoria Trajani, commentitia eſt, ſiquidem qui referunt illam, de præcipuo rei capite conſentiunt: nimirum *S. Gregorium Poenis Inferorum Trajanum liberaſſe*; de aliquibus vero adjunctis diſſentiunt.

Tomo 1. ſac. 1. Diſſ. 12. ad prim. objecl. pag. 525.

III.

Non pauci vitiis Critices adhibendæ annumerant miram illam conjecturarum & rationum ſtruem, quam congerunt Critici nonnulli. Hæc argumentorum multitudo plerumque neque magno eſt momento, neque utilitati ad id, quod in manibus habent, confirmandum. Verum id crimini darem ſive animi alienationi, qui diu in rem eandem intendere nequit, ſive eruditioni uberiori, atque exquiſitiori, quæ non poteſt non aliquando ſe prodere. Habeto exempla duo. Animus eſt Launoii in quadam Epiſtola ſua probare, hanc eſſe Eccleſiæ mentem, videlicet Stephanum Pontificem, dum S. Cypriani opinionem damnavit de Baptiſmate Hæreticorum, in errorem adverſum incidiſſe. Quod aſſequitur hac conjectura: nimirum Cyprianum pluris in Eccleſia ſemper habitum fuiſſe quam Stephanum: cui alias quoque adnectit. Sancti Patres, inquit, ſummis laudibus Cyprianum, non autem Stephanum proſecuti ſunt: In Ca-

Ad Jacobum Bevilaquam Doct Sorb apud Alex Tomo 1. Sac. Diſſ. 14. pag. 150.

Canone Miſſæ adſcriptum eſt nomen Cypriani, non Stephani. In veteribus Litaniis, atque in Ritualibus Eccleſiarum Gallicarum undeviginti Cyprianus invocatur, non Stephanus: In Sacramentario S. Gregorii legitur, ut in antiquis Miſſalibus, Præfatio propria pro Feſto S. illius Doctoris, non vero S. hujus Pontificis: Eccleſia Romana S. S. Cornelii & Cypriani feſtum diem ritu agit ſemiduplici, ſimplici autem S. Stephani Memoriam. Illud denique ſingulare bonoris Cypriano tributi argumentum eſt, priſca Kalendaria Romana nomine ipſius indicaſſe Hebdomadas * ab illius Feſto ad Adventum, non autem nomine S. Stephani, uti vocabantur Hebdomadæ ſive dies Dominici poſt Epiphaniam, poſt Paſcha, poſt Pentecoſten, quodque S. S. duntaxat Apoſtolis Petro & Paulo, nec non Laurentio Martyri præſtitum fuit. His conjecturis perſuaſum nobis eſſe vult Criticus iſte, rei ſpeciem ferre, S. Stephanum Pontificem ex Eccleſiæ mente captum errore fuiſſe oppoſito Illi, quem in S. Cypriano, ejuſque partis Epiſcopis condemnaverat.

Quibus tamen finibus haud circumſcribuntur vitia, ex conjecturarum uſu profecta; licet illæ inter præcipua Critices fundamenta ſedem habeant; ſed alia non deſunt plura quibus opus iſtud reſperſum eſt, nec vacat rurſus colligere, ne dicta repetamus.

Alterum exemplum id genus conjecturarum, ut videtur, admodum inutilium, nec id, quod res flagitat, efficientium ex *Flagellantium* Hiſtoria depromi poteſt, in quam, ſi fides Thierio eſt, inania pene argumenta multa Autor intrudit. Boilæus nanque volvens animo verberationes voluntarias in invidiam hominum adducere, cumulate probat altero Hiſtoriæ ſuæ capite, in Lege priſca verberationum ultro ſibi incuſſarum conſuetudinem non fuiſſe. Abrahamo, inquit, & Iſaaco id non erat in more poſitum. Capite tertio contendit, rem eſſe incertam, utrum S. Paulus corpus ſuum flagellis appetierit. Capite quarto tradit, citra dubium eſſe, ante Rempublicam Romanam conſtitutam flagrorum pœna captivos haud affici ſolitos: Scythas virgis & flagellis captivos deſectores ad officium compuliſſe, morem verberationum ultro factarum apud

* Anno 1652. P. Fronto Canonicus Regularis S. Genovefæ imprimi curavit Indiculum Evangeliorum, hoc titulo, *Kalendarium Romanum*, cujus Codex MS., quem aureis litteris ſignatum, milleque annorum ætatem ferre docet, ſervatur Pariſiis in illuſtri illius *Abbatia Bibliotheca*. Kalendarium hoc S. S. Cornelii & Cypriani Feſtum diem collocat decimo octavo Kalendas Octobris, & deinceps ad Adventum uſque numerum Hebdomadarum ſupputat hoc modo: *Hebdomada I. II. III. &c. poſt Natale S. Cypriani*. De quibus duo animadvertit Autor hic. Primo, non videri ipſi, peculiare unquam S. Cypriani officium recitatum fuiſſe. Secundo, ſubducendum, ut opinatur, fuiſſe citius Hebdomadarum numerum Cornelio, qui primus eſt. Demum fatetur, ſenſum hunc magis ea referre, quæ habet S. Gregorius Magnus in Regeſto l. 12. Ep. 530.

La-

Lacedemones obtinuiſſe, ſtatimque in Paganis radicem egiſſe. Quinto capite docet, S. Auguſtini ætate Hæreticos & ſontes flagellis cæſos fuiſſe, ut innumeras alias id genus conjecturas mittam a Boilæo adhibitas in Hiſtoria ſua. At enim, inquit Thierius, quod afferunt frugis argumenta hæc omnia, ut Chriſtianis abſtinendum eſſe a verberationibus ſuaſponte factis evincant? Recte ſecuſne ratiocinaretur, qui diceret: In veteri Teſtamento hoc vel illud uſurpabatur, ſive ita ferebat Paganorum conſuetudo: aut hæc pro captivis, reis, & Hæreticis uſus habebant; igitur in Novo ſervanda non ſunt, Chriſtianis populis interdicenda, atque a Religioſis domibus amandanda? Haud aliter Thierius ſeptem traducit Hiſtoriæ *Flagellantium* capita, cujus conjecturæ nunquam ſatis rectæ aut concluſæ videbuntur.

Thierius Critice de Hiſt. Flagell. c. 1. p. 34. &c. Gall.

In tertia Operis hujus Diſſertatione alia multa vitia animadvertimus, quæ in Uſu Critices deprehenduntur; non omiſimus ea, in quæ delapſi ſunt Critici ſuper Argumento negante, ſive Autorum Silentio; ſed cum nihil eo loci meminerimus de conjectura petita a ſilentio Scripturarum: utrum ſcilicet Critici recte ſatis & accurate illa uterentur, id paucis hoc loco complectar.

ARTICULUS VII.

Vitia conjecturæ capta a Silentio Scripturarum.

Illud eſt præ ceteris animadverſione dignum, Silentii divinarum Litterarum non unum genus eſſe. Primum, quoties inter multos Scriptores Sacros, quorum erat factum aliquod memoria conſecrare, unus duntaxat eſt, qui ſcriptis illud commendaverit. Alterum, quoties nemo Autorum Canonicorum de eo verba facit: A, prioris generis Silentio Scripturarum præſidium petit Fauſtus Manichæus in quadam adverſus S. Auguſtinum diſputatione. Interrogatus etenim ab iſto Eccleſiæ Patre, cur veterem Legem & Prophetas non admitteret, quibus Chriſtus ipſe in Evangelio ſuo autoritatem adjunxerat verbis iſtis. *Non veni ſolvere Legem aut Prophetas . . . . . ſed adimplere:* irritum ſtatim eſſe voluit Fauſtus teſtimonium illud, cauſſatus ab uno duntaxat Evangeliſta Matthæo recitari. Pro certo habemus, inquit, ſenſa hæc edita a Chriſto in Monte diſputante, & tamen ne verbum quidem apud Joannem, qui tum aderat.

Aug. contra Fauſtum l. 17. c. 1. Matt. 5. v. 17.

Nihilo melius hic Hæreticorum Princeps argumentatur, eo qui fabulam

lam exiſtimaret, objiceretque Adventum Magnorum Bethleamum, quod ab uno Matthæo enarretur; aut qui infra commenta ablegaret portentum, quod Lazarum Chriſtus ad vitam revocaverit, ſilentio Matthæi Marci, & Lucæ; aut mira ab Apoſtolo Paulo Corinthi patrata, & controverſiam inter Petrum & Paulum Antiochiæ ortam coargueret falſitatis: quippe illa tacitus Lucas præteriit.

Argumentationis hujus levitas ipſa ſe prodit: ſi nanque oporteret aut explodere, aut attingere ſuſpicione Jeſu Chriſti & Apoſtolorum facta, ſive quod unum tantum habuerint ex Evangeliſtis narratorem, ſive quod in Novo Teſtamento non inciderint in mentionem; pleraque Religionis myſteria concuterentur, nihilque certo ſciremus eorum, quæ ferunt de Apoſtolis Patres Sancti præter id, quod Evangelium, Acta, & Epiſtolæ Canonicæ comprehenderent. S. Hieronymus in Comm. Epiſt. ad Gal. c. 2. agens de modo, quo S. Petrus Antiochenus primo Epiſcopus fuerit, deinde Romam tranſtulerit ſedem, hoc præclarum initium poſuit. *Mirum non eſt, ſi Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentia prætermiſerit; & non ſtatim eſt contrarium, ſi quod alius ob cauſſam dignum judicavit relatu, alius inter cetera dereliquit.*

Quamquam Critici Noſtri ſapientes ratum habuerint & conſtans, hanc Fauſti Manichæi probationem, non modo viribus nutare, ſed Catholica fide laborare, atque nulla eſſe hoc pacto ratione adhibendam, ad alterum tamen Silentii Scripturarum genus crebro ſe referunt. Quoniam autem nihil ſuper ejus uſu præceperunt, æquiſſimorum Virorum judicium eſto, nunquid ſuſceptum hac de re a Criticis inſtitutum videri debeat ad rectæ accurationis Leges exactum. Dupinus in dubium revocans, num Apoſtoli ad Symbolum edendum congregati fuerint, primam dubitationis rationem affert S. Lucæ ſilentium, & primo movetur ad S. Jacobi Liturgiam ab Apoſtolo iſto abjudicandam, quod ipſam Epiſtolæ Apoſtolicæ Jacobo non tribuant.

Dupinus Tomo 1. pag 28.

Dupinus Diſſ. præl pag. 100. col. 1.

Alexander innumeris pene Hiſtoriæ ſuæ Veteris Teſtamenti locis Silentium divinorum Librorum traducit ad imminuendam Joſephi de pluribus, quæ retulit, factis autoritatem. Cum docet Judæus hic, Cainum, regionibus multis peragratis, Naida conſediſſe; Sethi Nepotes duas in ſublime columnas erexiſſe, alteram lapideam, lateritiam alteram, id erudito huic Dominicano fabulam redolet propter Sacrarum litterarum ſilentium: *Nil habet ſacer Textus*. Cum vero teſtimonium ſumit ipſe a Joſepho, ut efficiat, primum hominem *Adamum* appellatum fuiſſe ab *Adama*; utque fulciat multa ad Iſraelitas poſt eorum ingreſſum in Ægyptum attinentia, quid, cedo, commodi ex hoc teſtimonio comparabit,

Alex. de prima mundi ætate art. 2.

Ibidem.

ſi

De tertia mundi ætate art. 3.
Alex. Tomo 1. ſæc. 1. Diſſ. 19.
Dupin. Tomo 1. pag 49.
Claudius Jolius Diſſ. de Verbis Ujuardi pag 68.

ſi in ipſum regeram : *Nil habet Textus ſacer*. Idem Dominici Alumnus ; & Dupinus in hac reſponſione vim pouunt ſuper Novem Canonibus, qui editi ab Apoſtolis dicuntur , & in Antiocheno Concilio lati . *Synodus hæc* , inquiunt , *S. Lucæ ignota* . Inter cetera Jolii fundamenta, quibus adſtruit, Virginis Deiparæ corpus & animam minime a mortuis excitata fuiſſe , Divi Lucæ ſilentium eſt : *Quis autem* , inquit Autor iſte, *crediderit, quod Lucas tam inſigne miraculum Aſſumtionis ėius corporeæ ſilentio præteriiſſet , ſi ſibi cognitum fuiſſet ? Quis autem ipſi notum fuiſſe negaverit , ſi ceteris Apoſtolis innotuiſſet ?*

Tillem. Art 51. de D. Paulo pag. 327.

Tillemontius quoque in rem ſuam tranſtulit argumentum hoc Silentii Scripturarum, ut robur detraheret loco S. Joannis Cryſoſtomi cuidam , in quo ſcribit , S. Paulum minus quam triginta, aut triginta ſex, quibus Chriſto vixit, annis , Evangelico lumine perſudiſſe Perſas, Indos, Scythas, Romanos , verbo, omnes quotquot ſunt hominum nationes. „ Non ap- „ paret tamen , ait doctus iſte Criticus , ſive ex ejus Epiſtolis , ſive ex „ Lucæ Actis ,eum extra Romanam ditionem Fidem exportaſſe . Qua- „ propter non video , quæ ſit verbis iſtis Chryſoſtomi ſubjicienda ſen- „ tentia . * „

Tillem. Art. 35. de S. Petro pag. 245.

Idem Pater autor fuit , ſecundum Tillemontium , fuiſſe D. Paulo privilegium , ægrotos ſola corporis umbra ſanandi , quod Petro tribuunt Litteræ ſanctæ. S. Auguſtinus, & S. Cyrillus Alexandrinus miram hanc virtutem omnium Apoſtolorum umbris communem faciunt . „ Sed Scri- „ ptura , reſpondet Tillemontius , portentum hoc uni vendicat D. Pe- „ tro . „ Si res poſtularet , ut non audiremus Eccleſiæ Patres de Geſtis Apoſtolorum nos inſtituentes , aut ſaltem de Factis pluribus ambigeremus , quæ ſcriptis ſuis perſequuntur, propterea quod nulla extet in Scripturis illorum memoria ; ea minime uteremur conſolatione , qua ſolemus tot præclara illorum Geſta , & non parum pietati fidelium fovendæ apposita , ſuſpicere ; & Tillemontio ipſi opus eſſet non pauca e Monumentis ſuis Eccleſiaſticis obliterare . Prior ſane ipſius Tomus non admodum creſceret , ſi delenda ab ipſo forent facta univerſa de Virgine Maria , de Joanne Baptiſta , & de Apoſtolis, a Patribus memorata , & a Biblicis Scriptoribus intacta.

* Clemens Pontifex in altera ad Corinthios Epiſtola de D. Paulo diſſerens ait. *Paulus in Oriente & Occidente verbi præco factus , illuſtrem Fidei ſuæ famam ſortitus eſt, & in juſtitia mundum univerſum inſtruens , & ad occidentis terminos veniens*. Animadvertit Marca in Ep. ad Valeſ, Apoſtolos juſſu Chriſti Orbi univerſo nunciatum Evangelium iviſſe ; quod verbis roborat Euſebii dicentis: Apoſtoli non Romanum modo, *ſed etiam alia Regna tum Parthorum , tum Armeniorum, Scytharum , Indorum , Æthiopum ipſiſmet prædicationibus inſtituerunt*. Euſ. l. 3. c. 5. de Demonſtr. Evang.

Jam

Jam vero Tillemontius in Epiſtola quadam ad Lamium hæc habet. ,, Nollem equidem poſtulare criminis S. Irenæum, quod crediderit, ,, Chriſtum Dominum quadrageſimum annum exceſſiſſe: neque enim contrarium aliquid ex Evangelio demonſtrari poteſt. ,, Si parendum huic documento eſt; quæ S. Clemens Alexandrinus de Vita Chriſti; Sancti Gregorius Nyſſenus, Epiphanius, Gregorius Turonenſis, & Joannes Damaſcenus de Mariæ Genealogia, ortu, infantia, atque in vitam reditu nobis reliquerunt, nefas erit ex Tillemontio & Bailleto res parum certas aut fabuloſas cenſere: ſatis erit nanque ſi dixeris: *Contrarium aliquid ex Evangelio demonſtrari non poteſt*. Nonne reſponſum idem adduci poſſet ad complura facta roboranda, quæ, minima licet affecta probabilitate, in Veterum iſtorum Operibus occurrunt? Profectò ſi ſerendum judicium eſſet de probatione, ab Scripturarum ſilentio petita, ex diſſimilibus iſtis Critices Uſibus, nemo non fateretur, viam hanc & rationem vitiis plurimis contaminari. *Art. 70. 56. col. 1.*

ARTICULUS VIII.

Documenta in univerſum, quibus uti poſſemus ad inſtaurandas Regulas Uſumque Critices.

Redactis jam in pauca vitioſitatibus iis, quibus Regulæ Uſuſque Critices paſſim inquinantur, operæ pretium eſt, ut conſequantur documenta in univerſum aliqua, ad magnam artem iſtam reſtituendam, ejuſque initia firmiora & ſolidiora reddenda, uſumque ſibi magis ſimilem efficiendum compoſita. Documenta hæc ſita ſunt in addendis duobus aliis Principiis Autoritati & Conjecturæ, quæ duo ſunt Criticæ facultatis fundamenta, atque in Regulis exponendis, quæ quatuor initiorum iſtorum exercitationem emolumento eſſe faciant, idque Articulo iſto & inſequentibus præſtare pergam; ſi prius monuero, quamquam pleraque præceptis iſtis Criticorum Opera ſint reſperſa, me tamen iccirco ea hic cogere voluiſſe, ut melius compertum habeatur, quantæ ſit ad Critices uſum ſtatuendum, dirigendum, & accurationis ſtudio perficiendum neceſſitatis.

§. I.

Teſtimonio & Conjecturæ, quæ duo ſunt Critices Principia, duo alia ſuperſtruere opus eſt: nimirum Traditionem, & Conſuetudinem, ſive conſenſum Eccleſiarum.

HInc proficiſcuntur, aut me fallit animus, pleraque vitia, in quæ offendimus in Uſu Critices de factis præſertim Hiſtoricis, quod tanti non ſint Autoritas & conjectura, ut ſatis argumentorum ſufficiant ad quædam eventa confirmanda, quæ *Traditionibus*, *Opinionibus popularibus*, *Moribus*, *Conſuetudinibus Eccleſiæ alicuius peculiaris*, *Provinciæ*, *Regni*, *aut Eccleſiæ univerſalis innituntur*. Quidam Critici ſe veluti Sacramenti Religione obſtrinxerunt, ne ulli animum adjungerent Hiſtoriæ, quin ab ejuſdem Ævi Scriptore recitaretur. Nec deſunt alii, qui hæſitatione nulla reſpuunt quaſcumque Hiſtorias, moribus duntaxat, & conſuetudinibus Regionis aut Nationis alicujus, quandoque etiam Eccleſiæ Univerſæ conſtitutas: præcipue vero ſi Sponſore aliquo boni nominis haud innituntur, qui uno aut duobus poſt Sæculis Traditionis hujus fontem aperiat. (Diſſert. 2. p. 2.)

Verum enim vero in quæ tandem extrema adduceremur, ſi viæ huic & rationi adhæreſcendum conſtanter eſſe arbitraremur? Quot eventa indubitata, nec non alias Hiſtorias nexu aliquo cum illis conjunctas, neceſſe eſſet fabulis accenſere? (Ibidem.)

Tillemontius & Dupinus non auſi, ut opinor, ſunt, aſſentiri ſuffragio Patrum plurimorum de itinere S. Pauli in Hiſpaniam; ne cogerentur Evangelii in Gallias a primo ſæculo delati Traditionem amplecti: quæ profecto ægre admodum refelli poſſet, ſi modo Paulus Hiſpanis Evangelii lucem intuliſſet.

Quis eſt qui ambigat, Launojum, ne ad quaſdam ſuſcipiendas Eccleſiarum ſingularium Traditiones adigeretur, eo demum compulſum fuiſſe, ut optimæ notæ Libros, Viris ſapientiſſimis repugnantibus, falſitatis redargueret? Quis ignorat, Doctorem iſtum, Traditiones & conſuetudines iſtas oppugnaturum, a Monumentis certo Apocryphis arma ſumſiſſe? Nonne haud eſt mirum, Tillemontium, Baillетum, & Alexandrum Antiquorum de Virginis Aſſumtione dubitationes e Voluminibus, ipſorum confeſſione ſuppoſititiis, & Apocryphis decerpere: veritos ne ad vetuſtam Eccleſiæ Traditionem admittendam impellerentur? (Diſſert. 2.)

Denique ſi in Operibus Sapientum noſtrorum reperias tot Veterum loca vi ad probandum adacta, tot corrupta, tot reſponſa propoſitum non efficientia, tot inanes conjecturas, verique ſimilitudines, tot adeluden-

das

Digitized by Google

das difficultates circuitus, tot argumenta negantis generis; cui nam hæc diſputandi ratio culpæ danda, niſi Criticorum animo, ab iis omnibus, quas *populares Traditiones* vocant, alieno, atque a recenſendis inter Magnæ illorum Artis initia Traditione, & Conſenſu Eccleſiarum, tametſi ab eis minime abhorreant, quando conducit ipſis non abhorrere?

Ut igitur tot incommoda removeantur, atque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ claritas accedat; quare Autoritati & Conjecturæ, duobus ſummis Critices Fundamentis, acceſſio non fiat Traditionis, & Conſuetudinis introductæ in Eccleſiis particularibus, in Provinciis, Regniſque ſecundum naturam factorum & Eccleſiæ Univerſæ conſenſionem? Porro cum dicimus, Traditionem in cenſum venire poſſe Criticorum initiorum de re Hiſtorica: cave, præſtoleris, conſilium noſtrum tendere horſum, ut reviviſcant, & Patronum habeant innumeræ fabellæ, & Hiſtoriunculæ pro libidine contextæ quotquot Patres noſtri avide arripuerunt, nobiſque tamquam ad pietatem informandam aptiſſimas narrarunt. Contra etenim parati ſumus, ut rei natura pati poteſt, eas ſciſcere Leges, quæ immane iſtud Chaos diſſolvant, quibus laqueos vitemus, in quos fertur plerumque minus æqua credulitas, ſive pietas minus temperata; & perobſcuras haſce ſemitas tuto ingrediamur, nullo alio duce præter piam Majorum noſtrorum fidem. Duorum principiorum iſtorum, ſi Autoritati & Conjecturæ comitentur, exercitatione fabulam & veritatem internoſcemus; cauſſa rei cognita diſceptabimus; neque demum contenti impoſterum erimus, ubi occurrent in itinere Critico hujuſmodi Hiſtoriæ fabuloſæ aut nutantes, dixiſſe inſtar omnium ferme Criticorum citra ullam probationem: *hæc ſunt Traditiones, erroreſque plebis*. Initia hæc omnino Fidelium Univerſitati neceſſaria videntur, qui diſcrimen ſubeunt aut nimis, aut minus credendi; quod videlicet accurata & germana ſemper argumentationis pronunciata minime cuſtodiant.

Perſuaſum itaque nobis eſt, iniquum ita eſſe, cum priſcas omnes a Patribus acceptas Hiſtorias retinere ſine delectu, tum omnes abjicere ſine ulla exceptione. Quapropter media eſſet incedendum via inter proniorem credulitatem, & Criticen ſeveriorem; atque media via iſta, quam *Traditionem* Criticam appellarem, principium aliud eſt, Teſtimonio & Conjecturæ adjungendum.

Quod attinet ad Eccleſiam, cujus conſenſus Univerſalis in Critices initiis locum habere deberet, non eſt quidem intelligenda Eccleſia, res Fidei decernens, ſed Chriſtianos de factis ipſis hiſtoricis erudiens, eaque proponens tantum, ut pias, & vetuſtas conſuetudines in *Dypticis* ſuis, hoc eſt Martyrologiis, Kalendariis, Miſſalibus, Breviariis, Litaniis, aliiſque ipſi in more poſitis Monumentis; præſertim cum mores iſti ita affe-

cti ſunt, ut poſtulat æqua Traditio. Habes, quid intelligamus nomine conſenſus Univerſalis Eccleſiæ, cui addas velim conſenſum Eccleſiarum ſingularium, Provinciarum & Regnorum. Qua conſideratione Conſenſus Eccleſiæ quartum erit Criticea fundamentum, ſi tamen a Traditione, cum qua cognatio ipſi aliqua intercedit, illum ſecernas.

Duplex hoc principium confirmari poſſet autoritate * *Petri Bleſenſis*; & egregia doctiſſimi P. Thomaſini animadverſione. Indicat primus, non docere Fidem, Virginis Deiparæ corpus gloria cæleſti perfuſum, eoque tranſlatum; haud tamen eſſe de hoc dubitandum. Virginis Aſſumtio per illum *veriſimilis duntaxat eſt*; quippe neque Fidei firmitate, neque Demonſtrationis claritate munita. Quod ſi Eccleſiæ Fides flagitat animi demiſſionem; non ſecus circumſpectionem & reverentiam opiniones ejus deſiderant. Qua de re præceptum hoc dedit Thomaſinus. „ Nobis innumera perſuadere debemus, quæ nihil minus ſunt, quam Fidei capita, aut veritas omnino non controverſa. Nihil ſane ita civilem hominum ſocietatem & commercium exterminaret, quam non acquieſcere niſi veritati conſtitutæ ejus autoritate, qui falli non poſſit, aut Demonſtrationibus apertis munitæ. Ferme nunquam capitur, qui opinionibus Eccleſiæ fidem adhibet; ſimulque novit, eas maxime probabiles eſſe, non autem Demonſtratione perſpectas, aut errori minime obnoxias. „ **

Thomaſi. de Feſtis l. 2. c. 10. pag. 412. Gall.

Quod ſi hæc animi affectio utiliſſima eſt prudentiæ, moderationis, ſummiſſionis, charitatis, concordiæ, virtutumque multarum exercitatio; non eſt plane ambigendum, conſuetudines ab Eccleſia ſive receptas, ſive imperatas, tanta autoritate præſtare, ut nos ad ipſas ſumma obſervatione ſuſcipiendas impellant. Facta, quæ ipſius teſtimonio pendent, præſertim univerſali, videri nobis debent ejus ſaltem momenti, cujus teſtimonium unius vel plurimorum Scriptorum, quorum dicta, rem aliquam Hiſtoricam enarrantia, explodere non auderemus. Ad extremum quotieſcumque de Factis tantummodo negotium eſt, non poſſumus effugere, quominus Traditionem & Conſenſum Eccleſiæ Autoritati & conjecturæ connectamus; ut ſequentes rationes efficient, meo quidem judicio firmiſſimæ, & fortaſſe concluſæ.

* *Hodie veriſimile eſt, quod Beata Virgo & anima beatitudinem & corporis glorificationem adepta eſt. Quod ne cui veniat prorſus in dubium, autoritatibus aſtruimus; opinando tamen non aſſerendo*. Petr. Bleſſ. Serm. 28.

** Maldonatus iſtud initium amplectitur in Diſputatione de Mariæ Virginis Conceptione adverſus Theologos Pariſienſes. *Eſt animadvertendum*, inquit, *etiam Eccleſiam habere ſuas opiniones; nec enim quidquid ſentit, ſentit tamquam fide catholica*.

§. II.

§. II.

Argumenta pro duobus iſtis Principiis:

PRimum ſumo ab Autoribus Eccleſiaſticis, qui nos in cognitionem duxerunt factorum innumerorum de Chriſto Domino, de Virgine Deipara, de Apoſtolis, de Viris Apoſtolicis, de Hiſtoria Eccleſiæ, deque compluribus ſanctis inſtitutionibus, quæ non aliunde, niſi ex Traditionis fonte, ſive ex Eccleſiæ conſuetudinibus, & populorum opinionibus manarunt. Exempla ejus rei centum occurrent legenti Tertullianum, Origenem, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Joannem Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, alioſque eorumdem ſæculorum & inſequentium Scriptores.

Julius Africanus auctor eſt, motum quo terra Chriſto mortuo concuſſa eſt, longe admodum lateque propagatum fuiſſe, & ſubverſiones multas *(Apud Euſ. in Chron.)* cum in Judæa, tum in Orbe reliquo contigiſſe. Docet Euſebius, eo in loco, unde Chriſtus Cœlum conſcendit, in ſummo videlicet montis Olivarum vertice, antrum fuiſſe, in quod, vetuſtiſſima traditio ferebat, Servatorem noſtrum cum ſuis Diſcipulis ingreſſum, iiſdem Myſteria ſecre- *(Euſeb. de Vita Conſt. l. 3 c. 41.)* tiſſima communicaſſe.

Accepimus ab Ambroſio, D. Petrum, victo Simone Mago, ad mor- *(Ambr ſerm. 69.)* tem quæſitum a Gentilibus fuiſſe; quod eum Chriſtiani percepiſſent, eundem deprecati ſunt, ut in Eccleſiæ emolumentum fugam iniret. Petrus revera noctis ſilentio ſe ſubduxit, & utque portis Urbis appropinquavit, Chriſtum offendit illuc pariter ingredientem, quem cum interpellaſſet; *Domine quo venis?* reſponſum tulit: *Venio Romam iterum crucifigi*; quo verborum ſenſu intellecto, Petrus reverſus eſt. S. Auguſtinus, S. Leo, *(Auguſt. Epiſt. 54. c. 1.)* aliique Patres mentionem faciunt Feſtorum multorum, videlicet Reſurrectionis Chriſti Domini, Aſcenſus in Cœlum, Pentecoſtes, aliorumque ſimilium, quorum conſuetudo in Eccleſia ipſorum ævo jam obtinuerat, neque aliunde præterquam, ut fides communis erat, ab Apoſtolorum Traditione deſcenderat.

In Talmude Babylonico, ſive Tractatu, *Sanhedrim* inſcripto, extat Traditio quædam his verbis comprehenſa. *Mundus duraturus eſt annis ſex mille, nimirum; bis mille in confuſione inanitatis; bis mille ſub Lege, & bis mille ſub Regno Meſſiæ*. Cornelius a Lapide tradit, hanc cum Judæis & Gentilibus, tum Græcis & Latinis communem eſſe. Nihilo ſecius quamquam lateat in obſcuro Traditionis hujus autor, * tempuſque ortus ejus;

* De hujus Traditionis autore non convenit. Judæi nonnulli eam tribuunt Eliæ prophetæ; ſed major Rabbinorum & Chriſtianorum nume-

&

& quamquam conati ſint Rabbini eam variis ſupputationibus firmare, petitis a primo verſiculo Geneſeos, in quo ſexies Littera Aleph milleſimi numeri nota reperitur; id non prohibet, quin vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus probata fuerit hæc Traditio. * Continetur in Epiſtola S. Barnabæ. S. Irenæus affirmat, ad totidem annorum millia Mundum duraturum, quot conſumſit Deus in eo creando dies. His ſimilia habent *Juſtinus*, Origenes, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Hieronymus, & Auguſtinus.

In confeſſo eſt, Biblia Sancta de Traditionibus, & factis Hiſtoricis hujuſmodi ſilere prorſus; ſique Patres eos non recitant, e quibus hæc depromſerunt, argumento eſt, ſive illos Superorum narratione eadem didiciſſe, quod a veri ſpecie longe abeſt, ſive Traditione a Deceſſoribus ſuis ad eos derivata, ſive more & conſenſu Eccleſiæ. Quis profecto is eſſet; ut in præſenti Patres illa excogitaſſe propugnare, aut dicere auderet? Illud unum, quod majore veritatis ſimilitudine dicere poſſumus, eſt, hauſiſſe Patres facta iſta ex documentis, quæ in memoria & Traditione Fidelium inſiderant. „ Ac ſi via hæc, ſcribit Tillemontius, relatis Patrum ſenſis de S. Thecla, ſi via hæc ita certa non eſt, ut veritati alicui controverſæ ſtatuendæ appoſita ſit; ſatis tamen eſt, ut cum obſervantia amplectamur ea, quæ tanti habita ſunt a Viris ſummis, ut Poſteris traderentur, & a Poſteris fidelibus pietatis fovendæ gratia reciperentur.

Alterum argumentum ſuppeditant nobis ii ipſi, qui id Traditionum genus minus ſapiunt; neque enim eas flocci faciunt, ſi quando ipſis afferunt opportunitatem. Videmus eos confugere ſæpe numero ad Uſus & Monumenta Eccleſiarum particularium & Eccleſiæ Univerſalis; & centies comperimus, uti exemplis multis probatum a nobis eſt, non præterire Tillemontium, Alexandrum, & Bailletum, quin ea animadvertant; ubicumque occaſio tulerit, quæ Scriptores nobis de Eccleſiarum ſuarum Traditione retulerunt.

Tillem. annot. 1. in Jeſum Chriſtum. Tillemontius haud ægre fatetur, Jeſum Chriſtum conceptum VIII. Kalendas Apriles; quamquam vetuſta hæc opinio non percrebuerit Sæculo *Tillem Tomo 1. art. 27. de S. Petro.* V. niſi communi Eccleſiæ conſenſione. Plura quoque Mira a S. Petro edi-

rus eam profectam ſcribunt a Doctore quodam, Elia nuncupato, qui centum: & quinquaginta circiter annis vivebat poſt Templi Hieroſolymitani inſtaurationem.

* Chriſtianu Reineccius non ſibi parcit, ut probet deeſſe Traditioni iſti firmum cum in Veteri, tum in novo Teſtamento præſidium; Patres eam afferentes diffidere de modo, quo eſt interpretanda, atque ipſorum non pauci in eam aperte ferri. *Traditio Eliana, ſive de ſex durationis mundi millenariis*. Sic habebat Theſis propugnata Lipſiæ anno 1702., præſide Reinaccio.

ta

ta fuiſſe non dubitat, etſi unum habeant narratorem Baſilium Seleucienſem, qui medio circiter Sæculo V. vivebat, eaque communi populorum fama acceperat. Quo Launojus oſtendat, Stephanum Pontificem ad extremum deflexiſſe de Baptiſmate Hæreticorum errorem ab eo, de quo S. Cyprianum redarguebat, in *Breviarii* Romani fidem ſe recipit, contenditque, ſummos Antiſtites Clementem VIII. & Urbanum VIII., dum hoc probarunt, Decretum illius emendaſſe; quandoquidem altera Officii Sancti Stephani lectione ſcriptum eſt: *Baptizatos ab Hæreticis iterum Baptizari vetuit, reſcribens S. Cypriano verbis illis: nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* *Launojus Epiſtola ad Jacobum Bevilaquam.*

Vult ne Alexander conficere argumentis, genuina eſſe Acta S. Andreæ, Presbyteris & Diaconis Achajæ tributa? autoritatem Eccleſiæ in medium affert, quæ illa in Officio S. Andreæ legenda proponit; idemque in Breviariorum & Miſſalium teſtimonio vim ponit, ut S. Dionyſium Areopagitam ad Gallias ſæculo 1. adventaſſe tueatur. *Alex. Tomo 1. Sæc. 1. cap. XI. art. 8.* *Diſſ. 15. coſul. a. pag. 33.*

Vix unum poſtremorum ſæculorum Criticum reperies, vel inter eos, qui Traditionum Eccleſiarum, & plerorumque ejus Monumentorum teſtimonio moveri minus videntur, qui opem ab eis aliquando non poſtulent: illud certe verum, *Gregorienſes* & *Areopagiticos* navaſſe operam, ut ad ſuas partes revocarent *Miſſalium*, *Breviariorum*, & *Martyrologiorum* tum Eccleſiarum particularium, tum Eccleſiæ Univerſalis autoritatem, & Uſibus, Moribus, & multarum Eccleſiarum Traditionibus inniterentur. Quoniam alibi alia multa edidi ejus rei exempla, quarto Dupini argumento contentus ero, quo Dionyſium primum Regni noſtri Apoſtolum ab Areopagita differre convincit. Accipe ejus verba: „ Infinita præſto ſunt vetera Martyrologia, in quibus S. Dionyſii „ Areopagitæ, atque alterius Galliarum Apoſtoli memoria non uno eo„ demque die recolitur, atque in quibus diſtinguuntur loca, eorumque „ tormentorum genera. Quod idem argumentum capias ex Antiquis „ *Breviariis*, *Miſſalibus*, Kalendariis, & *Litaniis*, in quibus S. Dionyſium „ Gallorum Apoſtolus eos conſequitur, qui Marco Aurelio Imperante „ paſſi ſunt. „ *Dupinus Bibl. Tomo 1. pag. 112. col. 2.*

Neque item Viri ſapientes eas contemtui habuerunt Traditiones, quas *populares* vocant; quoties viſum eſt ipſis, per illas aliquid rebus pertractandis veritatis pondus acceſſurum. Exemplo ſint quæ ſequuntur. „ A quarto ſæculo, inquit Tillemontius, invaluerat in Ægypto Tra„ ditio, Chriſtum Jeſum in Thebaidem cum Maria & Joſepho veniſſe, „ eoque Templum Hermopolis ejuſdem Provinciæ Urbis ingrediente, o„ mnia Templi illius Idola labefactata fuiſſe, atque eliſa. Rufinus, ſive „ alius, quiſquis eſt, quem loquentem inducit, ſe Templum hoc vidiſſe *Tillem. Tomo 1. art. 4. de Chriſto Domino pag. 10.*

„ ſe perhibet. Hieronymus non longe abeſt, quin dicat, Dæmones in„ greſſu Chriſti in Ægyptum tremore correptos fuiſſe; & jam tum Ido„ la ruere cœpiſſe. Sozomenus ipſe tradit, ut videtur, cuncta Ægypti „ Idola tum concuſſa fuiſſe; idemque docet, Ægyptiorum fide pervaga„ ta, Jeſum Chriſtum Hermopolim Thebaidis veniſſe, dumque portas „ Urbis introiret, Malum Perſicum procerum, portæ proximum, & „ ſuperſtitioſis, ut apparet, honoribus cultum, ad ſolum uſque infle„ xiſſe ſe, ipſumque adoraſſe. Addit inſuper, ætate ſua arborem hanc „ extitiſſe, proditumque fuiſſe ipſius folia, corticem, & ligni particu„ las ægrotis admotas, eorum morbis, accedente fide, creberrime me„ deri. „

Vita Patriarch. l.2.c.7. Hieronym. in Iſaiam. c. 19. v. 2. Sozomen. l.5.c.21.

Idem Criticus, Populos enumerans, ad quos Joannes Evangeliſta Chriſti legatione functus eſt, Traditionem Indorum eſſe dicit, Apoſtolum iſtum Fidem in Regiones ſuas intuliſſe. Pro hac tamen populari Traditione ſpondet tantummodo Epiſtola quædam, a Societatis Jeſu Patribus Baſſoræ agentibus data anno 1555. atque a Baronio laudata. Idem Tillemontius ejuſdem Cardinalis teſtimonio refert, „ in hanc diem oſtendi „ Tiburi Ciſternam ſiccam, in quam, *ferebat priſca Traditio*, ſeceſſiſ„ ſe S. Symphoroſam cum filiis ſuis tempore perſecutionis; ſummaque „ animi demiſſione inter receptus illius ærumnas expectaſſe, donec Deus „ ipſe ad pugnam eliceret. „ Inſuper Criticus hic, IV. Sæculi Autorem a Bollando laudatum audiens, Eccleſiæ Amaſenæ in Ponto Traditionem affert, qua vulgatum erat, S. Petrum Romam cogitantem illuc divertiſſe, Religionem Chriſti primum nunciaſſe, multos ad bonam frugem convertiſſe, locum quendam, deinceps *Cathedra S. Petri* appellatum ſacraſſe, atque aliquandiu inibi commoratum; Virum angelica ſanctitate atque integritate præſtantem, Nicetum Nomine, Sacris ordinibus initiatum ad Epiſcopatum evexiſſe. Deinde Tillemontius ipſe loco eodem aliam Menæorum Græcorum autoritate Traditionem exequitur his verbis: „ Credebant incolæ Sinopes Urbis Ponti, S. S. Petrum & Andream „ diu inter eos manſiſſe, & lapideas Cathedras oſtendebant, quibus, opi„ nio erat, eos ad Evangelium prædicandum uſos fuiſſe. „

Tillem. Tomo 1. art 3. de S. Janne Evang. pag. 355. Baron ad ann. 44. 10. Tillem. Tomo 2. art. de S. Symphor. pag. 264. Bollandus 26. Aprilis p. 417. Tillem. art. 28. de S. Petro pag. 169. & 170.

Bailletus, * aliquibus in univerſum de S. Luciani Apoſtoli Bellovacenſis Vita ennarratis, ſubjungit in hunc modum: „ His addere licet fidem „ immemorabilem, quam a nulla unquam Hiſtoria conſcripta depromſit „ Eccleſia iſta; glorioſum hunc nimirum Apoſtolum ſanguine doctrinam

Baill. 8. Januarii p. 191.

* Ne moleſte feras Bailletum, emunctæ adeo naris hominem, quod attinet ad Traditiones populares, Critices ſuæ ſeveritatem pro S. Luciano Bellovacenſi Apoſtolo mitigaſſe; quandoquidem illum uti Diæceſis Patronum ſuſpiciebat, in qua ortus erat.

„ ſuam

„ ſuam obſignaſſe ; eoque Ædificii, quod jecerat, ſacri fundamenta ri- „ gaſſe. „ De Sancto vero Theodoſio Cœnobiarca differens, hæc verba profert. „ In cujuſdam ſummi Montis antrum ſeceſſit, * quo, rumor- „ erat, noctu ſe re cepiſſe Magos, ab adoratione Jeſu recens nati Be- „ thlehemi remigrantes. „ Atque in ora Libri apponit. *In Magorum antrum ſecedit*. Launojus denique adeo in ea omnia, quæ *vulgares* Traditiones vocantur, animatus, fatetur tamen aliquod inde argumentum poſſe comparari : *Docemur*, inquit, *adhibendam non eſſe fidem hiſtorico narranti, quæ nec vidit, nec audivit, nec ab ullis omnino ſcriptoribus æqualibus, vel ſupparibus, aut ab ullo Traditionis monumento accepit*. Non me latet quidem, Sapientes iſtos Traditionibus hujuſmodi, quamvis vetuſtis, certam non adjungere autoritatem ; at ne id nos ipſi contendimus, illas habendas eſſe perinde, ac falli non poſſent, ſed quaſi ſimiles veri, aut aliqua certe probabilitate præſtantes. Vix reperire erit Traditiones ex earum numero, quas *populares* appellant, quæ hanc magis referant naturam, atque a nobis modo recitatæ. Nihilominus Critici noſtri haud abſtinent ab argumentis in quædam facta Hiſtorica inde ſumendis, licet fonte ipſo neque ex autoritate neque ex conjectura proficiſcantur. Id itaque neceſſitatem adhibere deberet perſuadendi nobis, ut Traditionem, ſive *populorum* Fidem, quoties ratione conſentanea ſit, nec non Conſuetudines Eccleſiaſticas Teſtimonio & Conjecturæ adjiceremus, atque ex his nova duo Critices Principia conflaremus.

XI. Januarii pag. 247.

Appendix ad Diſſert. de negante argumento Animad 10, pag. 357., & alibi.

Tillem. Tomo 1, art. 4. de Jeſu Chriſto pag. 10.

Quo autem ratio tertia in bono lumine collocetur, opus eſt in memoriam revocare, factorum Hiſtoricorum multiplex genus eſſe. De nonnullis extremo judicio pronunciare poſſumus uno Veterum teſtimonio, quemadmodum de adventu S. S. Apoſtolorum Petri & Pauli Romam, de eorumdem in hac Urbe morte ; de iis, quæ Romæ inter Sanctum Anicetum & Polycarpum ſuper Feſti Paſchatis Epocha contigerunt. Alia dijudicari poſſunt una Conjectura : videlicet quæ feruntur de Concilio Sinueſano, in quo fama eſt, S. Marcellinum lapſum ſuum confeſſum fuiſſe ; de Marcione, qui extra Eccleſiam a Patre rejectus, quamquam ſe contulerit Romam, non tamen ad Romanam ſedem appellavit ; de Trajano, qui S. Gregorii Papæ precibus pœnas inferorum evaſit. Denique de Quæſtionibus quibuſdam diſceptare quis poteſt autoritate ſimul & conjectura. In quarum numero quæſtio eſt de ſeptem Diaconis, qui cum in Altaris Miniſtros, tum in bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatores electi fuerunt ; illa, quæ propugnat, Sanctos Cyprianum, Firmilianum, aliosque Epiſcopos, Hæreticorum rurſus baptizan-

* Anno 451. S. Theodoſius in hanc ſpeluncam ſemigravit, ſpiritumque poſuit anno 529. Autor de Geſtis illius paullo poſt floruit.

dorum Autores, a S. Stephano Pontifice minime perculſos anathemate fuiſſe; quæque tuetur, Zephirinum Pontificem in Montaniſtarum errorem haud incidiſſe, neque ab his Hæreticis fuiſſe. Quare eventa hæc omnia jure non poſſunt in controverſiam vocari; quod ſi quis in Hiſtorias iſtas difficultatem aliquam intentare velit, promtum eſt contradicentes alterutro Principiorum iſtorum, vel utroque in anguſtias redigere. Tunc etenim dicendum eſt, Autoritatem & Conjecturam ſupremos eſſe id genus Controverſiarum judices, neque locum relinqui ad Tribunal ſuperius provocandi. Verum quam pauca ſunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria hujuſcemodi facta!

Jam vero alterius generis eventa ſunt, ad quæ revocari poſſunt eorum pleraque, quæ multo minore gaudent veritatis imagine, & de quibus jure ac merito poſſumus ambigere. Id genus facta, ut plurimum, hinc & illinc ſunt in ſuſpenſo, tum quoad autoritatem, tum etiam quoad conjecturam; ut demum multi operis ſit judicium ferre, utra præſtare debeat, immo quænam ſententia propius ad veritatem accedat; quamquam non ſemel teſtimonium aliquod paullo diſertius, ſive ex Autore aliquanto majoris nominis depromtum, aut denique conjectura ulla æquiore fultum, opinioni aliquod præ adverſaria probabilitatis pondus afferre poſſit. In his habeto diſſidium inter Apoſtolorum Principes Antiochiæ ortum: ii nanque, qui ſerio Petrum a Paulo objurgatum ajunt; quique contra ex compacto; omnes Patrum plurimorum teſtimonio, & conjecturarum multarum vi cauſſam ſuam tutantur: argumenta ſane non pauci utrinque facienda. Accedat his Quæſtio agitata, nonne prioribus Ævis Eccleſiæ peccata omnia lethalia expianda eſſent pœnitentia publica; an vero quædam tantum crimina pœnæ iſti obnoxia.

Qua de re Hiſtorica facta iſta æquis veluti librantur ponderibus; neque tanti eſt autoritas, vel conjectura, ut alterutra ex parte lancem premere queant; cum neutra illarum regula ſit his tollendis difficultatibus ſuprema. Cum itaque Teſtimonium & Ratio ſe tanquam libramento ſuſtineant; fieri non poteſt quin utrinque eadem appareat veri ſpecies; & propterea quoniam pleraque eventa Hiſtorica his finibus circumſcribuntur, utram partem ſequatur, liberum cuique eſto.

Atque utinam ea ſterni poſſet via, qua tuto cognoſceremus, quænam ex ſententiis illis probabilitate majore præſtet; hoc autem eſt, quod facultatem noſtram ſuperare non arbitror in pleriſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ factis: iſta nanque ſive ad Traditionem attinent, ſive ad conſuetudinem & conſenſum Eccleſiæ. Porro addita hæc duo Principia, ſive alterutrum eorum, Autoritati, & Conjecturæ, in Regulam principem evaderent, quæ de illis jure extremo, & citra appellationem decerneret,

&

& ubicumque ponerentur, illic lanx propenderet. Quis etenim anceps eſſe poſſet, utraque initia hæc aliquo eſſe momento? Tum opus eſſet, huic judicio ſe dedere; nec liceret ulterius diſputationes producere: aut certe pars illa, cui vel Traditio, vel mos aliquis Eccleſiaſticus, vel demum Eccleſiæ opinio præſto eſſet, latiorem veri ſpeciem, & probabilitatis modum referret; etſi alias eadem vi & numero utrinque eſſet teſtimonium & conjectura.

Multo vero magis duorum Principiorum neceſſitas emergit in factis, neque teſtimonio fultis, neque conjectura. Quoties etenim non deerit argumentum aliquod ad hæc ſtatuenda facta a Traditione, vel a moribus & placitis Eccleſiæ mutuatum, toties non levis accedet ipſis veritatis imago, ut ad æquitatis normam compoſita exiſtimentur, & nihil fortaſſe minus, quam pleraque alia eventa paſſim controverſa. Non intereſt alias in rem iſtam rationes congerere præter Traditiones paullo ante memoratas. Ipſarum plurimæ una ſtant fide populorum, & Eccleſiæ opinione. Nullum earum niſi apud Scriptores IV. aut VI. Sæculis poſteriores veſtigium, & diuturno hoc temporis ſpacio in memoria duntaxat hominum hæſerunt. Quod ſi id ſatis non eſt, ut nulla autoritatis & conjecturæ habita ratione, facta hujuſmodi aliquam probabilitatis imaginem acquirant; non eſt itaque cur iſtis in Sapientum noſtrorum Opera aditus pateat. Verum dictu ſane puto, perſuaſum habere illos, alicujus eſſe frugis opiniones populorum, & Eccleſiæ mores; quandoquidem eas in medium afferunt, neque aliud quidem afferre poſſent præter traditionem, quæ ad uſque Scriptores deſcenderint, a quibus tot jam exactis ſæculis collectæ ſunt.

Illud etiam accidit aliquando, ſententias minus autoritate firmatas, quam contrariæ, ubi tamen ab eis ſit Traditio, quique Eccleſiæ conſenſus nuncupatur, multo probabiliores haberi iis, quæ magno teſtimoniorum numero ſtipantur. Exemplo res clara fiet. Antiquorum Patrum plurimi, videlicet Origenes, Euſebius, Epiphanius, Hilarius, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius, Ambroſius, Joannes Chryſoſtomus, aliique crediderunt, aliam ante Mariam Virginem ab Joſepho ductam uxorem, quæ ipſi pepererit S. Jacobum Minorem, alioſque ab Evangeliſta *Fratres* Domini appellatos. Unus ferme eſt ex primorum Sæculorum Patribus Hieronymus, qui pro Sancti Joſephi Virginitate pugnaverit. Nihilo ſecius quamquam autoritas Hieronymi obrui numero & antiquitate omnium aliorum Patrum videatur, tamen cum iſti adhæreat Eccleſiæ conſenſus perpetuo ſentientis, Sanctæ Virginis Sponſum cælibatum coluiſſe, fit longe probabilior & tutior antiquorum omnium Patrum ſententiis, qui Joſephum aliam in Matrimonio habuiſſe fœminam, antequam

Gggg 2 ipſi

ipſi Virgo nuptui traderetur, opinati ſunt. Eccleſiæ hanc item fidem eſſe aſſerit Cardinalis Petrus Damiani, quod certe de communi opinione intelligendum; imo ex Bailleto opinio adverſariorum ſuſtineri nullo modo poteſt.

Baill. 19. Martii pag. 491.

§. III.

Ea, quæ in hæc duo Principia objici poſſunt, argumenta diluuntur:

Quæ hactenus perſecuti ſumus, duplicem nobis æque opinor certam veritatem animo poſſunt informare. Prima ſit, duci poſſe a Traditionis teſtimonio, Eccleſiæque conſenſu probationes ſatis firmas, quibus quædam facta Hiſtorica, ut ſaltem veriſimillima ſuſcipiantur. Altera, Criticos ſuper hoc negotio religioſiores ad eas ſe conferre, quotieſcumque commodum eſſe poteſt conſilio ſuo ipſorum teſtimonium. Hinc itaque, ut videtur, colligendum dixerim, perecenſeri poſſe in Criticorum fundamentorum numero Traditiones, & Mores, ſive conſenſum Eccleſiæ, atque addenda eſſe Autoritati & conjecturæ, quæ duo priora ſunt magnæ hujus Artis capita.

Verum quem præterit, inquies, Traditiones populares eſſe falſas & ſuppoſitas ſæpe numero, ſemper autem incertas? Nunquid non eſt obnoxium fieri, ut millies decipiatur, januamque innumeris Hiſtoriæ figmentis reſerare, ſi quis præcipiti adeo fundamento factum aliquod ſuperſtruat? Monumenta Eccleſiaſtica, uti ſunt Martyrologia, Breviaria, Miſſalia, Kalendaria, atque id ſimilia ſolidius & certius argumentum nequeunt ſuppeditare. Siquidem 1. non video, qui monumentis iſtis poſſit factum tanquam certum, & inconcuſſum demonſtrari. Tillemontius de adventu Magorum loquitur in hunc modum. „ Non equidem tandiu his immoratus fuiſſem . . . . . niſi tenerem, Viris alias eximiis Religionis inſtar eſſe, non adhærere iis quæ Eccleſiæ officio videntur „ conſtituta. Sed eadem Eccleſia integrum vult eſſe nobis, a Littera „ aliquando deſciſcere, & Spiritum ſequi; atque in iis, quæ e re Hiſto„ rica ſunt, certa duntaxat ſecundum Hiſtoriæ regulas aucupari. “ Idem Criticus de Mariæ Virginis Aſſumtione habet, „ niſi pietas veritate fulciatur, facile ad ſuperſtitionem & illuſionem deflectere; neque „ per veritatem nobis fas eſſe poſſe, eas res certas ducere, de quibus „ nos haud efficit autoritas vel ratio certiores. „ Contendit Alexander, *Autoritatem Breviarii Romani efficere non poſſe, ut fabulæ in Hiſtorias evadant; nec cenſeri debere explorata & inconcuſſæ veritatis, quæcumque Breviario ſunt inſerta.*

Till. annot. 9. in Jeſum Chriſtum.

annot. 15. in S. Virg. pag. 500.

Alex. Hiſt. ſac. 3. Diſſ. 20. de lapſu Marcellini.

Tillem. ibidem pag. 499. col. 1.

Secundo loco dicitur, mendis referta eſſe Martyrologia, vel ipſa, quæ Ec-

Eccleſiæ Romanæ probata ſunt, ejuſque uſibus deſignata. Cauſſantur etiam Breviarium factis incertis non vacare; & aſſidue inculcant, in *Collecta* Officii S. Catherinæ memorari, ab Angelis Corpus ejus in Sinai Montem tranſlatum, quod ita a vero abeſt, ut nihil magis. Hæ ſunt ſolidiores Criticorum conjecturæ, quibus a Traditionum & Morum Eccleſiaſticorum teſtimonio ſe expediunt, ſi quando impetit ipſorum ſententias; ſive quando adhibentur ad conſuetudines aliquas ſtatuendas, quibus non ſapit palatus eorum.

Verum non eſt magnopere laborandum, ut hæc objecta momenta diſſolvamus. Fatemur ultro, ſi admitterentur ſine delectu & judicio vulgares cujuſque generis Traditiones, futurum, ut obnoxii mille deceptionibus eſſemus, factiſque commentitiis germanorum loco adducendis. Id autem nihil eſt, quod ſpectat ad Traditiones a nobis propoſitas. Nolumus, eas germanis Traditionibus annumerari; niſi ad Criticarum regularum præſcriptum, de quo inferius, diligenter exigantur; atque hoc uno ſenſu in Criticorum Initiorum cenſum veniant.

Quod eſt autem Conſuetudinis & Conſenſus Eccleſiæ, nobis inſitum animo eſt, magis æquum eſſe, atque ad pietatis, cultuſque erga Matrem Eccleſiam a filiis gerendi rationem compoſitum, eam de Conſuetudinibus, quas ſtatuit, audire, ipſaque facta Hiſtorica, quæ nobis exhibet, amplecti citius, quam illa ſeverioris & obſtinatioris Critices præceptis expendenda ſuſcipere. *Diſſ. 7. pag.*

Non eſt cur decipi vereamur, ſi veriſimillima facta cenſebimus, quæ narrat nobis Eccleſia in Martyrologiis, Breviariis, & Miſſalibus ſuis, aliiſque id genus monumentis; ſique de iis nobis cautum erit, de quibus dicturi ſumus, ne temere commenta teneamus, & veritatem leviter aſpernemur. Hac recta temperatione adhibita, ſuperſtitionem pariter & illuſionem fugiemus, pacem in Eccleſia ſervabimus; neque opinionibus novis, pietatem Fidelium perturbantibus, offenſioni populis erimus.

Verum enim vero quamquam nos falleret opinio de Uſu Eccleſiæ aliquo, aut facto peculiari; non crediderim tamen, piam eorum ſummiſſionem, qui Uſus iſtos ſectarentur, & factis crederent, in ſuperſtitionem & illuſionem evaſuram; præſertim ſi bona illis fide, tamquam ab Eccleſia confirmatis aſſentiantur. Nonne dicent, ex. gr. ſuperſtitioſum fore, hoſtiam non conſecratam adorare, quæ hujuſmodi tamen eſſe credatur? an contra non eſt hic Religionis Actus perinde Deo acceptus, ac ſi Hoſtia illa revera Chriſti corpus contineret? Id autem propterea fit, quod cultus, Hoſtiæ præſenti adhibitus, ad objectam ſibi rem veram feratur, nimirum ad germanum Jeſu Chriſti corpus, quamvis proxime objecta res illud non afferat. Haud aliter dicito de cultu Sanctorum Exuviis,

viis, quæ fide ingenua hujuſmodi eſſe cenſentur, tributo; etſi nanque tales reipſa non eſſent, huic tamen venerationi accommodari nequit ſpecies, quam ingerit in animis noſtris ſuperſtititio: ſcilicet, quod ſit *Cultus indebitus*, vel rei indebitæ.

Non abſimiliter ferme de Conſuetudinibus & Factis Eccleſiaſticis, ab Eccleſia nobis propoſitis dicendum arbitror. Licet verum eſſet, Corpus & Animum Virginis ad vitam haud remigraſſe; Verbum æternum carne noſtra haud indutum VIII. Kalendas Apriles; Magos Betlehemum non perveniſſe ante Purificationem, & VIII. Idus Januarias; itemque Eccleſiam, ut verbis Tillemontii utar, hos Feſtos dies, alioſque celebrare, *nihil ſollicitam utrum nec ne in illum diem inciderint hæc myſteria*. Tametſi exploratum eſſet in Martyrologiis adſcriptos Sanctos eſſe prorſus confictos; ſive Hiſtorias S. Alexii, S. Euſtachii, Marcellini Pontificis, aliorumque ſimilium, Breviario aſſutorum, fallaces eſſe & ſuppoſititias; erit ne redarguenda Chriſtiani alicujus tum docti, tum indocti, tum etiam Critici fides pia; qui religioni duceret, iis non adhæreſcere, quæ in Martyrologiis, in Officio, & Inſtitutionibus Eccleſiæ comprehenduntur? Dicendum ne erit, rem in diſcrimine verſari, ne ad ſuperſtitionem & illuſionem evadat, aut ſit hæc pietas immoderata? Cultus iſti deſinunt ſive in Autorem myſteriorum, quæ celebramus, ſive in obſequium Mariæ Virginis, ſive in imitationem virtutum Sanctorum, quos nobis ante oculos ponit Eccleſia: quæ omnia, etſi certa non eſſent, aliqua ſaltem ratione vera haberentur, vel repræſentatione.

Tillem. annot. 9 in Jeſum Chriſtum.

Haud equidem negaverim nefas eſſe longius, quam par eſt, progredi initio iſto, neque rem poſtulare, ut illi obtemperemus, præterquam tribus poſitis conditionibus. Prima pro certo habet bonam in Eccleſia hæc proponente fidem, de qua nemo dubitare poterit, qui norit, Pontifices & Epiſcopos ſuffragium ſuum Monumentis Eccleſiaſticis non dediſſe, niſi prudentibus adhibitis cautionibus; unde ratum habuerunt, nihil reliquum fuiſſe tutius aut melius, quod potius complecterentur. Flagitat altera humilem animi demiſſionem, fidemque ingenuam ab iis, qui conſuetudini, aut factis iſtis ab Eccleſia traditis acquieſcunt. Tertia tandem conditio eſt, Traditiones, Inſtitutiones, Hiſtorias iſtas æquas & rectas eſſe, nimirum iis ſeptas conjecturis, quas poſtulat *Critica Traditio*.

Cum dicunt, teſtimonio Martyrologiorum, Breviariorum &c. non poſſe factum ullum tamquam certum & inconcuſſum demonſtrari; nunquid verba hæc illa ſequitur conſecutio, ut opus ſit, de factis ipſis Hiſtoricis Eccleſiæ autoritatem nihil facere? Si ita eſt, quamobrem non ve-

verentur Critici pro iſtorum pluribus hanc autoritatem interponere? Cum autem in ea præſidium poſuerunt, perſuaſum ne ipſis erat, ductam inde probationem futuram *exploratæ & inconcuſſæ veritatis*? Atqui ipſa Eccleſia minime exiſtimavit, Conſuetudines, & eventa omnia tantummodo Hiſtorica, quæ nobis præbet, certa fore, & falli neſcia. * Conſtat, eam identidem emendandum curaſſe in Martyrologio, quidquid ipſa imprudente atque invita in ipſum forte irrepſerat. **

Propterea nobis hæc tribuit Eccleſia duntaxat, uti maxima probabilitate affecta; cum perſpectum ipſi adeo ſit, id factorum Hiſtoricorum genus, quippe ad fidem & bonos mores non pertinent, eſſe poſſe fallacia & ſuppoſititia, ut, ſi quando autoritate & ratione aſſequamur, rem ſecundum præceptiones Hiſtoricas veram non eſſe, atque hujus præſto ſint momenta abſoluta, & errori minime obnoxia, nunquam animus Eccleſiæ fuerit, nos ad ea recipienda compellere. Tum fas eſt privato homini ab illis recedere; quamquam forte nefas eſſet tum Eccleſiæ luminibus obſtruere lumine ſuo. Quapropter quamquam ingenioſiſſime excogitatæ ſint a Criticis, quas deſiderant, conditiones, ut factorum & Morum ab Eccleſia productorum veritatem in tuto ponant; nihilominus ſi deſint conditiones iſtæ, non ſatis eſt ſemper grave ad contradicendum argumentum. Integræ itaque Eccleſiæ Fidei aſſentiaris neceſſe eſt; donec certæ & evidentes ſuppetant probationes, quæ te ad aliud ferendum judicium impellant.

Interim vero illud confiteri oportet, Criticos menda nonnulla, quibus afficiuntur Martyrologia & Breviaria, afferentes, ut de illorum autoritate detrahant, Autorum omnium teſtimonium funditus convellere; quandoquidem nemo unus eſt, qui de re Hiſtorica hallucinatus aliquando non fuerit. Quemadmodum igitur contra fas & æquum eſſet, Joſephi, Euſebii, S. Hieronymi, aliorumque Scriptorum teſtimonia non audire eo prætextu, quod aliquando in factorum narratione capti ſint; non ſecius erit autoritatem abjicere Martyrologii Romani, quod in eo relictum ſit

* *Judicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, ſemper innititur: Judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur; quam & fallere ſæpe contingit, & falli*. In cap. a nobis, & 2. de Excommunicatione.

** Anno 1577. Petrus Galeſinus, Protonotarius Apoſtolicus edendum curavit Martyrologium Romanum, refectumque ad Gregorium XIII. obtulit. Idem Martyrologium Baronius inculcavit ejuſdem Pontificis juſſu, & typis rurſus dedit anno 1584., & 1586. acceſſit ipſi Sixti V. Pontificis autoritas. Denique cum temporum conſecutione deprehenderit Baronius, in eodem Martyrologio errata adhuc multa reperiri, factum eſt, ut moneret univerſos, illud ad Annalium ſuorum normam caſtigandum fore, ſi quando diſcreparet. Deinceps vero ad Clementem X. uſque novæ ſubinde prodierunt Martyrologii emendationes, quo in dies magis repurgaretur,

nomen S. Felicis Papæ, quem volunt ab Hæreticis in Sanctam Sedem intruſum, * aut fidei refragari Breviarii, Officiique Eccleſiaſtici, quod in iis legatur, Angelos in Montem Sinai corpus S. Catherinæ tranſtuliſſe, aliaque hujus generis. Reſpondere nanque, nullatenus videri, id contingere potuiſſe, neque argumentum eſt, neque reſponſum ſummis iſtis mentibus, ingeniiſque robuſtis dignum, quæ ſe jactant, factum nullum aut probare, aut improbare niſi ſuadentibus rationibus invictis. Jam vero quam afferunt in adverſam partem probationem? Parata ne habent momenta ſatis firma, ut oſtendant, Felicem Pontificem non fieri tanti, ut in Martyrologio locum haberet? ſive figmenta eſſe; quæ in *Collecta* Sanctæ Catherinæ recitantur? Nobis quidem rem gratiſſimam facerent, ſi modo hæc in lucem proferrent.

An ne redarguendum dixeris, inquient, multarum Eccleſiarum ſingularium inſtitutum, quo Libros Eccleſiaſticos ab ipſis adhibitos inſtaurarunt, atque ex iis detraxerunt multa, quæ in Breviario Romano erant, multaque addiderunt, quæ non erant? Exempli gratia qui paucis abhinc annis dederunt operam, ut Breviaria Pariſiorum, Viennæ, Aureliani, & Eccleſiarum aliarum multarum caſtigarent, ſuſtulerunt Officium S. Mariæ Magdalenæ, & quidquid ad ſororem Lazari, & Mulierem peccatricem pertinere poſſet; quamquam Breviarium Romanum unam eandemque mulierem ex his tribus conflaverit.

Miror ſane, non defuiſſe homines præclaros, qui hanc prætexerent rationem, ut evincerent, tres extitiſſe fœminas, Mariæ nomine nuncupa-

* Bailletus quam moleſte tulit, Baronium in Martyrologio ſuo Antipapas aliquos reliquiſſe, uti Felicem II. Arianorum opera aſſumtum loco Liberii. Subjungit. „ Gregorius „ VII. is fuit, qui Pontifices omnes „ ad Siricium uſque Sanctorum faſtis „ adſcripſit. „ In ſerm. de Geſtis Sanctor. art. 24. At ſatis apparet, cum Bailletum, tum etiam Lupum hujus poſtremi facti ſponſorem Tomo 3. Conc. p. 573. non advertiſſe animum, S. Gregorium Pontificem in *Antiphonario & Sacramentario* ſuis, totum ipſum poſuiſſe Officium S. Felicis Papæ & Martyris, quod in Miſſa legebatur quarto Kalendas ſextiles. Nomen quoque hujus Sancti Pontificis extat in Martyrologiis Bedæ, Uſuardi, & Adonis. Nos docet Baronius eo ipſo 1582., quo Martyrologium retractabat, anno, non defuiſſe, qui ambigerent, nonne expungendus eſſet S. Felix; ſed conſilium captum eſſe illum relinquendi, quod videlicet quarto Kalendas Septembris reperta fuerint in Eccleſia S.S. Coſmæ & Damiani Sepulchra duo, quorum alterum hanc ferebat Inſcriptionem: *Hic requieſcit S. Felix Papa & Martyr qui damnavit Conſtantium Hæreticum*. Quotieſcumque Cæmeteriis Romanis corpora eruuntur, ea, quæ Sanctorum ſunt, internoſci ſolent aliqua ex his tribus notis. Prima eſt, ſi in ſepulchro ampulla ſanguinis reperiatur. Secunda, ſi Palma extet, aliqua in re inſculpta. Denique nota certior eſt nomen Sancti lapide aut marmore aliquo impreſſum. Sunt, qui ambigant, utrum in hoc fraus aliqua interceſſerit; ſed aliorum judicium eſto, nonne hæc argumentis deſtituta dubitatio ad moralem diſciplinam, rectamque Criticen ſit compoſita.

tio-

Digitized by Google

tas. Abſque eo quod etenim conſilium hac de re capiamus, nunquid verum non eſt, ut Eccleſiæ nonnullæ tres ex illis Sanctas agnoſcunt, ita majorem aliarum numerum ex Breviarii Romani doctrina unam tantummodo profiteri? Præterea ſi hæc de tribus mulieribus conſecutio propoſitum efficeret, multarum Eccleſiarum aliarum conſenſus, qui unam duntaxat colunt, pluris eſſet magnopere adverſus trium mulierum iſtarum diſtinctionem. Itaque opinor, cum hoc, tum aliis exemplis hujuſmodi, ante oculos habendam eſſe elegantem S. Auguſtini præceptionem, qua docet, Inſtitutionum Eccleſiaſticarum varietatem Fidei unitati non obeſſe. *Sit ergo una* Fides, inquit, *univerſa, quæ ubique dilatatur, Eccleſia, tanquam intus in membris; etiamſi ipſa Fidei unitas quibuſdam diverſis celebrationibus celebratur, quibus nullo modo, quod in Fide verum eſt, impeditur: Omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinſecus: illæ autem obſervationes, quæ varie celebrantur, in ejus veſte intelliguntur. Unde ibi dicitur: In fimbriis aureis circumamicta varietate, ſed ea quoque veſtis ita diverſis celebrationibus varietur; ut non adverſis contentionibus diſſipetur.* Quod idem Ambroſius ſolide his verbis definit. *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam: ſed tamen & nos homines ſenſum habemus; ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos rectius cuſtodimus.* Quapropter ubi offendent aliquid accuratius iis, quæ in *Breviario* Romano continentur, ſive alterius Eccleſiæ membra erunt, in qua Inſtitutiones moreſque diſſimiles obtinuerint; non improbaturi ſumus, eos de rebus neque ad Fidem neque ad bonos mores ſpectantibus, ſed ipſam tantummodo Hiſtoricam narrationem attingentibus, complecti, quæ ipſis rationi magis conſentanea videbuntur; quin illa rejiciant, quæ in Martyrologio & Breviario ſuis Eccleſia Romana collocavit: niſi ſi, ut ſuperius monitum fecimus, efficax id ratio flagitet; & ab Auguſtini regula non deſciſcant; nimirum, caveant, ne ſenſa hæc diverſa in diviſiones, unitatem ſcindentes, deſinant aliquando.

Auguſt. Ep. 36.

Pſ. 44. 14.

Ambr. l. 4. de Sacram. c. 1.

Exempla itaque nonnullarum Eccleſiarum, quæ variis invicem moribus ſunt imbuta, planum faciunt, æqua duci poſſe ab Eccleſiarum particularium, & Eccleſiæ præſertim Univerſalis conſenſione argumenta. Critici quoque, ad eam ſæpiſſime pro ſtatuendis factis aliquibus confugientes, non poſſunt, quominus fateantur, cur Teſtimonium Eccleſiæ, tum Traditionem Critici principii munere fungi poſſe: præcipue vero ſi facta, ab utriſque producta, ad inſequentes regulas exigantur.

ARTICULUS IX. & Ultimus.

Regulæ pro commoda exercitatione quatuor Principiorum Criticorum, quæ ſunt Autoritas; Conjectura; Traditio; & Conſuetudo, ſive Conſenſus Eccleſiarum.

PRoximo articulo ſatis firmiter docuimus, aut ego fallor, neceſſitatem addendi nova duo Principia iis, quæ paſſim Criticorum fundamentorum loco ab omnibus uſurpantur: propterea illud duntaxat reliquum nobis eſt, ut huc nonnulla præcepta revocemus, quæ per occaſionem Egregii Critici dederunt pro accurato uſu, ſibique reſpondente, Autoritatis, & Conjecturæ; aliaque illis adjungamus in utilem Traditionis, & Conſuetudinis, ſive conſenſus Eccleſiarum exercitationem. In eam porro ſpem inducimur fore, ut utrorumque veſtigiis rectior evadet Critice, & æquius deinceps de rebus, quæ ipſius ſunt, judicium ferri poterit.

§. I.

Regulæ de Autorum teſtimonio, quod eſt primum Critices Initium.

UT de medio pleræque difficultates penitus tollerentur, quæ fere ſemper de multorum Operum Priſcorum emergunt autoritate intereſſet, quaſdam Tabulas inſtar præludii ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam præponere, in quibus Opera Scriptorum Eccleſiæ, ex prioribus ſex aut octo ſæculis depromta, ſervata ætatis ratione, recenſerentur. Harum Tractationum plures certo legitimæ ſunt, & Criticis omnibus in univerſum probatæ: de aliarum multarum ſuppoſitione nemo homo dubitat. Inter quæ medium quendam locum obtinent aliæ, quarum quædam ab aliquibus recipiuntur, ab aliis repudiantur; ceteræ dubitationem ingerunt cunctis, qui ea de re diſceptarunt, ſcriptoribus.

In Tabularum iſtarum priore Opera collocarem, ab omnibus habita pro indubitatis; in ſecunda, quæ certo commentitia ſunt; in tertia Opera ſuſpicioſa; in poſtrema Scripta illa, quæ Criticis aliquibus apocrypha ſunt, aliis contra *authentica*. Quarum Tabularum præſidio moleſtum omitteremus germanorum Librorum veterum examen, quod paucorum ſane opus eſt; ſæpe longius diſtrahit, tempus fuſtra abſumit, lites parit infinitas, eoſque detinet, qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ na-

navare operam ſtudent. Quibus autem cordi erit Scriptorum veterum volumina expendere, rectumque eorum delectum habere, quæ genuina ſunt, ab iis, quæ ſecus ſunt, regulas iſti Criticas conſulant, quas alibi tradidimus. *Diſſ. 3. art. 2.*

Negotium nobis hic non eſt de Scriptorum Eccleſiaſticorum autoritate quoad dogmata, mores, & diſciplinam; neque cogitamus ulla edere documenta, monentia quæ ſint præſtanda ab iis, qui fructuoſæ illorum lectioni vacare, aut doctrinam trutina diligenti verſare volunt: actum id enim eſt. *Diſſ. 1. art. 2.* Verum quæſtionem ponimus de Scriptorum omnium autoritate, quorum teſtimonium alicui eſſe poteſt cum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, tum etiam Criticæ facultati emolumento. Quo autem eam, quam poſſumus maximam, rebus iſtis claritatem afferamus, animadvertendum ante omnia duco, teſtimonium veterum conſiderari poſſe tum quoad fontes, unde profluit, tum etiam quoad aliorum Scriptorum fidem, tum denique quoad eas quibus quiſque ſingillatim afficitur, qualitates. Priuſquam tamen ulterius pergo; memoria repetamus egregiam illam S. Auguſtini regulam, quæ de factorum Hiſtoria omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis, quacumque demum in Eccleſia fulgeant dignitate, poteſt accommodari. *Solis eis*, inquit, *Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre; ut nullum eorum Autorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt.* *Epiſt. 82. ad Hier.*

Pluribus modis ea potuerunt Eccleſiaſtici Scriptores haurire, quibus teſtimonium impertiuntur. 1. Superorum narratione, aut afflatu peculiari. Hæc via quidem ſine ulla dubitatione certiſſima omnium eſt, ejuſque, quanquam raro admodum accidat, non pauca in Hiſtoria Eccleſiæ occurrunt exempla. *

Facta nihilominus ex hoc fonte manantia, ſumma tantum adhibita animi proviſione ſunt admittenda. Opus eſt excutere diligenter hominis illius conditiones, cui hæc Divorum manifeſtatio facta eſt; adjuncta, quæ illi comitantur; Deique conſilium, quare viam hanc inire decreverit, ut nos de factis Hiſtoricis inſtitueret. Quemadmodum autem argumen-

* Nos docet Sanctus Cyprianus Epiſtolis 8. 10. 34. 54. & 69. Deum ipſi multorum notitiam immiſiſſe per ſigna & Oracula, aliquando etiam per pueros, ut Epiſtola 10. narrat. Infantes iſti, Sancto Spiritu pleni, & mente in Cœlum acti, multa videbant, intelligebant, & monita a Deo populis facta referebant. Alia quoque ſuppetunt ejus rei exempla in hiſtoriis exploratæ veritatis. Doduvelus hæc habet in rem hanc verba animadverſione digna. *In omni illo intervallo, ab Apoſtolis ad Cyprianum uſque, perpetuus erat Viſionum uſus, ſemperque ab Eccleſia probatus.* Idque exemplis bene multis confirmat. Diſſ. Cyprianica 4. §. 1. & ſeq.

tum inde petitum fere non eſt e re Critica; ita non ſubtexam hic præ-præceptiones ullas, quibus hæ cæleſtes communicationes dignoſci queant. * Scriptores vide hac de re differentes.

2. Autores per ſemetipſos res percipere potuerunt. Nemo ambigit, hanc item cognoſcendi rationem tutiſſimam eſſe. Cum vir probus eſt, & fide dignus, nefas erit de illius teſtimonio dubitare; niſi ſi aperta præſto ſint argumenta, ipſum hallucinatum fuiſſe; aut ejus naturæ factum ſit, ut capi de illo potuerit; aut demum credendi locus ſit, eum revera captum fuiſſe. Non deſunt Scriptorum multorum præclariſſimorum cum inter veteres, ** tum etiam inter recentiores *** exempla, qui aberrarunt iis

* Cardinalis Bona excellentem Tractatum conſcripſit *de ſpirituum Diſcretione*; in quo plures affert ſapientiſſimas regulas ad vera & falſa Viſa ſecernenda. P. quoque Dominicus a Sanctiſſima Trinitate Carmelita Diſcalceatus nihil prætermiſit eorum, quæ ad hanc rem facere poſſunt. Tomo 6. libro 7. Sect. 7. Biblioth. Theologicæ.

** Fit vero ſimile, Euſebium vidiſſe *Labarum*, quod deſcribit, uti Differt. VII. diximus; quoniam ait: *Quod & nos aliquando videre meminimus*. De Vita Conſtant. l. 1. c. 30. Hiſtoricus hic Numiſmata aurea Conſtantini, & trium filiorum inter Coronam & Vexillum locat. En ipſius verba: *Ipſa vero haſta ab infima ſui parte in magnam longitudinem producta, in ſuperiori parte ſub ipſo Crucis Signo, ad ipſam veli variis coloribus depicti ſummitatem, auream Deo cari Imperatoris, & Liberorum ejus imaginem depictam pectore tenus ſublimem geſtabat*. Euſeb. ibidem c. 31. Verumtamen magnam refert ſpeciem veritatis, erraſſe Hiſtoricum iſtum; ſi deferenda res ſit ad Numiſmata Conſtantini Magni, quæ in lucem edidit P. Mulinetus in Diſſertatione Hiſtorica de Viſo hujus Imperatoris, in quibus effictum *Labarum* eſt cum quatuor Imaginibus ſub laciniis Vexilli. Quod ſi Bailletus ad hæc Numiſmata attendiſſet, atque ad *Labari* figuram, quæ extat in Ephemeride Sapientum 4. Aprilis 1681., non dixiſſet, Imaginem Imperatoris & filiorum ſitam fuiſſe inter Coronam & Vexillum. Baill. 21. Maii pag. 712, Vita Conſt.

*** Non pauci magni nominis Autores aſſerunt, ſervari Venetiis Evangelium S. Marci, ipſius manu exaratum. Quidam ajunt, illud Latine, alii Græce conſcriptum eſſe. Erudiſſimus Montfauconius, qui celeberrimum S. Marci Theſaurum luſtravit, duo fert de hoc Evangelio non prætereunda. Primum, illum deſcriptum eſſe in Papyro Ægyptiaca, non vero in Membranis. Alterum, ipſius judicio, elementa latina eſſe, tum ex viſu, tum ex Hiſtoria hujus Codicis MS. *in Diario Italico*. Pariſiis 1702. Maximilianus Miſſorus, Hæreticus indagator Epiſt. 16. Itineris ſui Italici edita anno 1703. hoc S. Marci Evangelium ita ob oculos ponit accurate, & minutatim, ut nihil ſupra. Affirmat, ſe illud inſpexiſſe & perpendiſſe cum Abbate Litha, Bibliothecæ S. Marci cuſtode: atque obſervaſſe, hujus Libri paginas ex Membranis compactas, volumen autem Græcis litteris conſcriptum; deprehendit nanque Litteram Δ; & Σ. imo verbum hoc KATA. Ecce duo teſtes oculati, inter quos de eodem facto non convenit. Quid quod, ſi fides Mabillonio, qui ante illos S. Marci Theſaurum circumſpexerat, hic Liber clauſus ſigillis eſt, nec cuiquam patet? Mabill. Iter Ital. pag. 32., Quanquam mors Jacobi II. Regis Anglorum in oculis veluti verſata ſit Autoris Dictionarii Hiſtorici Morerii Editionis 1704., tamen eam collocat anno 1702., etſi contigerit anno 1701. Autor animadverſionum in hanc Editionem erratum hoc Volterio aperuit, a quo ſublatum eſt, non ſecus ac cetera in

in

in rebus, quarum ſe teſtes oculatos affirmabant, quaſque oculorum ſuorum judicio retulerunt; quapropter citra ipſorum probitatis injuriam ſuper his poſſumus addubitare. Ceterum exempla hæc, quantumvis pauca, non obſunt, quominus argumentum ab id genus Scriptoribus comparatum, firmiſſimum ſit: imo ſingularis imprudentiæ notam ſubiret, qui non acquieſceret: atque adeo nulla poteſt cogitari certior probatio, quam ea, quæ teſtis oculati autoritate pendet; & prudenter perpetuo agit, qui fidem ipſi non derogat.

3. Scriptores de rebus inſtrui potuerunt ab illis, qui per ſe ſe oventa, quæ narrant, viderunt, aut noverunt. Ratio hæc nihilo eſt antecedente minus teſtata; præcipue vero ſi probitate perſpecta ſint, qui res ſe vidiſſe aut noſſe perhibent. Eſſet nanque quoddam impudentiæ genus factum aſpernari ab Autore memoratum, pro quo ſpondet homo, qui rem oculis ſuis ſubjectam fuiſſe confirmat. Quæ adeo videtur recta prudenſque admonitio, ut quamquam Bailletus nullo pene numero habeat teſtimonium quorundam Patrum, uti B. Theodoreti, S. Gregorii Papæ, S. *Baill. in Adm.*
Gregorii Turonenſis, S. Sulpicii Severi, quoties mira facta enunciant; *Art. 10.*
declarat tamen, ſe uſque eo morem illis geſſiſſe, ut admitteret, quæ dixerant Patres illi ab amicis & notis ſuis, qui ſe teſtes ajebant; & quorum integritati fidebant adeo, atque ſibi ipſis.

Tametſi autem pervagata ſit inter Criticos, iiſque acceptiſſima regula iſta; eſt tamen vero ſimile, Eruditos illos, quibus tantum ponderis affert teſtimonium S. Gregorii Turonenſis de Miſſione primorum Epiſcoporum in Gallias, quam ad Sæculum III. diſtulit ſine rei vade: veroſimile inquam eſt, ægre admodum eruditos iſtos facta multa ab ipſo tradita ſuſcepturos; etſi fateatur, ſe illa a Viris accepiſſe fidei incorruptiſſimæ, & teſtibus oculatis. *

4. Teſtimonium Autorum ejuſdem Ævi fons alius eſt, unde erumpunt argumenta alicujus frugis ſuper factis Hiſtoricis. Quamvis Metaphraſtes

Editione 1707. Ob hoc mendum ætatibus inſequentibus diſſidia fortaſſe erunt inter Chronologos; atque omnes Tabularum certiſſimarum fidem appellabunt. Quidam mortem iſtam anno 1701. collocabunt; alii vero inſurgent, & in medium producta Editione anni 1704. contendent; Principem hunc fatis ceſſiſſe anno 1702.

* *Eſt autem in Bethlehem puteus magnus, de quo Maria glorioſa aquam fertur hauſiſſe; ubi ſæpius aſpicientibus miraculum illuſtre monſtratur, id eſt Stella, ubi mundis corde, quæ apparuit Magis, oſtenditur. Venientibus devotis; ac recurrentibus ſuper os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille, cujus meritum obtinuerit, videt Stellam ab uno pariete putei ſuper aquas tranſmigrari ad aliam in illo modo, quo ſolent ſuper cælorum circulo ſtella transferri. Et cum multi aſpiciant, ab illis tantum videtur, quibus eſt mens ſenior. Nonnullos vidi, qui eam aſſerebant ſe vidiſſe. Nuper autem Diaconus noſter retulit, quod cum quinque viris aſpexit, ſed duobus tantum apparuit.* Greg. Turon. de Glor. Martyr. c. 1.

&

& Nicephorus inter Græcos, & Jacobus a Voragine, Petruſque de Natalibus inter Latinos famæ deploratæ autores ſint, & minimæ apud Sapientes autoritatis; Bailletus tamen declarat, eum ſingillatim Hiſtoriam Sancti alicujus ejuſdem cum ipſis aut regionis aut Ævi, quem noſſe poſſent ſcripſerunt, cum viſum fuiſſe ſibi, eos audire ſaltem de ſumma rei; ſiquidem arbitratus eſt, eos perſrictæ frontis adeo non eſſe, ut auſi fuerint confingere, ſive ſupponere ſumma quoque capita Hiſtoriæ alicujus Sancti, quorum recens adhuc memoria viguiſſet, & ſupereſſe poſſent teſtes, ad eos mendacii redarguendos, appoſiti.

Baill. uti Adm. Art. 12.

Quoties Scriptores poſteriorum Sæculorum in ea, quæ monumentis tradunt, ſponſores proferunt ejuſmodi, omni æquitate poſſumus iis factis aſſentiri, quæ ex his fontibus hauſiſſe ſe profitentur. Verum quoniam Scriptores Eccleſiaſtici non ſemper Autores memorant, a quibus, quæ narrant, traduxerint; neque item eorum ullum in Scripturis, vel in Eccleſiæ Scriptoribus, qui præceſſerunt, aut in eodem ſæculo verſati ſunt, veſtigium extat: tres ſuperſunt tantummodo viæ, unde hiſtorias illas promere potuerint.

Primo eas deducere potuerunt a Scriptis, *quæ interciderunt, quæque* in Bibliothecarum pulvere deliteſcunt. Haud equidem negaverim, multa fuiſſe veteribus cognita, quorum origo a multis ſæculis latet; * verum contendere, ſe poſſe indicare, quænam ab id genus monumentis in rem ſuam Scriptores Eccleſiaſtici contulerint, divinare eſt. Difficile pariter intellectu videtur, Euſebium, Athanaſium, Hieronymum, Auguſtinum, Joannem Chriſoſtomum, alioſque Veteres tot ex his Libris deperditis mutuaſſe, quæ poſteritati commendarent de Apoſtolis, de Viris Apoſtolicis, deque iis, quæ prioribus Ævis contigerunt, quorum apud Sacras Litteras, & Volumina Scriptorum vetuſtiorum altum ſilentium eſt.

Traditio, & Conſuetudines Eccleſiarum, de quibus inferius, haberi poſſunt inſtar fontis alterius, e quo ad Scriptores factorum multorum notitia manavit: Libri vero ſuppoſititii inſtar tertii. Ut autem hæc pateant apertius, animadvertendum eſt, plura recenſeri factorum genera. Alia ſunt celeberrima, illuſtria, publica, atque univerſis perſpecta, de quibus non ita facile quo ad rei ſummam falli Scriptores potuerunt; quamvis

* Hieronymus ex. gr. narrat in Tractatu adverſus Vigilaotium, Pompejum Hiſpania Romam revertentem, Sertorio profligato, collegiſſe quotquot reperit Vettones, Arevacos, & Celtiberienſes in Pyrenæis, quos ad primam planiciem ductos, quæ in Montium illorum radicibus ſita erat, incolas fecit Urbis illius, *unde & Convenarum nomen accepit*. Quinam Hiſtoricus, quis Geographus, quiſve Scriptor Hieronymo antiquior factum iſtud, tot adjunctis affectum, perſequitur?

quoad

quoad adjuncta ſecus res ſe habeat. Alia ſunt peculiaria, & paucis, interdum etiam uni Hiſtorico explorata. Nonnulla ſunt natura ipſa magis credibilia, cujuſmodi dixeris, quæ plerumque accidunt, & communi de cauſſa; nonnulla autem minus credibilia, atque hæc eſſe ſolent, quæ raro eveniunt, & cauſſa ſingulari. Quædam demum in Autoris regione contigerunt; quædam in Provinciis remotis.

Quamvis exempla multa a nobis recitata docuerint, Scriptores etiam teſtatioris & certioris autoritatis lapſos aliquando fuiſſe in Hiſtoriis quoque publicæ famæ; id tamen eo conſilio factum eſt, ut compertum haberemus humanum prorſus eſſe, omnibuſque fere commune hæc peccare. Nihilo ſecius propter paucorum vitia, non eſt omnium Scriptorum teſtimonium de factis Hiſtoricis repudiandum: impudens enim eſſet, ridendumque conſilium quibuſdam factis fidem detrahere. Atque ut non capiamur, noſque ſaltem prudentia duce, & exquiſitæ intelligentiæ luminibus dirigamus, hæc ſunt diligenter ſervanda.

REGULA PRIMA.

Facta celeberrima & illuſtria, quæ nihil incredibile afferunt, & in Hiſtoricorum narrantium regionibus contigerunt, recipienda ſunt hæſitatione nulla ab Scriptoribus illis, in quorum conſpectu geſta fuere, ſive qui didicerunt illa a Viris fide dignis, vel ejuſdem Ævi, maxime vero ſi Scriptores iſti ingenio, probitate, & fide præſtent ingenua.

REGULA SECUNDA.

Si eventa publica non ſint, neque rebus conſtent fabuloſis, atque acciderint in Autoris ea recitantis regione; tum eventa hæc veriſimilia exiſtimentur; præſertim autem ſi narratores habeant teſtes oculatos, aut eadem ætate viventes, neque hujuſmodi, ut hominibus imponere voluiſſe videantur.

REGULA TERTIA.

Quamquam Hiſtorici ſcripto tradiderint eventa paucis nota; quamquam hæc a communi paulum ordine abhorrere videantur, adjunctis affecta ſint non omnino incredibilibus, atque in Provinciis remotis acta fuerint, non tamen amandanda ſunt, præterquam firmis non dicam rationibus, ſed invictis argumentis ſuadentibus. Neque enim ſit credibile, alicujus integritatis hominem tanta fuiſſe impudentia, ut aliis obtrudere facta voluerit, quæ aperire potuerint Scriptores ejuſdem ævi, & planum facere illa nihil magis eſſe, quam figmenta.

RE-

REGULA QUARTA.

SI quis Autor nimiæ credulitatis ſama laborat, atque ſit ad fabulas venditandas a natura inſtitutus, nec non ad incertas narrationes ſine delectu & judicio hauriendas: ſi talis, inquam, autor facta deſcribit, quibus ſe interfuiſſe, ſive illa ab iis, qui aderant & noverant, ſive ab ejuſdem temporis ſcriptoribus percepiſſe teſtatur, non ſunt, opinor, explodenda eventa iſta: idque præcipue quoties publica ſunt & illuſtria, quoties nihil niſi ſimile vero præferunt, atque in ejus regione evenerunt, niſi ſi aliunde dictorum falſitas emergat. Mente ſane atque intelligentia vacare arbitrarer Autorem illum, qui factum confinxiſſet, de cujus ſtatim mendacio & fraude redargui poſſet. Illud interim præſtat animadvertere, ſi Autor idem de factis perhibeat paucis notis, minus probabilibus, quæque in remotis Provinciis contigerunt, non eſt eventis iſtis fides adjungenda, antequam optime penſitentur, licet aſſerat Autor, illa coram ſe geſta fuiſſe, aut a Viris cognoviſſe, qui rem viderant, & perceperant.

Quo in loco illud attendas velim, me non *ſine aliquo diſcrimine* argumenta, ab his tribus narratoribus decerpta, in eundem ordinem digerere. Tutius nanque eſt Autorem audire, qui, quæ nunciat, ſe vidiſſe affirmat, quam eos, qui ſe a teſtibus rei præſentibus, eandemque tenentibus imbutos fuiſſe declarent; & minore in alea verſatur, qui hujus poſtremi ſententiæ adhæret, quam qui ad ejuſdem ætatis Scriptorem animum adjicit, præſertim ſi eadem ſint ſpectabiles probitate. Denique teſtimonium Autoris contemporanei anteferendum eſt teſtimonio Doctorum, qui pluribus annis, itemque ſæculis a re diſtant; quia priorum teſtimonium accuratius videtur eſſe, quamvis poſteriores majore ſint nomine & dignitate. Non ſemper inſita eſt animo facti ſpecies, quod contigit multo ante; & Viri ipſi ſummi ſæpius, quam par eſt, memoriæ fidunt, quam aliquando deficere neceſſe eſt. Quare cavendum, ne illorum exiſtimationi nimium tribuamus, qui in hujuſmodi vitium incidunt. Ceterum abs re crediderim, non vereri aliquem diſertum ejuſdem ætatis Autoris teſtimonium imminuere, tum maxime eum per ſe ſe rem aſſecutum fuiſſe aſſeverat; propterea quod Scriptor recentior afferat aliqua, cum Priſci illius narratione pugnantia.

Ad hæc: æquum videtur, vetuſtos ejuſdem regionis Scriptores alienigenis anteferre. Difficillimi profecto negotii eſt, accuratam eorum notitiam habere, quæ procul a nobis geſta ſunt; ipſaque experientia compertum habemus, vulgi rumores ex hac ad illam Nationem diſſipatos, & narrationes longe venientes Scriptores multos in errorem induxiſſe, ea

præ-

præſertim ætate, qua infrequens & difficile Litterarum commercium erat, quaque Latini ſæpe Græcos, Græcique Latinos ignorabant. Ut illud conſequatur inde, teſtimonium Latinorum de factis & Controverſiis in Italia, Gallia, atque Hiſpania &c. ortis, Hiſtoricorum Græcorum teſtimonio anteferendum eſſe.

Jam vero multi operis negotium eſt regulas ſciſcere de teſtimonio a libris, qui perierunt, depromto; quandoquidem nos latent, quæ in illis comprehendebantur. Quædam ex his Opera nihil nobis præter nomen & titulum afferunt; alia vero diminutas tantum Epitomas. Quod eſt iſtorum, locus erit judicandi ex fragmentis iſtis, ſi parva adeo non ſint, de ingenio, eruditione, probitate, intelligentia, ceteriſque Autorum illorum dotibus; atque animo informandi, quam certum eſſe poſſit illorum teſtimonium.

Quando autem Scriptores Eccleſiaſtici fontes non indicant, unde ſumſerunt narrationes ſuas; tum ut teſtimonii vis cognoſcatur, virtutes eorum intimæ conſiderandæ ſunt; locus, quem inter Sapientes occuparant; tempus, regio, aliaque adjuncta; & natura factorum, de quibus locuti ſunt, perpendenda.

Haud inficias iverim, Libros multos commentitios aliqua interdum autoritate præſtare. Critici certe, omnium judicio ſuper hoc capite religioſiores, non deſinunt eos adducere, cum expedit rebus ſuis, uti probatum alibi a nobis eſt. *Diſ.2. part.2, art.1.2.3.* Quo autem autoritas id genus Operum extricetur, opus eſt illa in tres claſſes partiri, ſive alicujus Autoris nomen referant, ſive non. In priore ea ponas, quæ fabulis ſcatent, Hiſtoriiſque ridendis: cujuſmodi ſunt Evangelium Nicodemi de Paſſione & Reſurrectione Jeſu Chriſti; Proto-Evangelium S. Jacobi de Vita Mariæ Virginis; falſus Melito, qui de Matris Domini interitu & Reſurrectione differit; confictus Abdias, Geſtorum Apoſtolicorum Scriptor; Vita S. Joannis, quæ nomine Procori ad hanc diem extat, aliaque his ſimilia. Ad alteram claſſem ſpectant monumenta erratis conferta, in quibus tamen quædam bona ſunt, Hiſtoriis multis fabuloſis, & narratiunculis de arbitrio compactis permixta; neque omnino vacant erroribus: uti Chronicon Alexandrinum, *Menæa & Menologia* Græcorum, Conſtitutiones Apoſtolicæ; Recognitiones S. Clementi tributæ, atque alia. Denique non deſunt Libri ſpurii, qui tamen nihil niſi pium & ſolidum complectantur. In hoc numero recenſe Opera multa, quæ Sanctorum Cypriani, Athanaſii, Hieronymi, Ambroſii, Joannis Chryſoſtomi, Auguſtini, aliorumque Patrum nomenclaturam adepta ſunt, atque ad Operum ipſorum Appendicem rejecta.

Opera ſuppoſititia prioris generis nullius autoritatis habenda ſunt;

cumque nullam omnino opportunitatem afferre poſſint; nemo ea proferre deberet, niſi ut animum ab illis remotum oſtenderet, & Veterum in fallacibus monumentis obtrudendis libertatem indicaret.

Haud ſimiliter autem res ſe habet omnino de Operibus alterius Ordinis, ad quæ cognoſcenda has rogare Leges quis poſſet. Prima eſt: Eruditum illum, qui utitur aliquando Libris iſtis, non poſſe, ſicubi eorum dictis in anguſtias compellitur, ab illis recedere; hoc uno brevi, nec argumentis munito, effugio: Hæc ſunt monumenta Apocrypha. Altera, ſecundum rectæ & accuratæ Criticces præcepta nunquam adhibenda eſſe hujuſmodi Opera. Et ſane quamquam veritatem complecti aliquam poſſint, ea tandiu erit Incerta, quandiu a mendacio ſecerni non poterit.

Præterquamquod enim nullius frugis eſt Monumentorum iſtorum teſtimonium, terunt inſuper Scriptores tempus in illis refellendis, quoties adverſus ſe faciunt; volumina ſuccreſcunt, & novæ ſæpe numero concertationes oriuntur. Quamobrem expeditior via eſſet, ad ea nunquam confugere; cum Hiſtoria illa nequeat non maxime ſuſpicioſa videri, quæ innititur levibus adeo argumentis; quæque non ſunt ex dignitate Operis, ad accuratam & caſtigatam Criticen compoſiti. *Nihilo ſecius*, quoniam peritiores poſteriorum ſæculorum ſcriptores Monumentorum nothorum iſtorum teſtimonium non aſpernantur, animadvertere juvat, In illis reperiri 1. Eventa ad hiſtoriam, ſive ad Chronologiam ſpectantia. 2. Vetuſtas conſuetudines, quæ Sanctorum cultum & Feſtorum celebritatem attingere poſſunt.

Quo poſito, illud poſſumus affirmare, Criticæ accurationis eſſe, hæc Apocrypha ſcripta minime producere in argumentum factorum Hiſtoricorum, & Chronologiæ; eorum nanque ope, quippe pinguibus mendis & anachroniſmis ſcatentium, non poſſet ſatis fabula veritaſque dignoſci. At enim, inquies, quare ad ea non ſe conferre, ubi factis iſtis elucidandis deſunt meliora? Hanc ſibi prætexunt nonnulli Critici excuſationem. Quaſi vero dicerent: Singularia quædam de Geſtis Apoſtolorum apud Abdiam lego, quorum nulla apud ceteros ſcriptores mentio: eccur non licebit tum mihi ipſius ſuffragio eadem referre? Regula hæc, ſubjungent, æqua videri poterit, cum unum eſt Operum iſtorum teſtimonium; at non item, cum eo utimur ad alterius Scriptoris, cum eo concinentis, fidem roborandam, atque oſtendendum, plures de eodem facto locutos fuiſſe. Ego vero non video, quid emolumenti capere poſſis ab Opere nullius autoritatis; neque qua ratione aliquod ipſi pondus accedat, ſi modo cum alterius Scriptoris fidei præclaræ teſtimonio conjungatur. Patet denique Regulæ hujus ſoliditas, ſi decernendum de re ſit ex ea, qua ſe gerunt iidem Critici, ratione, qui ab Apocryphorum

Scri-

Scriptorum uſu non abhorrent: neque enim crediderim; eos unquam in Scriptis ſuis, quoties adverſus illos monumentorum hujuſmodi autoritas intentatur, præteriiſſe, quin eam aperte repudiarent, aut vel ullam probabilitatis umbram concederent.

De vetuſtis vero Conſuetudinibus, Sanctorum cultu, celebratione Feſtorum, aliorumque ſimilibus, quæ v. g. in Conſtitutionibus, ab Apoſtolis nuncupatis, in Menæis & Menologiis Græcorum &c. reperiuntur, ipſorum teſtimonium non eſt uſquequaque abjiciendum, alicujus imo ponderis eſſe poteſt; quoties autores iſti teſtes ſe fuiſſe perhibent; ante omnia vero ſi alterius Scriptoris ſuffragio fultum ſit, qui, quæ narrat, ex his fontibus contaminatis non hauſerit. Quod tamen non tollit, quominus vetuſta hæc monumenta res Eccleſiaſticæ diſciplinæ utiliſſimas complectantur, & plurima eaque egregia præcepta tradant de Chriſtianorum, & ſigillatim Paſtorum officiis, deque Inſtitutis & Cæremoniis Eccleſiaſticis.

Hic equidem non exiſtimem, idem ferendum eſſe de Scriptis III. Claſſis judicium, atque de præcedentium Libris confictis enunciavimus. In hunc itaque modum monumenta hæc, opinor, expendi poſſent. Cum Autor illorum Virum ſagacem, gravem, & probum ſe prodit, perſuaſum habeo, ſuper ignoti hujus teſtimonio ſatis firmum argumentum ſtatui poſſe, quo factum aliquod ſuſcipere teneamur; idque eo ſuſcipiendum erit, quo in Autore ſuo majores eruditionis, limati judicii, & fidei ingenuæ notæ apparebunt. Quæ tamen cum dicimus, illud pro rato habemus, ex ipſius dictione, ſtylo, & rebus narratis conjici poſſe tempus quo vixit, nihilque cum protuliſſe Sæculi ſui negotiis aut eventis contrarium. Ceterum quamquam illud accidere poſſet, ut in Opere iſto levia ejuſmodi menda emergerent, quæ in probatioribus Scriptoribus plerumque occurrunt, non id tamen illius teſtimonio officere deberet.

Porro haud abſimile fere eſt Librorum iſtorum ſuppoſitorum, atque Actorum Veterum Martyrum Ruinartii fatum. Monumenta hæc Autoris nomine carent, tempus, quo deſcripta fuere, deſideratur, multa nullatenus ſunt a Veteribus memorata; demum erratis non ita levibus aſperguntur. Quæ omnia indicia Actorum iſtorum ſuppoſitionis argumento eſſe poſſent: nihilo ſecius nemo non exploratam habet plerorumque Monumentorum iſtorum veritatem, atque item ex illis optima de factis non paucis argumenta duci poſſunt. Unde itaque Opuſculorum iſtorum autoritas? ex ipſa rei ſumma. Suis nanque ipſorum viribus in dignitate ſe continent; eorumque ſimplicitas, brevitas, adjunctaque cetera teſtatum faciunt, legitima eſſe Acta hujuſmodi. Idem poteris de Suppoſititiis tertii ordinis voluminibus aſſerere. Autoritas iſtorum ex

ipſa rei ſumma comparatur, videlicet ex Scriptoris ingenio, fide, ſtylô firmitate &c., ut ubi hæc omnia in Apocryphis iſtis Operibus conveniant, ea non parum acquirant facultatis, qua pro factis Hiſtoricis argumenta ſuppeditent: quoties præcipue nos deficiunt meliora.

In Judicio de Controv. ſuper Martyr. Pariſ. Eccleſ. p. 27.

Contendit Launojus, mendacem Librum aliquem, nonnihil autoritatis obtinere, quod a Scriptoribus multis laudetur; idque exemplo confirmat epiſtolæ ad Paulam, & Euſtochium, de cujus falſitate univerſorum ſententia non diſcrepat, & tamen Hieronymo vindicatur. Epiſtola hæc, inquit Doctor iſte, utpote ab Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, ab Odilone Abbate Cluniacenſi, ab Ivone Carnotenſi, aliiſque laudata, in alicujus nominis autoritatem evadit. At ſi verum eſſet principium hoc, illud confiteri neceſſum foret, ementitum Melitonem flocci non eſſe faciendum, atque illo ad facta ſtatuenda uti nos poſſe; quandoquidem plurimi a VI. Sæculo Scriptores de eo meminerunt.

In Tractatu de S. Thoma.

Quamquam autem libro apocrypho autoritas propterea non addatur, quod illum Scriptores multi citaverint; ſecus tamen dicendum eſſe puto, cum ab œcumenica Synodo producitur. Ex quo fit, Frontonem Ducæum de Homilia ſuper S. Thoma, Joanni Chryſoſtomo tributa, loquentem, his verbis uti: *Licet autem ut genuinum eum Autoris noſtri fœtum propter ſtyli diſparitatem non agnoſcamus; tamen eum commendat autoritas Lateranenſis ſub Martino I. coacta circa annum 650. contra Monothelitas*. Eandem cum laude nominat Homiliam Concilium VI. Conſtantinopolitanum, Agathone Pontifice, adverſus eoſdem Hæreticos celebratum. Cujus principii monito quampluribus Apocryphis Monumentis autoritas aliqua foret idcirco concedenda, quod a Conciliis Generalibus uſurpantur. * Id quidem videtur ſatis rationi reſpondere; ſi nanque tantopere habita ſunt Opuſcula iſta a Patribus Sanctorum Conventuum illorum, ut aliquam ea veritati definiendæ vim afferre exiſtimaverint; qua de re nullam afferent factis duntaxat recipiendis? Hic ſaltem honor non videtur denegandus locis illis, unde Concilia textus adductos decerpſerunt, quin toti ipſi Tractationi, in qua verba ſunt, deferatur.

Teſtimonium Veterum maxime diſſimiles autoritatis gradus habere poteſt, ſi ejus fiat cum teſtimonio aliorum Eccleſiaſticorum Scriptorum collatio. Quoniam vero difficillimum eſſet, hujus comparationis modos ſin-

* Præter Homiliam de S. Thoma, mendoſe ad S. Chryſoſtomum ſpectare creditam, Concilia Conſtantinopolitanum, Lateranenſe & Nicenum II. Monumenta plura ſuppoſititia memorarunt; uti Epiſtolam, titulo S. Baſilii ad Julianum, Homiliam de Unico amborum Teſtamentorum Legiſlatore, S. Joanni Chryſoſtomo adjudicatam; Pratum ſpirituale Joannis Moſchi, relatum nomine Sophronii, Dialogos de Trinitate; Hiſtoriam de Imagine Jeſu Chriſti in Urbe Beryti, aliaque multa.

gil-

ſigillatim ante oculos ponere, aliquibus regulis hic in univerſum propoſitis contentus ero.

REGULA PRIMA.

QUoties factum aliquod exequitur narrando Autor unus, quod a multis, teſtimonii æque in univerſum recipiendi, oppugnatur: tametſi veritas ab eo ſtet fortaſſe, qui ſolus loquitur; ratio tamen poſtulat, ut ab ejus ſententia diſcedentes, in eam, quæ plures habet ſectatores, deſcendamus.

REGULA SECUNDA.

SI unus vel duo Hiſtorici factum referant, de quo ceteri ne verbum quidem habent; audiendus eſt citius, qui refert, quam qui de illo verbum non habent. Accidit nanque non ſemel ſcriptoribus non fuiſſe ſtudium, ea litteris mandandi, quæ in oculis eorum verſabantur; quod ſcilicet ita pervagata forent, ut fieri non poſſe videretur, illa a quopiam ignorari. *

REGULA TERTIA.

UBI quidam Autores factum varie perſecuti ſunt, circumſpiciendum diligenter eſt, quid rei eſſet illis in eodem facto. Privata nanque ſtudia homines plerumque ſeducunt. Non tamen altius in intimis eorum rationibus penetrandum eſt; expedit potius in iis vim facere, quæ nota ſunt, quam in conjecturis, ex abſconditis cordis affectionibus petitis, quæ dubiæ ſemper, incertæque ſunt. Eadem præceptione anteferas Scriptores liberos, nullique addictos aliis, qui non poſſunt non ſæpe numero Principum & Procerum ambitioni indulgere. Si tamen momenta hæc perſpicue non conſtant, tibi curæ ſit, quæ contradicunt, auferre, & Scriptores, quoad veritas patitur, Scriptoribus conciliare.

REGULA QUARTA.

SI duas Sententias diſcrepantes Multi e veteribus tuentur, liberum eſto eam ſequi, quæ tibi vero ſimilior videbitur: itemque ſi Scripto-

* Hac de cauſſa Philo; & Joſephus, qui diligentiſſime Templi Hieroſolymorum Mira congeſſerunt, taciti prætereunt Probaticam Piſcinam apud Judæos celeberrimam, cujus aquis morborum depellendorum inerat facultas. Novimus præterea a Scriptoribus multis in nullam graviſſimarum rerum cognitionem nos veniſſe, quæ in regionibus illorum geſta fuerant; eademque ab alienigenis didiciſſe. Ex. gr. ſi perſpectum habemus, moris fuiſſe Imperatorum Romanorum, ut ante illos ignis geſtaretur, id Græcis, non Italis ſcriptoribus debemus.

pto-

ptores inter Eccleſiaſticos de Chronologiæ capitibus non conveniat; ut totidem ferme ſint opiniones, quot de re aliqua Tractatores; quod oſtendit nobis Epocha Nativitatis Jeſu Chriſti, de qua alibi diximus, & tempus Martyrii S.S. Apoſtolorum Petri & Pauli. * Tum Moderni, qui diſtracti ſunt in Veterum teſtimoniis ſectandis, poſſunt ſinguli eadem probabilitate ejuſdem priſci Scriptoris ſenſis adhærere, quem ſibi in Chronologiæ ducem adſciverunt; ſervato præſertim accurate, quem ſemel adoptarunt, temporum ordine.

Diſ. 1.
Diſ. 3.

REGULA QUINTA.

NON exiſtimaverim, eſſe redarguendum Autorem illum, qui Priſcum aliquem modo ſequitur, modo deſerit, ſecundum varias, de quibus diſputat, Tractationes; atque illum cum aliis ſive majore ſive minore autoritate Scriptoribus Eccleſiaſticis confert. Ea etenim conjecturis & adjunctis eſſe poteſt, ut eum aliquando cogant eb eo deſciſcere, cui antea innitebatur. Verum aliorum judicium ſit, nonne Critices accuratæ inſtitutioni reſpondeat, Scriptoris antiqui placito obtemperare, ceteriſque omnibus anteferre ſuper quodam capite; ſuper alio vero prorſus ſimili, adjunctiſque iiſdem affecto, nuncium ipſi remittere, cujus dictis ſententiam ſuam conſtituerat, atque alterius teſtimonium præferre, quem antea repudiaverat. Multa protulit opus noſtrum exempla hujus Criticorum de re Hiſtorica conſilii; quare unicum hic attexam de re Chronologica.

Diſſ. 2. art. 2. 3. 4. 5.

Declarat Tillemontius, mentem ſuam eſſe, Euſebio aures præbere de Chronologia S. Lini, aliorumque Pontificum ad S. Pontianum uſque; Bucherii vero ordine ceteros inde Pontifices enumerare. Quodnam eſt ipſius propoſitum in hac ſe gerendi ratione? niſi erraſſe Euſebium in Chronologia Pontificum, qui paullo ipſum anteceſſerunt, accuratiſſimum fuiſſe in Pontificum Chronologia, qui magis ab ipſo remoti erant. Quapropter Euſebius præſtat per Tillemontium Autori Chronologiæ Bucheria-

Tillem. Tomo 2. annot. 2 in S. Clem. pag. 593. col. 1.

* Alexander Chronicon ſpectans Euſebii, Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum vivere deſiiſſe tradit eodem, quo Nero, anno, qui per ipſum tertius decimus, aut decimus quartus eſt Imperii ejus, & Jeſu Chriſti 69. Alex. Hiſt. Tomo 1. ſæc. 1. Art. 6. p. 27. Tillemontius in veſtigiis hæret S. Epiphanii, qui Apoſtolorum iſtorum Martyrium anno collocat 66. Tillem. Tomo 1. annot. 40. in S. Petrum p. 557. col. 2. Bollandus e vivis ereptos credit, *Nerva* & *Veſtino* Conſulibus anno 64. ſecutus indicem Pontificum, Damaſi nomen gerentem. Bolland. April. Tomo 1. p. 14. Baronius Hieronymo conſentiens, exiſtimat iſthinc ſublatos poſt Senecæ interitum, nimirum anno 67. Hier. in Chronico & de Viris Illuſtr. Dupinus tandem, dicto certe audiens aliorum Antiquorum, affirmat, Apoſtolos iſtos vitam pro Chriſto fudiſſe non quidem annis 69. 67. 66. 65. ſed 64. *Dupinus Diſſ. Prælim. pag. 192.*

dæ:

næ: hic vero contra præcellit Euſebio. Euſebio quoque, inquit iſte Criticus, primas deferre debemus, cum dicit, S. Linum proxime S. Petro ſucceſſiſſe, & duodecim ferme annis Eccleſiæ gubernacula tractaſſe; hunc excepiſſe Cletum, totidemque aut paullo amplius annis regnaſſe; tertio denique, Clementem ſedem eandem novem annorum ſpacio obtinuiſſe. Nihilo tamen minus perſuaſum habet, non audiendum eſſe Euſebii teſtimonium, cum initium Pontificatus Lini refert ad annum 69., Cleti ad 81., Clementis ad 93.

Ibidem annot. 1. in S. Clem. pag. 587. col. 2.

Ibidem 596. col. 1.

Denique conſiderare libet, Scriptores Eccleſiaſticos autoritate differre admodum inter ſe, ſi illos invicem compares, tum quod attinet ad approbationem a Conciliis factam Opuſculis & doctrinæ aliquorum; * tum quoad honorem ipſis præſtitum, publice legendo in Eccleſiæ Officiis illorum Tractationes; tum denique quoad prærogativas a ſummis Pontificibus nonnullis conceſſas. Certo quidem certius eſt, cum de Scientiis humanis, de Hiſtoria, de Chronologia, & ſolis factis negotium eſt, Autoritatem Scriptorum Eccleſiaſticorum tanti fieri duntaxat, quanti ſunt momenta, quibus fulcitur. Qua de re Autori minus vetuſto & celebri, factum conjecturis firmioribus ſtatuenti, & vera manifeſte tradenti, nemo dubitat fidem eſſe adjungendam, poſthabito Patris etiam & Doctoris Eccleſiæ teſtimonio. Quamquam ſi conjecturæ ex utraque parte æque ducantur; res flagitat, ut præcellat Vetuſti Scriptoris autoritas recentioris autoritati; ſenſa Viri Eccleſiaſtici ſenſis illorum, qui extra Eccleſiam ſunt; teſtimonium denique Patrum & Doctorum Eccleſiæ, quorum Opuſcula Conciliis probata ſunt, & ſingulari honore ab Eccleſia affecta, teſtimonio Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui hujuſmodi plauſu glorioſo dignati non ſunt.

Cum autem dicimus, Autoritatem primum eſſe Critices principium, intellige, opus eſſe, ut facto alicui animum adjiciamus, illud teſtibus fide dignis roborari, Autore videlicet, judicio acri, exquiſito rerum guſtu & probitate præſtante, qui fabulis bellum indixerit, atque ab aliis

* In Concilio Romano, a Gelaſio Papa celebrato anno 494. mentio fit Opuſculorum Patrum, quæ ſuſcipit Eccleſia: *Jam nunc ſubjiciendum eſt de Opuſculis S. S. Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur. Opuſcula B. Cypriani, Athanaſii, Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, Theophili Alexandrini, Cyrilli Alexandrini, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Proſperi*. Diſt. 15. Cap. S. Romana Eccleſia. In Concilio pariter Generali Conſtantinopolitano temporibus Vigilii Papæ, & Imperatoris Juſtiniani, Patres ejuſdem Synodi, poſtquam pronunciarunt, ſe amplecti quidquid in quatuor prioribus Conciliis œcumenicis factum & decretum erat, ſubjungunt: *Super hæc ſequimur per omnia & Sanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Baſilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Auguſtinum, Theophilum, Joannem Conſtantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum &c* Concil. V. Generale Coll. 3

do-

decipiendis, vel in fraudem inducendis alienus ſit, ut nemo magis. Quod ſi Scriptores duo iiſdem æqua ratione virtutibus pollerent, eorumque alteruter præter id ampliore eſſet exiſtimatione, fama melius conſtituta, & doctrina probatiore: cujus ſententia anteire deberet, ubi quam hic narrat, alter rejiceret? Satis apparet, hujus dictis homines fidem adhibituros, tamquam magis ſimilibus veri; præſumtio certe iſti faveret: idemque fere pronunciandum eſſe arbitrarer de Veteribus erga recentiores; de Scriptoribus Eccleſiaſticis erga eos, qui ſunt extra Eccleſiam, deque Patribus erga locum, quem ipſis in Eccleſia obtinuit doctrinæ ipſorum comprobatio.

Utcumque autem minime arrideret enunciatum iſtud, ratum ſaltem & conſtans habeo, non poſſe non unumquemque confiteri, teſtimonium Patris alicujus aut Doctoris Eccleſiaſtici de factis Hiſtoricis, petitum ab Opuſculis, Conciliorum ſuffragio munitis, anteferendum eſſe teſtimonio alterius Patris, cujus Scriptis eadem approbatio non accedit. Præſtantia hæc obſequium ſignificat, quod ſummis Viris iſtis debemus, & Eccleſiæ filiis apprime congruit. Ac ſi tantum hoc pacto adverſam Hæreticis viam iniremus, qui toti ſunt in infirmanda Patrum autoritate; vel ob id unum optimorum eſſet, opinor, Criticorum huic pronunciato aſſentiri. Quem præterit, ſtudium omne in eo poſuiſſe Proteſtantes, ut Patrum Eccleſiaſticorum autoritatem gradatim convellerent? Initio quidem dixerunt, Patres homines fuiſſe perinde ac nos fallere & falli haud neſcios: illos adjumenta multa, quæ in hanc diem præſto ſunt nobis, defeciſſe: facta minime expendiſſe pondere Criticorum; atque his Patrum teſtimonium ſuper Hiſtoria Eccleſiaſtica elevarunt. Deinceps ventum eſt ad ipſorum autoritatem contemnendam de factis, quibus aliqua eſt cum Religione cognatio, uti v. g. de quibuſdam vetuſtis Eccleſiæ conſuetudinibus: Poſt hæc non ſunt veriti Patres deſerere, imo ipſas illorum interpretationes Sanctarum Litterarum oppugnare. Poſtremo eorundem autoritatem de Dogmatibus & Traditione penitus ſuſtulerunt.

Ecce quam præcipites dedit impudens & ſuperba Critice Proteſtantes. Statim ac Criticus ingenti & licentiore animo inſtruitur, ſibi magnopere cavet, ne credulus ſit; atque in Magnæ Artis ſuæ luminibus confidit. A teſtimonio Veterum ſe ſubducit ſuper eventis multis, quæ cum Sanctis inſtitutionibus, & piis Traditionibus Eccleſiæ, jam inde a multis ævis acceptis, connectuntur. Quo vero pretextu? Propterea eſt, inquiunt, quod Patres multa ignoraverint, in quorum cognitionem Critices opera venimus; quod ſe totos dederint ad res majoris momenti perpendendas, quod denique Critica Facultate præditi non eſſent. Quot ne hujus Inſtituti exempla in medium protulimus? eo demum uſque, ut Critici Ca-

Diſſ. 2 pag. 1. Art. 6.

cho-

tholici non pauci ſuper hac re Heterodoxorum luminibus Veterum lumina poſtpoſuerint. Qui fines iſtos ſunt prætergreſſi, quam metuendum eſt, ne illic minime ſiſtant?

Pronunciati hujus itaque exercitatio neceſſitatem habere videtur, cum in ſcopulis evitandis, tum in oſtendenda erga Eccleſiæ Patres obſervantia. Et ſane ſi Concilia ſtatuerunt, ſcripta eorum incorruptam & Catholicam doctrinam præſeferre; quamobrem facta Hiſtorica, doctrinæ permixta, majorem non acquirent veri ſpeciem, quam eventa in Libris minus probatis reperta? Conſequenter ex ſeverioris Critices documentis extra controverſiam eſt, Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonium Autorum novorum cognitionibus anteferendum eſſe; atque inter illos, eorum opinionibus obtemperandum, quos majoribus Eccleſia honoribus eſt proſequuta: poſita ſemper in adjunctis facti, atque in intimis Scriptoris virtutibus æqualitate. Quemadmodum nemo eſt ſubditorum aut inferiorum, qui citra aſſentationis & indulgentiæ notam, non poſſit aut debeat pluris facere Principis aut Magiſtratus, quam vulgaris hominis narrationem, ſi modo par utrinque probitas effulgeat: quare non oportebit in re Critica & Hiſtorica pendere magis eorum fidem, quos obſequio ſuo tot retro Sæculis honeſtavit Eccleſia, ac illos, qui apud ipſam tanta nunquam dignitate fuerunt? Illud etiam perſpicuum eſt, meas Animadverſiones eo uſque non fieri, ut Sanctorum iſtorum Doctorum ſenſis prælatis, opinio contraria falſitatis ſit inſimulanda, cum tantummodo velim, eam fore minus probabilem.

Supereſt Veterum teſtimonium ad trutinam revocare quoad ſingulorum animis inſitas qualitates. At re iſta ſuperius non uno loco delibata, atque toto ipſo art. 6. Diſſ. 2. idem argumentum tractante, id unum hoc loci ſubnectam, animadvertendum ſcilicet eſſe, ut quanti ſit ponderis teſtimonium Scriptoris vetuſti certo conſtet. 1. Nonne in ejus Operibus accuratio, recta intelligentia, ſoliditas, & guſtus rerum exquiſitus deprehendantur. 2. Si pronus eſt ad hauriendum quodlibet Hiſtoriarum genus; ſi nimia credulitate laborat; ſi circumſpectionem in rebus poſt accuratum duntaxat judicium enunciandis oſtendit. 3. Quibus verbis res efferat. Num verbis conceptis, & ambiguitate non fallentibus: num alicubi evertat, quod alibi confirmaverat; idque an obiter, & occaſione obiata, an vero conſulto, & ſumma rei excuſſa. 4. Si in Scriptis ejus locus eſt animi affectionibus, partium ſtudiis, præjudiciis atque ardori diſputandi. 5. Nonne demum argumentum ſuum funditus aſſequatur; erroribus obnoxius ſit, atque rerum, de quibus diſputat, numeris omnibus abſolutam notitiam habeat, vel in ipſis gerendis fuerit verſatus.

Diſſ. 1. p. 9 & ſeq. pag. 31. & ſeq. Diſſ. 2. Art. 6. p. 246 & ſeq.

Antequam porro deliberes, hujus ne potius, quam illius Scriptoris

priſci teſtimonium amplectaris, præſtat diligentiſſime penſitare, non modo ex quo fonte res ad ſe derivaverint; quem locum in Eccleſia teneant; quibuſque animi dotibus ſint affecti; ſed naturam etiam factorum, quæ narrant, videlicet, an paucis nota ſint, an vero illuſtria; an vulgaria & ſimilia veri; an vero mira & minus credibilia; an denique in Autoris regione, an vero apud exteras gentes contigerint. Tandem intereſt dijudicare, num eventa ei perſpecta fuerint, a quo referuntur, numque illa a teſtibus oculatis, aut ejuſdem tantummodo ævi didicerit. Ad accuratum Criticum attinet, alterutri narrationi minime aſſentiri, quin adjuncta hæc omnia æqua lance ſuſpenderit; quorum conſideratio Autorum teſtimonio non parum exiſtimationis addere poteſt, vel imminuere.

§. II.

Regulæ de Conjectura, altero Critices Principio.

TOta ipſa Operis hujus Diſſertatio tertia in eo verſata eſt, ut expenderet, quidquid ad Conjecturam ſpectat, tum quoad Regulas a Criticis Inſtitutas ad rectum habendum germanorum Patrum operum, factorumque Hiſtoricorum delectum, tum quoad commodam Argumenti negantis exercitationem. Animadvertimus quoque multa in præcipuas conjecturas, & magnum erratorum numerum collegimus, quibus conſperſa ſunt Criticorum Volumina de argumento a conjecturis ducto: quare id unum reliquum in præſens eſt, ut præcepta nonnulla tradamus, quorum vi Uſum habebimus hujus alterius Critices Principii magis ſibi reſpondentem.

Conjectura, ut a notione nominis ordiamur, argumentum incertum eſt. Mediam obtinet ſedem inter cognitionem certam & *ſophiſma*; ut aliquid magis afferat, quam *ſophiſma*, minuſque ac certa cognitio. *Sophiſma* nihil efficit prorſus, ad decipiendum inſtitutum eſt, & ſpeciei multum, ſoliditatis nihil habet. Quod eſt cognitionis certæ, veritatem hæc facit exploratam, utque mens ei conſtanter adhæreat. Media itaque conjectura inter utrumque, ita menti aperit veritatem, ut non omnino iſta convincatur; ſive ut melius dicam: conjectura cognito eſt, aliquod in veritate fundamentum ponens, haud tamen *ſublatis* omnibus in adverſum dubitationibus. Quo fit, ut indiciis tantummodo fulta, & rationibus non prorſus certis, unam probabilem opinionem gignere poteſt.

Probabilitas gemina eſt: alia, quam interiorem vocant, altera, quam exteriorem appellant. Illa innititur momento ſimili veri, aut conjecturæ rationi conſentaneæ; hæc vim habet in autoritate & ſenſis Eruditorum.

rum. Quibus animadverſis licebit inſequentes regulas edere de gradibus probabilitatis, a conjecturis acceptæ.

I. Eo eſt major vel minor facti alicujus probabilitas, quo magis minuſve rectæ & firmæ ſunt conjecturæ & rationes, a quibus pendet.

II. Tanto æquius momentum aliquod eſt, quanto a pluribus Sapientibus hujuſmodi eſſe cognoſcitur. Quemadmodum etenim fieri nequit humano more, ut juſta & recta ſit ratio ulla, quin a Viris Sapientibus intelligatur, haud aliter quo pluribus probabitur, eo ad probandum conſtantior erit, & dignior, quæ audiatur.

III. Inde fit, conjecturam, doctis indoctiſque paſſim acceptam, eventum probabilius reddere, quam ſi ab aliquibus duntaxat admitteretur; ſimulque de gradu dejici, quo illorum pauciores de rationis aut conjecturæ hujus, in quibus conſtitutum eſt factum Hiſtoricum, conveniunt. Accidit quoque, eventum diu pro certo aut maxime probabili habitum, fieri & videri falſum, minimeque propugnandum; quoties temporum conſecutione emergunt Criticis firmæ adeo & concluſe probantes de facti hujus falſitate conjecturæ, ut probabilitas antecedens evaneſcat, & nemo de ipſius ambigat ſuppoſitione. Quod forte contigit de primorum Pontificum Epiſtolis, quarum fraus in Galliis præſertim eſt explorata.

Quapropter, ſi libuerit *Decretalium* propugnatoribus vacuo penitus animo has rationes librare, neceſſe erit, ut confiteantur, teſtimonia Scriptorum ab his Epiſtolis, faciendа minoris, quam conjecturæ fiant a Critice deinceps in ipſas inventæ.

IV. Tum eventum aliquod cenſeri poteſt minime probabile, cum nullo recto argumento roboratur; & ſicuti huic vel illi conjecturæ major minorve ineſſe poteſt veri ſpecies; non ſecus Hiſtoria quædam majore poteſt probabilitate gaudere, quam alia.

V. Ut cognoſcas rationis alicujus æquitatem, intereſt excutere, quodnam ſit de illa Sapientum Judicium; nec ſatis erit, ut qui eam adhibet, illam ad rationis naturam exactam eſſe pronunciet. Videmus etenim crebro, homines ipſos Eruditos momentis uti judicio ſuo rectiſſimis; de quibus tamen, qui alieni a re ſunt, judicium ferunt omnino contrarium.

VI. Ut argumentum aliquod reddat factum certo probabile, opus eſt, illud æquum eſſe & firmum; neque ſatis puto, dixiſſe nullam urgeri conjecturam in oppoſitum. Quo etenim Scriptor aliquis facto cuipiam ex prudentiæ legibus aſſentiatur, non ſufficit decernere, conjecturam ſuam rationi non adverſari; ſed neceſſum eſt ex inſtituto Sapientis, momentum ſuum rationi conſentaneum eſſe, ut in hanc potius quam in aliam partem flectere poſſit.

VII. Non eſt inter probabiles recenſenda Hiſtoria, in quam feruntur

conjecturæ adeo firmæ, ut partem adverſam explorate convincant; ſive eo creſcant, ut quoddam cognitionis humano more certæ genus efficiant.

VIII. Autoritas tum conjecturæ concedere debet, cum hæc juſta videtur adeo & recta, ut prudentis ingenii, minimeque occupati homines pro certo teneant, Autorem captum fuiſſe; cumque illum purgare nemo poſſet, quin anfractibus verborum, & reſponſis futilibus uteretur. Cum vero factum commode teſtimonio confirmatur Scriptoris, qui autoritate aliqua præſtat, qui explicate & citra ambiguitatem rem profert, cui nemo contradicit; neque colligere quis poteſt illum deceptum fuiſſe, tum autoritas conjecturæ antecellat neceſſe eſt.

IX. Ubi narratio æqua ratione inſtruitur & conjectura, non eſt ſatis, ut probatio deſtruatur, aut factum refellatur, in univerſum monere: *id in ſpeciem eſſe non poteſt: metuendum eſt ne factum iſtud figmentum ſit: dubitare eſt, illud e monumentis ſuppoſititiis depromtum eſſe*; ſed ajentis generis reſponſa, & argumenta manifeſta neceſſaria ſunt, ſive firmiora, ſive eadem vi rem concludentia, ut inde conjectura infringatur, aut totidem ponderibus libretur.

X. Quandoquidem fallaces frequenter ſunt conjecturæ, ſolertis & moderati Critici eſſet, honoris loco ducere, nunquam a ſemita communi ad devia deflectere, niſi veritatis negotio compelleretur, tantumque abeſſe deberet, ut intelligentiam ſuam ſummis, qui ante nos extiterunt, Viris præire vellet, ut ipſi potius perſuaſum eſſet, nunquam ſe tutius iter ingredi, niſi quando ipſorum veſtigiis inſiſteret.

§. III.

Regulæ de Traditione; & de Uſibus, ſive conſenſu Eccleſiarum; Tertio & Quarto Critices Principiis.

QUI ſuperius oſtendimus, duo hæc Principia autoritati & conjecturæ addenda eſſe; aliqua in præſens animadvertere debemus, ne mendaciis & fabulis aditus pateat in delectu germanarum Traditionum, neve eum falſis & popularibus permiſceantur.

Non eſt hic recenſendi, multoque minus examinandi locus varia Traditionum genera, de quibus diſputant Theologi: ſatis erit ſuperque in univerſum monuiſſe, triplicem eſſe Traditionem, nimirum Divinam, Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam. Eam dico Traditionem Divinam, quæ Dogmata a Jeſu Chriſto Apoſtolis ſuis tradita complectitur, quæque Eccleſia perpetuo credidit, tametſi in Sacris Litteris non reperiantur. Traditionis Apoſtolicæ nomine intelligimus eam, quæ ab illis conſtitu-

ta

ta eſt, non tamen in eorum Operibus legitur. Traditio tandem Eccleſiaſtica inducta eſt ſive a Conciliis, ſive a Pontificibus, ſive ab Epiſcopis, & paullatim tacita populorum conſenſione in Legis naturam evaſit. Thierius aliud Traditionis genus adjungit, quam *popularem* appellat, eaque eſt, quam Filius Dei ad Legis Doctores, & Phariſæos ſermonem habens condemnavit, neque Traditionis nomine inſigniri meretur, quippe quæ veritati tanquam fundamento minime ſuperſtruitur.

Thierius Diſſ. de Lacryma Vindocinenſi. c. 3. Gall.

Si quando Critici in Traditiones incidunt, quæ ipſis non ſapiunt, ſatis habent, ſi dixerint per contemtum, eas eſſe Traditiones *populares*. Verumtamen agnoſcant neceſſe eſt, uti probavimus, alias eſſe Traditiones præter Divinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas, quas ii ipſi transferunt ad uſus ſuos: & Thierius ipſe, faſtidii ſuper hac re delicatiſſimi, magnum earum numerum attulit, quæ ad triplex hoc Traditionis genus ſpectare nullo modo poſſunt. Quare dicendum, alias non deeſſe Traditiones medias inter Traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſticas hinc, illinc inter traditiones populares. Continent aliquando iſtæ res a Lege divina abhorrentes, nihil omnino pietati proſunt, & ſæpiſſime fabulam redolent manifeſto; quique iſtiuſmodi Traditionibus mentem adjicit, illuſione plerumque & ſuperſtitione obligatur.

Thierius Exerc. adv. Laun. pag. 182. Item in defenſione adv. Laun. pag. 35 & ſeq.

Traditiones vero, Uſus, & Conſenſus Eccleſiæ, a nobis pro tertio & quarto Critices principiis habiti, cum vitiis iſtis nequaquam pateant, ſive ſunt facta Hiſtorica, ſive Mores & Sanctæ Inſtitutiones, ſive demum quædam celebritates in Dei, Mariæ Virginis, Sanctorumque cultum inſtitutæ, quæ ad pietatem excitandam, & Fideles Chriſti optimis exemplis imbuendos maxime conferunt; ſive tacita Eccleſiæ conſenſione probentur, ſive nobis propoſita ſint in *Martyrologiis*, *Miſſalibus*, *Kalendariis*, aliiſque ſimilibus Eccleſiaſticis monumentis.

In iſtarum Traditionum numero recenſere potes illas, quæ nos docent, Deiparæ Parentes Joachimum & Annam nuncupatos fuiſſe; eos abſque liberis, Anna ſterilitate laborante, conſenuiſſe; Chriſtum Dominum in utero Virginis VIII. Kalendas Aprilis conceptum; in ſpelunca Chriſti naſcentis bovem & aſinum fuiſſe; Magos ante Purificationem puerum Jeſum adoraſſe, eoſque Reges, & tres fuiſſe; Mariam Dei Matrem non Epheſi, ſed Hieroſolymis ſpiritum poſuiſſe; ejus corpus & animam ad vitam revocata; S. Joſephum Virginitate ſemper floruiſſe; Myſteria Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Pentecoſtes in dies incidiſſe ab Eccleſia celebratos, aliaque his affinia eventa, Uſus ſanctaſque Inſtitutiones ad Martyrum aliorumque Sanctorum Hiſtoriam pertinentes, quas uti veriſimiliores Eccleſia complexa eſt, ſive nobis in Libris ab ipſa adhibitis proponit.

Egre-

Dupinus de Doctr. Chriſti cap. XI. pag. 276. Gall.

Egregias edidit regulas Dupinus, quibus germanæ Traditiones recte dиſpiciantur. „ Opus eſt per ipſum, 1. certo ſcire, Eccleſias univerſas „ id a prioribus ſæculis in more poſitum concorditer habuiſſe. 2. Pro ea- „ dem re Patres teſtimonium dicere. 3. Moris hujus initium & inſtitutionem „ ab Apoſtolis deinceps non apparere. 4. Nullum extare in Veterum Patrum „ Scriptis Morem iſti contrarium. „ Tria documenta ſatis opinor accurata præbuit Launojus, ne in Traditionibus deligendis hallucinemur, eaque inferius recitavimus. Unum duntaxat exhibet nobis Thierius his verbis: „ Quod Traditionem vocamus, illud primo oportet multo ante inſtitutum fuiſſe, deinde ab uno ad alium manaſſe, deque illo teſtatos „ conſequenter graviſſimos omnium aut pene omnium ſæculorum auctores fuiſſe. „ Verum Dupini & Launoii Documenta ad apoſtolicas citius cognoſcendas Traditiones, quam ad noſtras ſunt accommodatiora. Hæ nanque neque ab omnibus primorum ſæculorum Eccleſiis receptæ fuere, neque uniuſmodi ſemper fuit illarum uſus, neque pleriſque teſtes fuerunt Autores, qui tradunt illas: quod non obeſt, quominus eas Eccleſia ſuſceperit, licet fontes nobis haud indicet, unde effluxerunt. Quod attinet ad regulam Thierii, non poteſt illa *Traditionibus*, & Eccleſiæ Inſtitutis, de quibus modo, congruere.

Diſſ. 1. pag. 85. Diſſert. de Lacryma Vindocinenſi pag. 13.

Ut igitur nemo poſſit abuti Traditionibus, & Moribus, ſive Conſenſione Eccleſiæ, quas in Critices initiis collocamus; utque cum Traditionibus popularibus non permiſceantur, & loco factorum & Inſtitutionum germanarum Traditiones Uſuſque fabuloſi non invehantur.

I. Intereſt, Uſus & facta Hiſtorica, quæ proponuntur, nihil vanum, ſuperſtitioſum, aut inutile præſeferre.

II. In rem eſt, ut præſumi poſſit, Eccleſiam, Epiſcopos, aut alios, qui ante omnes id rerum genus hauſerunt, non hauſiſſe inconſulta ratione: tametſi quænam fuerit, lateat in occulto.

III. Operæ pretium eſt expendere, anne locus ſit de Inſtitutionum aut factorum iſtorum veritate dubitandi. Si ſit, argumenta ſuppetant clara certa & evidentia; eorumque falſitas demonſtrari poſſit.

IV. Inſtitutiones & facta iſta nihil referant indecorum, ridendum, nocens, haud probabile, aperte fabuloſum, aut incredibile.

V. Oportet, Traditiones & Conſuetudines iſtas nihil continere adverſum uſus, & tempora, in quibus invaluerunt; neque adverſus dignitatem Virorum, quibus res eſt cum factis illis.

VI. Cavendum etiam eſt, ne Traditiones iſtas, Mores, & facta hiſtorica oppugnaverint & rejecerint Scriptores ejuſdem ævi, aut alii, quorum autoritas rerum illarum falſitatem nobis perſuadere poſſet.

VII. Animadvertas item, num aperte pugnantia complectatur rei ſumma,

ma, an vero nonnulla tantum adjuncta a facto præcipuo diſſentiant.

VIII. Requiritur inſuper, ut ſive objectas, ſive objiciendas difficultates eludere concluſe poſſis. Denique ſi quid eſſet in Traditionibus aut Moribus iſtis, quod ad leges haſce perfecte exigere nequires, nefas crediderim illud ante ſupprimere, aut amandare, quam ſerio reputes, nonne ſuppreſſio iſta majori futura ſit populis offenſioni, ac pravus uſus auferendus; atque anne magis expediret id ſuſtinere, quod abſque graviore offendiculo aut abrogare, aut refutare non potes.

Porro cum præcepta iſta accommodari poſſunt Traditioni, conſuetudini, aut facto alicui Hiſtorico, cujuſmodi ſunt pleraque a nobis paullo ante allata, ſive quod illa tacita conſenſione probet Eccleſia, ſive tradat nobis in *Martyrologio*, *Breviario*, aliiſve, quibus utitur, monumentis: tum conſtans eſt, prudenter agere illum, qui hæc ſuſcipit eo animo, eaque ratione, quibus ad nos traducta ſunt; nimirum tamquam Traditiones, & facta veri ſimillima; non autem falli neſcia. Equidem non video, qui poſſit Critice ſeverior ab his admittendis ſe ſubducere. Quo etenim ſpectant omnes Magnæ Artis hujus præceptiones, niſi ut ad antiquitatem cognoſcendam nos ducant, atque ut factis non aſſentiamur, niſi ad ipſius Decreta accurate redactis? Criticus tandiu ex recti & prudentis Critici inſtituto agere cenſetur, quandiu ex pronunciatis iſtis conſilium capit partis alicujus propugnandæ, eamque reipſa propugnat; quamquam accideret, ut interdum accidit, rem intrinſecus falſam eſſe, aut ſimilitudinis veri fines non egredi. Quare autem ulterius quidpiam poſtulare quoad Traditiones, Uſus, aut facta Hiſtorica, de quibus diſputamus? quandoquidem appellandæ ſunt Traditiones, Uſus, & facta *Critica*, videlicet, revocata ad eas leges, quæ nos ad illa recipienda inducere poſſunt, & dum recipimus, præſtare, ut æquiſſime & ſapienter agamus.

Eventis certe iſtis improbandis non eſt ſatis conqueri, ut centies repetunt, has eſſe Traditiones *populares*, *& vetuſtos errores*: ſi admittantur, patere aditum figmentis, fabulis, ſuperſtitioni. Traditionum iſtarum fontes obſtructos eſſe; atque ipſarum Autores ignorari: eas toti antiquitati occultas fuiſſe: Scriptores Eccleſiaſticos nullam de his mentionem habere: veſtigium ipſarum non eſſe niſi apud Autores nimis recentes, minuſque accuratos; aliquando etiam ab Operibus Apocryphis origine prima deſcendere. Ea denique frequens eſt quibuſdam Criticis & ſemidoctis reſponſio, ſine probatione cauſſari, in *Martyrologio*, *Breviario &c.* fabulas multas inſertas fuiſſe, & facta minime digna, quæ a Viro ratione utente recipiantur.

Querelis omnibus iſtis, quas in Traditiones & facta, de quibus hactenus, urgent, ſatis reſpondimus in anteactis, Illud unum addimus in

præ-

præſentia : cum Eccleſia, Epiſcopi, & ſi placet, populus ipſe in cognoſcendarum conſuetudinum & factorum hiſtoricorum iſtorum poſſeſſione a ſæculis multis conſiſtant, non ſufficere, ut refellantur, argumenta negantia, vaga, & generalia, quemadmodum ſunt modo memorata, congerere; ſed neceſſum eſſe, Autorum fide dignorum teſtimonium ajens atque diſertum præſto habere, quod illa explodat, ſive illorum falſitatem aperiat : aut momentis opus eſſe firmis adeo, & propoſitum efficientibus, ut ſapientem & prudentem hominem cogere poſſint ad Traditiones & conſuetudines iſtas contemnendas : aut denique deficientibus autoritate & conjectura, rem flagitare, ut oſtendant, facta & mores illos, qui propugnantur, veros eſſe non poſſe ex documentorum, quæ retulimus, præſcripto. Sique ex. gr. occurreret in *Breviario* factum aliquod falſitatis ingerens ſuſpicionem, non ſunt propterea cetera omnia ad fabulas ableganda; ſicuti non aſpernamur Scriptoris alicujus teſtimonium, qui captus nonnunquam fuerit in narrando.

Ecce regulas judicio quidem meo neceſſarias, ut rectus ſit Principiorum Criticorum uſus. Nihilo tamen minus mihi ipſe blandiri non auderem, hæc, quæcumque digeſſi in Opere iſto, *difficultates omnes æquare*, ſcopuliſque evadendis apta eſſe, quos in Hiſtoria Eccleſiaſtica offendimus. Neque etenim aciem meam longe adeo intendo; ſatiſque percipio, conſilium hoc opere impleri non poſſe; quandiu hominum tantummodo ſtudio & diligentia negotium tranſigendum ſit. Illud itaque commodi nacti erimus ex Regulis & Animadverſionibus iſtis, ut ſi utræque ſatis ſolidæ videbuntur, ipſarum ope facile futurum ſit, controverſias multas, in quas diſtracti ſunt, & diſtrahuntur adhuc Litterati homines, evitare : reſponſa reddere Veterum locis apposita : non deſerere Traditiones multas, Sanctaſque Inſtitutiones paſſim in Eccleſia jamdiu receptas : obſequio majore proſequi tot ſanctos mores, ad pietatem excitandam accommodatos : facta ſtatuere, quin hic evertamus, quod alibi ædificavimus : eam vim Scriptoribus Eccleſiaſticis tribuere, quam merentur : juſte & recte genuinas Traditiones, ſanctaſque conſuetudines a narratiunculis & Hiſtoriis, *vulgari tantum Sermone protritis*, ſecernere : univerſa in Opere iſto memorata incommoda fugere : extremo loco præſtare, ut Critices uſus magis ſibi reſpondeat; accuratior ſit, & majus ex ipſo in Litterariam Rempublicam emolumentum redundet.

FINIS.

TA-

TABULA
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

A*Bdiæ* opus Criticis non probatur, pag. 179. & ſeq. item 283
Aben-Eſra perdoctus Rabbinus flocci facit Maſorethas, 424. quo tempore floruerit 444.
S. Abercii M. Acta ſuppoſititia eſſe creduntur propter mira & prodigia minus ſimilia veri, quibus conſtant 343.
Abgari Epiſtola ad Jeſum varie Eruditorum animos diſtraxit, 110. 111. 114 124. 133. 489. & ſeq. 563. 566. 586 Chriſto nomen dedit ex Euſebio 133
Abrahamus Ben-Dior Angelorum nomina narrat, qui per ipſum primos Patriarcas inſtituerunt. 418
S. Acacii M. Acta loquuntur de Imperatoribus cum ſingulari numero, tum plurali. 288
Academiarum utilitas. 73. & ſeq.
Academiæ Gallicæ origo. 74
Academia ſcientiarum & Inſcriptionum. 74. 75.
Academiæ Italicæ, 73. 74. Londinenſes, 75
Accentuum uſus in Textu Hebraico, 434 & ſeq. 452.
Acta Martyrum, & Regulæ ad vera & falſa internoſcenda, 15. 330. & ſeq. 335. 337. & ſeq 341. & ſeq. 358. & ſeq. 389. & ſeq. 395. & ſeq. 401. & ſeq. Inſtaurata præſidio Critices, 19. & ſeq. 61. Non unum illorum genus eſt, 319. & ſeq. unde depromta ſunt, 331. & ſeq. 355. Multa ſæpe vitiis ſcatent, 334. & ſeq. Notæ germanorum, 338. & ſeq. 341. 343. 358. 363. 370. 376. 378. 384. & ſeq. 390. & ſeq. Quænam Acta in aliorum exemplar ſumenda ſunt, 399. Quoddam Concluſionis genus aliquando in illis repertum, non ſignificat, ea, quæ ſequuntur, addita eſſe. 291
Ado Vide Martyrologium.
S. Adriani M. Nicomedienſis Acta ſuppoſitionis notis ſunt affecta. 370
Adriani VI. Pontificis exemplum moderationis in cenſura Librorum. 155
Adriano Imperatori anne *Pii* nomen datum fuerit, 284. Edicta non tulit ipſe in Chriſtianos, 347. 379. Ariſtides ipſi apologiam obtulit pro Chriſtianis. 582
Aegyptus legebat Editionem Heſychii, cum Hieronymus Biblia vertit. 414
Africanus Julius quæ tradat de Terræmotu in Chriſti paſſione. 597
S. Agathæ V. & M. exprobatio in Quintianum nonne Actis ejus falſitatis ſuſpicionem afferat. 370
Agaunenſe Monaſterium quo anno, & a quo erectum. 281
S. Agnetis Virg. & Mart. Acta quam habeant apud Scriptores exiſtimationem. 305. Num Patres de illis Laudatorum inſtar locuti ſint. 333
S. Aldelhmus Epiſcopus in Anglia Acta Martyrum collegit, 21. quid de illis ſenſerint Critici, 135. 211
S. Alexandri Epiſcopi, & Mart. Romæ Acta prodigiis referta. 344
S. Alexander Martyr Lugduni in Perſecutione M. Aurelii. 382
P. Alexandri Operum Elogium, 65. 103. varie utitur ille Veterum teſtimoniis, 113. & ſeq. 122. & ſeq. 140. 146. 162. 165. & ſeq. 176. citat crebro Scripta dubia & ſpuria, 196. qui ſe expediat a teſtimonio MSS., 255. quæ ducat argumenta a Veterum ſilentio, 272. & ſeq. 275. a conjecturis, 282. 304. 309. & ſeq. eſt a Carminibus Sibyllarum, & in Pimandrum Mercurii Triſmegiſti, 490. & ſeq. 494. & ſeq. contendit, S. Dionyſium Areopagitam primum fuiſſe Pariſienſium Epiſcopum, 528. 531. 535. ejus ſententia de Libro Paſtoris, 563. improbat, & probat Hiſtoriam Joſephi, 165. 172. qua ratione oſtendat, falſas eſſe primorum Pontificum Decretales, 126. 272. duo tantum Librorum Apocryphorum genera admittit. 563
Allegoriæ num adhibendæ, 417. Judæi tempore Jeſu Chriſti omne fere ſtudium

ſuum in illis ponebant. 420.
S. *Amabilis* Preſbyteri Ricomageoſis Vita fabulis referta eſt. 243.
Amaſea Urbs Ponti credit, ſe Evangelium a S. Petro audiviſſe. 600.
S. *Ambroſii* Opera, quæ ipſi tribuuntur, & rejiciuntur, 183. Patri hujus ſententia, ſequi quiſque poteſt mores Eccleſiæ ſuæ. 609
Ambrunus Petrus alius eſt ab Autore Hiſtoriæ Criticæ V. Teſtamenti, 295. 412. ejus judicium de hac Hiſtoria. 407
Anaſtaſius Bibliothecarius collegit Acta MM., 21. Autor minus accuratus. 135
S. *Andreas* Apoſtolus. Variæ de Actorum ejus veritate ſententiæ, 125. 145. 210. 254. 298. 300. 599.
Andreas Cretenſis ait, Virginem Deiparam obiiſſe ſenio confectam. 210
S. *Andronici* M. in Cilicia Acta ſuſpicioſa ſunt Criticis, 372. 390. & ſeq.
Angelorum nomina, quibus Patriarchæ traditi in diſciplinam fuere. 418
P. *Annati* Generalis Doctrinæ Chriſtianæ Theologia Poſitiva laudibus celebrata. 66
Anſelmi Epiſcopi Havelburgenſis mens de Baptiſmate Conſtantini, 581
Anthemus Epiſcopus Salaminæ Barnabæ corpus invenit. 121
Antiochia Apoſtoli nequaquam Concilium celebrarunt, & ſuppoſiti ſunt Canones novem, qui huic Concilio tribuuntur, 120. 146. 591.
Antonino Tito Imperatori Juſtinus Magnam Apologiam ſuam obtulit, 285. 380. 382.
Apocryphi multæ ſignificationes, 562. & ſeq. Vide *Opera*.
Apologia Monachorum, 122. & ſeq. S. Juſtini, 285. 380. 382. S. Melithonis, *ibidem* Ariſtidis. 582
Aponii opinio de Morte S. Juſtini non recipienda. 240
Ἀποςόλος Lectionarium Græcum quid ſit. 249
Apoſtoli num Symbolum confecerint, 113. 145. 591.
Arcadii M. in Mauritania immane ſupplicium. 366
Arcontici Hæretici in Cretenſi Inſula initia poſuerunt. 193
Argumentum negativum geminum, 267. diſſimiliter a Criticis uſurpatum, 268. & ſeq. 271. & ſeq 274. & ſeq. Argumenti hujus incommoda, 275. Regulæ pro recto Uſu. 276
Argumentum negativum depromtum a Silentio Litterarum Sanctarum, 590. & ſeq.
Arias Montanus. Quid ſenſerit Simonius de ipſius Verſione. 465
Ariſtarchus Samoſatenus acutiſſimorum totius antiquitatis Criticorum unus, 90.
Ariſtarchus Chronographus quid de S. Dionyſio Areopagita ſenſerit. 555. 582
Ariſtides Philoſophus Athenienſis Apologiam pro Chriſtianis obtulit Adriano Imperatori. 582
Ariſtotelis temporibus Critice florere cæpit. 89
Arnaldus Andilliacenſis a Metaphraſte decerpſit partem Vitarum ejusde Sanctis Illuſtribus, 215. 227.
Arnaldi regulæ, ut probet, narrationem Hegeſippi de Martyrio S. Jacobi fabulis redundare, 262. 327. & ſeq.
Artium Liberalium caſus, & inſtauratio, 36. 72. 86.
Aſcenſio Jeſu Chriſti quo die contigerit, 133. 179. Mira, quæ patrabat Deus ſingulis annis in Eccleſia, quam S. Helena extruendam curaverat eo in loco, unde Chriſtus cœlos conſcendit, 186. Feſtum Aſcenſionis ab Apoſtolis conſtitutum. 570. 597
Aſſumtio B. Virginis. Vide *B. Virgo*.
S. *Aſterii* M. Acta nonquid in ſalutatis ſuſpicionem venire poſſunt, 289. immanitas ſuppliciorum ejus, 366. 369. quæ ad Proconſulem habuit, dum torqueretur, 373. Munera ipſi promiſſa ſunt Imperatorum nomine. 375
S. *Aſterius* Epiſcopus Amaſenus, Auctor Vitæ S. Euphemiæ Martyris. 333
S. *Athanaſius*, Autor Vitæ S. Antonii, 296. Locus eſſet dubitandi, an Liber adverſus Arianos ejus ſit, 299. & ſeq.
Atheorum origo in Galliis, atque in Italia, 96. qui adverſus eos ſcripſerint. 65
S. *Anaiſax* M. quæ ad Judicem dixerit. 370
S. *Auguſtino* tributa Opera multa, ſive probata ſive rejecta, 185. utrum ipſius ætate Fides Africam Univerſam pervaſerit. 550. Conſtantinum appellat Principem Chriſtianum, 574 teſtatur varias Eccleſiarum inſtitutiones unitati non officere, 609. ejus ſententia de teſtimonio Autorum Eccleſiaſticorum, 611
S. *Avitus* Epiſcopus Vienenſis gratulatur

Digitized by Google

Clodoveo de illius Baptiſmate, 142. deceptus eſt in factis multis. *ibidem.*

Marcus-*Aurelius* Imperator, mira pro eo facta, 265. Non fuerunt duo ſimul Imperatores ante ipſum, 284. & ſeq. S. Juſtinus obtulit ipſi parvam ſuam Apologiam, 285. an Edicta in Chriſtianos tulerit. 378

Aurelianus Imperator nonne Edicta promulgaverit in Chriſtianos. 580

Authentici variæ ſignificationes, 460. 464

Autores, qui Martyrum Acta collegerunt, 20. & 60. qui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ incubuerunt, 26. 31. 57. & ſeq. quique MSS. 38. & ſeq.

Autores Polyglottorum, 39. Bibliorum Lingua vernacula, 40. Prolegomenorum in Scripturam Sanctam, 41. Grammaticarum pro Linguis, 14. Collectionum Græcarum & Latinarum Conciliorum, 46. 47. Canonum Apoſtolicorum, *ibidem*. Patrum Græcorum, & Latinorum, 48. & 49. Bibliothecarum Autorum Eccleſiaſticorum, 50. Ephemeridis Sapientum &c. 51. & ſeq. Chronologiæ & Geographiæ, 55. & 56. Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti, 57. Centuriarum Magdeburgenſium, *ibidem*. Operum Theologiæ *Poſitivæ*, 64. Tractatuum Controverſiarum, 65. de Theologia Dogmatica. 64

Autores, qui falſos Myſticos oppugnarunt, 69. qui veram ſpiritus dirigendi rationem inſtituerunt, 70. qui Rituum Superſtitioſorum levitatem demonſtrarunt, 71. qui in Humanis litteris reſtituendis inſudarunt. 72

Autores Academiarum, 74. Eloquentiæ Sacræ & Forenſis, 76. & 77. de Notitia Tabularum antiquarum, &c. 83. Tractatuum Criticorum in Sacra Biblia, 90. de Diplomatica, 396. 401.

Autorum Eccleſiaſticorum genera quatuor, 31. parvo in honore habiti a Criticis, 110. & ſeq. 165. de quibus cautum eſſe debet, ubi illorum teſtimonio refragari oportet, 122. ſi in re Critica neceſſum eſt, eos fide ingenua, optimiſque moribus præditos eſſe, 137. & ſeq. nefas eſt eorum nomini detrahere ſuſpicionibus & accuſationibus, 138. & 140. non eſt eludendum ipſorum teſtimonium, quamquam res narrent laudatorum inſtar; &c. *ibidem.* & 360. præſto ipſis fuerunt adjumenta multa, quæ deſunt recentioribus, 174. Non eſt magni facienda ipſorum dictionis varietas, 294. quantumvis ſancti ſint, nulla tamen lex urget, ut credamus verum, quidquid referunt, 611., plures viæ unde facta, quæ tradunt, accipere potuerunt, 208. 611. & ſeq. quinam eſt eorum autoritatis gradus, 569. 621. Regulæ, ut abſolute intelligantur, 10. & ſeq. 150. Vide *Regula*.

Autores Græci Criticorum judicio minus accurati, 135. & ſeq. 190.

Autores profani alicui eſſe poſſunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ emolumento. 29

Autores Critices. 89. & ſeq.

Autor Lectionis Patrum ſcribit, extare bonam & malam Criticen, 5. ipſius regulæ, quibus Patres non ſine utilitate legamus, 10. 12., quæ requirat in Scriptore, ad Hiſtoriam Eccleſiæ texendam accedente, 31. quod proferat judicium de Editionibus Eraſmi. 48

Autor Diſſertationis, editæ anno 1702. de S. Dionyſio Areopagita qualitates aliquas recitat, ipſius ſententia neceſſarias, ut negans argumentum bonam poſſit ſufficere probationem. 276

Autor Problematis de Libris, S. Dionyſio Areopagitæ tributis. *Vide Problema.*

Autoritas primum Critices fundamentum, 108. & ſeq. 610. quo pacto id intelligendum. 624

R. *Azarias* contendit, Puncta vocalia Alphabethi Hebraici ita vetuſta eſſe, ac alia Elementa Hebraica. 434

B

B*Ailletus*. Judicium de ipſius Vitis Sanctorum, 19. 24. 63. Ejus Critices in Autores Actorum Martyrum, &c. 20. 135. 137. 310. & ſeq. falſo monachos accuſat veluti inventores fabularum illarum, quæ occurrunt in Geſtis Sanctorum, 22. & ſeq. Vitæ ipſius Summa, 101. utrum firma & rata ſit accuſatio, quam in Metaphraſten intentavit, 153 & ſeq. 227. quid ſenſerit de Menæis Græcorum, quo ea modo uſurpaverit, 188. & ſeq. diverſos habet Chronici Alexandrini Uſus, & *Prædeſtinati* Sirmondi 191. & ſeq. nullius frugis videntur cautiones ejus de monumentis falſis & dubiis, 194. & ſeq. 290. & ſeq. 204 & ſeq. 210. & ſeq. ſiniſtrum de Metaphraſte judicium, 214. a quo tamen depromſit multa pro lucu-

brandis Sanctorum Hiſtoriis, 217. cur Autorem hunc non citet, 218. & ſeq. 221. & ſeq. ejus Paraphraſes collatæ cum Paraphraſibus Metaphraſtis, 153. & ſeq. 227. & ſeq. 234. & ſeq. non ſemper viam ſequitur & rationem, quam ſtatuerat; nimirum ne pro Sancti alicujus Hiſtoria Autores citaret ſæculo plus recentiores, 239. & ſeq. Regulæ ad Optimum Hiſtoricum informandum, 247 qui utatur argumento ducto a Veterum ſilentio, 270. & ſeq. a rerum convenientia, ab iis, quæ fieri potuerunt: &c. 279. & ſeq. ex Autoris hujus regulis dubia eſſe poſſent multa MM. Acta, 330. & ſeq. 338. 341. 343. 348. 358. & ſeq. 363. & ſeq. 370. & ſeq. 375. & ſeq. ipſius Regulæ de verbis parum honorificis Scriptorum pauci pendendis, ab ipſo aliquando proditæ, 481. & ſeq. regulæ, de Miraculis, 344. & ſeq. vulgares ſepe adhibet Traditiones, 601. quid ſentiat de figura *Labari* Conſtantiniani. 612

Balti Jeſuitæ ſententia de Oraculis Paganorum. 148

Baluzius meditatus fuerat novam Conciliorum Collectionen, cujus primum edidit Tomum anno 1683., 47. judicium quod tulit de Hiſtoria S. Mariæ Ancillæ. 508 517

Balzacii documentum de modo, quo a præclaris antiquitatis Viris diſcendendum eſt. 123

In *Baptiſmo* an triplex immerſio a Canonibus Apoſtolicis inſtituta eſſet, 120. 134

Baralus puer M. nonne morte pro Chriſto affectus cum S. Romano. 270

Barberinus Cardinalis quæ ſcripſerit ad P. Morinum de Critica Sacra Capelli. 407

De S. *Barnaba* Epiſtola Sapientum judicium, 111. 114. 124. 128. 162. 164. 283. 495. & ſeq. 563. 565. 567. repertum eſt in illius Sepulchro Evangelium S. Matthæi, 121. 141.

Baronius Cardinalis. Doctiſſimorum de ipſius Hiſtoria Eccleſiaſtica ſententiæ, 29. ratio, qua ad id operis navandum ductus eſt, 58. Ejus Vitæ Compendium, *ibidem*, quænam ſint ipſius judicio germanorum Actorum Martyrum Notæ. 338

S. *Bartholomæus* Apoſtolus num apud Indos Evangelium S. Matthæi reliquerit. 118

S. *Baſilii* Ancyrani Presb. & M. Acta Martyrii numquid aliquibus rebus conſtent, operi abſoluto adjunctis, 373. præclarum Sancti hujus facinus. 374

Baſilii Seleucienſis Geſta de S. Thecla V. & M. ab ipſo conſcripta, admiſſa & rejecta, 306. 508.

S. *Baſiliſci* M. Comanenſis Acta a Criticis exploſa, tanquam dubia propter Miracula, quæ in eis narrantur, 351 propter Conciones in illis repertas, 360. propter voces contumelioſas in Judices jactas. 370

Baſnagii opinio de argumento negante, 277. 278.

Beda Ven. Liber de Locis Sanctis ſufficit crebro argumenta Criticis, 186. 197. Varia de illius Martyrologio Sapientum Judicia, 531. 539.

Bellarmini Cardinalis judicium de Vitis Sanctorum Metaphraſtis. 221

Bethleemus, Vicus prope Hieroſolymam, ubi extat puteus admirandus ex D. Gregorio Turonenſi. 613

Beza Ita nuncupatur exemplar N. T., ſervatum Cantabrigiæ, & Lectiones continet, *quibus Litterati Viri non acquieſcunt*, 250. ubi MS. hoc repertum fuerit. *ibidem*.

Biblia Lingua vernacula, 41. Critice Bibliorum Temporibus Hieronymi uſitatiſſima, 191. gemina ſunt Judæorum MSS. Biblice 423. & ſeq. Vide *MSS. Bibliorum. Verſiones Bibl.*

Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum, 31. 32. 33. 50. Manuſcriptorum, 40. Bibliorum. 42

Bircherodii conjectura qua probat, Opera primis Patriarchis tributa non eſſe ſuppoſititia, 585

Blemur Maria Joanna Monialis Santiſſimi Sacramenti Opera multa in vulgus edidit. 62

Boileau Deſpravius in quo ſitos eſſe putet Operis uniuſcujuſque ſales, 80 ipſius eſt gloria, quod Satyræ pudorem & moderationem reddiderit, 86. Autor eſt duarum Epiſtolarum ad Vivonium datarum de ipſius in Fretum Mamertinum ingreſſu. 295

Boileau Autor Hiſtoriæ flagellantium. Multis mendis vitiatur Opus hoc, ſi Thierio fides. 80. 590

Bollandus, quique illum ſecuti ſunt. Totius Operis conſilium, & argumentum, 61. cauſſam ſuſcipit Legendæ Aureæ Jacobi de Voragine. 219

S. *Bonoſi* M. Opera Mira in ejus Martyrii

Actis

Actis recitata. 352
Boſquetus Epiſcopus Montis peſſulani Vitam S. Dionyſii Epiſcopi Pariſienſis conſcripſit, 241. 533.534.
Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis Quietiſmum damnat, 68. vituperat Criticos, qui fallacibus Proteſtantium præjudiciis adhærent, 149. Inſtructio Paſtoralis Præſulis omiſſa in Indice Operum ejus, 276. narrat exitum Critices Veteris Teſtamenti, 407. & N. Teſtam. Trevoltii impreſſum condemnat, 470 & 473.
Breviarii Romani autoritas facere non poteſt, ut fabulas germanarum Hiſtoriarum inſtar habeamus. 604 607.
Brevitas in Actis MM. poſſit ne eſſe indicium vetuſtatis & autoritatis, 338.
Brillonii opinio de quadam Demonſtratione Carteſii. 521
Briſſonius non diſtinxit corticem a papyro Ægyptio. 397
Brunechildis Reginæ Privilegium Xenodochio Auguſtodunenſi conceſſum num fictum ſit. 254.
Bucherius e Societate Jeſu edidit in lucem Pontificale nomine Damaſi, 181. ejus Chronologia utitur Tillemontius. 612.
A Burgo Dei Joannes Miniſter Montis Peſſulani oſtendere nititur, Hiſtoriam S. Mauritii & Sociorum opus eſſe commentitium. 280

C

Cabala Definitio & diviſio. 417
Calaſii Marii in quo ſita ſit Concordantia Hebraica, 410. & 448.
Caliſtus Papa extruendam curavit Eccleſiam Deiparæ nuncupatam trans Tyberim. 182
Canticum quid dupliciter eſſe poteſt, 207. parum conveniunt Critici de hujus vocis ſignificatione. 565.566
De *Capelli* Critice judicium, 408. cujus opera lucem aſpexerit. *ibidem*.
Caraita Secta Judæorum Rabaniſtis adverſa. 436
Caracterum uſu Scriptoris inſtauratio, 39. uſu Typorum. 87. & ſeq.
Carolus Magnus Imperator, & Rex Galliarum humanarum Litterarum inſtaurator, 36. Inſtitutor Univerſitatis Pariſienſis. *ibidem*.
Carolus Calvus Rex Galliarum. Vide *Compendium*.
Caſtalio primus eſt, qui de Carminum Sibyllinorum veritate dubitationem moverit, 147. & 484.
De S. *Catharina* V. & M. Translatione ab Angelis in Montem Sinai quid ſentiendum ſit. 605.
Cavii Regulæ ad dignoſcendas bonas Patrum Editiones, 11. ad internoſcendum Opus Suppoſitum ab eo, quod non item, 260. judicium de Centuriis Magdeburgenſibus, 58. de Chronico Alexandrino, 191. de Metaphraſte. 214.222
Celtarum nomen, quid ſignificet, 544. 548. non habemus adhuc illius rectam notionem. 568
Centuria Magdeburgenſes, earumque autores. 58. Vide *Illyricus*.
S. *Ceraunius* Epiſcopus Pariſienſis colligit Acta Martyrum, 21. Warnaharius ad ipſum miſit Acta trium Geminorum Lingonicæ Civitatis. 161
Ceſarii Monachi Opera a Bailleto judicata. 24
Chauvinus Autor Ephemeridis Sapientum confectæ Rotherodami, cui tribuitur Hiſtoria Joannæ Papiſſæ. 267. & ſeq.
Choyſius Abbas quam mat eriei partem ad Hiſtoriam ſuam Eccleſi aſticam contulerit. 101
Chriſtiani primi num merito accuſari potuerint de ſuppoſitis multis fallacibus monumentis, 142. mos Chriſtianorum Orientis ſexta die Januarii. 163
Chronicon Alexandrinum, opus autoritate carens per aliquos Criticos, 191. in germanis MSS. Sigeberti non reperies fabuloſam Papiſſæ Joannæ Hiſtoriam. 267.
Chronologia difficultates, 30. quantæ ſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ utilitatis, 55. Regulæ ad conciliandos Chronologos. 56
Ciſtertienſes Monachos conſuluit quidam Archiepiſcopus Lugdunenſis; ut ipſi Paſſionem Jeſu Chriſti emendarent, atque ad ſe mitterent. 24
Ciranda Opera quomodo ſint. 217
Claromontium Alverniæ caput. Sancti qui in hac Urbe coluntur, & Martyrium Gallieno Imperante ſubierunt. 539
S. *Claudii* M. Acta num in ſuſpicionem veritatis venire poſſint, 289. ejus Martyrii crudelitas, 366. 369. quæ Proconſulem allocutus fuerit, dum torqueretur, 373. multa ipſi Imperatoris nomine pollicentur. 375.
S. *Clemens* Pontifex, Epiſcopus Romanus

Digitized by Google

a S. Petro conſtitutus, 169. tantam dignitatem Lino & Cleto ſecundum aliquos ceſſit, *ibidem*. 580. 622. contendunt, ſuppoſititia eſſe Acta ipſius Martyrii, 132. 504. & ſeq. an S. Dionyſium in Gallias miſerit, 524. 527. 531., diſſimiliter utuntur Critici Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Recognitionibus S. huic Pontifici tributis, 178. & ſeq. Ejus Epiſtolæ ad Corinthios, & ad Sanctum Jacobum probatæ & improbatæ. 112. 283. 290. 299. 304. 501. & ſeq.

S. *Clemens* Alexandrinus fama apud Criticos laborans, 200. & ſeq. 210. unde hauſerit Traditiones multas, & quoties Evangelium ſecundum Egyptios & Nazaræos citaverit. 101

Clericus, qui definiat Criticen, 1. Regulæ ipſius ad MSS. emendanda, 8. ad Auctores recte intelligendos, 150 ad Opera ſpuria diſpicienda, 258. parum gerit morem antiquitati. 174

Cletus Pontifex quot annis Eccleſiam rexerit Romanam. 622

Clodoveus Rex Galliarum quo die unda Baptiſmatis lotus. 142

Clunia-Colonia Urbs Hiſpaniarum. Extat in illa vetus Inſcriptio, quæ argumento eſſe poteſt, Fidem Hiſpanis nunciatam fuiſſe ante Neronis ætatem. 540.

Cointius Presbyter Oratorii animadvertit, Gregorium VII. juſſiſſe, Papæ titulum impoſterum ſolis Romanis Epiſcopis tribuendum, 388. effectus ipſius moderationis in adverſariis refutandis. 482. contendit, Pipino regnante, opinionem vulgari cæpiſſe, de S. Dionyſio Areopagita, Epiſcopo Pariſienſi. 553

Convena, Urbs Vaſconiæ, quare hoc nomine donatæ. 614

Comanvillæus delevit a Geſtis Sanctorum, quæ in lucem edidit, eun̄cta Mira facta, quæ abſunt a Sacris Litteris. 148. & 349.

Compendii in Abbatia S. Cornelii Carolus Calvus Gallorum Rex inſcribendum curavit aureis Litteris *Antiphonarium* Gregorienſe, in quo fertur, a S. Clemente Dionyſius Areopagita in Gallias ablegatus. 527

Conciliorum Collectionum Autores, 46. & ſeq. In Concilio Franeofordienſi aperitur calliditas Elipandi Epiſcopi Toletani, 92. In Lateranenſi Rodericus Epiſcopus Toletanus irritas reddit poſtulationes Compoſtellani, *ibidem*. An poſterioribus Conciliis jus ſit priora corrigendi, 196. Concilia perpetuo adhæſerunt veteri doctrinæ cuſtodiendæ, 300. an Æcumenica laudantia Opuſcula quædam apocrypha ullam ipſis tribuant autoritatem. 620

S. *Concordii* Presbyteri & M. Acta ſunt *authentica*. 339

Conjectura alterum Critices fundamentum, 108. 258., ipſius notio, 626. conjecturæ rei innatæ & aſſumtæ, 307. minus ſolidæ, 585. & ſeq. conjecturæ ad delectum habendum Operum Patrum, 258. & ſeq. de Factis Hiſtoricis, 261., & ſeq. de Dogmatibus, 298. & ſeq. utrum conjecturæ multæ in unum collatæ argumentum certum ſufficere poſſint, 310. & ſeq. & 314. conditiones, quæ in germana Conjectura deſiderantur, 537. conjecturæ Criticæ adverſus Traditiones, & Conſuetudines Eccleſiæ, 604. & ſeq. Regulæ de conjectura, 259. & ſeq. 261. 627. & ſeq.

S. *Cononis* Martyris Iconii Acta habēri poſſunt, ut Proconſularia, 325. 339. Mira pro ipſo facta, 350. num modus, quo Judicem eſt allocutus, aliquanto acerbus fuerit, 371. an Editor Actorum ejus quidpiam addiderit ex Marte ſuo. 386

Conſenſio Eccleſiarum quartum Critices principium. Vide *Eccleſia*.

De Conſtantini Magni Baptiſmate variæ ſententiæ, 140. 572., & ſeq. & 581. an ante Mortem Chriſtianam fidem profeſſus ſit. *ibidem*; & 572. & ſeq. qua pietate dies feſtos coluerit, 573. S. Auguſtinus eum Chriſtianum Principem appellat. 574

Conſtitutiones Apoſtolicæ citatæ & rejectæ, 120. 178. 273. *Vide Baptiſma*, & *S. Clemens*.

Conſulatum qua occaſione acciperent Imperatores, & Cæſares Romanorum. 56

Controverſiarum Autores. 65

S. *Cornelii* Papæ Epiſtolæ qua ratione ad nos pervenerint. 171

Corpora Sanctorum quo tempore primum eruere incæperint homines. 21

Cortex quo differat a papyro Ægyptio. 397

Couſini Præſidis opinio de Critice. 1. fatetur hic Euſebium offendiſſe multis,

26.

Digitized by Google

26. qoo primum tempore cæperit operam dare Ephemeridi Sapientum. 52

Craſſetus e Socierate Jeſu propugoat Libros Sibyllarum. 484. 486. 488.

S. Creſcentius Diſcipulus S. Pauli. Senſa Criticorum de ipſius adventu in Gallias, 167. 197. nonne illum D. Paulus in Gallias, an vero in Galatiam miſerit, 253. 543. & 547.

Critices definitio, eidem objecta res, 1., & 4. ejus utilitas, 2. 3. 30., ejus conditiones, 2. neceſſitas, 16. & ſeq. 19. 25. 31. 36. & ſeq. fructus, 39. uſque ad 89. ejus lumina, 92. fundameota, 108. & ſeq. 128. & ſeq., 593. & ſeq. 596. Vide *Regula*, Ipſius Regulæ, ejus Hiſtoria, atque illius inſtauratio, 89. & ſeq. Cui tribuenda ſit, 95. ejus primi Autores, 90. bona & prava Critice, 5. Malus Critices uſus in negotio Religionis, 475. & ſeq. aliis in rebus, 479. & ſeq. vitia Critices, 560. & ſeq. 593. & ſeq.

Critici. Minus eorum veteribus Scriptoribus Eccleſiaſticis obſequium, 17. & ſeq. 109. & ſeq., 456. & ſeq. ſine probatione ab eorum teſtimoniis recedunt, 436. & ſeq. 518. 569. 571. illud reſponſis parum firmis extenuant, 200. & ſeq., circuitu eludunt, 132. & ſeq. aliiſque modis, 137. & ſeq. 210., & ſeq. anteferunt ſæpius Hæreticorum lumina Patrum dictis, 144. & ſeq. delent nonnunquam Prodigia a Geſtis S.S., 148. 213. 348 & ſeq. tribuunt Scriptoribus Eccleſiaſticis ſenſa, quæ nunquam ediderunt, 150. & ſeq 160. & ſeq. celebrant laudibus faventes ſibi, adverſarios autem contemtui habent, 165. 171. & ſeq. contendunt ſe ploribus, quam veteres, præſtare cognitionibus, 174. & ſeq. varie utuntur Libris, Scriptoribus nonnullis tributis, 178. & ſeq. 181. & ſeq. 183. 188. 194. & ſeq. 210. & ſeq. 530. 532 & ſeq. Manuſcriptis Codicibus, 248. & ſeq. de argumento depromto a Veterum Sileotio, 266. 270. 274. uſque ad 77. de Titulis, 284. & ſeq. de tempore, quo facta contigerunt, 290. & ſeq. de Stilo Autorum, 293. & ſeq. incommoda principiorum ſuorum, 134. 143. 205. 302. 362. & ſeq. 484. & ſeq. 494. & ſeq 500. 504. 507. 514. 536. 608. 613. quæ mutuo ſibi exprobrant, 164. & 529. quonam pacto utuntur pluribus Martyrum Actis, 327. 330. 334. 354. 358. 363. 370. 375. 377. 384. 389. 395. 401. utrum ipſis integrum ſit Vulgatam expendere, 416. 469., uſi ſunt Critice ad invadendam Religionem, 475. & ſeq., male uſi ſunt eadem, 479., & ſeq., modi adhibendi, ut inter Criticos conveniat, 521. videntur citius complura Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facta obumbraſſe, quam illuſtraverint, 524. & ſeq. rationes minus rectæ, quas adhibuerunt, 526. & ſeq. uſque ad num. 541. inconſtantia Criticorum de modo autoritatis, teſtimonio Veterum tribuendæ, 569. conjecturæ ipſorum in Traditiones & Conſuetudines Eccleſiarum, 604. & ſeq.

S. Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis laudat locum S. Joannis de Trinitate, 249. Uſus varii Criticorum de ipſius Epiſtolis 66. & 67. ad S. Stephanom Pontificem, 172. 252. 255. 273. 514. 547. momenta, quibos poſſumus ipſi adjudicare Epiſtolas de Baptiſmate Hæreticorum, 294. Deus illum molta docuit Viſis & Revelationibus. 611

S. Cypriani Orientis Liber de Confeſſione, ejus nomine inſignitus, an ipſius ſit, 562. & 570.

S. Cyrilli Pueri & Martyris Actorum, a Bollando decerptorum, collatio inſtituitur. 229. & ſeq.

S. Cyrilli Epiſcopi Gortinenſis Acta omnes veritatis notas habent. 524

D

S. D*amaſi* Pontificale ipſi tributum. Variæ ſententiæ de illius Autore, & de tempore, quo ſcriptom eſt, 180. & ſeq. Pontifex hic imperat Hieronymo, ut novam edat Bibliorum Verſionem ad Hebræos Codices exactam, 413

Darius Hyſtaſpes an Templum Hieroſolymitanum inſtauraverit. 172

Davidis Poſteri, inquiſiti a Domitiano & Veſpaſiano Imperatoribus. 119

Decii Imperatoris Edicta ipſius nomen gerentia ſuſpicione attinguntur, 375. Differunt Perſecutiones Decii & Valeriani, 384. & ſeq. an hoc Imperante Septem Epiſcopi Fidem pene intermortuam ab interitu Irenæi in Galliis rurſus florere fecerint. 525

Decretales Pontificum editæ Romæ 1591.,

47. diſſimiliter ſentiunt Critici de Decretalibus primorum Pontificum, 125. 273. & ſeq. 371. cui tribuatur collectio ipſarum. 164. & ſeq.
Demetrius Phaleræus delectus a Ptolomeo Philadelpho ad conficiendam Bibliothecam ſuam Alexandriæ dat Litteras ad Summum Sacerdotem Eleazarum, ut ad ſe mitteret Judæos, Græce reddituros Biblia Sacra, 312. conjecturæ quæ factum hoc minus probabile reddunt, *ibidem*.
Demonſtrationis Carteſianæ natura. 522.
Des cartes, Latine Carteſius Renatus. An varietas opinionum, ex ejus placito, oriatur ex varietate temperationum. 523
Deſpancius Claudius Doctor damnatus fuit a Facultate Pariſienſi, quod in Legendam Auream concionem habuerit. 24
Diaconi an bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem habuerint, 179. 601. utrum poteſtas ipſis fuerit abſolvendi a peccatis. 567
Diocletianus Imperator, quibus rationibus adductus fuerit, ut Purpuram deponeret. 574
Ad *Diognetum* Epiſtola Juſtini num ſpuria. 308
S. Dionyſius Areopagita. Diverſæ Scriptorum opiniones de Libris, ab hoc Pauli Diſcipulo nuncupatis, 114. 148. 157. 158. 173. 261. 298. 301. de ipſius in Gallias Miſſione, 114. 134. 142. 143. 157. 172. 241. 277. 525. & ſeq. 535. 545. 599. Argumenta inutramque partem, 527. 530. 532. 537. 543. 547. 548. 552. 599. judicium Critici, nulli parti addicti, in rem hanc, 534. & ſeq. Præcepta ad hoc factum examinandum, 542. & ſeq. Traditiones duæ de ipſius adventu in Gallias, 581. & ſeq. quæ nam ſit probabilior. 552. & ſeq.
S. Dionyſius Alexandrinus non mediocriter verſatus erat in Arte Critica. 294. & ſeq.
Dionyſius Halicarnaſſæus creditur fuiſſe egregius Criticus. 90
Diplomatis nomine quid intelligatur, 396. Scriptores, qui Artem Diplomaticam ſive propugnarunt, ſive oppugnarunt. 401. & ſeq. quinam in ejus rectum uſum regulas condiderint, 396. & 403.
Diſcipuli Jeſu Chriſti ſeptuaginta duo delecti ad exemplum Moſis, 179
Doduvuelo de Reſcripto ad Præfectum Galliarum ſuper Martyribus Lugdunenſibus, 288. multa profert exempla, ut probet, in Eccleſia ſæpe Deum hominibus doctrinam indidiſſe Viſis & Revelationibus. 611
Dogmata, quibus conſtat Opus aliquod; an illud coarguere poſſint falſitatis. 298. & ſeq.
S. Donatianus. Vide *Rogatianus*
De *Dormientibus* ſeptem Epheſi, & Martyribus diſſimilia hominum placita. 512
S. Dorothea V. & M. Acta quibus verbis a Criticis extenuentur. 211
Doubletus non diſtinxit corticem a papyro Ægyptio. 397
Druſius contendit, Haſſidæos eoſdem eſſe, ac Phariſæos. 164
Duhamel refert opiniones celebriorum Chronologiſtarum de anno mundi, quo incipere debet Æra Chriſtiana. 30
Dupinus. Judicium de ipſius Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum, 51. quibus laudibus celebret ſæculum XVII. 98. ipſius ingenium, 104. diſſimiliter utitur Veterum teſtimonio, 112. & ſeq. 117. & ſeq. 129. & ſeq. 133. 144. 160. 164. 171. 175. 178. & ſeq. 245. & ſeq. 248. & ſeq. 567. ejus de Silentio Autorum regulæ accuratæ non videntur, 268. & ſeq. 591. 599. de conjecturis, 290. & ſeq. 293. 298. 307. & ſeq. 537. 586. Animadverſiones in principem ejus Critices regulam, 315. & ſeq. varie adhibet ſuas Criticas præceptiones, 484. & ſeq. 494. & ſeq. 500. & ſeq. 516. diſtinguit tria Librorum Apocryphorum genera, 562. quid intelligat voce Apocryphum, 565. ejus conjecturæ de falſitate Decretalium. 371

E

Eccleſiarum conſenſus, ejuſque uſus, quartum Critices Principium; quid hac re intelligatur, 595. probatur teſtimonio Patrum, 596. & ſeq. eorundemque Criticorum, 599. & ſeq. hujus principii neceſſitas, 603. & conditiones, 606
Eccleſiæ opiniones oportet veneratione proſequi, 599. quidquid credit Eccleſia, ſide divina nequaquam credit. 597. 607. audienda eſt ſuper Conſuetudinibus,

Digitized by Google

bus, quas inſtituit, 605. pulchra eſt propter Fidei unitatem. 609. Vide *Hiſtoria Eccleſiæ*.
R. *Elias* Levita animadvertit, univerſam Legem olim unico verſiculo, ut ita dicam, comprehenſam fuiſſe. 434. Vitæ ejus compendium. 444
Elipandus Epiſcopus Toletanus fraudis convictus in Concilio Francofordienſi. 92
Eloquentia Sacra in quo ſita ſit. 75
Eloquentia Forenſis his poſtremis temporibus inſtaurata. 77
Ephemeridum utilitas. 52. Ephemeridum Sapientum inſtitutio, *ibidem*. Trevoltienrium, 53. aliarum Nationum. *ibidem*.
Epiſcoporum à Presbyteris diſtinctio quandonam cœperit. 131
Epiſcopi primi Galliarum. Vide *Galliæ*.
S. *Epiphanius* quam habeat apud Criticos de factis multis exiſtimationem, 169. 196. 197. 202. & ſeq.
S. *Epipodius* Martyr Lugdunenſis ſub M. Aurelio. 382
Epocha Criticorum ad Autoris alicujus teſtimonium ſuſcipiendum, 239. & ſeq. quor opiniones de Epocha, ſive de Æra Chriſtiana, 30. Regulæ Æræ, ſive Epochæ alicujus Hiſtoriæ. 55
Eraſmo gloria conceditur, quod primus fuerit inter Sapientes, qui Criticen in Patrum Opera exercuerit, 48. Aſſerit Renanus, plurimum nos Eraſmo debere, propterea quod ipſe quoque ex parte contulerit ad Theologiam Dogmaticam reſtituendam, 63.
Eſſeni. Vide *Haſſidai*.
Evagrii de Hiſtoria judicium, 28
Euchariſtia. S. Clemens Alexandrinus ait, liberum cuique in aliquibus Eccleſiis fuiſſe eam ſumere. 130
S. *Eucherius* Epiſcopus Lugdunenſis quodnam judicium ferat de S. Clemente Pontifice, 210. unde ſumſerit Hiſtoriam S. Mauricii & Soc. ejus, 226. 281. & ſeq.
S. *Eudoxia Samaritana* M. Hiſtoria an in certis haberi poſſit. 254
S. *Eulalia* V. & M. Emeritenſis facinus admirandum. 374
S. *Euphemia* V. & M. Hiſtoria ab Aſterio Amaſeno narrata. 333
De S. *Eupli* Diaconi & M. in Sicilia Martyrio judicium. 222
De *Euſebii* Hiſtoria judicium, 26, & ſeq. de Arianiſmo inſimulatus, & a Valeſio purgatus, 126. & ſeq. 140. ſi danda fides eſt ejus opinioni de Baptiſmate Conſtantini, *ibidem*. Libros Scripturarum in plures Claſſes partitur, 162 tria genera Librorum Apocryphorum internoſcit, 562. qua ratione deſcribat *Labarum* Conſtantini. 572. 612
S. *Euſtachii* Mart. Acta an ſint ſincera. 508. & ſeq.
Euſtathius Epiſcopus Theſſalonicenſis quo tempore floruerit. 94
De *Eutychii*, Patriarchæ Alexandrini Annalibus judicium. 170
Exomologeſis nomine non adhuc conſtitutum eſt, quid revera intelligendum ſit. 567
Exprobrationes mutuæ Criticorum, 164. 479. & ſeq. 527.
S. *Exuperio* Epiſcopo Toloſano quænam acciderint animadverſione digna in Translatione Corporis S. Saturnini. 22

F

Faber Præceptor Ludovici XIII. exemplar Critici perfecti, 6. primus eſt, qui contenderit, S. Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem alium eſſe a Diſcipulo S. Pauli, 5'4.
Faber Jacobus, Doctor Sorbonicus, damnatus quod redarguerit Opinionem confundentem tres Marias, in Evangelio revera diſtinctas. 88
De *Factis* Hiſtoricis feruntur judicia varia. 554. & ſeq.
Facultas Pariſienſis quo tempore, & a quo erecta. 36
Fauſti Manichæi falſa ratiocinatio de ſilentio Scripturarum. 590
Faydit Abbas contendit, Vitam S. Amabilis, a Bailleto editam, fabulis refertam eſſe. 243
S. *Felicitas*, & ſeptem ejus filii quo Imperatore Martyrium ſubierint, 288. 379. & ſeq.
S. *Felicis* II. Papæ & Mart. Officium integrum reperitur in Sacramentario S. Gregorii Papæ, 608. ejus ſepulcrum anno 1582. cognitum. *ibidem*.
De S. *Felicis* Nolani Vita, a S. Paulino deſcripta, quorundam Scriptorum judicium, 333. Mira a Deo pro ipſo facta, 345. & ſeq. 351. & ſeq. 354.

S. *Felicis* Sutrini M. Acta videntur vetuſta. 325

Fæmina Adulteræ hiſtoria reperitur in Evangelio Hebraico Nazaræorum. 208. abeſt a multis Codd. MSS. 252. & ſeq.

Feſta conſtituta ſive ab Apoſtolis ſive a Conciliis Generalibus, 570. 597

Flagellantium Hiſtoria multis erroribus notatur. 79. 163. 590.

Fletvvoodus Hæreticus Anglus non audit Prodigia, quæ Scriptura non complectitur. 148

Fleurii opinione quo tempore Linguæ cœli cœptæ, 37. Conſilium ipſius Hiſt. Eccleſ. 60

Florentinius in publicum vulgavit Martyrologium, S. Hieronymo tributum, 180 quid ſentiat de Hiſtoria, Marcello S. Petri diſcipulo adjudicata. 198.

Fontanella opinio de Oraculis Chriſtianitatis, 148. & ſeq. 158. & ſeq.

Forſterus Theologus ex Proteſt. Lexicon Biblicum confecit, ſummo in pretio habitum. 447. & ſeq.

Fortunatus Pictavienſis Epiſcopus inter primos fuit, qui de adventu S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias locutus ſit, 277. an autor ſit Vitæ iſtius Sancti, a Boſqueto editæ. 583

Fraiſſinus Canonicus Claromontanus quot numeret Sanctos in Urbe Alverniæ morti traditos a Croco. 539

P. *Fronto* Canonicus Regularis S. Genovieſæ quæ perhibeat in ſuo Calendario Romano de Feſto S. Cypriani, 589. Launojus ipſi exprobrat, quod ad negans argumentum confugiat. 275

Fronto Presbyter, Parochus Mali qua ratione ſuſtulerit corpus S. Theodoti M. 352. 394. Papæ titulus ipſi tribuitur. 388

Fronto Ducæus Jeſuita contendit, in ſexto Tomo Operum S. Joannis Chriſoſtomi contineri 73. Sermones, Patri huic affictos, 185. quid judicet quoad Homiliam de S. Thoma, huic Patri adſcriptam. 620

S. *Frumentius*, Æthiopum Apoſtolus. 550

G

GAII Judicis Decreta iniqua, quæ edidit in Matrem & ancillas S. Afræ. 268

Galeſinus Petrus, Protonotarius Apoſtolicus edendum curavit Martyrologium Romanum anno 1577. 607.

Gallia quo tempore Artes Liberales florere viderint, 36. 72. 86. 95. & ſeq. ibi cœptum eſt imprimere characteribus rotundis. 87. Variæ opiniones de adventu ſeptem Epiſcoporum in Gallias, 114. 172. 253. 524. & ſeq. Regulæ ad expendendum hoc factum, 542. & ſeq. Nomina horum primorum Epiſcoporum, 530. 537. quo tempore Fides illic conſtituta ſit, 524. 535. 549. 534. 542. 544. 550. & ſeq. quo tempore primum Martyria viſa. *Iiſdem ferme locis.*

Gallorum origo, 544. & ſeq. 548.

Gaſſendus collegit nomina eorum, qui ad inſtaurandam celeberrimi Epicuri famam ſe dediderunt. 97

Gelaſius Papa autor celeberrimi Decreti de Libris Sanctis. 92

Gelaſius Cyzicenus qui ſit, & qua ratione ejus teſtimonio Critici utantur. 168

Geographia in Hiſtoria neceſſitatem habet, 55. Autores, quibus debet perfectionem ſuam. 56

Germonii Jeſuitæ Diſſertatio de Veteribus Francorum Diplomatibus norma eſſe poteſt iis, qui ad ſcribendum accedunt, 79. Præcipuus eſt Diplomatices Mabillonianæ adverſarius. 401

De *Gyrii*, Minimorum Aſſeclæ Vitis Sanctorum judicium. 62

Gyrius, Patronus optime explicavit vocem *Serius* in S. Sulpicio Severo de primis Mart. Gall. 550.

Godavi Epiſcopi Grinnicenſis judicium de Critice, 5. quæ referat de Morte Jeſu Chriſti, 146. ſententia de Epiſtolis Ignatii. 486

Gomara Franciſcus opinatur, Carmina Librorum SS. ſimilia eſſe Græcis & Latinis. 121

Gouſſetus contendit, Rabinos non eſſe tutos duces ad Hebraicæ Linguæ intelligentiam, 409. 410.

Græci Autores minus accurati creduntur, 135. & ſeq. 188. Quid ſint ipſorum Menæa, Menologia, & Liber Αποςόλος nuncupatus. *Ibidem.*

Vide hæc verba.

S. *Gregorius* Nyſſenus an deprompſerit a Libris Suppoſititiis, quæ de Maria Virgine tradit, 201. 205. & ſeq.

S. *Gre-*

S. *Gregorius Papa Magnus*. Conjecturæ Criticorum ad rejiciendam Hiſtoriam de liberatione ab Inferis Trajani, 310. 588. In *Sacramentario* S. hujus Pontificis reper tur integrum Officium S. Felicis Papæ & Mart. 608

S. *Gregorii* Thaumaturgi nomen ferentes Sermones ex Dupino ipſius non ſunt. 308

S. *Gregorii* Turonenſis opinio de Feſto Aſſumtionis Deiparæ, 203. Nonnullis Criticis videtur non mereri fidem. 134. 557. a quibus audiatur de Miſſione S Dionyſii in Gallias, 525. & ſeq. quandam minus tutam Traditionem narrat. 613

H

Hæretici primi non ſunt Linguarum Sanctarum Magiſtri, 45. Scholaſtices timore perculſi ejus nomen denigrarunt. 66. Nonne ſequi poſſimus ipſorum ſenſa in re Critica, 113. 143. & ſeq. Animadverſio Tertulliani in rem hanc. 150. Antiquitatem contemnunt, 174. 624. & ſeq. Quare in Metaphraſten inſurrexerint. 214. quod judicium tulerint de Hiſtoria Critica Simonii, 295. 412. & ſeq. 454. 457. 474. Hæretici, qui Criticæ uſi ſunt adverſus Eccleſiam Catholicam, 478. levibus conjecturis ducti iter S. Petri Romam negant, 262. 588.

Hamondi Presbyteri Proteſtantis Angli opinio de Epiſcopatu S. Clementis Papæ. 580

Haſſidæi ex Druſio non diſtinguuntur a Phariſæis & Eſſenis. 164

Hegeſippus. Sententiæ Criticorum de Narratione ejus Martyrii S. Jacobi. 110. 133. 262. 283. 327. & ſeq. 507. 510. 514. & ſeq. 218.

S. *Helena* extruendam curavit Eccleſiam in eo loco, ex quo Jeſus Chriſtus cœlum conſcendit. Mira quæ in ea patrabantur. 186

Heraclii Imperator's factum de Cruce ab illo ſuper humeros lata, rejicitur a Criticis. 270

Hermas an autor ſit Libri *Paſtoris*, 112. 125. 162. 175. 283. 304. 563.

Hermopolis in Thebaide. An fas ſit dicere, Jeſum Chriſtum infantem ibi fuiſſe. 599

Herodes an Hieroſolymis Templum ædificare fecerit, 166. an ipſum filium ſuum poſt Chriſti Nativitatem occiderit. 240

Hexapla Origenis quid ſint. 413

S. *Hiacynthi* M. Acta qua polleant autoritate, 284. 286. 378.

Hilarius Diaconus an Autor ſit Quæſtionum de Veteri & Novo Teſtamento. 248

Hilduinus Abbas S. Dionyſii. Varia placita Scriptorum de ipſius Libris Areopagiticis, 527. 535. quando ea ſcripſerit, 553. ad quem miſerit 557. Sponſores, quos exhibet, ut Miſſionem S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias propugnet. 554

Hilleli Exemplar Bibliorum, ab eo vocatum, non eſt per aliquos vetuſtum. 425

Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis ſententia de die Baptiſmatis Clodovei, 142. & ſeq. de Miſſione S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias. Vide S *Dionyſius* & *Hilduinus*.

Hiſtoria Eccleſiaſticæ Autores, 25. & ſeq. 56 57. & ſeq. 58. Regulæ de illa fructuoſe & utiliter addiſcenda. 23. ejus inſtauratio Critices adjumento. 25. & ſeq., in quo ſita ſit, 54. & ſeq. 56. quo tempore cœptum ſit eam Gallice reddere. 59. Ratio illuſtrandi Hiſtoriam Eccleſiaſticam. 594. & ſeq.

Hiſtoria Sanctorum inſtauratio Critices adjumento, 19. 20. & ſeq. 60. 61. & ſeq. Monumenta, quæ Hiſtoriæ uſui eſſe poſſunt, 264. Regulæ ad veras a ſuppoſititiis internoſcendas. 245. 283. & ſeq. 284. & ſeq. poſſemus aliquam veritatis ſpeciem dare illis, quæ fabuloſæ videntur, 507. & ſeq. 514 & ſeq.

Hiſtoricorum quænam indoles, 30. 32. eorum vitia, 31. Regulæ ad rectum Criticum inter alios dignoſcendum, 12. ad perfectum efformandum, 30. 247.

De *Hieremiæ* ſtilo varia judicia. 175

Hieronymus ſæpe diſtinebatur in reſpondendo difficultatibus, a præſtantiſſimis Viris multis ipſi objectis de Sacra Scriptura, 91. Duo genera Exemplorum Martyrologii ſui, a quibus in publicum edita, 180. 181. Canon Veritatis Hebraicæ ipſius eſt, 155. utitur Rabbino quodam e Schola Tiberiadis ad interpretanda Biblia Sancta, 413. An ejus Epiſtola ad Paulam & Euſtochium ſuppoſititia ſit, atque alicujus autoritatis. 610

Hieroſolymis an Herodes rurſus Templum ædificaverit. 166. an idem fecerit Darius Hyſtaſpes. 172

In *Hiſpania* quo tempore Fides prædicari cœperit, 113. 117. 131. 160. 310. 518. 546. 548. 569

Hyſtaſpis Libros an Paulus legendos conſuleret. 208

I

Jacobus Apoſtolus num Sanctuarium ingrederetur, 111. 133. 327. 517. Criticorum mens de ejus itinere in Hiſpaniam, 310. & ſeq. 546., & de narratione Martyrii ejuſdem ab Hegeſippo facta. *Vide Hegeſippus*.

Jacobus de Voragine, Dominici filius, Archiepiſcopus Januenſis. Qui recepta a Criticis ſit Legenda Aurea, 24., 218.

Jacobus II. Anglæ Rex. Falſa Epocha mortis ejus, deinceps emendata. 612

Jay Polglotta quo differant ab Anglicis. 41.44

Janſenii Epiſcopi Gandavenſis ſententia de mulieris adulteræ Hiſtoria apud Joannem. 208

In Iberia quo tempore Fides recepta ſit. 550

Jesus Christus. Variæ de ipſius Nativitate Epochæ, 30. 316. num fuerint in ipſius ſtabulo Bos & Aſinus, 147. abjicienda ne ſunt, quæ Patres tradiderunt de ipſius Nativitate & Vita, 200. & ſeq 204. & ſeq. 593. num Agnum Paſchalem manducaverit in Pervigilio Mortis ejus, 116. 149. quo die Spiritum miſit, 132. 167 & in cœlum aſcendit, 133. 179. 570. 597. ejus Epiſtolæ ad Abgarum. *Vide Abgarus*.

S. *Ignatius* Epiſcopus Antiochenus an Evodio ſucceſſerit, 131. variæ Scriptorum ſententiæ de ipſius Epiſtolis, 112. 114. 124. 128. 131. 204. 272. 276. 299. 301. 203. 316. 494. & ſeq. 502. & ſeq. Regulæ Criticæ ad oſtendendum eas eſſe authenticas, 484. & ſeq., quo anno, & quo Imperatore mortuus ſit, 285. & ſeq. 377.

Illyricus Matthias Flaccus Autor Centuriarum Magdeburgenſium: de hoc Opere judicium. 57. & ſeq.

Imperatores Romani quandonam Conſulatum ſumerent, 56. num eodem unquam tempore quatuor extiterint Imperatores, 289. an Edicta Imperatorum jubebant cruciatus, quibus Martyres vexabantur, 367. Hiſtorici Græci nobis tradiderunt, id moris fuiſſe Imperatorum iſtorum, ut ignem ante ſe geſtarent. 621

Indi; nonne apud ipſos repererit S. Panthænus Evangelium S. Matthæi, 118. 120. an S. Joannes illis Evangelium prædicaverit. 600

Infideles colebant pervigilium Feſti diei S. Joannis Baptiſtæ. 185

Inſcriptionum Academiæ origo, 75. Cognitio Inſcriptionum fructus Critices, 82. 83. num falſæ Inſcriptiones tanti ſint, ut propterea Hiſtoria rejicienda ſit, 284 & ſeq.

Inſtauratio Critices, Diſciplinarum, & Artium Liberalium, 36. & ſeq. 63. 64. & ſeq. 72. & ſeq. 89. 93. 94. & ſeq.

S. *Joannis Baptiſtæ* Hiſtoria translationis Capitis an a Metaphraſte ad nos deſcenderit, 228. 232.

S. *Joannis Evangeliſtæ* Evangelium an ſervetur Epheſi *ex opinione S. Petri Alexandrini*, 121. in quibus Codd. MSS. reperiatur locus ejus de Trinitate, 249. 250. quo anno Epheſum incoluerit, 278

S. *Joannes*, cognomento Marcus, Diſcipulus & Conſobrinus Barnabæ, corporis ſui umbra morbis medebatur. 189

S. *Joannis* Cryſoſtomi varia Opera, quæ falſa creduntur, a nonnullis Criticis adhibeatur, 185. an Homiliæ in Acta Apoſtolorum, ejus nomine ſignatæ, ab ipſo revera lucubratæ fuerint, 297

S. *Joannes* Damaſcenus an traduxerit e falſo Melitone, quæ habet de Morte Deiparæ. 201. 205.

Jobi Liber metrice conſcriptus eſt. 121

Jolyus ex ſilentio Lucæ negat, corpus Deiparæ e mortuis ſurrexiſſe. 592

R. *Jona* Grammatice Hebraica nunquam typis commiſſa eſt. 444

S. *Joſephum* Patres multi contendunt bis uxorem duxiſſe. 603

Joſephus non ſemper habetur Auctor accuratus, 165. & ſeq. 172. 621. ſenſa Litteratorum hominum de ipſius pro Chriſto teſtimonio, 134. 141. 145. 255.

Irenæi ſententia de mundi duratione. 598

S. *Iſidorus* Hiſpalenſis Autor Collectionis Conciliorum, 46. Decretalium, 164.

&

Digitized by Google

& ſeq. & *Libri de Morte, & Vita Sanctorum*. 546
Iſſium prope Pariſios. Argumentum colloquiorum ibidem factorum. 69
Italicarum Academiarum nomina. 74 & ſeq.
Itali primi ſunt, qui Characterum rotundorum uſum induxerunt in typis, 87. Sapientes homines, qui primi in Italia Diſciplinis perficiendis operam dederunt, 95. & ſeq. fama laborarunt maxime ob ipſorum Criticen licentiorem. 480
Judæi quas pœnas ſubirent, ſi quando aliquorum ex ipſis incuria Libri Sancti humi decidiſſent, 419. Jeſu Chriſti ætate ſuis tantum Traditionibus incumbebant, 420. duo habent genera MSS. Bibliæ, 423. poſt ipſorum captivitatem Lingua Hebraica non fuit ab ipſis uſurpata. 442. & ſeq.
S. *Juſti* pueri, & M. in Hiſpania Acta exiſtimari poſſunt archetypa. 325
S. *Juſtinus* Philoſophus quibus Imperatoribus Apologias pro Chriſtianis ſuas obtulerit, 120. 285. & ſeq. an erraverit, cum dixit Romæ erectum ſimulacrum Simoni Mago, 146. & ſeq. Senſa Scriptorum de Operibus multis, ab eo nuncupatis, 297. 300. 302. 309. Epocha Mortis ejus, 133. 169. 285. 287. Acta Martyrii ejus omnibus afficiuntur auctoritatis notis, 291. & ſeq. 338. 342. 505. & ſeq an veneni vi ſublatus ſit. 328
Auguſtini *Juſtiniani* Januenſis Operum in Pſalmos ratio. 40
Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus an repererit Hieroſolymis Virginis Mariæ ſepulcrum, 137. & ſeq., an talis fuerit, qui falſa monumenta falſaſque Hiſtorias confingeret, *ibidem*. S. Leo Pontifex ad eum litteras dedit, & gratulatus eſt cum eo, quod Imperator Marcianus illum in ſedem ſuam reſtituiſſet. 139

K

David *Kimhi*, doctus Rabbinus ante omnes Grammaticam Hebraicam confecit. 444. & ſeq.
King Judas peritiſſimus Judæorum Grammaticus cenſetur. *ibidem.*
Conradus *Kircherus* Hæreticus Auguſtenſis, Judicium de Concordantia ſua Græca V. T. 409. 448.
P. *Kircherii* Jeſuitæ opinio de Cabala Judæorum. 417

L

Labari Conſtantiniani figura, quidque illud continebat, 572. 612.
Lacryma Sancta Vindocinenſis a Thierio ſlocci facta. 274
Lactantius teſtatur, Chriſtianos ſibyllina carmina non confinxiſſe. 488
Lamius Benidictinus quo ſenſu dixerit, extitiſſe Atheos, 96. Quid ſentiat de quadam Demonſtratione Carteſiana. 521. & ſeq.
Lamii Presbyteri Oratorii judicium de multis Scripturarum factis, 116. 149. 176. & 177.
Lamoignono Primo Præſidi Rapinus gloriam tribuit, quod formam purgaverit a loquendi genere, triviis & compitis communi. 77
Lamſceni Martyres Martyrium paſſi ſunt, Decio Eccleſiam inſectante. 289
Lanfrancus Benedictinus, & Archiepiſcopus Cantuarienſis operam dabat corrigendis Libris Scripturarum & SS. Patrum. 23
Laubruſſeli e Societate Jeſu ſententia, in quo ſita ſit utilitas Critices, 2. contendit, Bailletum Operi ſuo nocuiſſe, 19. quid ſentiat de malo Uſu Critices in negotio Religionis. 477
Launojus quas tradiderit Criticas præceptiones, ne de Traditionibus fallamur; 15. accuſatur, quod duo Oroſii loca vitiaverit, 162. cur rejiciat Epiſtolas S. Cypriani ad S. Stephanum lxvi. lxvij. 172. 252. 254. 273. argumentum *negans* conſtantis principii loco habet, 274. & ſeq. Conjecturæ ipſius ad oſtendendum, S. Stephanum Papam in errorem Cyprianico oppoſitum incidiſſe, 588. 599. ſententia de Sancto Dionyſio, 527. & ſeq. 531. & ſeq. quæ exprobret Hilduino, 528. concedit, aliquod ex Traditionibus hauriri argumentum poſſe. 601
S. *Laurentii* Martyrio adjuncta an Patres retulerint Oratorum inſtar. 332 & ſeq.
Legio Melitina quod Mirum factum M. Aurelio impetraverit. 265
Legio Thebæa Vide S. *Mauricius*.
S. *Leo* Pontifex quæ habet de jejunio quadrageſimæ, contendunt aliqui ejus non

ciſc.

eſſe. 248

De *Leontio* Epiſcopo Neapolitano quod judicium ferat Bailletus. 135

Leslii Caroli Angli regulæ ad oſtendendam Prodigiorum Scripturæ veritatem. 265

Leſlangius novem Regulas ſtatuit neceſſarias ad faciendas optimas Interpretationes Gallicas. 81

S. *Linus* Pontifex quot annis Romanam Eccleſiam gubernaverit. 623

Linguarum Sanctarum inſtauratio. 40. & ſeq.

Lingua Hebraica poſt reditum Judæorum Babylone, a vetuſta integritate ſua deſecit, 416. & ſeq. 44?., & ſeq. multæ hujus Linguæ voces ambiguæ ſunt, 438. & ſeq. 443. 456. an modus, quo traditur in ſcholis aptus ſit ad bonam faciendam Interpretationem. 442. & ſeq. Vide *Simonius*.

Littera humanæ fructus Critices 172. Epocha ipſarum inſtaurationis. 36. & ſeq. 63. & ſeq. 86. 89. 94. & ſeq. ut hæc haberetur, magna opus eſſet antiquitatis præſtare intelligentia, 174. in id Patres incubuerunt, *ibidem*. Recentiores in quædam ſtudiorum genera longius intenderunt Veteribus. 176

Liturgia SS. Petri, Matthæi, &c. an ſuppoſititiæ ſint, 290. 298 301. 591.

Libri. *Vide Opera*.

Longinus ſapiens Sophiſta, & Criticus præclariſſimus. 90

S. *Lucas* an Fidem in Galliis prædicaverit. 543

S. *Lucii* M. & S. Montani Acta inter pretioſiſſima antiquitatis monumenta collocanda ſunt. 291

S. *Lucianus* Antiochenus M. quid paullo ante mortem ſuam fecerit. 138. 271

S *Luciani* Bellovacenſis Vitæ tria MSS. genera, 530. An fide Actis ejus adhibenda. 600

In S. *Luciani* Nicomedienſis M. Actis ſermo fertur de multis Principibus. 288. 319.

Lupus Abbas Ferrarienſis quibus afficiat laudibus Hilduinum. 528

M

M*Abillonii* Regulæ de modo colendi ſtudium Conciliorum 9. ſtudium Patrum 10. optime interpretandi, 82. de MSS. Codicibus, 256. ad demonſtrandam Operis alicujus falſitatem, 259. de Diplomatica, 403. ejus opinio de Archetypo Evangelii S. Marci, quod ſervatur Venetiis. 612

Macrobii ſententia de interitu filii Herodis. 240

Magdalena Maria an differat a Maria Peccatrice, & Maria Sorore Marthæ & Lazari, 88. 114. 178. 608. ejus iter in Gallias. 112. 168. 169. multis opinio eſt, eam Epheſi occubuiſſe, 188. 241. 279. ejus Reliquiæ venerantur in Provincia, & Vezeliaci, 126.

Magorum Regio, conditio, & Nomina, 158. Tillemontii opinio in rem hanc 604.

Magiſtratus erant ferme ſemper autores ſuppliciorum illorum, quibus MM. vexabant. 368. 373.

Maldonatus teſtatur, ſe non reperiſſe Hiſtoriam mulieris adulteræ Evangelii niſi in uno duntaxat exemplari, 252. aſſerit, non omnia quæ credit Eccleſia, Fide divina credere. 596

Manuſcriptorum utilitas, 39. & ſeq. 248. & ſeq. Viri *Sapientes*, qui in MSS. inſudarunt, 40. anteferendæ ſunt Lectiones plurium, 250. 253. vetuſtiſſima non ſunt emendatiſſima, 3. 254. varii Criticorum circuitus ad imminuendam illorum auctoritatem, 253. MSS. Bibliæ, Cantabrigenſe, 250. Alexandrinum, 254. Perpinianenſe, 452. quibus MSS. generibus uſi ſunt tempore Urbani VIII. pro nova Editione Græca Novi Teſt. 430

S. *Marcus* Evangeliſta ex Eutichio duodecim Presbyteros Sacris initiavit, qui eum Patriarcha Alexandrino morarentur, 170. ejus Miſſio in Ægyptum, 171. judicium de Hiſtoria Vitæ ejus, 241. duodecim poſtremi verſiculi Evangelii ejus abſunt a MSS. multis Græcis, 252. an ſcripſerit Evangelium ſuum Romæ vivente S. Petro, 579. varia ſenſa Scriptorum de conditionibus Archetypi Evangelii ejus, quod Venetiis extat. 612.

Marius Gnoſticus quas regiones erroribus ſuis maculaverit. 304

De *Marca* opinio ſuper Tractatu de Vita & Morte SS. S. Iſidori Hiſpalenſis, 546. ait, Vitam S. Dionyſii, a Boſqueto vulgatam, ſcriptam fuiſſe a Fortunato, 583. & Apoſtolos in omnem terram Evangelii lumen intuliſſe. 592

S. *Marcellus* Diaconus Romanus & M. a Tillemontio purgatus. 371

S. Mar-

S. *Marcelli* Centurionis verba, quæ ad Judicem habuit cum ad ſupplicium duceretur. *Ibidem*.

S. *Marcellini* M. Romæ Hiſtoria an vera cenſeri poſſit. 305.

De S. *Marciani* M. Nicomedienſis Actorum autoritate judicium. 329

Marcionis Hæretici mens de poſtremo Jeſu Chriſti Paſchate, a Patribus oppugnata. 149

S. *Margarita*, ſive S. Marina Martyr: Metaphraſtes fatetur, ſe ab hac Vita deleviſſe tot tabulas, quot Acta ipſius corrupta erant. 153

De S. *Maria* Ancillæ & Martyris Vita multorum Criticorum judicium, 283. 285. 287. 509. & ſeq. 520.

In S. *Marii* M. Actis vitia quæ reperiuntur an falſitatem eorum probent. 335

Marſacium in Alvernia, ubi S. Gregorius Turonenſis teſtatur, ſe aliquando pervigilium Feſti Aſſumptionis celebraſſe. 204.

Maſſora, & *Maſſoreta*. Vocum iſtarum ſignificatio, 424. de illa judicium. 435. & ſeq.

Martianaus Benedictinus regulas ſtatuit ejus opinione tutiſſimas pro intelligendis Autoribus Sacris, 9. ejus purgatio ab accuſationibus Simonii, 23. ejus animadverſiones in Epiſtolam Hieronymi ad Suniam & Fretellam, 91. probat, Canonem Veritatis Hebraicæ eſſe verum Archetypum S. Hieronymi. 255

Martinus Polonus excogitavit Hiſtoriam fabuloſam Joannæ Papiſſæ. 267

Martyrologiorum Adonis, Uſuardi, & Ven. Bedæ varii uſus Criticorum, 163. 169. 530. 532. 539. 545. 546. & ſeq. 583. Martyrologium, quod nomen fert S. Hieronymi, Euſebii Martyrologium eſt, 180. a quo editum in lucem, 181. duo genera Exemplorum hujus Marryrologii, 180. Martyrologium Romanum pluries emendatum fuit. 607

Martyribus quæ tormenta acerbiſſima incutiebantur, 363. & ſeq. 391. & ſeq. 394. *Vide Acta Martyrum & Sanctorum*.

An S. *Matthæi* Apoſtoli germanum Evangelium ſit, quod apud Indos invenit S. Pantænus, 118. 120. hoc Evangelium reperitur in ſepulcro S. Barnabæ, 121. 141. ubi ſervabatur S. Hieronymi ætate hoc Evangelium Hebraice ſcriptum, 118. 128. an S. Matthæus ſcripſerit Evangelium ſuum Hieroſolymis paullo ante Mortem Jeſu Chriſti. 130

Maupertuy Gallice reddidit Acta ſincera & Selecta Theodorici Ruinartii. 320

S. *Mauricius* & Legio Thebæorum. Epitome Sermonis, quem habuerunt, 225. Acta Martyrii ipſorum authentica ſunt, 241. 280

S. *Maximus* Epiſcopus Nolanus S. Felici donum Miraculorum impetrat. 345.

In S. *Maximi* Mercatoris in Aſia, & M. Actis menda nonnulla reperiuntur; quamvis in Proconſularibus numerentur. 335. 336.

Pro S. *Maximiliano* mira facta. 345

Maximilianus Miſſonus Hæreticus ſentit, Archetypum Evangelii S. Marci, ſervatum Venetiis, Græce ſcriptum eſſe. 612

Melchior Canus tres regulas affert ad internoſcendos Hiſtoricos bonæ notæ 13. 246. conqueritur de iis, qui Monachos accuſant de fabulis inventis lucri cauſſa, 22. contendit, neminem Patrum eſſe, qui non aliquando de re Hiſtorica lapſus fuerit, 165. adfuit Concilio Tridentino. 467

S. *Melito* Epiſcopus Sardicenſis obtulit M. Aurelio Apologiam pro Chriſtianis, 272. 381.

Menardus Dominus Iſernenſis ſtatuit quatuor principia, quibus putat, ſe univerſos Chronologos conciliare. 55

Menardus Benedictinus Launojum de minore accuratione redarguit, 161. 162. propugnat Miſſionem S. Dionyſii Areopagitæ in Gallias, 531. & ſeq. 534. & ſeq. 538. & ſeq.

Menda aliquando reperiuntur in Actis MM., ſed non nocent autoritati ipſorum, 334. & ſeq.

Menæa & *Menologia* Græcorum varie a Criticis adhibentur, 188. & ſeq.

Meneſterius Jeſuita contendit, Librum Jobi Opus Drammaticum eſſe, 121

Mercurius Triſmegiſtus an autor ſit Pimandri, 114. & ſeq. 141. 290. 490. & ſeq. 494. & ſeq. 497. & ſeq. quiſnam fuerit, numque extiterit aliquando hoc nomine homo. 494.

Metaphraſtes quo tempore vixerit, 213. ejus vitæ Sanctorum tripartitæ ſunt, 219. accuſatus fuit, quod regulas tradiderit ad fallaces Hiſtorias confingendas, 23. 153. Critici ab ejus Vitis Sanctorum multa facta hiſtorica depromſerunt, 216. & ſeq. quare illum non citent. 218.

&

& ſeq., 221. & ſeq. 223. comparatio Paraphraſum ejus cum Paraphraſibus Bailleti, 229. ejus errata ab ſcriptoribus multis excuſantur, 222. 224. 225. & ſeq. Vita S. Nicephori Mart. edita a Metaphraſte, & cum Bibliothecæ Regiæ MS. collata. 234. & ſeq.

Minutius Felix ex D. Hieronymo non eſt autor Libri: *De Fato*. 294.

Miracula a Vitis Sanctorum detracta, 148. 244. 348. & ſeq. an Acta Martyrum ſincera contineant Mira pauca, 345. Regulæ Criticæ de Miraculis, 348. & ſeq. cautiones Criticorum de Miraculis. 348. & ſeq.

Miræus Aubertus quare fabulam Papiſſæ Joannæ ſuſtulerit a nova Editione, quam adornavit, Chronici Sigeberti. 267.

Miſſalia. Vide *Sacramentaria*.

S. *Modeſtus* Patriarcha Hieroſolymitanus primus eſt, qui de itinere S. Mariæ Magdalenæ Epheſum mentionem fecerit. 279.

Monachorum Apologia ſuper Actis Sanctorum, quæ divulgarunt, 22. & ſeq. In ſæculo undecimo elaborarunt, ut Criticen & Humanas Litteras inſtaurarent. 93

Moſen totius Pentateuci Autorem non eſſe Simonius contendit. 280. 292

Monumenta, quæ Hiſtoriæ afferre poſſunt opportunitatem, 264. 265. 542

S. *Montanus*. Vide S. *Lucius*.

Monfauconii Benedictini opinio de Archetypo Evangelii S. Marci, quod Venetiis ſervatur 612.

Morinus, Oratorii Presbyter citat duodecim Autores Eccleſiaſticos, probandi gratia, Patres Judæos accuſaſſe de corrupto, data opera, Scripturarum Textu, 151. & ſeq ipſius de Verſione Septuaginta judicium, 406. quid commodi per ipſum ducere poſſumus e variis Scripturarum Verſionibus, 415. conſiderat, extare MSS. multa Græca & Latina ſcripta abſque ulla diſtinctione Periodorum, 434. aſſerit, verbum Hebraicum *Dabar* octo modis ſcribi poſſe, 456. rem authenticam eſſe poſſe duobus modis. 465

Moſchus Joannes autoritatem ex Bailleto jamdudum amiſit. 135

Mulinetus Canonicus Regularis S Genevieſæ oſtendit, corruptionem characterum in Numiſmatibus & Inſcriptionibus, 38. ſi deferenda res ſit de figura *Labari* ad Numiſmata Conſtantini ab ipſo vulgata. 612

De *Mundi* duratione vetuſta Judæorum traditio, quidque de illa Patres ſenſerint. 597

Myſtici falſi poſtremorum ſæculorum damnati, 68. Opera, quæ illorum doctrinam oppugnant, 69. & ſeq.

N

SS. *Nazarius & Celſus* Martyres Mediolani. Utuntur quidam Sermone, S. Ambroſio appoſito mendoſe, ad conſtituendam ipſorum Hiſtoriæ partem. 185.

Nazaræorum Evangelium fuerit, an D. Matthæi, quod apud Indos repertum eſt, 118. & ſeq. 128. & ſeq.

S. *Neo* Martyr. Vide SS. *Aſterius & Claudius*.

Neronis Imperatoris tempore Fidem nunciatam in Hiſpaniis fuiſſe Inſcriptione quadam vetuſta confirmari poteſt. 540

In *Niceno* ſecundo Concilio, & VII. Æcumenico memoria *Euſebii* anathemate percuſſa eſt, 126. 127.

S. *Nicephori* Martyris Antiocheni Vita deprompta a quodam MS. Bibliothecæ Regiæ conferrur cum Metaphraſte, 234. & ſeq. ipſe Martyr eſt Charitatis, *ibidem*. cujus autoritatis ſunt illius Acta. 289. 331. 368.

De *Nicephori* Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium. 29

An *Nicolaus* ex Septem Diaconis ſunus autor fuerit Sectæ Nicolaitarum. 123

Nicolao V. ſummo Pontifice Litteræ Humanæ ruriùs effulgere cœperunt. 83

Noailles Cardinalis & Archiepiſcopus Pariſienſis damnat falſos Myſticos, 69. & 70. & Novum Teſtamentum impreſſum Trevoltii anno 1702. 472. & ſeq.

Numiſmata conſtituunt partẽ aliquam ſtudii Academiæ Inſcriptionum, 75. eorum cognitio excellens eſt Critices fructus, 83. eorum utilitas ad Hiſtoriam, 38. 83. Regulæ ad explicanda Numiſmata. 84

O

Octapla Origenis quid contineant. 413

Opera. Regulæ obſervandæ in illorum lucubratione, 78 79. in quo ſita ſit bonitas & pravitas operis, 80. Regulæ ad judicandum de illius præſtantia, 81. modus exercendi Criticen in Opera, 123. 155.

255.481. in negotio Religionis non ſunt adhibenda Opera Hæreticorum, 150. Opera Apocrypha & ſuppoſititia, qui utantur illis Critici. 178.179.182.188. 191. 194. 200.204.210 214.282.290.298. 303.306. plura genera Librorum Apocryphorum, 662. & ſeq. 617.619. & ſeq. 631. & 622.

Oracula antiquitatis ex Fontanella nihil fuerunt niſi fraudes Sacerdotum. 148. 158. & ſeq.

Organorum varia diſpoſitio non eſt unica cauſſa varietatis opinionum hominum. 552.

Origenis Apologia non eſt Pamphilii Presbyteri. 296

Oroſii locus de primis Martyribus Galliarum interpolatus a Launojo, 161. opinatur, S. Petrum Romam iviſſe ſub initium Imperii Claudii, 262. ait, ſe vidiſſe Exempla multa Reſcripti Marci Aurelii ad Senatum, quo fatetur ipſum debere Chriſtianis Victoriam adverſus Quados. 265

P

P*Agli* opinio de tempore, quo Theodoretus incepit & explevit Hiſtoriam ſuam, 28. deſignat occaſiones, in quibus Imperatores & Cæſares Conſulatum ſubibant, 56. contendit, anno 112. Trajanum vulgaſſe Reſcriptum ſuum adverſus Chriſtianos. 379.

Pallavicinus Cardinalis quas regulas ſtatuerit ut de alicujus Acti autoritate judicemus, 466. quo modo eas adhibuerit Simonius, 467. & ſeq.

Paleſtina. Primorum Martyrum illius regionis Acta nonne authentica. 289

Pana Deum mortuum eſſe ſub Tiberio vulgatur. 110

S. *Panthænus* quod Evangelium apud Indos repererit. 118.120

Papa quo tempore aſſignatum fuit nomen Epiſcopi Epiſcoporum, 387. & παππας 388.

Papebrochius celebris Bollandi ſucceſſor, 61. ejus opinio de Actis Juſtini, editis a Ruinartio, 328. ſuſceperat conſtituere Regulas aliquas pro Arte Diplomatica. 397.

Papyrus Ægyptius quo differat a Critice. 397.

Papyrius Maſſorius Autor Hiſtoriarum *Dantis*, *Petrarchæ* & *Boccacii*, 95. commendavit Vitam S. Dionyſii, ſcriptam ab Hilduino. 528

Pariſiis coactum Concilium fuit anno 824. quod in Epiſtola ad Eugenium II. Pontificem data tuetur vetuſtam Traditionem ferre, S. Dionyſium in Gallias a S. Clemente miſſum fuiſſe, 527. varia judicia de hac Epiſtola. 581.

Parſcioth, ſive ſectio Bibliorum quotuplex ſit in MS. Perpinianenſi. 452

Paſtoris Liber. *Vide Hermas*.

S *Paſtoris* Pueri & M. in Hiſpania Acta ita brevia & ſimplicia ſunt, ut propterea ſincera credantur. 325

Patres Sancti conſulendi ſunt ſuper factis multis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, 29. in ipſorum Operibus quatuor reperiuntur Tractationum Criticarum genera in S. Scripturam, 90. ipſi agnoſcunt ſe fallere poſſe, 165. incubuerunt humanis Litteris, 274. & ſeq. an dubitaverint de corpore Virginis, e mortuis excitato, 196. & ſeq. abjiciendum ne eſt ipſorum teſtimonium eo prætextu, quod facta ab ipſis narrara e Libris Apocryphis hauſerint, 200.204. & ſeq. 210. & ſeq. quomodo uſi ſint argumento a Veterum ſilentio depromto, 267. teſtes ſunt Eccleſiaſticæ doctrinæ irreprehenſibiles, 300. & ſeq. Critici multi contendunt, Patres locutos fuiſſe Oratorum inſtar in iis, quæ de SS. MM. Hiſtoriis tradunt, 226.332.333.361.362. oportet ad illos ſe conferre pro reſtituenda antiqua Verſione Græca, 431.457. & ſeq. multi ex illis acceperunt vetuſtam Traditionem Judæorum de Mundi duratione, 598. multa ipſorum Opuſcula Conciliis Generalibus probata. 623

S. *Patrocli* Martyris Trecenſis Acta redolent Antiquitatem. 524

S. *Pauli* Apoſtoli Epocha Converſionis, 168. an multa ex Operibus Apocryphis traduxerit, 204. num Carmina Sibyllarum citaverit, 129. nonne conſilium dederit de illis legendis, 208. diſſimilia ſenſa de Epiſtolis ad Senecam, 114. 500. 565.567. & ſeq. iter ipſius in Hiſpaniam, 113.117. 118.131., 132 160. & ſeq. 518. 548. 569. volunt, eum Sacris initiaſſe Epiſcopum Ruſcini, 548. an extra Imperium Romanum prædicaverit, 592. Rationes, quæ induxerunt ad credendum, Epiſtolam ad Hebræos ejus non eſſe, 294., 579. redarguit S. Petrum, 140. 602. Epocha Mortis ejus, 169. 182.612. ejus caput

lac pro ſanguine effudit, 183. 185. eo vivente umbra ejus medebatur ægrotis, 592.

S. *Pauli Eremitæ* Hiſtoriam ab Hieronymo excogitatam credunt aliqui Critici. 147.

S. *Paulus* Epiſcopus Narbonenſis quo tempore Eccleſiam illam erexit. 173

Pearſonius Anglus, Autor Prolegomenorum, quæ Waltonus in fronte poſuit Polyglottorum Anglicorum. 44

Pentateucus. Vide *Moſes*.

Petididieri conjecturæ de Carminibus, Sybillis tributis. 587

S. *Petrum* Apoſtolum crediderunt Autores aliqui ſeniorem Andrea fuiſſe, 173. Epiſcopatus ejus Antiochiæ, 251. Romæ, 262. 588. variæ Autorum ſententiæ de illius certamine adverſus Simonem Magum, 118. 199. 313. & ſeq. poſt victoriam hanc Roma exivit, & Chriſtus Jeſus ipſi in conſpectum venit, 597. ubi primam ſuam Epiſtolam ſcripſerit, 119. 145. quare dubitet non nemo, alteram ejus Epiſtolam ab illo revera ſcriptam fuiſſe, 294. 296. a Paulo reprehenſus eſt, 140. 602. Epocha mortis ejus, 169. 182. 612.

S. *Petri* Alexandrini opinio de verſ. 14. capitis 19. Evangelii S. Joannis, 586

Petrus Bleſſenſis quæ habeat de Aſſumtione Deiparæ. 596

S. *Petrus* Eunucus Diocletiani crudeliſſime vexatus. 366

S. *Pezronii* Opinio de Origine Gallorum. 443. 5?4.

S. *Philippo* Apoſtolo nonnulli filias tribuunt: 249. alii contendunt, eum Fidem nunciaſſe Gallis, & Anglis, 537. 544. 546

Philologia quid ſit, 72. 84. & ſeq.

Philo Judæus ne verbum quidem fecit de Probatica Piſcina, inter Judæos celeberrima. 621

Philopponum ſequuntur Scriptores multi de Epocha Mortis Jeſu Chriſti, 146. incidit in errorem *Tritheitarum*, *ibidem*. inſtaurat opinionem Marcionis, contendentis Chriſtum Dominum ultimum Paſcha minime celebraſſe. 149

Philoſtorgius quædam peculiaria narrat de morte S. Luciani Antiocheni, Litteratis multis probata. 138. 271.

Photius quod judicium ferat de Hiſtoria Eccleſiaſtica Evagrii, 28. & Gelaſii Cyſiceni, 168. nonnulli gloriam ipſi tribuunt, quod Sapientum Ephemeridem repererit. 52

Pilatus ad Tiberium de Jeſu Chriſto Epiſtolam dedit, 133. 145. 280. 500.

Pimander. Vide *Mercurius Triſmegiſtus*.

S. *Pionius* Presbyter & M. Smyrnenſis: Res animadvertendæ in Hiſtoria Sancti hujus, a Bailleto prætermiſſa, 352. an mortuus fuerit anno quo Polycarpus. 329. 516

Plinius junior Præfectus Bithiniæ. Ex ejus ad Trajanum epiſtola liquido conſtabit de Magno numero Chriſtianorum, hoc Imperatore interremtorum. 379

Poetæ Galli in quibus Veteribus antecellant. 85

S. *Polycarpus*. Senſa Criticorum in ejus Epiſtolam ad Philippenſes, 112. 124. 501. & ſeq. Miracula quæ in ejus interitu contigerunt. 344. 352. 516.

Polycrates quiſnam ſit & qua autoritate 199. 249. 271.

S. *Polieuctus* creditur eſſe primus & præſtantior Armeniæ Martyr. 384. & ſeq.

Polyglottorum quinam Autor. 40.

Pompejum Urbis Convenarum erectorem eſſe exiſtimat Hieronymus. 614

Poncius Cypriani Diaconus hujus S. Epiſcopi Vitam conſcripſit. 171

Pontificale Damaſi. *Vide Damaſus*.

Poſſevinus Jeſuita inter primos eſt, qui de Carminibus Sibyllinis dubitaverit, 147. 484

De *Prædeſtinato* Sirmondi opinio Doctorum. 191

Præfecti Provinciarum ſententias crudeliſſimas dicebant in Chriſtianos. 367. & ſeq.

Præjudicia, quæ per Criticen excuſſimus. 88.

Presbyteri. Vide *Epiſcopi*.

Presbyter Aſiæ loco excidit, quod excogitaverit falſam de SS. Paulo & Thecla Hiſtoriam. 142

S. *Prixius* Epiſcopus & M. Claromontanus incumbebat colligendis & conficiendis Martyrum Actis. 21

Probabilitas gemina. 626

S. *Probi* Martyris in Cilicia Martyrium graviſſimum. 373. 390. & ſeq.

Problema de Operibus tributis S. Dionyſio Areopagitæ, deque illis judicium, 88. Autor hujus regulas condidit ad cognoſcendam falſitatem Librorum Sancti iſtius. 261

Protagoras Abderites a Lactantio exiſtimatur Atheorum primus. 96

Prudentius Epiſcopus Trecenſis quo tem-

pore

pore vixerit. 267

Pſalmi, aliique Multi Bibliorum Sanctorum Libri ex mente nonnullorum Scriptorum adſtricta numeris Oratione conconſcripti fuere. 121

Pueris Dæus aperit quæ Cyprianus facere debebat populorum ſuorum commodo. 611.

Q

QUalitates Veteribus & Recentioribus communes, 174. qualitates intimæ autoribus neceſſariæ, ut quæ narrant, admittenda ſint, 246. & ſeq. 621. &c.

Quietiſmus & Quietiſtæ damnati. 69. & ſeq. Opera, quæ illorum do_trinam oppugnant. *ibidem*.

R

RAbbini non ſunt duces tuti ad addiſcendam Linguam Hebraicam, 409. multa verba Hebraica ab Arabico & Græco traduxerunt. 447

S. *Radegundes*. Argumentum Epiſtolæ Epiſcoporum Galliarum ad ipſam. 542

Recognitiones Liber Apocryphus. 178

Regula Criticæ ad emendanda MSS., 7. 39. 248. & ſeq. ad ſtudium Scripturarum Sanctarum, 9. ad Concilia, *ibidem*, ad Patres intelligendos, 10. & ſeq. ad Hiſtoriam Eccleſiæ, 13. & ſeq. ad Theologiam Scholaſticam, 67. ad Diplomaticen, 401. & ſeq.

Regulæ Criticæ ad efformandum perfectum Hiſtoricum, 30. ad efficiendas Bibliothecas Scriptorum Eccleſiaſticorum, 31. & ſeq. ad Chronologos conciliandos, 55. ad munus Concionatoris, 76. ad Opera perfecte lucubranda, 78. 79. ad judicandum de præſtantia Operis, 8 2. ad faciendas Gallicas Interpretationes optimas, 81. 82. ad recte intelligendos Autores, 1j0. ad ferendum judicium de autoritate alicujus Acti, 461. & ſeq. ad Scribendum adverſus aliquem. 481

Regula Critica de teſtimonio Veterum, 129. 117. & ſeq. 240. & ſeq. 610. 615. 621. & ſeq. de ipſorum intimis qualitatibus, 216. & ſeq. 622. & ſeq. de ipſorum ſtylo, 610. 619. de ipſorum ſilentio, 268. & ſeq. 277. 590. 596. & ſeq.

Regula Criticæ de Conjecturis, 259. 261. & ſeq 5.6. 585. 626. de Traditione, & conſenſu Eccleſiarum, 15. 610. & ſeq. 628. & ſeq.

Regulæ Criticæ ad diſtinguenda Acta germana Martyrum, & Hiſtorias a fabulis, 254. 259. & ſeq. 278. 280. 281. 330. 334. 338. 341 356 389. 395. 401. ad internoſcenda Opera legitima a ſpuriis, 260. 298. 303. 306. 310. 484. & ſeq. atque ad habendum argumentum concluſum de veritate facti alicujus Hiſtorici, 264. 542. uſque ad 560.

Regula Criticæ de Miraculis, 263. 348. & ſeq. 353. & ſeq. deque Regula Critices, quam principem appellant, 314. 520.

Regulæ Criticæ Simonii ad novam Bibliorum Verſionem faciendam, 408. & ſeq. ad tollendam innumerarum vocum Hebraicarum ambiguitatem, 438. ad Hebraicam Linguam funditus callendam. 442. & ſeq.

Relneccius oſtendere nititur, vetuſtam Judæorum Traditionem de Mundi duratione nullo inniti firmo principio. 598.

De *Reliquiis* opinio Bailleti. 155. 156

Reſcriptum ad Aſiæ Proviocias pro Chriſtianis cui tribuatur, 272. 285. & ſeq. 28 7.

Revelationes factæ S. Cypriano, & pueris. 611

Rhenanus Eraſmo tribuit inſtaurationem Theologiæ *Poſitivæ*. 63

Riverius affert notas undecim, quibus de Scripti alicujus falſitate judicare poſſumus. 260. & 302.

SS. *Rogatianus* & Donatianus Martyres Nannetenſes. Etſi Acta ipſorum ſincera videantur, non carent tamen erroribus, 336. 376.

Abbatis *Roquii* ſententia de Judicio Sapientum Bailleti. 155.

Roſveidus Jeſuita primus eſt, qui conſilium ſuſceperit reſtituendi in univerſum omnes SS. Hiſtorias. 61

Rudericus Epiſcopus Toletanus in Synodo Lateranenſi irritas reddit vanas Epiſcopi Compoſtellani poſtulationes. 92

De *Rufini* Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium. 26.

Ruſcini Traditio eſt, S. Paulum illuc tranſeuntem, Hiſpaniam verſus Epiſcopum Sacris initiaſſe. 548

De *Ruinartii* Benedictini Actis ſinceris & ſelectis natura & ordine, 60 310. de illo brevis enarratio, 102., in Actis ſuis immiſcuit multa a Metaphraſte decerpta,

216. multæ SS. Vitæ collocandæ eſſent in Collectione illius. 312. nonnulli Critici improbant monumenta illius Operis multa, 327 330. & ſeq.

S

De *S. Sabina* Mart. Actorum autoritate Criticorum dubitatio; 284. 286

Sacramentaria, ſive *Miſſalia* a Thomaſio vulgata. 555

Sæculo præterito Sapientes fuerunt Auguſti tempore ſapientiores, 84. Elogium Dupini. 98

Salysburgenſis Joannes, Epiſcopus Carnotenſis, egregius Criticus, quo tempore floruerit. 94

Sallo Dionyſius, Autor Ephemeridum Sapientum, 52. ejus opinio de Annalibus Baronii. 58

Samaritanorum origo. 421

Sanctorum quo tempore corpora eruere, diſcerpere, & huc illucque transferre cœptum eſt, 22. notæ ad dignoſcenda vera Sanctorum corpora. 608. Vide *Acta Martyrum*, & *Miracula*.

De *Santes* Pagnini Verſione Bibliorum judicium Genebrardi. 563

Sapricius Presbyter, amiſſa Charitate, fidem quoque & Martyrium amittit. 236. & ſeq.

In *S. Saturnini* Epiſcopi Toloſani Corporis Translatione mira contigerunt, 22. quo tempore contecta ſunt Acta ejus Vitæ & Translationis, 251. 264. 328. Quoad Miſſionem ejus in Gallias Vide *S. Dionyſius*, & *Gallia*.

Savaronio Præſidi Claramontii in Alvernia negotium faceſſunt, quod Papæ titulum dederit Franciſco de la Gueſſe Archiepiſcopo Turonenſi. 388

Scaliger Joſephus Euſebio tribuit graves Chronologiæ errores. 26

Scaliger Julius Cæſar acrius in Eraſmum invehit. 480

Schelſtratus quod judicium ſerat de Annalibus Baronii. 28. & de Damaſi Pontificali. 181

Scillitani Martyres quare hoc nomine vocati, 331., menda levia Actorum illorum. 335

Scioppii ingenium, & Critice. 480

Scriptura Sancta. an Critice opus ſit ad Sacrum Textum reſtituendum, 16. & ſeq. ad optimas ejus Editiones habendas, 40. 42. quatuor genera Criticorum Tractuum de Bibliis Sanctis reperiuntur apud Patres, 90 ejus ſtudium invaluerat a primis Eccleſiæ Sæculis, 91. 420. & ſeq. varium fuit temporum varietate, 421. multæ Librorum Sanctorum Claſſes ex Euſebio, 162. an Textus Hebraicus Archetypum eſſe poſſit ad bonam Scripturarum Sanctarum Verſionem faciendam, 401. Vitium conjecturæ petitæ a Silentio Scripturarum, 590 & ſeq.

Scultetus quas conditiones in Theologo requirat. 35

An *S. Sebaſtiani* Actorum Scriptor Pontifici ſummo tribuat titulum Epiſcopi Epiſcoporum. 387

Semon Sangus differt a Simone Mago, 146.

Seneca an Epiſtolas ſcripſerit ad D. Paulum, 114. 500. 565. 467. & ſeq.

Septuaginta. an Autores ſint Verſionis Græcæ Vet. Teſt. 114. 145. 311. an ipſorum Verſio vitioſa ſit, 410. 411. 462. num exempla, quibus uſi ſunt, ſatis eſſent emendata, 415. 418. & ſeq. 463. tres tantum ſuperſunt ejus Verſionis Editiones, 430. Regulæ *Simonii ad inſtaurandam* Verſionem iſtam, 430 & ſeq.

S. Serapia M. Acta cum Actis S. Felicis Nolani collata, 345. & ſeq. volunt aliquos ineſſe nævos in ejus Hiſtoria. 370

Sibyllæ conſecuræ ſunt ex D. Hieronymo Prophetiæ donum ob Virginitatem, 120. varia Autorum ſenſa de Carminibus ipſis tributis, 112. 114. 129. 141. 147 306. 484. & ſeq. 587. an D. Paulus hæc Carmina citaverit, eorumque lectionem conſuluerit, 129. 208.

Sigbertus Monachus Gemblacenſis non habet in veris Operum ſuorum MSS. Hiſtoriam fabuloſam Joannæ Papiſſæ. 267

Sigiſmundus Rex Burgundiorum extruendum curavit Monaſterium Agaunenſe. 281

Silentium Litterarum Sanctarum duplex eſt. 590

S. Simonis Epiſcopi Hieroſolymitani argumentum Martyrii. 119

De SS *Simone & Juda* Apoſtolis, Martyrio affectis, quæ habeat Abdias. 180

De *Simonis* Magi volatu multa Sapientum judicia, 118. 198. 313. & ſeq. de Simulacro ipſi erecto Romæ. 146

Simonius contendit, univerſas Scripturarum Verſiones interpolatas eſſe, 16. 408. 410 414. 417. 462. non oſtendit ſatis obſequii in Sanctos Patres, 17. & ſeq. 120. 115. & ſeq. 175. 432. 448. 453. 458. 469.

471. aſſerit, celeberrimos hujus ſæculi Theologos Regulas Criticas ignoraſſe, 35. judicium de ipſius Hiſtoria Critica Veteris Teſtamenti, 17.18.103.412.550. antefert ſuper multis Scripturarum factis ſenſa Hæreticorum ſenſis SS. Patrum, 145. conjecturis tantummodo innixus aſſerit, Pentateucum Moſis non eſſe, 280. conſilium ejus ad faciendam Bibliorum accuratiſſimam omnium, quotquot extant, Verſionem. Vide Diſſ. V. Exitus Hiſtoriæ ſuæ Vet. Teſt. 407. Animadverſiones in illius Nov. Teſt. 470. & ſeq. ſententia ipſius de Doctrina quinque *Propoſitionum* 472. & de loco ubi ferunt ſervari Evangelium S. Marci. 586

Simplicitas in Actis MM. nota eſt autoritatis ipſorum. 341. & ſeq.

Sinopium Urbs Ponti. Credunt, S. Petrum ibidem prædicaſſe. 600

Sirmondus a Societate Jeſu quid operis contulerit Baronio, 29. ejus de S. Dionyſio opinio, 142. & ſeq. 158. 528. 533. & ſeq. ſenſa Scriptorum de *Prædeſtinato* illius. 191. & ſeq.

Sixtus V. & *Clemens* VIII. In eo laborarunt, ut Vulgatæ emendationi inſiſterent Viri docti, & fatentur, ſe omiſiſſe multa, quæ mutari poterant, 406. 469. ordo, quem ſervarunt Eruditi in hac emendatione. 412

Sixti Senenſis Regulæ ad dignoſcenda Opera legitima a ſpuriis, 259. nimium defert autoritati ex Simonio, 454

De *Socratis* Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium. 26. & ſeq. 135

Sophronius Criticis nonnullis ſimplex eſt, facilis, & credulus eſt. 155

Sozomenus in Hiſtoria ſua non ſemel receſſit a veritate. 27. & 135

Spanhemius quod judicium tulerit de Hiſtoria Critica Vet. Teſt. Simonii, 17. 35. 103. 450.

Spinoſa poſtremis temporibus Atheiſmum inſtauravit. 97

Spiritus Sanctus quo die ſuper Apoſtolos deſcendit, 133. 178. 185. 570. & ſeq.

S. *Stephanus* Papa an in errorem Cypriano contrarium inciderit. 147. 277. 288. 298. dubitationes Scriptorum aliquorum de ipſius martyrio. 272

S. *Stephanus* III. Abbas Ciſtercienſis retractat Biblia. 23

Struvius regulas condidit, ut pronunciemus de præſtantia alicujus Operis. 80

De S. *Sulpicii* Severi Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium, 26. 528. a quibus audiatur de tempore Miſſionis S. Dionyſii in Gallias. 135. 526. 549.

Superſtitio quid ſit, 605. conſuetudines ſuperſtitioſæ damnatæ. 70. 71

Symbolum Apoſtolorum quo tempore compoſitum, 113. 145.

S. *Symphoriani* M. Auguſtodunenſis Acta authentica non ſunt, & mendis ſcatent, 331. 335. 383. & ſeq.

S. *Symphoroſa* M. 335. Extat Tiburi Ciſterna ſicca, in quam ſecedebat cum filiis ſuis tempore perſecutionis. 600

Synagoga quas adhibebat cautiones, ut Libros Bibliorum more ſuo ſcriberet. 424

T

T*Almudes* quid ſignificet, 426. 427. Traditio de duratione mundi a Talmude depromta. 598

S. *Tarachi* Martyris in Cilicia martyrium crudele, 373. 390. & ſeq.

An *Tempus*, Litteris adſcriptum falſo, nota ſit certa ſuppoſitionis. 284

Tenzelius animadvertit non deeſſe, qui credant, Judæum fuiſſe Alexandrinum, qui Epiſtolam S. Barnabæ adjudicatam compoſuerit, 111. moleſte fert, S. Hieronymum poſuiſſe Senecam in numero Scriptorum Eccleſiaſticorum. 114

Tertullianus ait, non eſſe adhibenda Opera Hæreticorum in negotio Religionis, 150. an autor ſit Libri de *Pœnitentia*, 297. an Pontifici titulum dederit Epiſcopi Epiſcoporum, 387. Evangelium ætate ſua nunciatum erat multis Galliarum Provinciis. 544

Teſtamentum Novum quo tempore cœptum ſit Gallice reddi, 41. exempla, quibus uſi ſunt ſub Urbano VIII. ad novam Editionem Græcam Novi Teſt. 430. Animadverſiones in Novum Teſt. Trevoltienſe, 470. & ſeq. damnatum Decretis Præſulum Pariſienſis, & Meldenſis, 471. & ſeq.

Tetrapla Origenis quid contineant, 413

Textus Sacer. Morinus adducit Patres duodecim, ut probet, Judæos illum conſulto non vitiaſſe; 151. & ſeq., quæ in eo mutata ſunt ante adventum Chriſti, 417. & ſeq. qualis eſſet primis Eccleſiæ ſæculis, 420. & ſeq. an vetuſtæ Verſiones aptæ ſint ad

hunc

hunc Textum reſtituendum. 428. & ſeq.

Thamus Navis Gubernator audit, Deum Pana mortuum eſſe. 110

Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus inquirit in Galliis, an S. Dionyſius Diſcipulus S. Pauli Martyrium paſſus fuerit; & quænam eſſet hac de re Gallorum Traditio. 553

S. *Thecla* Virg. & Mart. Acta qua præſtent autoritate. 186. 306. 508. & ſeq.

Theodora Viduæ Luciani S. Hieronymus ſcribit, ut eam ſoletur, & hortetur ad perſeverantiam in Fide Catholica. 304

De *Theodoreti* Hiſtoria Eccleſiaſtica judicium. 28

S. *Theodoreti* Presbyt. & Mart. Antioch. an Miracula, aliaque adjuncta in ejus Actis contenta dubitationem de illis ingerere poſſint. 346. 374

S. *Theodoſii Cœnobiarchæ* Hiſtoria, quæ de ipſo narratur ſuper Dedicatione Eccleſiæ ſuæ, 352. ſecedit in Speluncam Magorum; 602

S. *Theodoti* Cauponis & Mart. Ancyrani Mira &c. narrata in illius Hiſtoria non poſſunt eam dubiam reddere aut fallacem, 337. 339. 352. 373. 376. 386. 387. 393 & ſeq.

Theodulphus Archiepiſcopus Aurelianenſis exſcribendum curavit pro Giſla ſorore Caroli Magni geminum Pſalterium S. Hieronymi. 92

Theologia inſtaurata Critices ſplendore, 33. 64. tria genera rationis, & viæ pro addiſcenda Theologia. 37

Theologiæ Scholaſticæ origo, 35. ejus inſtauratio, 66. Regulæ pro ejus ſtudio, 69. neceſſaria eſt ad cognoſcendas fallacias Hæreticorum. *ibidem*.

De *Theologia* poſitiva quinam egerint, 62.

Theologiæ Dogmaticæ objecta res, 64 65.

Theologiæ Myſticæ argumentum, 67. Opera in rem hanc. 70

Ad *Theologum* perfectum efformandum quatuor ſunt neceſſaria, 35. quid Theologi exprobrare poſſent Criticis. 164.

S. *Theonillæ* Martyris ſupplicium immane. 366

Theophilus Epiſcopus Antiocheous non eſt ex D. Hieronymo autor Commentariorum in quatuor Evangeliſtas, & in Proverbia. 294

Thierius Criticen fecit Hiſtoriæ *Flagellantium*, 79. 163. utitur negante argumento ad detrahendum de autoritate Lacrymæ Vindocinenſis, 274. male uſus eſt Critice, 479. 480. & ſeq.

S. *Thomas* Apoſtolus Evangelium Parthis prædicavit, 179. dubitant, an Homilia de S. Thoma, S. Joanni Chriſoſtomo adjudicata, Patris hujus ſit, 620.

S. *Thomas Aquinas* an autor ſit *ſummæ Theologicæ*, ejus nomen ferentis. 275.

Thomaſius Theatinus.
Vide *Sacramentaria*.

Thomaſius idem ingenioſas animadverſiones fecit de modo incumbendi ſtudiis Patrum. 11

Thomaſſinus ex Oratorio narrat conſuetudinem quandam Chriſtianorum Orientis die ſexta Januarii. 164 quæ habeat de S. Theodoſia Cœnobiarca, 353. aſſerit morem & venerationem gerendam eſſe opinionibus Eccleſiæ. 596.

Tiburi extat Ciſterna ſicca, in quam ſeceſſit S. Symphoroſa, filiique ejus tempore perſecutionis. 600

Tillemontius. Idea, ſive ordo ejus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, 60. quare Editio hujus Operis aliquo annorum ſpatio dilata fuit, 147. Elogium ejus, 100. 101. varie utitur teſtimonio Veterum, 110. & ſeq. 128. 131. 133. 135. & ſeq. 137. 138. & ſeq. 210. & ſeq. 239. & ſeq 251. vituperat Scriptores recentiores, qui deſerunt Eccleſiæ Patres, ut Hæreticorum cognitionem ſectentur, 145. S. Dionyſio Areopagitæ ſcripta tribuit ab ipſo aliena, 157. ſæpe probat & improbat eoſdem Autores, 163. 168. 169. & ſeq. 178. 181. & ſeq. 183. & ſeq. 188. & ſeq. utitur teſtimonio multorum Operum dubiorum, 191. & ſeq. 199. & ſeq. 203. rejicit illud Metaphraſtis, 213. interim vero ab illo multa ſumit, 215. diſſimiliter adhibet argumentum ductum a ſilentio Scripturarum, 269. 271. a Convenientiis &c. 278. & ſeq. a Titulis, & Inſcriptionibus &c. 284. & ſeq. 292. quid ſentiat de multis Actis Sinceris Ruinartii, 334. Vide ſecundam partem quartæ Diſſert. magnum eſt Criticis moderationis exemplar, 482. ex ejus Criticis Regulis Hiſtoria Martyrii S. Juſtini &c. videri poſſet ſuſpicioſa, 504. & ſeq. ex ejus principiis diſtinguere poſſumus quatuor genera Librorum Apocryphorum, 561.

tum

non neglexit Traditiones Eccleſiarum, neque populares. 598. & ſeq.

De *Timothei* diſcipuli S. Pauli Apoſtoli Hiſtoria judicium Tillemontii, 199. 241

Titulorum antiquorum cognitio fructus Critices, 82. an tituli & Inſcriptio arguere poſſint Hiſtoriam aliquam falſitatis aut ſuſpicionis. 284

Toletus quid cogitet de Mercurio Triſmegiſto. 490

Tormenta extraordinaria Martyribus incuſſa. 363. & ſeq., 391. & ſeq.

Turnemini e Societate Jeſu animadverſiones in Epiſtolam Theologi Salmantini de inſtauratione Textus Septuaginta. 433.

Trajanus Imperator inquirere facit Poſteros Davidis, 119. an liberatus fuerit ab inferis, orante S. Gregorio, 311. 588, 601. an Edicta tulerit in Chriſtianos. 377

Traditiones. Regulæ, ne in Traditionibus fallamur, 15. Patres multa facta tradiderunt Traditionis teſtimonio, 201. 208. Traditio, tertium Principium Critices quid ſignificet, 594. probatur teſtimonio Patrum, 597. & eorundem Criticorum. 598., 603. quæ comitari illud debeant conditiones, 606. tria Traditionum genera. 628., præter hæc tria alia quoque non deſunt, *ibidem*. Regulæ ad illas dignoſcendas. 630. & ſeq.

Trevoltienſium Ephemeridum origo. 53

Tridentinum Concilium quo ſenſu Vulgatam authenticam declaraverit, 456. 460 462. & ſeq. 465.

De *Trinitate* locus Joannis non reperitur in MSS. 249. quo tempore cœpit adhiberi vox Trinitatis. 388

S. *Trophimus* quo tempore erexerit Eccleſiam Arelatenſem. 172. 515.

V

Valeriani Imperatoris perſecutio differt a perſecutione Decii. 334. & ſeq.

Valla Laurentius primus eſt, qui inſurrexerit ad verſus Libros, nuncupatos a Dionyſio Areopagita. 148

Valeſius non videtur ſatis obſequii antiquitati præſtare, 118. Euſebium purgat, 126. 12. ejus opinio de exemplo Pontificalis Damaſi, vulgato a Roſvveido. 180

Varro habitus eſt Romanorum doctiſſimus. 90

Vaſſorii opinio de Atheiſmo ante jactatam ab Hæreticis reformationem. 96

Vega Hiſpanus ex Ordine S. Dominici adfuit Concilio Tridentino. 467

Verborum ambiguitas multam affert diſciplinis perturbationem, 561. varietas in verbis Hebraicis, 458. 463. 477.

Verberationum ſibi ipſi inflictarum uſus, 163. leves conjecturæ ad illas reprobandas. 589. & ſeq.

Verſiones Bibliorum, ex Simonio, univerſæ interpolatæ ſunt, 16. 408. 410. 415. 417. 463 commoda, quæ capi poſſunt ex variis Scripturarum Verſionibus, 415. multæ Bibliorum Verſiones, 462. & ſeq. quo ſenſu ipſæ *authentica* ſunt per Simonium, 460. & ſeq. Vide MSS. Bibl. *Novum Teſtamentum*. *Textus Sacer*.

Veſpaſianus Imperator inquiſitionem diligentem fecit ſtirpis Davidicæ. 119

Vexillum Conſtantini. Vide *Labarum*.

Vezeliacum translatæ ſunt Reliquiæ S. Mariæ Magdalenæ. 126

S. *Victor* Papa an ſemoverit a communione Fidelium Epiſcopos Aſiæ. 130

Virga divinantis uſus damnatus. 70

Virgo Maria. Nonne explodendum ſit quidquid Patres dixerunt de ejus Genealogia &c. 201. & ſeq. 203. 512. & ſeq. 593. Epiſtolæ, quas volunt eam ſcripſiſſe, 586. ubinam vita exceſſerit, 237. & ſeq. 240. 271. & ſeq. 279., & ſeq. varia placita de corpore ipſius a mortuis excitato, & in cœlum aſſumto, 131. 132. 156. 163. 169. 181. 196. & ſeq. 203. 253. 592. 595. 596. 604. Feſtum Aſſumtionis illius celebrabatur ante S. Gregorium Turonenſem. 203

Vitæ Sanctorum cujuſmodi erant ante XVII. Sæculum, 19. & ſeq. præcipui ipſarum Scriptores, deque ipſis judicium, 20. & ſeq., 60. 61. 215. 319. & ſeq 325. 328 331. 335. 338 & ſeq. nonnulli Eruditi detraxerunt ab illis Miracula, 129. 243. 343. & ſeq. 348. & ſeq. 354. & ſeq.

S *Vincentii* Diaconi & M. Acta negotium creant Criticis, 329. 330. 350. 368. 369. 394. & ſeq.

De *Virbii* Vita S. Dionyſii Scriptorum ſententia. 545

In *Vitrei* Typis vitia. 87

Uni-

Univerſitas Pariſienſis quo tempore, & a quo erecta. 36
Voces e Cœlo in Actis MM. an ſint ſuppoſitionis notæ. 386
Vocalia Puncta diſſimiliter intelliguntur, 434. 452
Urbanus VIII. edendum curavit noviſſime Novum Teſtam. Græce, 431. quibus MSS. quaque ratione uſi ſunt Autores hujus Editionis, *ibidem*.
S. *Urſula*, & ſociæ MM. an ad unam duntaxat redigendæ, nomine *Undecimilla*. 585
De *Uſuardi* & Adonis Martyrologiis diverſos habent uſus Critici, 163. 168. & ſeq. 197. 530. 533. 540. & ſeq. 545. 546. & ſeq. 582.
Vulgata a quo correcta fuerit, 406. 460. quæ via & ratio habita in hoc, 412 & ſeq. quo Senſu declarata eſt authentica a Concilio Tridentino, 456. 469. dicta Simonii de ejus autoritate, 464. 466. & ſeq.
De W*alteno* quo jure conqueſtus ſit Jajus, 41. 44.
W*angnevechius* excuſat menda Metaphraſtis. 222
W*aſmuthius* Matthias qui pronunciet de Opere Capelli. 407
W*arnaharius* Presbyter Eccleſiæ Lingonicæ mittit ad S. Ceraunium Epiſcopum Pariſiorum Acta trium Geminorum Lingonenſium. 161
W*itaſſii* ſententia de opinione Philopponi Hæretici ſuper extremo Paſchate Jeſu Chriſti. 149

X

X*imenes* Cardinalis Bibliorum Complitenſium Editionem procuravit. 40

Z

S. Z*acharias* Pater S. Joannis Baptiſtæ propter quod interremtus, 110. 118
Zachei Publicani Epiſcopatus. 240
Ad *Zenonem* Imperatorem mittitur Evangelium S. Matthæi in Barnabæ Sepulcro repertum. 191
Zozimum Pontificem, ait Tillemontius, fuiſſe ad omnia, quæ ipſi obtrudebant, haurienda compoſitum. 132
Zorobabel an Templum Hieroſolymis ædificandum curaverit, 167, 172

FINIS.

Digitized by Google

Addenda & mutanda ſic lege

pag.	lin.		
3	29	re	rei
8	28	ſuſpecti aliia	non ſuſpecti
16	21	non ſubirent	*dele* non
44	1	Capella	Cappellus
55	*in not.* 2	Typographia	Editione
	3	cujus prælis	cujus opera prælia
65	22	diſſidia	diſſidia autore Peliſſonio
73	*in not.* 15	Feureus	Fabri filia
85	29	non inferiores	non multo inferiores
88.	*lin. ult.*	Libri	Libros
89	1	Collectio	Collectionem
90	*in not.* 6	impoſitum eſt.	impoſitum ſit
92	*in not.* 2	a Giſla	pro Giſla
110	*in not.*	Thramnna	Thamus
111	*in not.* 2	nonnullos Judæos Alexandrinos	ex Judæis Alexandrinis aliquem
113	8	Jacobi	Pauli
127	15	Monothelitis	Iconoclaſtis
128	*penult.*	Alexandrina	Cæſareenſi
141	32	Euſebii	Joſephi
146	*in not.* 17	triginta	quadraginta
153	24	decimo	nono
162	24	. . . . .	nothos
215	14 *& alibi*	Thierii	Theodorici
218	*in notis deeſt*		Varaggii
220	7	non mediocres	maximas
246	18	etenim	etiam
249	*in notis* 5	Initiatur	Initiat
250	*in not.* 19	continet	contineat
294	7	comminiſcuntur	reminiſcuntur
296	9	hunc	hoc
299	*in not.* 8	receſſiſſe	proceſſiſſe
325	22	filiorum	filii
339	*in fin.*	filiorum	filii
330	7	autographa	authentica
335	30	Mariſii	Marii
342	25	Mariſii	Marii
344	8	Mariſii	Marii
369	*l. penult.*	conſularia	Proconſularia
408	2	ejus interpr.	ſuam interpr.
418	*in not.*		
poſt 1. *not.* *adde*		Kirch. in Oedip. Ægyptio cl. 4. c. 1.	
poſt ſecundam		Simon. Hiſt. Crit.	
484	18	eſſe firmiores	non eſſe firm.
528	19	quod	quæ

A D D E N D A

pag. 534. Diſſert. 6. ante lin. ultimam.

Verum progrediamur alterius, adderet Criticus hic ab omni affectione remotus, & rurſus ponamus Menardum & Alexandrum incurrere in ſcripta de Marca & Milleti, pro veteri Epocha pugnantia; & citra alterutræ parti aſſenſionem Criticarum Regularum præſcripto expendere duorum iſtorum ſapientum *Areopagiticorum* ſententiam, conjecturas, aliaque facta, ipſorum Epochæ conſtituendæ apta, ad trecenteſimum uſque numerum: conſequenter autem opinionis & rationum tum *Areopagiticorum tum Gregorienſium* collationem inſtituere;

Er-

Digitized by Google

Errata typographica ſic corrige.

pag.	lin.		
xv	5	& idem	eoſdem
xix	44	multa	mutua
2	25	facili	facile
19	*in not.* 13	cui	qui
24	20	politici	politi
	25	Motino	Morino
54	12	nutu	nano
63	4	Scriprorum	Sanctorum
66	27	invenit	incepit
67	*in not. ult.*	Menaliani	Meſſaliani
73	*in not* 12	Collaſſanius	Colleſſonius
84	2	MSS.	MS.
& alibi			
95	*in not.* 30	Volla	Valla
95	*in not.* 14	Nonagerius	Nonacenarius
98	9	incomptamque	incorruptamque
112	*in fin.*	turpiſque imprud.	impudentia
122	15	formarum	firmarum
123		officio ſe	officioſe
135	31	Mochus	Moſchus
153	25	ratione	rationem
261	12	non eadem nec ipſe integritate ſpecialiter	non eadam ac ipſo integritate ſpectabiles
	14	Ingomenſis	Liógonenſis
263	19	debilitatem	debilitatam
	l antepen.	iſtam	iſtum
265	*in not.* 8	in cap.	in cap. 6.
269	4	utrumque	utrorumque
270	*in not. ult.*	Carius	Cavius
276	1	efferens	offerens
278	10	vendicat	venditae
298	22	eadem	eandem
220	21	Chriſtophorſenem	Chriſtophorſonem
243	23	Lindra	Lindrh
254	25	minimæ	minime
256	4	hæc	hoc
263	8	quid	quod
265	4	Lethius	Leſlius
272	21	de I.	de S.
277	17	tum in alicujus	cum in alic.
280	*in not.* 24	Montis Perſulani addendum	Montis Peſſulani edendum
288	*in fin.*	Acocii	Acacii
290	1	adulterinè	adulterina
293	14	alteri	altera
299	8	ablegenda	ablegenda
	in not.	διοτόκον	Θεοτόκον
	& infra	δετόκυς	Θεοτόκυς
326	24	imus	ſimus
	24	ad noſtra duxerunt	ad nos tradux
328	2	proprius	propius
344	5	proprius	propius
410	13	proprius	propius
351	20	ado	adeo
353	9	Theodoricus	Theodoſius
379	*in not.* 25.	duodecim	duodecimo
391	9	Fibia	Tibia
397	*in not.* 2	ait	fuit
429	7	oper omnis	ſpes omnis
435	*in not.* 3	Lypſiæ	Lipſii
437	22	vel	ut
439	*in not.* 12	Ehach	Chach
443	11	Ne	He
444	*l. penult.*	Aben Eſſæ	Aben Eſræ
445	12	Aben Eſſæ	Aben-Eſræ
446	*l. ult.*	revocare	revocari

Digitized by Google

Errata typographica ſic corrige.

pag.	lin.		
456	15 & 23	cum	eum
465	3	ſecundum	ſecundam
478	*in not.*	Gata Renius	Gatakerius
490	12	D'alogidico	Dia ogi duo
	14	ſic ſunt	hi ſunt
in not. l. pen.		Flupatii	Fluſſatii
494	20	illas	illi
495	13	monumenta	momenta.
513		& non crediderim	*dele* &
519	*in fin.*	inceperunt	inceſſerunt
525	3	In effatum	En effatum
530	24	Creſpinuano	Creſpiniano
531	14	in Gallia	in Gallias
536	20	varias ad ſui	varias ſuâ
549	9	Neque in ea ſane quodquam	Neque ex ea ſane quidquam
557	32	tenendæ	texendæ
578	26	ſtatum a S. Petro	ſtatim
ibi		quippe	quique
591	2	Magnorum Betheamum.	Magorum Bethleemum
609	34	cur	cum
612	*in not.*	Miſſorus	Miſſonus
623 *in not. in fine*		Senior	Sanior

MAG 250936

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google